SUPPLEMENTUM
IN CORPUS
JURIS CANONICI,

SIVE

IN JUS UNIVERSUM
ECCLESIASTICUM

CUM BREVI COMMENTARIO

AD

DECRETUM GRATIANI,

AUTHORE

ZEGERO BERNARDO VAN ESPEN,

Presbytero J. V. D. SS. Canonum Professore in Academia Lovaniensi.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Ex Officina METTERNICHIANA Sub Signo Gryphi, Anno M DCC XLVIII.

Cum Permissu Superiorum & Privilegio Sac. Cæs. Majestatis.

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

CAROLUS VII. Divinâ favente Clementiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ & Bohemiæ Rex, utriusque Bavariæ & superioris Palatinatûs Dux, Comes Palatinus Rheni, Archi-Dux Austriæ, Landgravius Leuchtenbergæ, &c. &c. agnoscimus, & notum facimus tenore præsentium universis, quòd, cùm Nobis quondam Wilhelmi Metternich *Bibliopolæ Coloniensis unicus Filius & Hæres* Franciscus Wilhelmus Metternich *humillimè exponi curârit, quem in modum* ZEGERI BERNARDI van ESPEN *J. U. D. Lovaniensis Opera omnia in sex Partes divisa denuò prelo committere resolverit; vereatur autem, ne æmulorum invidiâ hanc Editionem imitantium impendii & laboris sui fructu frustretur, ideoque Nobis demissè supplicârit, quatenus ejus indemnitati Privilegio Nostro Cæsareo succurrere clementissimè dignaremur, Nos submissæ pariter & æquæ ejus petitioni annuendum censuerimus, ac proinde Authoritate Nostrâ Cæsareâ omnibus & singulis, Bibliopolis, Bibliopegis, Typographis, & aliis quibuscunque rem Librariam seu negotiationem exercentibus firmiter inhibemus, vetamus, & interdicimus, ne quis supranominata* ZEGERI BERNARDI van ESPEN *Opera omnia sub hoc aliove Titulo per duodecim annorum spatium, ab hodierno die computandum intrà Sacri Romani Imperii, Ditionumque Nostrarum Hæreditariarum fines recudere vel aliis recudenda dare, aliorsumve impressa apportare, vendere vel distrahere, citra præfati impetrantis, ejusdemve Hæredum ac Successorum voluntatem & assensum in scriptis obtentum ausit vel præsumat. Si quis verò secùs faciendo Privilegium hoc Nostrum seu Interdictum violare, contemnereque præsumpserit, eum non solùm ejusmodi Exemplaribus, ubicunque locorum repertis, perperam quippe recusis seu apportatis (quæ dictus* Franciscus Wilhelmus Metternich *sive propriâ Authoritate sive Magistratûs illius loci auxilio sibi vindicare poterit) de facto privandum; sed & decem Marcarum auri puri pœnâ Ærario seu Fisco Nostro Cæsareo & parti læsæ ex æquo pendendâ mulctandum decernimus, dummodo tenor hujus Nostri Privilegii in fronte Libri impressus reperiatur, & consueta quinque Exemplaria Consilio Nostro Imperiali Aulico exhibeantur. Mandamus itaque omnibus & singulis Nostris & Sacri Romani Imperii Dominiorumque Nostrorum Hæreditariorum subditis & fidelibus dilectis, tam Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus cujuscunque Status, Gradûs, Dignitatis aut Ordinis fuerint, præsertim verò iis, qui in Magistratu existentes vel suo vel Superiorum suorum loco Jus Justitiamque administrant, ne quempiam Privilegium hoc Nostrum Cæsareum violare, spernere, & transgredi patiantur; sed si quos contumaces repererint, constitutâ à Nobis mulctâ eos puniri & quibuscunque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipsi gravissimam Nostram indignationem prædictamque pœnam evitare voluerint. Harum testimonio Literarum, manu Nostrâ subscriptarum, & Sigilli Nostri Cæsarei appressione munitarum, quæ dabantur Francofurti ad Mœnum die decimâ Aprilis Anno Domini millesimo septingentesimo quadragesimo tertio, Regnorum Nostrorum Romani & Bohemici secundo.*

CAROLUS mp.

Vt. *Joannes Georgius Comes à Königsfeldt.*

(L. S.)

Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium,
J. S. Hayeck de Waldästtten mp.

CENSURA ORDINARII.

Liber intitulatus *Supplementum in Corpus Juris Canonici sive in Jus Universum Ecclesiasticum cum brevi Commentario ad Decretum Gratiani* Authore Adm. Reverendo & Clarissimo Domino ZEGERO BERNARDO van ESPEN J. U. Doctore & SS. Canonum in Academia Lovaniensi quondam Professore Parisiis approbatus, & Regis Christianissimi Privilegio munitus ac Typis datus, per Dominum Wilhelmum Metternich Bibliopolam Coloniensem (Qui etiam alia Ejusdem præmemorati Authoris Opera signanter Jus Ecclesiasticum Universum, &c. ab ante insuper approbatum, in publicam Lucem edidit) imprimi permittitur. Coloniæ 30mâ Augusti 1729.

JOANNES NEUMAN J. U. D. *Perinsignis Collegiatæ S. Severini & Archidiaconalis S. Cuniberti respectivè Canonicus, Proto-Notarius Apostolicus, Serenissimi Principis Electoris Colon. Consiliarius Ecclesiasticus ac per Archidiœcesin Librorum Censor ordinarius m. p.*

INDEX

691919

INDEX TITULORUM,

Qui in hoc Supplemento continentur.

PARS PRIMA.

Tit. I. *De Clericis.*
Tit. III. *De Pastoribus & vice-Pastoribus.*
Tit. V. *De Æditius Ecclesiarum Parochialium & Magistris Pauperum seu mensarum S. Spiritus.*
Tit. VI. *De Decanis Christianitatis seu Ruralibus.*
Tit. VII. *De Canonicis Coll. & Cathed. Ecclesiarum.*
Tit. VIII. *De Capitulo Cathedrali.*
Tit. IX. *De Capitulo, Sede vacante.*
Tit. X. *De Canonicis Graduatis.*
Tit. XI. *De dignitatibus Capitulorum.*
Tit. XII. *De dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium.*
Tit. XIII. *De Electione & Nominatione Episcoporum.*
Tit. XIV. *De Confirmatione Episcoporum.*
Tit. XV. *De Consecratione Episcoporum.*
Tit. XVI. *De Cura Episcopali.*
Tit. XVII. *De Visitatione Episcoporum.*
Tit. XVIII. *De Synodis Diœcesanis.*
Tit. XIX. *De Metropolitanis.*
Tit. XX. *De Synodis Provincialibus.*
Tit. XXI. *De Legatis & Nuntiis Apostolicis.*
Tit. XXII. *De Congregationibus Cardinalium.*
Tit. XXIII. *De Officialibus Curiæ Romanæ.*
Tit. XXIV. *De Instituto Regularium, & eorum admissione.*
Tit. XXV. *De Novitiatu.*
Tit. XXVII. *De Professione & ejus effectu.*
Tit. XXIX. *De Voto Paupertatis.*
Tit. XXXI. *De Monasteriorum Superioribus.*
Tit. XXXII. *De Regularium Reformatione & Visitatione.*

PARS SECUNDA.

Tit. I. *De Sacramentis in Genere.*
Tit. II. *De Baptismo.*
Tit. IV. *De Sacramento Eucharistiæ.*
Tit. V. *De Celebratione Missarum.*
Tit. VI. *De Sacramento Pœnitentiæ.*
Tit. VII. *De Indulgentiis.*
Tit. VIII. *De Sacramento Extremæ Unctionis.*
Tit. IX. *De Sacramento Ordinis.*
Tit. X. *De Irregularitate, ejusque speciebus.*
Tit. XII. *De Sponsalibus & Matrimonio.*
Tit. XIII. *De Impedimentis Matrimonii.*
Tit. XIV. *De dispensationibus Matrimonii.*
Tit. XVI. *De ædificandis & reparandis Ecclesiis.*
Tit. XVII. *De Celebratione Festorum.*
Tit. XVIII. *De Origine, definitione, & divisione Beneficiorum.*
Tit. XIX. *De Ætate, & Qualitate Beneficiandorum.*
Tit. XX. *De Pluralitate Beneficiorum.*
Tit. XXI. *De Ordinaria Beneficii Provisione.*
Tit. XXII. *De Concursu ad Parochiales Ecclesias.*
Tit. XXIII. *De Mandatis & Reservationibus Apostolicis.*
Tit. XXIV. *De Provisione Apostolica.*
Tit. XXV. *De Jure Patronatus.*
Tit. XXVI. *De Institutione & Possessione Beneficiorum.*
Tit. XXVII. *De Resignatione & Permutatione Beneficiorum.*
Tit. XXVIII. *De Pensionibus Ecclesiasticis.*
Tit. XXIX. *De Unionibus Beneficiorum.*
Tit. XXX. *De Simonia circa Beneficia.*
Tit. XXXII. *De Peculio Clericorum.*
Tit. XXXIII. *De decimis & Oblationibus.*
Tit. XXXIV. *De congrua Portione Parochorum.*
Tit. XXXV. *De Immunitate Bonorum Ecclesiasticorum.*

PARS TERTIA.

Tit. I. *De Jurisdictione Ecclesiastica in Civilibus.*
Tit. II. *De Causis Ecclesiasticis.*
Tit. III. *De Jurisdictione criminali.*
Tit. IV. *De delictis Ecclesiasticis.*
Tit. V. *De Judicibus Ecclesiasticis & Arbitris.*
Tit. X. *De Appellationibus & Recusationibus.*
Tit. XI. *De Pœnis & Censuris Ecclesiasticis.*
Tit. XII. *De exemptione à Jurisdictione Ordinariorum.*

SUPPLE-

SUPPLEMENTUM IN CORPUS JURIS CANONICI, SIVE IN JUS UNIVERSUM ECCLESIASTICUM.

TITULUS PRIMUS De Clericis.

CAPUT PRIMUM.

Ad Numerum I.

Tonsura separatim ab omni ordine collata.

Sunt nonnulli viri eruditi, atque inter alios Joannes Mabillon in Præfatione ad partem 1. sæculi III. Benedictinorum *num. XIX.* & Christianus Lupus in Scholiis *ad Canonem XIII. Concilii Oecumenici VII.* qui contendunt contra Morinum (in textu citatum) Tonsuram ante tempus à Morino præfixum, separatim, & ante alicujus ordinis susceptionem fuisse datam.

Quidquid sit de hac epocha *separatim* datæ Tonsuræ, in hoc tamen Morino consentiunt, morem illum *passim* Tonsuram ut quendam quasi ordinem præmittendi ante omnis ordinis susceptionem, etiam Minorum, recentioris esse disciplinæ.

Ad Numerum VII.

A quo primitùs collata?

Tonsuram primitùs etiam à Presbyteris, quin & à Laïcis subinde datam esse, monet Mabillon in Præfatione ad *part.* 1. *sæculi III. Benedictinorum, num. XIX.*

Neque id adeo mirum videbitur, si attendatur, quòd primitùs Tonsura in simplici quadam capillorum detonsione, & vestium mutatione constiterit.

Per hanc enim capillorum detonsionem & vestium Clericalium assumptionem demonstrabat suscipiens, se animum ad statum Ecclesiasticum habere; eo ferè modo, quo in Academicis Collegiis, & Episcoporum Seminariis solent adolescentes vestem & tonsuram in simplici capillorum detonsione consistentem assumere, eâque assumptione animum ad statum Ecclesiasticum profiteri.

Quid igitur mirum, si & Tonsura in hac capillorum & simplici vestium mutatione consistens etiam à Presbyteris, quin & à Laïcis citra consensum Episcopi dari potuerit?

At, postquam labentibus sæculis, sensim hæc capillorum detonsio & vestium immutatio fieri cœpit, quibusdam precibus & ritibus adhibitis, atque adinstar cujusdam ordinis reputari, tandem & collatio Tonsuræ ad Episcopum devoluta est: eo etiam titulo, quod de vocatione matriculæ Ecclesiæ adscribendorum, præ cæteris cognoscere & inquirere, pertinere videtur ad Episcopum.

Ad Numerum VIII.

Inter Doctores controvertitur utrum Tonsura Clericalis probetur per literas ordinum superiorum, utrum verò requirantur literæ Tonsuræ, sive quæ expediuntur & dantur in specificam probationem datæ Tonsuræ. *Tonsuræ susceptæ probatio.*

In primis apparet, quòd articulus *Edicti perpetui*, de quo in textu, intelligi debeat de literis *specialiter* collationem Tonsuræ referentibus; sive de illis, quæ expediuntur *speciatim* in probationem collatæ Tonsuræ, solentque vulgo vocari *literæ Tonsuræ.*

Sed & hoc satis constat, hunc articulum loqui de probatione *judiciali;* ut nimirum dum pars in judicio opponit defectum Clericatûs; eoque ex capite nullitatem collationis aut præsentationis arguit, judex nequeat admittere probationem per testes, sed requirere teneatur probationem per *literas* juxta tenorem Edicti.

At extra judicium, aut in locis, in quibus non viget lex positiva, probationem *per literas* requirens, sufficiens & plena probatio Tonsuræ haberi posse videtur per literas & probationem superiorum Ordinum, uti pluribus adstruit Nicolaus Garcias de Benef. *Part.* 7. *cap.* 2.

Scitur enim hodie neminem ordinari, nisi ordinandus Ordinario prævie fidem fecerit de suscepta Tonsura, & aliis Ordinibus inferioribus.

Quin & ipsi ordinandi hodie admodùm solliciti sunt, ne omissâ Tonsurâ ad ordines promoveantur, ob periculum irregularitatis eo titulo incurrendæ: quia juxta modernam disciplinam, & receptam opinionem, *per saltum* censerentur promoti & ordinati; qui omissâ Tonsurâ ad Ordinem altiorem promoverentur, quæ promotio irregularitatem hodie inducit, *toto titulo x. de Clerico per saltum promoto.*

Quapropter, si constet per literas aut aliunde quemquam esse constitutum in sacris Ordinibus, non dubium, quin attento more, qui in ordinandis servari consuevit, sufficienter censeri debeat probatum, similem ordinatum etiam esse initiatum primâ Tonsura, tametsi *literas Tonsuræ* non possit producere.

Igitur quia capitula vel alii, quibus competit jus inducendi præsentatos, vel electos aut provisos in realem possessionem beneficiorum, non cognoscunt de qualitatibus aut titulis introducendi more judiciario, dubium non videtur quin etiam sufficiat probatio susceptæ Tonsuræ per literas superiorum Ordinum; vel quod constet eum revera in superiori Ordine constitutum.

Contraria nimiùm scrupulosa quorundam Capitulorum & prælatorum praxis videtur profluxisse ex ignorantia, aut non adhibita distinctione inter probationem *judicialem* & extra judicialem.

Sicuti enim de cæteris qualitatibus ipsius instituendi non exigitur examen judiciale, neque requiritur probatio, quæ esset in judicio necessaria, sed sufficere creditur, si instituendus capacitatem quo ad mores, & scientiam præbet per testimonia extra judicialia, quæ moralem saltem certitudinem efficiunt; quidni sufficere debet, si instituendus per probationem extrajudicialem faciat fidem de susceptâ Tonsurâ.

Rectè quoque notat post alios Perezius de Latra in Tractatu *de Anniverſ. & Capell. Lib.* 2. *cap.* 5. quòd etsi nullus queat obtinere titulum beneficii, nisi primâ Tonsurâ initiatus fuerit, tamen, si quis sit in possessione, is non teneatur probare Tonsuram; sed quod præsumptio resultans ex quasi possessione beneficii, & clericatus sufficiat, ut saltem in judicio possessorio obtineat, & in beneficii possessione manu teneatur, saltem quò adusque ipse defectus Tonsuræ plene probetur.

CAPUT III.

Ad Numerum III.

In ordinatione Subdiaconi non fit impositio manuum.

IN Textu observatum fuit pluribus sæculis Subdiaconatum inter Minores Ordines fuisse numeratum; at circa sæculum XII. sacris, & Majoribus ordinibus annumerari cœpisse remanentibus nihilominus in ejus collatione nonnullis pristinæ disciplinæ vestigiis.

Inter hæc pristinæ disciplinæ vestigia illud admodum notandum, quod Subdiaconatus nec hodie per impositionem manuum conferatur, uti Diaconatus & Presbyteratus, sed duntaxat per instrumentorum & vestium traditionem, quemadmodum Ordines Minores conferuntur.

Ad Numerum IV.

Continentia ex vita ante acta probanda est.

Quod in Textu tum ex pontificali, tum ex Synodis notatum est, neminem ad Subdiaconatum admittendum esse, qui ex vita ante acta non probavit se posse per Dei gratiam *perpetuam* castitatem servare, etiam patribus Concilii Tridentini inter articulos reformationis nomine Caroli IX. Regis Galliæ præsentatos, suggestum legitur *art.* 1. his verbis: *Cum Sacerdotes imprimis castos esse oporteat, ex Sacerdotum autem incontinentia in Dei Ecclesia magnæ nascantur offensiones, provideat sancta Synodus, ut non alii imposterum ordinentur Sacerdotes, quam qui* SENIORES *sunt, & qui à populo* BONUM *habeant testimonium, ut ex* ANTE ACTA *vita, quales postea sint futuri, non levis sit conjectura; & Sacerdotum libidines & flagitia acerrimis pœnis coerceantur.* Habentur hi articuli in libello, cui titulus: *Instructions & Lettres du Roy Tres Chretien ... & autres Actes concernant le Concile de Trente.* Edit. 1654. pag. 369.

Ad Numerum XII.

Ordinandi certis officiis addicendi.

Notatum fuit in Textu, adeò quoad functiones ordinum etiam collapsam pristinam patrum disciplinam, ut nec *Diaconatus* hodie suscipi videatur, nisi ut ordo necessarius ad suscipiendum ordinem presbyteratûs, quæ collapsio meritò displicuit Episcopis Galliæ, uti intelligitur ex articulis reformationis nomine Caroli IX. PP. Trid. exhibitis, de quibus in nota præcedenti, quorum hic ordine quartus erat: *Diaconis & aliis sacris ordinibus restituatur debita & antiqua functio, ne amplius nuda, & in ceremoniis tantùm nomina dicantur.*

TITULUS III.

De Pastoribus & vice-Pastoribus.

CAPUT I.

Ad Numerum I.

Confictio Decretalium sub nomine primorum Pontificum ab omnibus recognita.

CUm frequenter in præsenti opere notatum sit epistolas decretales Romanis pontificibus, qui tribus primis Ecclesiæ sæculis floruerunt, adscriptas esse, quarum plurima fragmenta exstant apud Gratianum, & quarum authoritate etiam pontifices in suis Decretalibus frequenter usi fuerunt; has inquam, Epistolas, sive Decretales passim ab omnibus eruditis tanquam supposititias & putidas pseudo-Isidori merces repudiari; pro omni probatione judicavi hic adjiciendam notam patris Philippi Labbæi præfixam

xam Decretalibus Clementis I. Papæ, *Tom.* 1. *Concil. general. columm.* 75. ubi sic ait: *Mirum est viris doctissimis Turriano, Rivio, & quibusdam aliis in tanta eruditionis Ecclesiasticæ luce probari potuisse Decretales illas Epistolas à quocunque seu* mercatore, *seu peccatore fabricatas, & antiquis Romanæ urbis Pontificibus circiter annum Christianæ Romanæ epochæ octingentesimum suppositas: adeo enim perspicacibus viris deformes videntur hoc saltem tempore, ut nullâ arte, nullâ cerussa, aut purpurisso fucari possint: eas omnes, saltem plerasque earum repudiârunt eruditissimi quique tractatores Catholici,* Baronius, Bellarminus, Peronius, Contius, Antonius Augustinus, Lorinus, Dirmandus, Ducæus, Petavius, Marca, Bosquetus, *ut alios modo sive antiquiores, sive recentiores silentio obvolvam. De singulis, ut se dabit occasio deinceps; verum obiter tantum* καὶ ἀφοσιώσεως *dicturi sumus. Neque enim vacat pluribus hoc loco traducere* καύνιαν *cujusdam novelli* σφαιτικου, *qui mala avi ex zelo quidem, si minus prudenti & considerato certè non secundum scientiam easdem ab omni eruditione præstantibus abjectas, ac penitus repudiatas defendere aggressus est.*

Ad Numerum V.

Parochi dicti Minores Prælati.

Presbyteri Parochiales, sive Parochi, jam pridem dicti fuerunt *Minores Prælati & Hierarchæ* ex prima institutione Christi, uti in textu ex Gersonio notavimus. Neque id sine fundamento à Gersonio dictum facile fatebitur, qui attenderit Presbyteros sive Parochos jam pridem dictos & reputatos esse successores LXX. discipulorum quemadmodum Episcopi dicti fuêre Apostolorum successores. Hinc illud apud Gratianum *dist.* 21. *Simpliciter verò majorum & minorum Sacerdotum discretio in novo testamento ab ipso Christo sumpsit exordium, qui* XII. *Apostolos tanquam* majores *Sacerdotes,* LXX. *discipulos tanquam* minores *Sacerdotes instituit.*

Unde uno consensu & Theologi & Canonistæ agnoverunt Presbyteros, notanter Parochiales, in partem solicitudinis Pastoralis vocatos, meritò dici *minores* Sacerdotes, sive Prælatos & Hierarchas; nec non LXX. discipulorum successores.

Id ipsum & hodiernum Pontificale supponit Presbyteros recenter ordinatos his verbis per Episcopum exhortans: *Fratres dilectissimi & Sacerdotes Domini, cooperatores ordinis nostri estis. Nos vice duodecim Apostolorum fungimur, vos ad formam* LXX. *discipulorum estis.*

Itaque ad Presbyteros, & notanter ad Parochos dictum esse à Christo non dubitatur, quod ad LXX. discipulos dixit *Lucæ* 10. *Ite, ecce, ego mitto vos, sicut agnos inter lupos ...... qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.*

Igitur dicendum Parochos tanquam septuaginta discipulorum vicem gerentes, esse ex institutione Divina, & *à Spiritu sancto positos, ad regendam Ecclesiam Dei.*

Id ipsum significavit & S. Paulus *Actor.* 20. in Mileto enim convocatis Episcopis, simul & senioribus, sive *Presbyteris,* dixit ad omnes: *Attendite igitur vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus* posuit Episcopos regere *Ecclesiam Dei.*

Licet enim solo *Episcoporum* nomine utatur, nihilominus & ad Presbyteros gregem Christi pascentes loquitur: eo quòd nomine Episcoporum ex phrasi ejus ætatis, & Presbyteri significabantur.

V. Espen Suppl. in Jus Eccl.

Quod & notavit jam pridem S. Irenæus *lib.* 3. *contra hæres. cap.* 14. *num.* 2. (Paulus) *in Mileto*, inquit, *convocatis Episcopis* & PRESBYTERIS, *qui erant ab Epheso, & reliquis proximis civitatibus, utrumque enim nomen habebant illo tempore.*

Id autem probari asserit ex textu Actorum supra relato: *Idque*, ait, *nos etiam docet Actuum historia: cum enim dixisset S. Lucas Divinum Apostolum Ephesiorum Presbyteros accersivisse Miletum, exponit etiam quæ illis dicta fuerunt: Attendite,* inquit, *vobis ipsis & universo gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus Episcopos pascere Ecclesiam Christi, eosdemque* nominavit Presbyteros & Episcopos.

Huic consonat S. Hieronymus in Epist. ad Titum *cap.* 1. *ỷ.* 7. *Episcopos hic non solum Pontifices, sed & Presbyteros intelligimus: non enim in una civitate plures erant Episcopi: hoc etiam in Apostolorum* Actibus *invenitur.*

Et S. Isidorus Hispalensis *de offic. Eccl. lib.* 2. *cap.* 7. ad ea Pauli verba, *in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos*, reflectens ait: *Dixerat enim supra Presbyteros Ephesi vocatos, quos nunc Episcopos, id est,* Superinspectores nominat.

Hinc videmus à primis Ecclesiæ sæculis Presbyteros tanquam septuaginta discipulorum successores, una cum Episcopis Apostolorum successoribus Ecclesiam rexisse, atque fidei integritati invigilâsse & Episcopos reputâsse hosce, tanquam suos cooperatores, ac secundi ordinis in vinea Domini operarios.

CAPUT II.

Ad Numerum II.

Assumptio vice-Pastoris spectat ad Vicarium perpetuum.

Testatur Hyacinthus Boniface in sua additionali collectione Arrestorum *tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 3. judicatum sæpius fuisse, *Vicario perpetuo* competere electionem & assumptionem vice-Pastoris ad exclusionem Pastoris primitivi, idque notanter ob Concilii Trid. Decretum *sess.* 21. *cap.* 4. *de Reformat.* aperte deferens primo loco ipsis Rectoribus assumptionem Sacerdotum, qui judicantur necessarii ad Sacramenta populo administranda, & cultum Divinum celebrandum.

Itaque solus titulus *Primitivi Pastoris* non sufficit, ut Vicarius *perpetuus* ab electione seu assumptione sui vice-Pastoris excludatur; sed vel antiqua possessio, vel alius specialis titulus cum titulo *Primitivi Pastoris* concurrere debet.

Cum enim assumptio vice-Pastoris respiciat curam animarum, quæ plenariè *Vicario perpetuo* ad exclusionem, & *Primitivi Pastoris* competit, vigore suæ perpetuæ Vicariæ justum est, ut in consequentiam hujus curæ animarum assumptio vice-Pastoris ei deferatur potius, quàm Pastori Primitivo, qui curam animarum non exercet.

Ad Numerum III.

In Textu notatum fuit Parochos jure proprio, sive jure sui beneficii Parochialis exercere functiones ad curam animarum spectantes, ac propterea ab his ad nutum aut arbitrium Episcopi

scopi suspendi non posse; verum vice-Pastores titulum beneficii non habentes in his functionibus à Parochiis magis esse dependentes, & quodammodo amovibiles.

Nihilominus quia vice-Pastores, tametsi etiam nullum habentes veri beneficii titulum, censentur habere officium curatum, ratione cujus Parochiæ sunt deputati pro cura animarum sustinenda atque eo titulo etiam in Parochia fixè residere & domicilium habere jubentur, eique Parochiæ continuo invigilare, non eâdem facilitate ad nutum Parochorum ab officio hoc removeri possunt ac cæteri Presbyteri puta *Stationarii*, qui merè pro beneplacito Parochorum ad certas functiones obeundas, pro occurrente necessitate asciscuntur, tanquam Parochorum simplices subsidiarii, qui peractis his functionibus ad propria redeunt, neque hi *Stationarii* dicuntur officium curatum in Parochia habere. Accedit, quod vice-Pastores non sine aliqua infamiæ nota possint ordinariè à Parochis simpliciter sic dimitti: præsertim quod vice-Pastores soleant in vice-Pastoratu perseverare, donec ad aliquod beneficium Parochiale, vel ad aliud beneficium aut officium assumantur seu promoveantur.

CAPUT III.

Ad Numerum III.

De placito Regio super provisione Romana de Ecclesiis Parochialibus.

IN Textu notatum fuit, Principes Belgii ordinâsse per Edictum de 20. *Octob.* 1540. *art.* 32. (quod per errorem notatum fuit de 25. *Novemb.*) literas *Placiti* non esse annuendas super provisione Romanâ, de beneficiis Parochialibus, nisi sub expressa conditione, quod provisus teneatur *personaliter* residere.

Verùm quia in Romanâ Curiâ nonnunquam obtinebatur dispensatio *de non residendo*, addiderunt insuper Principes in eodem Edicto, Placitum non esse concedendum super privilegio *de non residendo* in beneficiis *curatis*, aut super dispensatione super ætate, aut super eo, quod ignoret idioma Patriæ.

Verba Edicti in utroque articulo sunt: *Qu'en toutes Lettres de* PLACET, *qui s'accorderont pour mettre à execution aucunes Bulles ou Provisions Apostoliques de Cures & Eglises Parochiales, sera ajout, que l'impetrant sera tenu resider au lieu de sa Cure, sans la pouvoir faire desservir par autrui.*

Que Lettres de Placet ne seront accordées sur privilege de non résider sur les Cures, ou sur dispense d'âge, ou qu'il ne scait la langage du Pays, ni aussi sur Coadjutories des Prebendes, ou autres Benefices simples.

Ex his non obscurum, quòd eo tempore Curia Romana de Beneficiis etiam Parochialibus, sive curatis provideret personis in hisce *residere* non volentibus, vel ipsis deservire ob defectum ætatis, aut ignorantiam idiomatis non valentibus, atque ad reprimendos hos abusus hisce Edictis opus fuisse.

Etiam ex his habemus, quàm meritò principes nostri voluerint non recipi & executioni mandari rescripta Romana sine suo *Placito*, uti latius exposui in Tractatu de hoc Regio Placito.

Ad Numerum IV.

Ad residentiam cogendi possidentes beneficia curata.

Quâ formâ hodie signanter ex præscripto Concilii Trid. *Sess.* 23. *c.* 1. Episcopi procedere debeant contra parochos non residentes deducit prosper Fagnanus ad *cap. Ex tua x. de Clericis residentibus*, ubi singulatim annotat, in quibus hoc in puncto Concilium Trid. à modo procedendi per Jus commune, ac notanter in prædicto Capitulo *Ex tua* præscripto recesserit.

Notandum autem quòd hæc residendi obligatio etiam obtineat in Beneficiis curatis, sive parochialibus, tametsi ea obtinentes essent Canonici Cathedrales; referturque in Actis Cleri Gallicani *Tom.* 2. *Part.* 2. *Tit.* 14. *cap.* 15. Arrestum parlamenti parisiensis de 17. Octobr. 1650. quo injungitur Canonicis Cathedralibus Cenomanensibus Ecclesias parochiales possidentibus, in iisdem residere, alias exciderent proventibus dictorum Beneficiorum applicandis hospitali generali civitatis Cenomanensis; fuitque executio decreta per Arrestum ejusdem parlamenti 7. Maji 1659. ad instantiam procuratoris Generalis.

In iisdem Actis loco citato *cap.* 13. refertur judicatum per solemne Arrestum parlamenti parisiensis 19. Julii 1654. quod non tantùm Canonici Cathedrales, sed etiam ipse Archi-Diaconus obtinens Beneficium parochiale in eadem Diœcesi teneretur *personaliter* residere in Beneficio *Parochiali*, aut dimittere, si in illo residere nollet. Et *cap.* 17. ibidem refertur declaratum per Arrestum Consilii, Status in modum Regulamenti pro Diœcesi Cardurcensi, quod, dum eadem persona obtinet duas Ecclesias parochiales, sive sint litigiosæ, sive eas pacificè possideat, provisus non sit gavisurus proventibus nisi illius Beneficii, in quo *personaliter* functiones exercebit; illius autem Beneficii, cui *personaliter* non deservit, aut utriusque, si neutri deserviat, proventus impendentur in sustentationem Vicarii deservientis, vel reparationem ornamentorum, aut utilitatem Ecclesiæ dicti Beneficii, secundùm ordinationem Episcopi.

CAPUT VI.

Ad Numerum IV.

An mittendi fratres Mendicantes in adjutorium Parochi, ipso invito?

IN Textu notatum fuit ex Zypæo, quod conformiter ad Clementinam *dudum* possit Episcopus interdum ex justa causa mittere fratres Mendicantes ad concionandum in Ecclesiis parochialibus *invito Parocho;* sed notandum, quod Zypæus *Responso* 4. *de Paroch. num.* 7. dicat non sufficere licentiam *generalem* ab Episcopo datam Fratribus Mendicantibus, ut hi *recusante Parocho*, queant in ejus parochia concionari ad sensum dictæ Clementinæ; sed requiri post petitam & recusatam à parocho licentiam, *speciale mandatum Episcopi, nam & illud* (ait) CAUSÆ, *cur Parochus dissentiat* COGNITIONEM *exigit.*

Nec sanè sine fundamento addidit Zypæus quod, *& illud, cur Parochus dissentiat, causæ cognitionem exigat.* Cùm enim *jure Beneficii Parochialis* parocho totius parochiæ cura animarum incumbat, eamque jure proprio sustineat, & functiones ad eam curam spectantes obire possit ac debeat; consequens est, quod ipsi tanquam negligenti, aut insufficienti, alius in suâ parochiâ ad has functiones obeundas substitui ne-

nequeat, nisi probata sit ejus negligentia vel insufficientia; sive quod injustè & irrationabiliter consensum suum deneget.

Ulteriùs quia Parochus titulo sui Beneficii functiones has exercet; nec nisi servato juris ordine in hac cura, vel functionibus ad eam pertinentibus, quovis modo turbari vel impediri potest, consequens est, & in hac causæ cognitione ordinem juris esse servandum.

Unde si post cognitionem causæ Parochus prætendat Episcopum irrationabiliter judicasse operam Fratrum Mendicantium in obeundis functionibus pastoralibus esse necessariam; seque à functionibus illis obeundis irrationabiliter impediri, quidni Parochus ab eâ sententiâ seu declaratione posset per appellationem vel querelam ad superiorem providere? Scilicet viâ appellationis, si Episcopus juris ordine servato procedat, vel per recursum ad protectionem Regiam si viâ facti fuerit processum.

Et eo titulo non ita pridem in functione concionandi *Manutenentiam* obtinuit in Consilio Brabantiæ Pastor Ascanus contra quemdam Religiosum ex ordine sancti Dominici, prætendentem Pastore invito concionari vigore specialis mandati Archi-Episcopi Mechliniensis.

Idipsum obtinere circa Fratres Mendicantes & alios, quos Episcopi ad obeundas functiones pastorales, putà concionandi aut confessiones excipiendi, mittere vellent, sub titulo *Missionariorum*; ostensum est in Resolutione super simili casu per Doctores Lovanienses: atque ita etiam in Consilio Flandriæ judicatum. Utrumque instrumentum annectitur sub litt. C. in Tractatu nostro *De Recursu ad Principem*.

Notandum, quod etiam refert Cardinalis de Luca *discursu* 27. inter Miscellanea *num.* 3. & 7. *quod ubi Parochus idoneus est, & vult prædicare per seipsum, eo casu Episcopus non possit alium deputare; ut pluries* (inquit,) *declaratum fuit, per congregationem Consilii; & præsertim scio ita declaratum post hæc scripta sub die* 13. *Septembris* 1670.

CAPUT VIII.

Ad Numerum IV.

Stationarios contra Parochum præscriptio juvare non potest.

IN Textu notatum fuit Fratres Mendicantes non posse *invito* Parocho *stationes suas* continuare eo titulo quod eas tempore longissimo obierint.

Hoc & hic notandum, nec titulum præscriptionis Parocho objici posse; quasi longâ concionandi possessione jus aliquod sibi acquisivissent, *stationes* illas *invitis* Parochis continuandi.

Constat enim has *stationes* sive concionandi facultates fratribus Mendicantibus concessas esse duntaxat *precario*, sive in subsidium vel defectum, Parochorum, neque ipsos *Stationarios* unquam, nisi ut Parochorum, ordinariorumque Prælatorum adjutores & subdiarios fuisse consideratos, aut alia in qualitate ad eas functiones admissos.

Cùm igitur nullus possit propriâ authoritate sibi mutare causam sive titulum possessionis vel quasi possessionis consequens est, *Stationarios* semper *precariò* & tanquam meros subsidiarios, stationes illas continuasse.

De natura autem & conditione *precarii* est, quod ad libitum & beneplacitum concedentis revocari queat. *L.* 1. §. 1. *ff. de Precario: & cap.* 3. *x. eodem tit.*

V. Espen. Supp. in Jus Eccl.

Unde qui precariò jus aliquod exercet, tempore etiam longissimo nihil ex illo exercitio potest sibi juris asserere, nec illud, quod *precariò* exercuit, contra naturam precarii reddere irrevocabile: nisi probaret alium titulum ad præscribendum sufficientem, interim supervenisse, atque in vim hujus tituli possessionem continuatam, tempore ad præscriptionem requisito.

Ad Numerum IX.

Vetitum Parochis Presbyterum Regularem assumere dum alius haberi potest.

Difficultates de quibus in Textu, quas Regulares, præsertim Ordinum Mendicantium ad functiones hierarchicas, ut subsidiarii, sive coadjutores adsciti, Pastoribus, aut etiam Prælatis prætextu suorum privilegiorum movere, jam pridem experientia docuit, verisimiliter occasionem dederunt Statuto quod anno 1423. in suo Provinciali Concilio promulgandum duxit Theodoricus Archi-Episcopus Coloniensis his verbis concepto: *Item statuimus & ordinamus sub pœnâ excommunicationis, quam ferimus in his scriptis, ne aliquis Rector aut perpetuus Vicarius Parochialis Ecclesiæ, seu etiam Capellæ, ordinet, constituat vel deputet aliquem* RELIGIOSUM MENDICANTEM VEL NON MENDICANTEM *ad regendam vel gubernanandam seu officiandam suam vel ejus Vicariam seu capellam, aut alias vices suas committere talibus præsumat, modo aliter idoneus commodè haberi poterit, dolo & fraude seclusis.*

CAPUT X.

Ad Numerum V.

Evertitur ineptitudo glossæ super Decreto Concil. Trid. de frequentandis Ecclesiis Parochialibus.

IN Textu notatum est authorem cujusdam libelli contendere Concil. Trid. dum mandat Episcopis, ut moneant populum diligenter, *teneri* unumquemque Parochiæ suæ interesse diebus Dominicis & Festis, ubi id commodè fieri potest, ad audiendum verbum Dei, non firmare jus Ecclesias Fratrum Mendicantium, sed duntaxat contra alias Ecclesias Parochiales, Capellas & Oratoria.

Et licet credam hujus glossæ ineptitudinem in Textu sat probatam, nihilominus ut ostendatur ante Concilium Tridentinum, hoc jus Parochialibus Ecclesiis contra Fratres Mendicantes fuisse assertum, atque Concilium Tridentinum jus commune innovasse, addenda est *Extravagans Sixti IV.* quæ incipit *vices*, relata inter *Extravagantes communes* sub titulo *De treuga & pace.*

In hac igitur Extravagante in primis narratur, quod in quibusdam partibus Germaniæ dissidium exortum esset inter Fratres *Mendicantes* signanter, *Prædicatores, Minores, & Carmelitas* ab una parte, & Presbyteros Parochiales ex altera super obligatione audiendi *Missam* diebus Dominicis & Festivis in Ecclesia Parochiali.

Hoc dissidium Sixtus IV. partibus hinc inde auditis in hunc modum decidit: *Quod Fratres* MENDICANTES *non prædicent, Populos* PARÆCIANOS *non teneri* AUDIRE MISSAM IN EORUM PARÆCIIS *diebus Dominicis & Festivis*, CUM JURE SIT CAUTUM ILLIS DIEBUS PARÆCIANOS TENERI AUDIRE MISSAM IN EO-

EORUM PAROCHIALI ECCLESIA, NISI FORSITAN EX HONESTA CAUSA AB IPSA ECCLESIA *se absentarent.*

Hæc clausula finalis conformis est clausulæ, quam suo Decreto adjecerunt Patres Tridentini: *ubi id commodè fieri potest*, ut vel inde appareat, Patres Tridentinos in formando suo Decreto ad hanc Extravagantem reflexisse.

Cùm ergo hæc controversia verteretur inter Fratres *Mendicantes* sustinentes Fideles præcepto Ecclesiæ de audienda Missa diebus Dominicis & Festivis satisfacere audiendo Missam in eorum Ecclesiis; & *Parochos* contendentes Parochianos *teneri* diebus Festis & Dominicis interesse suæ Parochiæ ad audiendam Missam, evidens est, quod Pontifex præcipiendo, *ut Fratres Mendicantes non prædicent, populos Paræcianos non teneri audire Missam in eorum Paræciis diebus Festis & Dominicis*, firmet jus Ecclesiarum Parochialium, non tantùm contra alias Parochias, Capellas aut Oratoria, sed contra Ecclesias Fratrum Mendicantium, de quibus in hac controversia unicè quæstio vertebatur.

Verùm quidem est nullam hîc fieri mentionem de obligatione *audiendi Verbum Dei in Parochia*, sed solummodo de obligatione *audiendi Missam*, quia spectatâ illius temporis disciplinâ, hoc ipso, quo declaratur, Fideles *teneri* diebus Dominicis & Festivis interesse Parochiæ ad *audiendam Missam*, unà declaratum censebatur Fideles *teneri* eisdem diebus interesse Ecclesiæ Parochiali *ad audiendum Verbum Dei*.

Notum enim est, quod prædicatio Verbi Dei seu annuntiatio sive explanatio Evangelii partem constitueret ipsius Missæ, sive sacræ Liturgiæ, uti pluribus probatum est *part. 2. tit. 5. cap. 2. num. 17. & sequentibus.*

TITULUS V.

*De Æditu*is *Ecclesiarum Parochialium & Magistris Pauperum seu mensarum Sancti Spiritûs.*

CAPUT I.

Ad Numerum IV.

Jus Parochorum stabilitur.

QUod in Textu observatum est, passim receptum esse Parochum in electione seu nominatione Ædituorum, sive Magistrorum fabricæ & mensæ sancti Spiritûs intervenire, & suffragio gaudere, idipsum pro hoc Ducatu Brabantiæ confirmant Regulamenta, autoritate supremi Senatûs Brabantiæ facta, occasione quæstionum, quæ super hac electione nec non administratione bonorum, ac proventuum distributione, ad fabricam & mensam sancti Spiritûs spectantium exortæ, & ad supremum Brabantiæ Senatum delatæ erant.

Quantumvis enim ex his Regulamentis intelligatur in hoc Ducatu Brabantiæ electionem horum Magistrorum, nec eisdem personis ubique competere; uti nec administrationem vel distributionem bonorum & proventuum, vel etiam auditionem computûs in omnibus Parochiis uniformiter deferri, nihilominus ex his habemus, Parochorum jus in his esse conservatum.

Cùm autem in his Regulamentis plura occurrant in hac materia notanda, & quæstionibus sopiendis opportuna, ea integra in appendice Monumentorum adjunximus sub lit. B.

CAPUT IV.

Ad Numerum I.

Episcoporum autoritas circa administrationem bonorum Fabricæ & mensæ sancti Spiritus.

QUamvis in Gallia non secus ac in Belgio tùm ex particulari lege fundationis, tùm etiam ex consuetudine, computus fabricæ vel mensæ sancti Spiritûs, nonnunquam reddantur coram aliis, quàm coram Ordinario, imò nec Ordinario ejusve Commissario interveniente, tamen plurimis Parlamentorum Arrestis in Gallia declaratum & ordinatum fuit, Ædituos seu Magistros fabricæ debere ipsis Episcopis, eorumve Archidiaconis, vel Commissariis in cursu visitationis exhibere computus, ut ab ipsis revideri possint & examinari. Quin imò si de ipsa visitatione instituenda debitè fuerint præmoniti Æditui seu Magistri fabricæ, jubentur paratos habere computus, ut visitantibus Episcopis, eorumve Archidiaconis aut Commissariis eos exhibere queant; alias in defectum poterunt Episcopi, vel eorum Archidiaconi ipsis designare tempus, intra quod hos computus ritè exhibitos coram iis, qui intervenire solent, deferant ad aulam Episcopalem, ut illos Episcopus ejusve Commissarius revidere & examinare queat, prout hæc omnia latiùs referuntur in Actis Cleri Gallicani *Tom. 3. part. 3. tit. 3.* ubi quoque notatur, quod in ejusmodi revisione & examine etiam possit intervenire *Procurator Regius*, si ita visum fuerit.

De hac Episcoporum autoritate circa proventus fabricæ & mensæ sancti Spiritûs eorumque administratione in Gallia conservata, plura quoque tradit Du Casse in suo Tractatu de Jurisdictione Eccles. *Tom. 1. cap. 9. num. 2.*

Ad Numerum V.

Observat Zypæus *Consult. 7. de Parochiis num. 5.* quòd licet ex sententia Concilii Tridentini Patronis Ecclesiarum, aut piarum fundationum videatur competere sola cura invigilandi, ne quid prodigatur, non autem *statuendi*; Edictum tamen Alberti & Isabellæ ad Synodum Mechliniensem *art. 23.* indifferenter vocat Patronos *ad rationes audiendas, & super iis cum aliis statuendum.* *Jus Patronorum.*

Proinde hoc Edicto Principes nostri plus aliquid Patronis circa administrationem bonorum Ecclesiæ per se suosve majores fundatæ vel dotatæ dedisse videntur, quam ipsa Synodus Tridentina.

Quod sanè quoad Patronos Laicos, quorum Majores Ecclesias ex suis bonis fundârunt, aut dotârunt, ratione non caret. Quis enim ambigat quin pii fundatores & benefactores desideraverint, ut eorum hæredes curam haberent, ut hæ piæ fundationes executioni mandarentur & conservarentur; & bona eum in finem relicta conformiter ad eorum piam intentionem & dispositionem impenderentur?

CA-

CAPUT V.

Ad Numerum V.

Proventus fabricæ aut mensæ S. Spiritus non facilè impendendi in sustentationem Vice-Pastorum aut Matriculariorum.

IN Textu ostensum est nequaquam justum esse, ut bona fabricæ vel mensæ sancti Spiritûs impendantur in mercedem eorum, qui communitati suas operas impendunt, & quibus tanquam operariis à communitate ex justitia merces debetur.

Eâdem ratione non videtur sat justum, ut proventus dictorum bonorum, quæ à fidelibus specialiter in usum fabricæ ac notanter pauperum sunt oblata, impendantur in honorarium Presbyteri Missam matutinalem celebrantis, vel etiam Vice-Pastoris, aut matricularii, sive custodis.

Cùm enim hic Presbyter Missam matutinalem celebret pro majori commodo totius communitatis; nec beneficium, è quo honorarium haberi queat, fundamentum sit, justum apparet, ut potius communitas onus hoc ferat, quàm ut honorarium è bonis pauperum desumatur, atque onus hoc solis pauperibus impositum censeatur.

Id non obscurè indicavit Synodus Prov. 1. Mechl. anno 1570. *tit. de divino officio.* Desiderans enim ut in omnibus Ecclesiis Parochialibus habeatur Missa *matutinalis* pro ancillis & famulis ordinavit, "ut eum in finem revideantur Capellaniæ in Ecclesiis erectæ, ut illarum possessores ad residentiam compellantur, aut etiam per *contributionem Parochianorum* honesto Sacerdoti stipendia vitæ constituantur, qui & Missam matutinalem peragat, & Pastori occupato, aut infirmo, in administrandis Sacramentis subveniat: idque conditione tali, quod consuetum in similibus stipendium à Parochianis recipere & retinere possit.

Quoad Vice-Pastorem & Matriculam juxta deducta sub titulo *de congrua portione Parochorum*, & sub titulo *de officio Custodum*, hi vel à Decimatoribus vel ex collectis Parochianorum, vel de Beneficiorum proventibus juxta juris communis & Concilii Tridentini dispositionem intertinendi sunt.

Quapropter dum proventus fabricæ & notanter mensæ S. Spiritûs in similium Presbyterorum vel Matriculariorum honoraria sive stipendia impenduntur, in effectu proventûs fabricæ, vel mensæ S. Spiritûs cedunt in emolumentum vel ipsorum parochianorum, vel Decimatorum, quorum impensis hi presbyteri vel matricularii essent intertinendi.

Si tamen his presbyteris vel Matriculariis committatur specialis instructio puerorum, uti in pluribus parochialibus moris est, nequaquam injustum videtur, ut ex proventibus mensæ sancti Spiritûs aliquid assignetur Sacerdoti vel Matriculario in honorarium, ut pauperes *gratis* instrui queant, quia hæc re ipsâ in emolumentum & usum pauperum cedunt.

Unde in Decretis Francisci Buisseret Episcopi Namurcensis in Congregatione Capitulari peldoniensi, *tit. de Matriculariis* publicata anno 1612. 4. *Junii*, postquam declaratum est ad Matricularios etiam pertinere, Juventutem docere, subjungitur: *Ut autem suâ mercede non frustrentur, mamburnis permittimus, ut* CONTEMPLATIONE PAUPERUM, *quos docebunt* GRATIS, *aliquam ipsis portionem super bonis pauperum vel Ecclesiæ persolvant.*

CAPUT VI.

Ad Numerum VII.

Proventus Ecclesiarū impendendi conformiter ad legem fundationis.

IN Textu notatum est in administratione & usu bonorum in *pias* fundationes relictorum, primum locum obtinere legem in fundatione præscriptam; legiturque edictio Melunensi in Gallia expressè vetitum bona per fundationem ad *certum usum* Ecclesiæ vel alicujus Capellæ destinata, in alium usum convertere.

Additur præterea, quòd, si ad alios usus applicata reperiantur, in primum usum fundationis restituantur, uti refertur in Actis Cleri Gallicani *tom.* 3. *tit.* 3. *num.* 8.

Prosequitur Edictum articulo IX. quòd, si ex dictis bonis post impletam fundatoris expressam ordinationem, aliqua supersint, illa impendantur, vel in reparationem Ecclesiæ, vel in emptionem ornamentorum, aliave similia pietatis opera, conformiter ad sacros Canones, & non in alios usus, sub pœna, quòd ipsi Æditui seu Magistri fabricæ proprio & privato nomine pro iis respondere debebunt.

TITULUS VI.

De Decanis Christianitatis seu Ruralibus.

CAPUT II.

Ad Numerum I.

De cura Pastorali Decanorum ruralium.

LIcet Archipresbyteri sive Decani rurales dicantur *Pastores Pastorum*, & frequenter etiam omnium sui districtûs Ecclesiasticorum, ob curam pastoralem ipsis incumbentem; nequaquam tamen habendi sunt ut *ordinarii* respectu illorum, quemadmodum parochi respectu populi suarum respectivè parochiarum.

Parochi enim titulo suorum Beneficiorum parochialium per institutionem Canonicam tituli collativam, accipiunt curam animarum omnium fidelium intra districtum seu respectivè parochiæ commorantium, *Jure ordinario*, sive jure suorum Beneficiorum: Decani vero rurales eam duntaxat solent accipere ex commissione & delegatione Episcopi quasi jure delegato.

Ulteriùs tametsi de jure communi in *cap.* 4. *x. de officio Archipresbyteri*, videatur Archipresbyteris etiam cura plebis sive populi incumbere, adeoque inspecto jure Decretalium, videantur Decani rurales posse populo quoque parochiarum sub suis respectivè districtibus Decanatûs consistentium, Sacramenta administrare: mores tamen hodierni eorum curam ad pastores & Ecclesiasticos suorum respectivè districtuum restrinxerint, uti monet Zypæus *responso unico de officio Archipresbyteri num.* 5.

TITULUS VII.

De Canonicis Collegiatarum & Cathedralium Ecclesiarum.

CAPUT X.

Ad Numerum II.

DeCanonico in servitio Episcopi.

IN Textu notavimus, quod juxta juris communis dispositionem duo saltem Canonici in actuali servitio Episcopi existentes possint percipere fructus suæ præbendæ in absentia, cum autem inter Episcopales functiones, una ex præcipuis sit debita populi instructio, non dubium quin si Episcopus ad hanc instructionem judicet sibi necessarios aliquos è Canonicis, eosque illum in finem sibi assumat, hosce Canonicos debere reputari, ut existentes in servitio Episcopi, eoque titulo posset conformiter ad jus commune fructibus suæ præbendæ in absentia gaudere.

Quapropter non sine fundamento judicatum est anno 1640. in Concilio privato Parisiensi Canonicum deputatum ab Episcopo ad obeundam missionem & prædicationem, debere reputari præsentem in choro, prout refertur in Actis Cleri Gallicani, *tit.* 1. *cap.* 2. §. 27.

Ad Numerum XIII.

Restrictiones privilegii recipiendi fructus in absentia.

Privilegia absentiæ, de quibus in textu cum ea moderatione & restrictione intelliguntur, ut numerus præsentium judicetur sufficiens divinis officiis ritè persolvendis.

Hinc in actis Cleri Gallicani *tom.* 2. *part.* 2. *tit.* 14. *cap.* 12. refertur judicatum per Parlamentum Parisiense die 4. *Martii* 1614. non posse esse in eadem Ecclesia ultra *quatuor* Canonicos, qui dispensentur à residentia causa studiorum.

Et cap. 10. ibidem refertur Arrestum Consilii privati datum in judicio contradictorio die 10. *Junii* 1685. quo imprimis declaratum est, Consiliarios Clericos, nec non Officiarios Capellæ Regiæ de Canonicatu provisos obligatos esse residere extra tempora exercitii suorum officiorum.

Præterea declaratur, quod in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, quæ non pertinent ad provisionem suæ Majestatis, nonnisi *duo* queant esse privilegiati dictæ Capellæ Regiæ: & in Ecclesiis ad collationem suæ majestatis spectantibus non ultra *quatuor*.

Imò licet numerus Canonicorum ascenderet ad 40. non possent tamen esse ultra *sex* lucrantes fructus suarum præbendarum in absentia, absque distributionibus manualibus, quæ præsentibus affectæ remanebunt.

TITULUS VIII.

De Capitulo Cathedrali.

CAPUT I.

Ad numerum II.

Episcopi non tantum capitulum, sed & reliquum Clerum præsertim curam animarum sustinentem merito consulunt.

IN Textu observatum fuit, quod sensim labentibus sæculis Capitulum Cathedrale cœperit reputari pro *Senatu* Ecclesiæ; atque Clerum totius Ecclesiæ repræsentare, adeo ut, quæ primitus per Episcopum cum consilio & consensu *Cleri* erant secundum Canones tractanda & resolvenda, tandem tractari & absolvi cum consilio vel consensu Capituli, neglecto reliquo Clero cœperint.

Admodum verisimile est, hoc jus ad Capitula Cathedralia, excluso reliquo Clero demum sæculo decimo aut undecimo devolvi cœpisse, quando & beneficiorum & Dignitatum tituli erecti, & separatim ab ordine collati leguntur: quemadmodum sub idem penè tempus electio Episcoporum ad cathedrales Canonicos, reliquo Clero excluso, translata scitur.

Verum etiamsi hæc hodie disciplina invaluerit, & recepta sit, ut scilicet Capitulum cathedrale *Senatus* Ecclesiæ reputetur, atque Episcopus illud, ut suum *Senatum* habeat, quemadmodum olim suum Clerum; nihilominus indubitatum est, quod non raro expediret ut Episcopus in suum consilium alios è suo Clero, notanter Parochos, atque Archipresbyteros adsciseeret, maximè dum agitur de his, quæ curam animarum, & regimen spirituale populi concernunt, & in quibus frequenter hi præ Canonicis cathedralibus solent esse versati, & de abusionibus reformandis propius instructi; utpote Episcopis in hac cura & regimine cooperatores.

Unde optarunt Synodi, ut Episcopi, ut minus annuatim convocent Archipresbyteros, ut cum iis deliberent ac statuant, quæ ad extirpandos abusus, & procurandam salutem animarum intellexerint opportuniora, uti suprà. *tit.* 6. *cap.* 4. *n.* 5. *dictum est.*

CAPUT II.

Ad Numerum VIII.

Canonici etiam exempti jura reverentialia debent suo Episcopo.

CUm Episcopus, non obstante quacunque exemptione remaneat caput & Prælatus totius sui Cleri & Capituli; & eo titulo debeatur illi debita reverentia; & honos externus sit ipsi exhibendus, ejus characteri correspondens, non sine fundamento jam pridem condemnari fuerunt quidam Canonici Ecclesiæ cujusdam Cathedralis, non obstante allegata per eos contrariâ possessione, comitari suum Episcopum in publicis processionibus; nec posse *separatim* procedere, uti refert Joannes Galli *quæst.* 326. ubi Carolus Molinæus in margine ad verbum *Canonici* adjicit: QUAMVIS EXEMPTI, *quia non sunt exempti à jure reverentiali; nec ab onere & obligatione ministerii communis, sed à contentiosa Jurisdictione.*

Hæ quæstiones Galli cum notis Molinæi habentur insertæ volumini secundo operum Molinæi ultimæ editionis Parisiensis.

CA-

CAPUT IV.

Ad Numerum IV.

Quales eligendi Canonici Cathedrales?

IN Textu probatum est Canonicos Cathedrales præcipuè institutos, ut operâ & Consilio assistant Episcopis in regimine Ecclesiarum.

Hinc & inter articulos reformationis nomine Caroli IX. Regis Galliæ patribus Tridentinis propositos erat hic ordine 27. his verbis expressus: *Cum Episcopus ea jurisdictione uti non debeat secundum antiqua Decreta, nisi consulto Capitulo, quemadmodum nec alia suæ Diœcesis gravia negotia tractare, danda est diligens opera, ut Canonici Cathedralium Ecclesiarum sint assidui in Ecclesia Cathedrali bonis moribus & scientiâ prædit; quique saltem vigesimum quintum annum attingant: nam ante illam ætatem, cùm non possint per leges humanas rebus suis prospicere; quomodo Episcopo suo consulere poterunt?*

TITULUS IX.

De Capitulo Sede vacante.

CAPUT I.

Ad Numerum I.

Quo jure Capitulum succedat in jus Episcopi, Sede vacante?

REctè notat Cardinalis de Luca *Disc.* 31. *in Concil. Trid.* « quòd Episcopali Sede vacante, de jure Episcopalis jurisdictio, atque Ecclesiæ administratio devolvatur ad Capitulum, non quidem ex aliquo privilegio vel delegatione, sed ex ratione *juris non decrescendi*: quia Ecclesia Cathedralis efformatur conjunctim ab Episcopo & Capitulo; ab illo scilicet capite, ab isto tanquam reliquo corpore; Ecclesiasticâ jurisdictione penes *totum* corpus *habitualiter* residente; exercitio autem in plerisque competente capiti.

Hinc infert *num.* 3. « Et consequenter defecto jure consolidationis, vel ex jure *non decrescendi*, universa Jurisdictio, seu totum jus Cathedralium, tam in habitu, quam in exercitio, manet penes Capitulum, tanquam reliquum corpus politicum, seu intellectuale.

Ad Numerum III.

Quæ competunt Episcopis sublata reservatione, transeunt in Capitulum, Sede vacante.

In Textu notatum est, quod ea, quæ Episcopis vi suæ Jurisdictionis Episcopalis competunt, Sede vacante competant Capitulo, nisi speciali jure sint excepta.

Cùm autem certum sit, primis octo ut minus sæculis integram remansisse Episcopis Jurisdictionem & authoritatem quoad ea omnia, quæ regimen populi & Cleri sui requirebant, nec nisi labentibus sæculis, præsertim post inductas falsas Decretales, & receptum Decretum Gratiani nonnulla fuisse Sedi Apostolicæ reservata, consequens est, quòd si hæc sive consuetudine, sive speciali decreto concedantur, dici debeat quod non de novo Episcopis attribuantur; sed potius, quòd authoritas Episcopalis in integrum restituatur, ac proinde dici debeant hæc ab Episcopis *Jure ordinario* exerceri, non autem ex speciali delegatione.

Et per consequens Capitulum *Sede vacante* etiam in similia, tanquam authoritati Episcopali ordinariæ annexa succedere, & penes Capitulum esse eorum exercitium, nisi ostendatur, speciali Ecclesiæ decreto exercitium illius Capitulo esse interdictum.

CAPUT II.

Ad Numerum III.

QUandoquidem, ut collatio dicatur non libera, sufficiat, quod Episcopus conferre teneatur uni ex certa familia, vel ex pluribus per patronum præsentatis, uti ex Garcia in textu notatum, mirum non est, quod refert Renatus Choppinus de sacrâ politiâ *Lib.* 1. *Tit.* 5. *n.* 14. si Sede vacante simplicia Beneficia ad collationem Episcopi spectantia vacare contigerit, in mense Graduatis affecto, possit Capitulum Sede vacante illa conferre uni Graduatorum, tametsi liberum sit Capitulo uni ex pluribus Graduatis conferre; nihilominus ipsa collatio habetur pro necessaria sive non libera; tamen in Galliis Beneficia simplicia collationis Episcopalis, vacantia in Regalia sunt ad collationem ipsius Regis uti annotatum est *Part.* 2. *Tit.* 25. *cap.* 8.

At & illud communiter observant Canonistæ, quòd si Episcopus in collatione Beneficii *duntaxat* consilium Capituli petere debeat, eo casu non censeatur provisio *simultanea* cùm Capitulum Sede vacante de illo beneficio disponere nequeat, uti notat Cabassutius in sua Juris Canonici theoriâ & praxi, *Lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 17. unà observans, quod similiter Capitulum mortuo Episcopo, aut in longinquis agente, possit beneficium conferre, licet jubeatur in collatione consilium Episcopi expetere juxta *Capitulum unicum* NE SEDE VACANTE *in VI.*

Neque necessitas expetendi *consilium* Episcopi reddit collationem *simultaneam*, *consilium* autem expetendi obligatio cessare videtur, dum aut absolutè experi nequit, puta mortuo Episcopo, aut admodum difficulter haberi, uti in casu dicti Capituli.

Ad Numerum VI.

Collatio Beneficiorum etiam ad provisionem liberam Episcopi spectantium olim pertinuit ad Capitulum.

Quemadmodum Capitulum Sede vacante semper potuit, & hodie potest examinare & deligere eos, quos per sacram ordinationem judicat ministeriis Ecclesiasticis applicandos, consequens est, & Capitulo seu Clero Sede Episcopali vacante, licuisse deligere & nominare eos, qui in Ecclesia ministrarent, & de proventibus Ecclesiarum participarent, sive ut hodie loquuntur, de *Beneficiis* providere licuisse, quoad usque institutis titulis beneficialibus, Beneficia separatim ab ipsis ordinibus conferri cœperunt.

Postquam enim collatio Beneficiorum separari cœpit ab ordinatione, atque majora & opulentiora Beneficia, puta Canonicatus & dignitates in Ecclesiis Collegiatis & Cathedralibus potius penes temporalia, quàm spiritualia, sive officium Ecclesiasticum considerari cœperunt, sensim unà invaluit, ut Beneficiorum Collatio ad Episcopum spectans quasi inter *fructus* Episcopales numerari cœperit.

Hinc ulterius verisimiliter contigit, ut quemadmodum

admodum ipsa alienatio temporalium Capitulo esset interdicta, & Episcopo integra temporalia conservari deberent, pariter creditum fuerit quòd collatio Beneficiorum fructibus Episcopalibus annumerata, censeretur integra Episcopo reservanda. Igitur nec mirum hujus reservationis nullum in vetustioribus Canonibus vestigium occurrere.

CAPUT III.

Ad Numerum III.

Synodus Officialem & Vicarium pro eadem persona accepit & quare?

IN textu notatum fuit quod Synodus Trid. in suis Decretis acceperit *Officialem & Vicarium* pro una eademque personâ juxta morem in pluribus Ecclesiis præsertim Italiæ usitatum, quod & notavit Cardinalis de Luca *Disc.* 31. in Concilium Trident. rationem subjiciens: *Cùm enim*, inquit, *illud in magna parte ex Italis Cardinalibus, Episcopis & Prælatis constaret*, ita *secundùm Italiæ mores* sensisse visum est: atque hinc rectè ulterius observavit, quod *Vicarius Generalis*, qui juxta Italiæ praxim simul est *Officialis*, debeat esse Doctor aut Licentiatus in *Jure*. Et *num.* 18. monet, quòd in Hispania constans sit Ecclesiarum consuetudo eligendi in Vicarium Sede vacante, etiam *non Doctorem*, indubiè, quia & in Hispania Vicarius Generalis distinguitur ab Officiali, neque contentiosam Jurisdictionem habeat, sed hæc penes solum Officialem sit.

Ex his itaque habetur, quòd mirum quoque non sit, si ob multitudinem Episcoporum & Prælatorum Italiæ, quæ numerum Episcoporum & Prælatorum omnium aliarum Nationum simul collectorum longe superabat, Decreta hujus Concilii ad mores Italiæ magis, quam aliarum Nationum fuerint inflexa & formata: quare & nemo mirari debet, si in plerisque Regnis extra Italiam Decreta reformationis hujus Concilii non fuerint simpliciter & generaliter recepta; sed cum quadam moderatione conformiter ad mores cujusque Regni & Provinciæ, uti sæpius in hoc opere notatum fuit.

CAPUT IV.

Ad Numerum X.

Fructus Episcopatus vacantis reservati Cameræ Apostolicæ.

QUod dicitur in textu de Episcopatibus subjectis Regaliæ juxta mores Galliæ, simile obtinet in plerisque Episcopatibus Italiæ.

Quemadmodum enim in Gallia proventus Episcopatuum huic juri subjectorum cedunt Sede vacante Ærario Regis, ita in Italia Sede vacante sunt reservati Cameræ Apostolicæ, iisque colligendis deputantur collectores, qui Oeconomos nominare consueverunt, uti notat de Luca *Discursu* 31. *in Concil. Trid. num.* 6. quæ reservatio verisimiliter profluxit ex quadam specie Regaliæ, quam posteriores Pontifices exercuerunt in Episcopatus Italiæ, præsertim in temporalibus sibi subjectos: neque enim pristinis sæculis similis reservatio in commodum Cameræ Apostolicæ nota fuit.

TITULUS X.

De Canonicis Graduatis.

CAPUT I.

Ad Numerum I.

Gradus Academicus requiritur tempore electionis.

GRadum Academicum in electione Graduatorum requiri tempore electionis, nec satis esse, quod electus esset *proximè* dispositus ad gradum suscipiendum, resolvit & probat Wamesius *Consilio Canonico* 18. atque id ipsum non obscurè probat textus Bullæ erectionis novorum Episcopatuum in Belgio, cùm in ea dicatur, novem illas Præbendas, seu Canonicatus conferendas *Graduatis in Theologia vel jure;* ita ut ipse Gradus Academicus ipsam collationem respiciat: quo casu qualitas expressa exigitur in ipso actu collationis, uti de ordine requisito notatur. *Part. 2. Tit. XIX. cap. 2. num.* 5.

CAPUT II.

Ad Numerum VII.

Unde proveniat quod Graduati in Jure Canonico sint minus instructi in disciplina Ecclesiæ.

QUòd studentes juri Canonico vix hodie imbuantur eâ scientiâ Canonum, quibus purior Ecclesiæ disciplina repræsentatur, vel indè magna ex parte oritur, quòd in scholis plerumque non exponantur, nisi recentiores Romanorum Pontificum Decretales, neglectis magnâ ex parte pristinis Canonibus, qui optimam Regiminis Ecclesiastici rationem, per octo circiter sæcula sollicitè conservatam & renovatam exhibent.

Quod verò ex authore vitæ S. Caroli numero præcedenti in textu retulimus, nimirum quod constituerit ipse, qui iis Canonibus declarandis præesset, undè sacra majorum instituta, & ritus, optimumque Ecclesiæ administrandæ genus hauriretur; vix dubium, quin id intelligi debeat de eo, qui Decreti Gratiani expositioni & prælectioni à S. Carolo fuerit præpositus.

Certum enim est, quòd, licet hoc opus Gratiani magnâ confusione contextum sit, & contineat plurima apocrypha, supposititia, mutilata, ac nonnunquam in alienum sensum à mente authoris ad sui temporis disciplinam & amplificationem Pontificiæ potestatis detorta; nihilominus & illud oportet fateri, in hoc Gratiani Decreto esse respersos Canones, & SS. Patrum sententias in omni penè materia, è quibus optima regendæ Ecclesiæ ratio hauriri queat, modò is, cui illud prælegendi & exponendi munus incumbit, sciat falsa à veris, supposititia à sinceris, & contorta ab integris rite discernere.

Proindè nec ambigendum, quin prælectio hujus Decreti Gratiani multò aptior & convenientior sit, ut ex ea sacra majorum instituta, & ritus, optimumque administrandæ Ecclesiæ genus hauriri queat, quàm prælectio Decretalium Gregorii IX. & sequentium Pontificum, quæ penè unicè quæstiones de variis materiis incidentes & ad

& ad forum contentiosum pertinentes respiciunt easque vel decidunt, vel formam & modum decidendi præscribunt: nihil autem vel parum in iis occurrit, unde purior Ecclesiæ disciplina dignosci posset.

Hâc ratione inductus Philippus II. pluribus jam institutis prælectionibus juris Canonici in hâc Academia Lovaniensi, adjunxit prælectionem Decreti *Gratiani*; uti constat è literis Ducis Sabaudiæ Belgii Gubernatoris anni 1557. datis ad priorem & Collegium nostrum J. U. Doct. Prof. Ordin. quæ hic annectuntur sub C.

TITULUS XI.

De Dignitatibus Capitulorum.

CAPUT II.

Ad Numerum X.

Jurisdictio Decanis & Capitulis competens solet esse correctionalis.

JUrisdictio *correctionalis*, quæ Capitulo, vel Decano competere consuevit, pertinet duntaxat ad defectus leviores, præsertim spectantes disciplinam Canonicalem; non autem graviora crimina, quæ manent punienda per Ordinarium, & ordine judiciario servato, uti in textu notatum est.

Eandem distinctionem inter leviores defectus contra disciplinam Canonicalem aut modestiam: & honestatem Clericalem, & *graviora* Canonicorum delicta, sive crimina, notavit vir clarissimus, & in materia Canonica non parum versatus Franciscus Pinsonius in notis ad Molinæum ad *cap.* IRREFRAGABILI 13. *x. de Offic. Ordin.* Relato eam in rem Arresto Parlamenti Paris. de anno 1671.

Monet & ibidem Pinsonius, à sententia correctionali Decani vel Capituli super hujusmodi defectibus, non admitti appellationem cum effectu *suspensivo*.

Insuper notat, quòd, si post monitionem Ordinarii Capitulum in corrigendis defectibus maneat in mora, poterit Ordinarius negligentiam Capituli supplere, *cap.* 13. IRREFRAGABILI *x. de Judicis Ordinarii*; quia jurisdictio, quæ ab Episcopo consuetudine, vel privilegio transivit ad Capitulum, facilè rursus ad Episcopum redit, uti rectè notat Dandinus Alteserra *Lib.* 8. de Jurisdict. *cap.* 15.

Porrò sicuti hæc correctionalis Jurisdictio nonnisi circa *leviores* defectus versatur, nec ad graviora delicta vel crimina se extendit, ita quoque vigore hujus jurisdictionis graviores pœnæ non decernuntur, sed leviores, puta privatio distributionum, vel introitus ad Chorum vel Capitulum, aut etiam suffragii ad tempus, pro gravitate excessûs; quæ pœnæ non absimiles sunt suspensionibus & excommunicationibus, quæ passim occurrunt in regulis Monachorum inter pœnas, quas Abbates etiam pro delictis subinde levioribus, Monachis insligere jubentur: quæ nequaquam à jurisdictione aliqua contentiosa, vel potestate clavium, sed solummodo à correctionali & paternâ authoritate procedebant; unde nec similes suspensiones aut excommunicationes *censuris* Ecclesiasticis à clavium potestate procedentibus annumerabantur, uti nec suspensiones Canonicorum pro levioribus excessibus contra disciplinam Canonicalem hodie infligi solitæ pro *censuris* reputari possunt, nec consequenter operari effectum censurarum. Undè Canonicus ob similem aliquem leviorem excessum suspensus, aut interdictus ab introitu Chori, contra interdictum introeundo Chorum, & Divino Officio assistendo, non fiet irregularis.

TITULUS XII.

De Dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium.

CAPUT I.

Ad Numerum IV.

Error Gratiani extulit Archi-Diaconos supra Archi-Presbyteros.

VErba illa, quibus Archi-Presbyter jubetur subesse Archi-Diacono, & ex Isidoro in textu relata, apud Isidorum Hispalensem non exstant; neque apud Burchardum *Lib.* 3. *Decreti cap.* 50. ubi hæc epistola refertur, uti nec in Pannormia Ivonis *Lib.* 3. *cap.* 41.

Legitur tamen hæc periodus in Decreto Ivonis *Parte* 6. *cap.* 20.

Ad hunc locum Ivonis notat Joannes Molinæus Doctor Lovaniensis, „quòd hæc periodus „nimirum de superioritate & authoritate Archi-„Diaconi in Archi-Presbyterum, non habeatur „in Codice Regio; suspectaque (inquit) mihi „perpetuò visa sunt, quòd Archi-Presbyter sub-„datur Archi-Diaconis, quod vetustum non es-„se, in Canonibus Conciliorum vel mediocri-„ter versatus nemo ignorat.

Verisimile est, Gratianum nactum fuisse exemplar Decreti Ivonis, in quo prædicta legebantur sub nomine Isidori; atque Gratianum more suo illa sine ulteriori examine in suum Decretum retulisse, tanquam verba Isidori.

Ulterius verosimile est verba illa ex Decreto Gratiani relata esse in Decretales Gregorii IX. in *cap.* 1. *x. de Officio Archi-Diaconi*, ubi quidem referuntur tanquam ex Concilio Toletano, sed in nullo Concilio Toletano hactenus reperta sunt.

Illud indubitatum est, authoritatem Archi-Diaconi supra ipsos Archi-Presbyteros, per horum verborum relationem in Decretales stabilitam fuisse; & quasi in jure communi fundatam reputari cœpisse.

Hîc rursus videmus authoritate Gratiani factum esse, ut contra pristinam Patrum disciplinam, ipsamque Sacerdotii dignitatem, nova disciplina fuerit inducta; & Archi-Diaconi non tantum supra Presbyteros, sed & Archi-Presbyteros, altiorem gradum obtinuerint, imò jurisdictionem in eos exercendi *authoritatem*.

Ad Numerum XXIII.

Archi-Diaconorum Ecclesiæ Metropo-

In textu notatum legimus etiam hodie Archi-Diaconos in quibusdam Ecclesiis pristinam, eamque non exiguam conservâsse authoritatem; atque

litanæ Ultrajectensis summa authoritas. atque inter alios Ecclesiæ Leodiensis Archi-Diaconos.

Legimus non minorem authoritatem & jurisdictionem Archi-Diaconorum Ecclesiæ Metropolitanæ Trajectensis ad Rhenum, & aliarum Ecclesiarum ejusdem Provinciæ: legiturque harum Provinciarum Archi-Diaconos se fortiter opposuisse publicationi Concilii Tridentini quoad Decreta reformationis; quia per hæc Decreta videbantur authoritas & jurisdictio Archi-Diaconorum diminui & ad Episcopos transferri: quòd tamen sine magnis incommodis fieri non posse prætendebant, uti hæc latius exponuntur in opere, cui titulus: *Batavia sacra*, ubi *Parte* 2. recitantur Acta Synodi Provincialis hujus Provinciæ sub Frederico Schenkio Archi-Episcopo celebratæ anno 1565. & in qua de publicatione Concilii Tridentini agebatur; ubi hæ Archi-Diaconorum oppositiones recitantur.

CAPUT IV.

Ad Numerum IX.

Verum Officiales QUæstionem de revocabilitate aut irrevocabilitate Officialium (de quâ in textu) in Gallia sæpius fuisse agitatam, variaque Parlamentorum Arresta, nunc pro revocabilitate, nunc pro irrevocabilitate fuisse pronunciata notat Ducasse Archi-Diaconus & Officialis Condomensis in sua Praxi Jurisdictionis Ecclesiasticæ *Tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 6. donec tandem Rex Galliæ anno 1700. declaravit Officiales Episcoporum esse amovibiles; eamque declarationem dicit in Parlamentis Regiis fuisse registratam: hoc tamen una observat *num.* 5. Officialem non posse ab Episcopo constitui ad unam particularem causam. *Episcopi ad ejus nutum sint revocabiles?*

Quoad Belgium: consuetudo & usus Ecclesiarum Belgicarum inamovibilitati Officialium favet: adeò, ut, cum Archi-Diaconus Condromi in Ecclesia Leodiensi Officialem suum in Provincia Limburgensi residentem tentâsset amovere; hic à supremo Brabantiæ Senatu, cujus foro dicta Provincia subjacet, fuerit in hoc suo Officio manutentus per solemnem sententiam in contradictorio latam 20. Martii 1700.

Quoad hanc sententiam illud meretur notari, quòd Fiscus Regius nec non status dictæ Provinciæ Limburgensis sese eidem Officiali adversus tentatam hanc amovibilitatem junxissent. Habetur sententia sub Q.

TITULUS XIII.

De Electione & Nominatione Episcoporum.

CAPUT I.

Ad Numerum III.

Synodus Laodicena Laicos ab electione non exclusit. JUstinianum in Novella 123. *cap.* 1. ordinâsse, ut in electione Episcopi una cum Clero interveniant *Honorati* civitatis, cui Episcopus ordinandus est, in textu notavimus.

Admodum verosimile est, Justinianum ad id constituendum permotum fuisse authoritate Synodi Laodicenæ, cujus Canones ætate Justiniani, Codici Canonum tam Ecclesiæ Græcæ, quàm Latinæ inserti, non exiguæ erant authoritatis.

Porrò *Canone* 13. hujus Synodi cautum erat, *turbis non esse permittendum, eorum, qui sunt in Sacerdotio constituendi, electionem facere.*

Itaque Justinianus, ut conformiter ad mentem hujus Canonis tumultuosas electiones præcaveret, non quidem ipsum populum, sed duntaxat *tumultuantem plebem*, & turbas ab electione submovit; atque jus eligendi unà cum Clero ad *Honoratos*, sive Primates civitatis transtulisse videtur, tanquam qui plebem & populum civitatis repræsentant.

Et revera per dictum Canonem Laodicenum non fuisse ab electione Episcopi laïcos, sive populum omnino submotos, evincit tam Ecclesiæ Græcæ, quam Latinæ per plura sæcula, post editum & receptum hunc Canonem continuata disciplina, populum unà cum Clero ad electionem admittens.

Fatendum quidem est hunc Laodicenum Canonem à quibusdam, ac notanter à Gratiano in eum sensum acceptum esse, quasi ab electione *populus* totaliter per eum esset exclusus: nam *Dist.* 63. eum adducit in probationem hujus asserti: *Laici nullo modo debent se electioni immiscere.*

Verum & hoc notum est, Gratiano sat familiare fuisse Canones detorquere ad disciplinam sui temporis, notanter Ecclesiæ Romanæ, Canonibus sensum planè à mente Patrum alienum affingendo.

Liquet autem ex historicis, eo tempore, quo Gratianus Decretum compilavit, laïcos fuisse ab electione Episcopi Romani authoritate Innocentii II. exclusos, & solis Clericis delatam.

Ad Numerum V.

In textu notavimus, in Ecclesia Latina multis sæculis perseverâsse pristinam electionis formam per Clerum & populum civitatis, imò probat liber diurnus Romanorum Pontificum, quem edidit, & notis ac observationibus illustravit Joannes Garnerius è Societate Jesu Presbyter, eam formam servatam fuisse in electione Episcopi Romani etiam sæculo VIII. *Electio R. Pontificis per Clerum & populum facta.*

Refertur enim Decretum de electione Pontificis, cui subscribit Presbyter hâc formulâ: N. *humilis Presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ huic Decreto à nobis facto in* N. *sanctissimum Presbyterum consensi & subscripsi.*

Deinde dicitur, quòd subscripserit *totus Clerus, Optimates, & Milites, & Cives.*

Ex qua formula subscribendi habetur, uti & notat ibidem Garnerius; *eam non esse laicorum, qui consentiant tantum, laudentque electionem, sed qui revera eligant cum Clericis.*

Et in eodem libro diurno *cap.* 2. *Tit.* 4. exhibetur relatio de electione Pontificis ad Exarchum, atque exponitur, quod defuncto Romano Episcopo, *triduo* ab ejus *obitu* "Divinâ gratiâ suffragante, & omnium animis inspirante, "in uno convenientibus nobis, ut moris est, à "parvo usque ad magnum in personam sanctissimi hujus S. Apostolicæ Sedis Romanæ Ecclesiæ

„siæ Archidiaconi, Deo cooperante & BB. Apo„stolorum annisu concurrerit, atque consense„rit electio.

Rectè hic rursus observat Garnerius, ex verbis, hisce constare, non eâ tantum de causâ "convenisse tunc temporis *proceres* aliosve *laicos*" cum Pontifex eligeretur, ut assensum darent electoribus Clericis, vel testimonium ferrent de probitate eligendi, sed *ut verè eligerent.*

Id ipsum notavit Daniel Papebrochius *Dissertatione* 16. in Conatu Chronico Historico, subjectâ vitæ Gregorii II. *num.* 6.

Probat autem Garnerius prædictum Decretum electionis, uti & hanc relationem ad Exarchum, concernere electionem Gregorii II qui circa annum 714. electus fuit in locum Constantini Papæ.

Ex his habemus, ad electionem Romani Pontificis, quemadmodum ad electionem aliorum Episcoporum concurrisse *Primores*, populúmque cum Clero Romano, etiam sæculo octavo.

Ulterius ex prædicto electionis Decreto nequaquam obscurum est, electionem quidem factam per Clerum & *populum* Romanum, nequaquam tamen *plebem* & *vulgum* populi electioni intervenisse, sed solos *Primores* sive *Honoratos* populum repræsentantes, conformiter ad constitutionem Justiniani, de qua in nota præcedenti.

Imò, si sit fides erudito viro Onuphrio Panvino in notis ad Platinam in vita Innocentii II. ea electionis forma per populum & Clerum in Ecclesia Romana conservata fuit, usque ad tempora hujus Pontificis. Scribit enim sub hoc Pontifice *primum* populum Romanum à Pontificiis Comitiis omninò fuisse exclusum; atque primum *sine ullo* populi interventu Papam creatum esse, mortuo Innocentio II. Cælestinum II. sub medium sæculi XII.

Ad Numerum XIII.

De authoritate Episcoporum in electione & confirmatione novi Episcopi.

Quandoquidem Hincmarus Rhemensis in Epistola ad Clerum & plebem Bellovacensem [de quo in textu] sæculo IX. scribat, penes Metropolitanum, & Coëpiscopos esse authoritatem refutandi & rejiciendi electionem, si persona electa judicetur indigna; atque eo casu penes ipsos sit potestas aliam personam dignam eligendi juxta *Canones Laodicenses* nequaquam obscurum est, etiam eo tempore non solius Metropolitani, sed & aliorum Comprovincialium Episcoporum judicio, formam electionis, ipsámq; personam electam fuisse submissam.

Constat enim per *Canonem XII.* Laodicensem, electionem Episcoporum ad judicium Metropolitani & Coëpiscoporum comprovincialiū fuisse remissam; & ipse Hincmarus in citata Epistola expresè monet Clerum, plebemq; Bellovacensem, quòd, si personam à SS. Canonibus deviam elegerint & adduxerint, non solum illā personam electam in Pontificē non sint habituri, sed quòd suo & *Coepiscoporum suorū judicio*, refutatā rationabiliter eorum electione incongruā, talem secundum *Canones Laodicenses* eligant, qui *vestris*, ait, *vitiosis volūtatibus non valeat consentire.*

Itaque non nisi posterioribus sæculis, ac signanter post evulgatas & receptas Gregorii IX. & sequentium Pontificum Decretales, jus confirmandi electum ad solum Metropolitanum fuisse translatum constat; hoc autem ob difficultatem congregandi Episcopos comprovinciales sensim inductum & receptum fuisse credit de Marca, *De Concord. Sacerdotii & Imperii lib.* 8. *cap.* 8.

Insuper ex prædicta Epistola Hincmari, nec non ex relatis ex libro diurno Romanorum Pontificum in notis ad num. 5. intelligimus *laicos* eâ ætate nondum fuisse ab electione Episcoporum omninò exclusos, neque Hincmarum tametsi Canonum scientiâ instructissimum existimâsse per *Canones Laodicenses* laicos ab electione Episcoporum planè fuisse submotos.

CAPUT II.

Ad Numerum II.

Quâ occasione & tempore electio ad Capitula Cathedralia devoluta.

Quamvis multis sæculis, præsertim in Ecclesia Latina, ad electionem Episcopi populus unà cum Clero cucurrerit, certum tamen est, Clerum in hac electione præcipuas semper partes habuisse.

Cum enim Presbyteri & Diaconi, aliique inferiores Clerici unum semper constituerint Collegium, cui Episcopus præsidebat, tanquam Collegii istius caput; justum ac naturale apparuit, ut hi, qui Collegium constituebant, è suo Collegio eligerent, qui Collegio præsidere deberet.

Hinc & illud S. Hieronymi in Epist. ad Evagrium apud Gratianum *Dist.* 93. *Can.* 24. *legimus:* " Alexandriæ à Marco Evangelista usque ad „Heraclem & Dionysium Episcopos, Presbyteri „semper unum *ex se* electum in excelsiori loco „collocatum *Episcopum* nominabant; quomodo „si exercitus sibi Imperatorem faciat, aut Diaco„ni eligant de se, quem industrium noverint & „Archidiaconum nuncupent.

Postquam igitur ad Capitula Cathedralia pristini Cleri, seu Presbyterii, authoritas sensim fuit devoluta; & creditum fuit Capitula Cathedralia unum cum Episcopo, ut capite, corpus constituere mirum non est, quòd & electio Episcopi sensim fuerit devoluta: quantumvis fatendum sit, à forma electionis ab Apostolica Traditione descendente, & per plura sæcula conservata, per hanc devolutionem ad Capitula Cathedralia, excluso reliquo Clero & populo, multum fuisse recessum, uti ex notatis capite præcedenti constare potest.

Admodum itaq; verisimile est jus hoc electionis ad Capitula Cathedralia demum transiisse, postquam jus Cleri Romani in electione Romani Episcopi ad solos Cardinales translatū fuit; quod contigisse sub Alexandro III. id est sub finem sæculi XII. notat in hujus Pontificis vita Onuphrius.

Relato enim diuturno schismate, quod fuit sub hoc Pontifice, ait: " ex hujus rei occasione, *Clero* „ac *populo* omninò à Pontificis electione exclusis, „ea ad *Cardinales solos* tum primum redacta fuit.

Dum igitur ad solos Cardinales, excluso reliquo Clero, electio Romani Episcopi tandem transiit; ipsique considerari cœperunt tanquam unum cum Romano Episcopo Corpus seu Collegium constituentes, & ipsum Romanæ Ecclesiæ Clerum seu Presbyterium repræsentantes, sensim creditum fuit, Canonicos Cathedrales, tanquam Cathedræ Episcopali propiùs adhærentes, posse considerari tanquam unum cum Episcopo corpus constituentes & Clerum, sive Presbyterium Ecclesiæ repræsentantes: atque ita jus electionis, aliaque jura Cleri, sive Presbyterii ad solos Canonicos Cathedrales, seu Capitula Cathedralia transiisse.

Id autem demum contigisse post tempora Alexandri III. vel indè colligitur, quòd de hac repræsentatione, vel juribus Capitulorum Cathedraliū, nihil simile in pristinis Canonibus, imo nec in Decreto Gratiani occurrat, sed simpliciter jus electionis Clero deferatur, asseraturque Episcopum debe-

debere majora Ecclesiæ negotia cum consensu sui Cleri absolvere.

Nec scitur ante Innocentium III. hæc Capitulorum Cathedralium jura fuisse stabilita. Legitur enim hunc Pontificem per suas Decretales respondisse, Episcopum Canonicis Cathedralibus, tanquam fratribus suis unum corpus constituere; atque cum consensu vel consilio eorum [nulla Cleri factâ mentione] negotia Ecclesiæ debere tractare.

Hæ verò Decretales per Gregorium IX. in collectionem Decretalium relatæ in *cap.* 4. & 5. *De his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli*, &c. pro jure communi recepta sunt.

Tandem creditum fuit non tantum jus electionis, sed & cætera jura Cleri ad Capitula Cathedralia tanquam Clerum repræsentantia transiisse.

Quapropter & creditum est, quod Episcopi, dum negotia Ecclesiæ peragunt cum consilio vel consensu Capituli, censeantur ea pertractare, & absolvere juxta Canones cum consilio vel consensu sui Cleri.

Hanc indubiè inductam sensim disciplinam præ oculis habuere Patres Concilii Tridentini *sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* dum dixerunt, Canonicos Cathedrales constituere Senatum Ecclesiæ, quem SS. Patres ac signanter S. Ignatius per integrum Clerum constitui jam pridem dixêre.

Illud ambigi nequit, quin per eam devolutionem jurium Cleri ad solos Canonicos Cathedrales, quasi Clerum repræsentantes, à mente ac spiritu Canonum plurimum fit recessum.

Certum quippe est, quod Ecclesia, dum voluit ut Episcopi negotia Ecclesiæ cum consilio & consensu Cleri tractarent, una voluerit, ut negotia regimen spirituale & animarum salutem spectantia plurimum consilio tractarentur, præcipuè eorum, quibus perspectum esset, quid huic spirituali regimini animarum esset convenientius, & magis necessarium.

Præterea negari nequit, quin de his instructiores merito supponantur, & habeantur, qui unà cum Episcopo in hoc spirituali animarum regimine laborent, uti sunt præ reliquis Pastores, sive curata Beneficia possidentes, nec non Archipresbyteri ac similes curam animarum sustinentes.

Et quidem dum juxta Canones Episcopi unà cum suo Clero negotia tractabant & absolvebant, Decretaque & Ordinationes pro regimine Ecclesiæ formabant, & emittebant, ea reputabantur quasi Synodicè acta.

Quid enim propriè est Synodus Diœcesana? Nisi conventus constans ex Episcopo & Clero suæ Diœcesis, præsertim eorum de Clero, qui una cum ipso curam animarum sustinent.

Ad Numerum VIII.

Sanctio Pragmatica Caroli VII. etiam hodie salva manet, exceptis articulis, quibus expressè per Concordata fuit derogatum.

Historia Pragmaticæ Sanctionis Caroli VII. Regis Francorum, ad quam in textu lector remittitur, latinè edita exstat in Appendice Monumentorum ad calcem hujus Pragmaticæ Sanctionis cum Glossis Cosmæ Guimier, &c. editionis anni 1666. cura & opera Francisci Pinsonii.

Ex hac historia liquet, quòd, licet Romani Pontifices Pius II. Julius II. & Leo X. summoperè institerint pro tali ejus abrogatione; ac tandem obtinuerint Concordata inter Leonem X. & Franciscum I. tamen totalem abrogationem obtinere non potuisse ex hac ipsa historia manifestum est: legitur enim *pag.* 730. editionis Francisci Pinsonii, Nuntium Apostolicum obtulisse Regi Galliarum Francisco I. duos libros subsignatos, nec-non plumbo sigillatos, quorum alter erat Concordatorum à Concilio Lateranensi sub Leone X. comprobatorum; alter verò erat liber, actum continens *Revocationis Pragmaticæ*.

Ad quas Belgii civitates se extendant Concordata Germaniæ;

Nuntius verò expetiit à Rege utriusque actus approbationem & publicationem in Curia Parlamenti habendam, Rex verò cùm utramque Bullam recepisset, decrevit *unicam Concordatorum Bullam* publicandam; quoad revocationem verò *Pragmaticæ*, de ea nihil publicari voluit.

Insuper in eadem historia refertur *pag.* 735. „quod cum Curia Parisiensis rescivisset Congregationem Romæ habitam [Concilium Lateranense nuncupabatur] omnia tentâsse ut Pragmaticam Sanctionem rescinderet ex ejus Decreto „Procurator Generalis provocaverit, omnium „Regnicularum nomine, quódque cum primum „Pragmaticæ cassatio ad notitiam pervenisset; „Curia, cum eidem appellationi adhæreret, demum provocaverit ad Papam melius consultum, nec non futurum Concilium generale legitimè congregandum, vel ad illum, vel ad illos, „ad quem, seu quos, petendo Apostolos instantissimè ab Episcopo Lingoniensi pari Franciæ „ipsi Curiæ præsente.

„Quoque eos quidem *Apostolos* dictus Episcopus Lingoniensis ad honorem Dei Omnipotentis, pro Ecclesiæ Gallicanæ, Regni & Reipublicæ „præsidio & conservatione concesserit Reverentiales, & quales de jure pro remedio opportuno „secundùm temporis necessitatem concedere „possit & debeat; illúdque amplius, Curia actum „sibi authenticum confici postulaverit de toto „processu ab Actuariis & Manuensibus prædictis.

Bulla seu Decretum ab arrogationis Pragmaticæ Sanctionis, à quo Procurator Generalis dicitur appellationi adhæsisse, promulgatum fuit à Leone X. *Sess.* XI. Concilii Lateranensis, & integra refertur Tom. 14. Concil. General.

Narratur quoque in eadem historia Pragmaticæ Sanctionis, quod ad querelam Universitatis Parisiensis super publicatione *Concordatorum* inter Leonem X. & Franciscum I. inter alia responderit Curiæ Parisiensis Cancellarius " quod licet „ad Concordatorum publicationem procederetur, nullum ex ea præjudicium Academiæ Parisiensi suboriretur, nec non Curia controversias „judiciales definiret secundùm Pragmaticæ Decreta, ut ante publicationem consueverat.

Hinc etiamnum hodie notoria contraventio Pragmaticæ Sanctionis locum facit in Regno Galliæ appellationi tanquam *ab abusu*, uti infra *part.* 3. *tit.* 10. *cap.* 4. notatum est.

Ad hæc & hodie in Parlamentis Gallicanis causæ deciduntur conformiter ad hanc Sanctionem Pragmaticam, creditúrq; eam in suo mansisse vigore, exceptis solis articulis, quibus nominatim & expressè per dicta Concordata est derogatum.

Ad Numerum XII.

Concordata Germaniæ, quantum ad articulum de collatione & reservatione Beneficiorum non vigere, unquam viguisse in Ducatu Brabantiæ, in textu notatum est; imò neque hæc in Ecclesia Cathedrali Antuerpiensi locum habent, tametsi hæc civitas retinuerit titulum *Marchionatus S. Imperii*, quod inde contigisse verosimile est, quod Dux Brabantiæ hæc Concordata intra terminum in Concordatis præscriptum non acceptaverit: quæ tamen acceptatio requirebatur.

Quod

Quod autem Civitates & Ecclesias Trajectensem & Nivellensem attinet; cùm hæ civitates tempore initorum Concordatorum nondum essent totaliter ab imperio avulsæ & emancipatæ acceptatio Concordatorum facta per Imperatorem sufficere potuit ad introducenda ibidem Concordata; uti observat celebris hujus Universitatis Jurisconsultus Van de Velde in suis Annotationibus msl. ad Regulam Cancellariæ de reservatione mensium, *dubio* 4.

Notat & ibidem, quòd Concordata hæc obtineant in Ducatu Luxemburgensi, comprehenso etiam Comitatu Chimacensi, utpote qui fuit sub Imperio usque ad ejus emancipationem postmodum factam, id est post tempus initorum Concordatorum, monet quoque in civitate Thenensi haberi quidem sex menses sive *alternativam*, quali gaudent Ecclesiæ his Concordatis subjectæ.

CAPUT III.

Ad Numerum III.

Electus in Pontificem consecrari non potuit ante obtentum assensum Imperatoris.

JAm pridem obtinuisse, ut ad Episcopatum electi per clerum & populum, in Episcopos consecrari non possent, priusquam consensus Primitus haberetur, in textu adstructum fuit.

Cùm autem Imperator & in urbe Roma summum obtineret Imperium, jam pridem quoque obtinuit, ut electus in Episcopum Romanum ordinari non posset, priusquam consensus Imperatoris accessisset & in personam electam consensisset.

Et quidem Platina tanquam singulare notat in vita Pelagii II. quòd propter obsidionem urbis Romanæ à Longobardis, Pelagius *injussu* Imperatoris, tum Pontifex creatus sit, quia extra obsessam ab hoste Urbem mitti quispiam non posset. Nil (inquit) tum à clero in eligendo Pontifi„ce actum erat nisi ejus electionem Imperator „approbâsset; additque Platina, quòd ad placandum Imperatorem missus fuerit Constantinopolim Gregorius Diaconus, qui ipsi Pelagio postmodum successit sub nomine Gregorii I.

Quo tempore eum consensum requirere cœperint Imperatores, incertum est. Arbitratur Onuphrius Panvinus in notis ad Platinam, tempore Justiniani Imperatoris, hunc morem fuisse inductum, ut electus à clero & populo Romano in Episcopum Romanum ordinari non posset, neque electus administrationem Pontificatûs suscipere, antequam consensus Imperatoris accessisset; " ut „Imperator (ait Onuphrius) certus esset de con„ditionibus novi Pontificis, cujus maxima tum „authoritas esse cœperat, Imperatoribus præser„tim Italiâ absentibus.

Quidquid sit de hac Onuphrii annotatione, id sat constat, morem hunc à tempore Justiniani pluribus sæculis fuisse usitatum.

Et quidem habetur ex Joanne Diacono in vita S. Gregorii, quòd, cùm invitus per clerum & populum in locum Pelagii II. esset electus: " Ipse „intelligens esse electum, *omnimodo* tentavit præ„venire Principem, ut electionem de se factam „non approbaret, atque ita ordinationem decli„naret. Evidens argumentum, existimâsse Gregorium electionem de se factam, suo frustrandam effectu, si Principis non accederet assensus.

Hunc Principis sive Imperatoris assensum diu etiam post tempora S. Gregorii necessarium fuisse evincit liber diurnus RR. Pontificum per Garnerium è Societate Presbyterum nuper editus ac notis & observationibus illustratus.

In hoc libro refertur *cap.* 2. *tit.* 3. formula relationis *de electione Pontificis ad Principem*; in qua exponunt electores, quòd in electionem venerabilis Apostolicæ Sedis Archidiaconi omnium Deo volente, declinaverit assensus.

Post hæc supplicant Principi, ut " Dominorum pietas servorum suorum obsecrationes dignanter exaudiat, & concessa pietatis suæ jussione petentium desideria, pro mercede Imperii sui ad effectum, de *ordinatione* ipsius præcipiat pervenire.

Ex toto hujus formulæ contextu manifestum est, hanc supplicationem esse libellum, quo approbatio electionis à principe expetebatur.

Unde & summarium hujus tituli ita expressit Garnerius: *De electione, quæ mox referebatur ad Principem, id est, Constantinopolitanum Imperatorem, postulabaturque electionis approbatio.*

Verùm ob hanc habendi Imperatoris Constantinopoli residentis consensus necessitatem, plerumque multo tempore Romana Ecclesia suo viduata manebat pastore.

Et quidem Daniel Papebrochius in vita Benedicti II. in suo Conatu Chronologico observat, causam longioris moræ, quæ deprehenditur intercessisse inter electionem & ordinationem hujus Pontificis, nec non Leonis II. immediati hujus Benedicti prædecessoris, in hanc obtinendi Imperatoris consensus necessitatem esse refundendam.

Ut autem occurretur his incommodis, quæ ex mora diurnæ vacationis proveniebant, contigit, ut Imperatores nonnunquam electionis confirmandæ authoritatem Exarcho suo Ravennæ residenti, & negotia Italiæ, nomine Imperatoris administranti committerent, uti à Constantino Imperatore ad instantiam Benedicti II. factum credit Papebrochius loco citato.

Idipsum probat allegatus liber diurnus Rom. Pontificum, in quo inter alia *c.* 2. *tit.* 4. exstat formula precum, sive publicationis Cleri & populi ad Exarchum Ravennæ, cujus non est summarium per Garnerium huic supplicationi præpositum: *referebatur etiam ad Exarchum Ravennæ*, " *ut* „ *electionem* VEL NOMINE PRINCIPIS CON„FIRMET, *vel confirmandam curet.*

Ex pluribus autem circumstantiis probat idem Garnerius, prædictas preces, sive supplicationem pertinere ad electionem Gregorii II. quæ contigit sub initium sæculi VIII.

Quæ hactenus notata sunt, evincunt quidem, ad consecrationem electi in Romanum Episcopum procedi non potuisse, nisi electio ab Imperatore, vel ejus nomine per Exarchum esset probata: sed præviè ad electionem necessarium fuisse Principis consensum, aut ejus Missos, sive Legatos ad electionem debuisse vocari, non constat.

Quin & legitur apud Anastasium Bibliothecarium in vita Hadriani II. & ex ipso apud Gratianum *Dist.* 63. *Can.* 29. *Cùm Hadrianus II. ad* „*Roman. Pontificatum* ab Ecclesia Dei Genitricis „Dominæ nostræ, quæ dicitur *ad Præsepe*, trahe„retur ad Lateranense Patriarchium, certatim à "Clero & Proceribus & plebe deportatus est: "quod audientes *Missi* Ludovici Imperatoris mo„leste tulerunt, indignati scilicet, quod dum præ„sentes essent, non fuerunt invitati, nec optatæ à „se futuri Præsulis electioni interesse meruerunt, "qui acceptâ ratione, quòd non causâ contemptûs "Augusti, sed futuri temporis prospectu commis„sum hoc fuerit, (ne videlicet Legatos Principum „in electione Romanorum Præsulem expectandi „mos per hujusmodi fomitem inolesceret) om„nem indignatione medullitùs sedaverunt & ad

„salutandum electum etiam ipsi humiliter ac„cesserunt.

Post enarratam electionem Hadriani II. & datam satisfactionem *Missis* Imperatoris subditur: „Denique omnes hunc certatim coram iisdem „Legatis rapere & ad summum Pontificatûs api„cem provehendum trahere, ac anxiè nitebatur „portare, nisi blanditiis Senatorum & consiliis „aliquantulum sedati fuissent. Quorum omnium „unanimitatis desiderium audiens Ludovicus „Christianissimus Imperator cognoscens etiam, „qualiter in eo Decretum suum suis subscriptio„nibus roboraverunt, gavisus est.

Scripsit & Imperator epistolam ad Romanos, quâ ipsos laudavit, quòd talem Pontificem unanimiter elegerint.

Ex his patescit, Romanos prætendisse *Missos* Imperatoris, tametsi in Urbe præsentes, ad electionem non debuisse vocari, neque eorum adventum esse exspectandum, priusquam ad electionem procedatur.

Constat & ex his actis, quòd populus voluerit etiam mox à facta electione sine Imperatoris consensu ad consecrationem electi procedi, sed Senatorum blanditiis & consiliis aliquantulum fuerit sedatus, & consecratio electi dilata.

Itaque etiam eo tempore persuasum erat Romanis, signanter *Senatoribus*, ad electi ordinationem non esse procedendum, priusquam haberetur Imperatoris assensus.

Verùm nec id negari potest, quin hoc Populi Romani propositum & desiderium, ut non exspectato Imperatoris assensu electus mox ordinaretur, (uti in actis legitur) nec non eorum ad querelas *Missorum* Principis responsum innuant, Romanos tum temporis cœpisse aspirare ad excutiendam necessitatem exspectandi consensum Imperialem præviè ad consecrationem electi.

Id ipsum Romanorum desiderium & studium insinuant quæ ex Sigonio refert Daniel Papebrochius in vita hujus Pontificis Hadriani II. quòd „sub Ludovici filio Carolo Crasso difficilibus „bellis occupato Hadrianus, compellentibus Ro„manis, ediderit Decretum pro libertate Roma„norum; ut Pontifex designatus consecrari sine „præsentia Regis aut Legatorum ejus possit.

Atque hinc non sine fundamento supponit Papebrochius aliquamdiu Pontificum non tantùm electionem, sed & consecrationem liberam habuisse Romanos, quod non obscurè probat Concil. Ravennatense habitum an. 904. sub Joanne IX. ubi imprimis *Can.* 1. deplorat Pontifex, *quod S. R. Ecclesia plurimas patiatur violentias, Pontifice obeunte, quæ ob hoc inferuntur, quia absque Imperatoris notitia, & suorum Legatorum præsentia Pontificis fit consecratio, nec canonico ritu & consuetudine ab Imperatore directi intersunt Nuntii qui violentiam &* scandala in ejus consecratione non permittant fieri.

His incommodis ut occurratur, eodem canone statuitur: *Volumus, ut deinceps abdicetur* & constituendus Pontifex, convenientibus Episcopis „& universo Clero eligatur, expetente Senatu & „populo, qui ordinandus est sic in conspectu „omnium, celeberrimè electus ab omnibus *præ„sentibus Legatis Imperialibus consecretur.*

Et sanè subsequentes Pontifices, electionem suam non sat firmam existimâsse, nisi accesserit consensus & confirmatio Imperatoris, evincunt, quæ circa electionem Gregorii VII. acta fuisse narrantur.

Cùm enim facta esset electio per populum & Clerum Romanum de ejus persona, sine speciali licentia & interventu Imperatoris, veritus Hildebrandus electus in Pontificem, ne postmodum ob defectum consensûs Imperatoris ejus electio & ordinatio in Pontificem irrita & invalida declarari posset, ordinationem suam differendam censuit quoad usque consensum & approbationem Imperatoris obtinuisset, pro quibus obtinendis Legatos suos misit ad Imperatorem, scribitque Lambertus Schaffnaburgensis: "quòd cùm Hil„debrandus zelo Dei ferventissimus erat Episcopi „Galliarum protinus grandi scrupulo permoveri „cœperint, ne vir vehementis ingenii, & acris er„ga Deum fidei districtius eos pro negligentiis „suis quandoque discuteret, atque ideo commu„nibus omnes Consiliis Regem adorti orabant, „ut electionem, quæ ejus injussu facta fuerat, ir„ritam esse decerneret, asserentes, quod nisi im„petum hominis prævenire maturaret, malum „hoc non in alium gravius, quàm in ipsum Re„gem redundaturum esset.

„Statim Rex à latere suo Eberhardum comi„tem misit, qui Romanos proceres conveniens „causam ab eis sciscitaretur, quare *præter consue„tudinem Majorum, Rege inconsulto,* Romanæ „Ecclesiæ Pontificem ordinâssent, ipsumque, si „si non idoneè satisfacerent, illicitè acceptatâ di„gnitate abdicare se præcipitaret.

„Is veniens Romam benignè à prædicto viro „susceptus est, cumque illi mandata Regis expo„suisset, respondit se, Deo teste, honoris hujus „apicem nunquam per ambitionem affectâsse; „sed electum se à Romanis, & violenter sibi im„positam fuisse Ecclesiastici Regiminis necessita„tem, cogi tamen nullo modo potuisse, ut ordi„nari se permitteret, donec in electionem suam „tam *Regem,* quàm Principes Territorii regni „*consensisse* certâ legatione cognosceret.

Hac ratione distulisse adhuc ordinationem suã, & sine dubio dilaturum, donec sibi voluntatem Regis certus inde veniens nuntius intimaret.

Hoc ubi Regi est renuntiatum libenter suscepit satisfactionem, & lætissimo suffragio ut or„dinaretur, mandavit: quod & factum est anno „sequenti in Purificatione S. Mariæ." Hucusque Lambertus.

Ex his manifestum est, Hildebrandum electum in Pontificem, nequaquam credidisse suam electionem sine consensu Principis factam, firmam satis esse ipsosque Episcopos Gallicanos existimâsse, in arbitrio Regis esse electionem sine suo consensu factam, irritam declarare, prout hæc omnia latiùs prosequitur, & probat Ludovicus Maimbourg, *Histoire de la decadence de l'Empire pag.* 224. *& seqq. Edit. Paris. anni* 1684. Notatque ibidem pag 404. quòd hac potestate uti desierint Imperatores, post initam Concordiam super Investituris inter Calixtum II. & Henricum V. in Concilio Lateranensi.

Et sanè ex historia dissidiorum inter Romanos Pontifices & Imperatores, occasione *Investiturarum* haud obscurum est Romanos Pontifices in hac controversia unicè intendisse, Imperatores ab electione sive Investitura Prælatorum, ac notanter Romani Pontificis totaliter excludere.

Sufficienter quoque ex eadem historia constat, per *Investiturã* & in hac tota luctuosa controversia, Imperatores in unum prætendisse, ut electione canonicè per clerum & populum peractâ, electus ordinari non posset, priusquam electio & persona electa Imperatori fuisset notificata, & Imperatoris assensus accessisset. Deinde quòd electus deberet ab Imperat. de novo recipere Regalia, quæ concessio fiebat per *Investituram,* porrigendo electo

annulum

annulum & baculum, quemadmodum id coram Paschali II. Papa, nomine Imperatoris Henrici V. declaravit Archiepiscopus Trevirensis his verbis: „Talis est Domini Imperatoris, pro qua mittimur, „causa: temporibus antecessorum vestrorum san„ctorum & Apostolicorum virorum, Magni Gre„gorii & aliorum, hoc ad Jus Imperii pertinere „dignoscitur, ut in omni electione hic ordo serve„tur; antequam electio in palam proferatur, ad „aures Domini Imperatoris perferre, & si perso„nam deceat, assensum ab eo ante electionem fa„ctam assumere, deinde in conventu, secundum „Canones, petitionem populi, electionem Cleri, „assensum Honoratorum proferre: consecratum „libere nec simoniacè ad Dominum Imperatorem „pro Regalibus, ut annulo & virga investiatur, „redire, & hominium facere.

Et sanè hanc fuisse communem electionis & Investiturarum formam sub Imperatoribus ante tempora Gregorii VII. pacificè & sine ulla controversia usitatam, sat constare potest ex iis, quæ tum hoc capite notata sunt tum passim ex iis, quæ in historicis istius ætatis occurrunt; eamque formam sub S. Henrico servatam, fuisse intelligitur ex Ditmaro Episcopo Merspurgensi circa annum 1012. qui refert quod "defuncto Taginone Mag„deburgensi Archiepiscopo S. Henricus Impera„tor cum ejus obitum intellexisset, miserit Epis„copum Herbipolensem, ut per eum intellige„ret intentionem Capituli & Vasallorum Mag„deburgensium circa personam ad Archiepisco„patum promovendam; cumque ex iis intellexis„set, ipsos inclinari in Walterdum Præpositum „ejusdem Ecclesiæ, Rex Henricus eum ad se accer„sit cum à Rege ad suos diverteretur, eis annulum „quem in arrham acceperat à Rege, ostendit: post „hæc ad canonicam electionem processum fuit, „ipseque Walterdus canonicè electus; & mox „facta electione, Rex electo Baculum Pastoralem „porrexit, præstitoque juramento fidelitatis Regi, „in Ecclesiam introductus fuit. Hæc refert Ditmarus, qui ipse præsens adfuit.

Ulterius constat Gregorium VII. ejusque successores in luctuosa illa de Investituris controversia cum Imperatoribus prætexisse, hæc ab Imperatoribus prætensa circa Investituram jura, esse contraria libertati sacrarum electionum; ipsamque Ecclesiam quodammodo in servitutem redigi quemadmodum inter alios expressit Paschasius II. Expositis enim per Trevirensem Archiepiscopum, nomine Henrici Imperatoris, verbis supra relatis, respondens dixit: "Ecclesiam pretioso J„C. sanguine redemptam, & liberam constitutam, „nullo modo iterato ancillari oportere: si Eccle„sia eo inconsulto Prælatum eligere non possit, cas„sata Christi morte ei serviliter subjacere, si virga „& annulo investiatur, cum ad altiora ejusmodi „pertineant, contra Deum ipsum usurpare, si sa„cratas Corpori & Sanguini Dominico manus laï„ci manibus gladio sanguinolentis obligando „supponant, ordini suo & sacræ Unctioni dero„gare.

Supradictum tum per Archiepiscopum Trevirensem nomine Imperatoris exposita; tum hæc Pontificis responsa referuntur ex Sugerio apud Juretum in notis ad epist. 236. Ivonis Carnotensis.

Præterea habetur Henricum V. in solemni illa Concordia super hac luctuosa controversia anno 1122. inter ipsum & Calixtum II. Actam dedisse in qua hæc inter cætera leguntur: "pro amore Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Domini Papæ Calixti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo, & sanctis ejus Apostolis, Petro & Paulo & sanctæ Ecclesiæ Catholicæ omnem Investituram per Annulum & Baculum, & concedo in omnibus Ecclesiis fieri electionem & liberam consecrationem. Integra Acta legitur tom. x. Concil. General. columna 901. editionis Labbeanæ.

Cum igitur per hanc Actam non tantum Imperator renunciaret Investituræ per Annulum & Baculum, sed insuper electionem & liberam consecrationem omnibus Ecclesiis concederet, nequaquam dubitarunt Romani Pontifices Imperatorem remisisse jus probandi, sive confirmandi electionem & personam electam, priusquam electus in Pontificem ordinari vel consecrari posset, quandoquidem ipsi Romani Pontifices in hac controversia contenderent, per hoc prætensum jus Imperatorum libertatem electionis & consecrationis labefactari.

Ad Numerum V.

Principum consensus in electione Episcoporum requisitus.

Ex formulis, quas edidit Jacobus Sirmondus & quarum in textu fit mentio, non evincitur, Regibus Galliæ fuisse plenum jus nominandi Episcopos sed duntaxat probatur jus dandi consensum electioni faciendæ, vel factæ; ostenditque Petrus de Marca, de Concord. Sacerdotii & Imperii lib. 8. cap 9. & sequentibus hoc jure Reges Galliæ & Hispaniæ, nec non Principes Romanos usos fuisse, etiam probantibus Ecclesiæ Proceribus, quin & Synodorum Decretis Jus illud Regibus conservatum & confirmatum fuisse.

TITULUS XIV.

De Confirmatione Episcoporum.

CAPUT PRIMUM.

Ad Numerum II.

Confirmatio Episcopi Romani ad quem jam pridem pertinuit?

QUemadmodum electio Romani Pontificis eodem ritu, quo aliorum Episcoporum electio per Clerum & populum per decem ut minus sæcula peracta fuit, uti titulo præcedenti probatum fuit; similiter & electionis confirmatio, & personæ electæ ordinatio juxta præscriptum SS. Canonum ac notanter Nicænorum, sicuti aliorum Episcoporum facta legitur.

Et quidem etiam sæculo xi. eam fuisse usitatam formam confirmationis R. Pontificis non obscurè indicat Gratianus Dist. 23. Can. OMNES, ubi relatâ formâ electionis usitatâ Alexandri II. ætate dicit: *Quia Sedes Apostolica cunctis in orbe terrarum præfertur Ecclesiis, atque ideo super se Metropolitanum habere non possit, &c.*

Cum igitur Episcopus Romanus nullum haberet supra se modum Metropolitanum, consequens apparebat, electum in R. Episcopum ad normam Canonum Nicænorum non esse confirmandum Verum verba per Gratianum addita evincunt etiam eo tempore R. Episcopum adinstar aliorum Metro-

V. Espen. Supplem. in jus Eccl.

Metropolitanorum continuat consuevisse. Subjicit verbis jam relatis, *Cardinales* Episcopi *procul dubio* METROPOLITANI *officio funguntur qui videlicet electum Episcopum ad Apostolici culminis apicem provehunt*. Quæ verba non obscurè significant electionem R. Episcopi, non secus ac reliquorum Metropolitanorum, confirmationi, examini, ac judicio Episcoporum provincialium fuisse subjectam.

Scitur enim, quod Episcopi, quos posterior ætas vocavit *Episcopos Cardinales*, sint ipsi Episcopi Romæ adjacentes, cum Episcopo Romano tanquam Metropolitano unam provinciam constituentes.

Quapropter dum in præcitato Decreto asseritur, *Episcopos Cardinales Metropolitani officio fungi, qui videlicet electum Episcopum ad Apostolici culminis apicem provehunt*, perinde est, ac si diceretur, *Provinciales Episcopos vice Metropolitani fungi*, & electionem perficere & probare; atque hoc sensu Decretum hoc à pristina disciplina non discordat; quandoquidem sciatur Metropolitanos Episcopos ab Episcopis Comprovincialibus fuisse confirmatos & ordinatos, saltem iis temporibus quibus nondum Patriarcharum jura per Orientem & Occidentem essent stabilita. Scitur enim inter jura Primatum & Patriarcharum tandem & jus ordinandi Metropolitanos fuisse numeratum.

Ad Numerum III.

Episcopi Suburbicarii Episcopo Romano jure Metropolico confirmati & ordinati.

In textu notatum est à primis sæculis penes Metropolitanos præcipuam fuisse authoritatem in electione & ordinatione Episcoporum, atque sine consensu Metropolitani Episcopum ordinari non potuisse, quemadmodum & Synodus *Canone* 5. expressit.

Itaque & confirmatio & Ordinatio Episcoporum spectare censebatur ad Metropolitanum cujusque Provinciæ.

Verum & hoc scitur quod sensim hoc jus Metropoliticum quorundam Episcoporum extensum sit ad plures Provincias.

Et quidem jus Metropoliticum Episcopi Romani, uti & Alexandrini, tempore Concilii Nicæni ad plures Provincias & Ecclesias in illis consistentes se extendebat, uti probat *Can. 6.* hujus Synodi.

Unde hoc jure usum fuisse Episcopum Romanum, in provinciis & Ecclesiis Suburbicariis juri Metropolitico subjectis, non tantum tempore Concilii Nicæni, sed & pluribus sequentibus sæculis, evincitur ex libro Diurno Romanorum Pontificum, in quo libro *cap.* 3. exhibetur per plures articulos sive titulos ritus ordinationis Episcopi *Suburbicarii* per Pontificem Romanum.

Porro cum in hoc libro Diurno nullus ordinationis ritus præterquam Suburbicarii occurrat, imo nec ullius alterius ordinationis tanquam ad Episcopum Romanum spectantis mentio fiat non sine fundamento concluditur, tempore Confecti hujus libri, id est sub initium sæculi VIII pontificem Romanum nullius Episcopi ordinationem sibi vindicasse, nisi Ecclesiarum Suburbicariarum, sibi jure Metropolitico subjectarum, uti ad Canonem VI. Nicænum probatum est.

Cum verò eo tempore confirmatio unà cum ordinatione perficeretur, consequens est toto illo tempore nullius alterius Episcopi confirmationem ad Romanum Episcopum pertinuisse.

Ulterius, quia ea ætate confirmatio non sejungebatur ab ordinatione, mirum videri non debet nullum in dicto libro Diurno vestigium apparere confirmationis, prout hodie in usu est.

Quin & ritus ordinationis Episcopi Suburbicarii, uti in hoc libro describitur, manifestè probat, Episcopum Romanum eodem ritu tum temporis ordinasse & confirmasse Episcopos sibi jure Metropolitico subjectos, quo cæteri Metropolitani suos respectivè Episcopos suffraganeos, sive suæ respectivè provinciæ.

Ex eodem ritu ordinationis ibidem descripto *tit.* 8. habetur, quod Episcopus ordinatus non tantum Episcopo Romano tanquam suo Metropolitano & Ordinatori obedientiam promitteret, sed & insuper suo Principi fidelitatem: quare & Garnerius huic titulo præfixit hoc summarium: „Episcopus addebat indiculum de obedientia erga Romanum Pontificem, & *fidelitate erga Principem* servanda.

Ad Numerum IV.

Confirmatio Episcoporum non nisi posterioribus sæculis ad Romanũ Pontificem devoluta & ab ordinatione sejuncta.

Quod in textu dicitur, confirmationem Episcoporum penes metropolitanos integram fuisse jure Decretalium id est etiam sæculo XIII. intelligi oportet de *vera* confirmatione electionis, quæ ipsam Episcopi ordinationem præcedere debebat; ut nec ante hanc confirmationem obtentam electus ordinari in Episcopum posset, neque administrationi seu in temporalibus seu spiritualibus ullatenus se immiscere.

Hujus generis confirmatio, etiam jure Decretalium, Metropolitanis integra mansit, neque à Sede Apostolica per literas & Bullas obtineri debuit.

Cæterum & hoc verum est quod similis confirmatio, qualis hodie ordinationi præmitti debet & per quam Episcopatus quodammodo confertur, ab ipsa ordinatione *omnino separata*, & speciales suos effectus producens, prioribus sæculis ignota fuerit, uti in nota præcedenti dictum fuit.

Quo verò tempore confirmatio Episcoporum ab ipsa ordinatione cœperit sejungi & suos speciales effectus producere, incertum est; admodum verisimile est, non nisi circa sæculum XI. aut XII. initium habuisse; dum scilicet Beneficiorum collatio & provisio ab ipsa ordinatione separari cœpit. Ipsa enim moderna Episcoporum confirmatio in effectu est Episcopatûs *collatio* seu *provisio*, quæ similiter ut Beneficiorum provisio in ipsa ordinatione fiebat.

Unde & pontifex juxta hodiernum stylum asserit in literis confirmationis se Ecclesiæ *vacanti* de pastore & Episcopo providisse.

CAPUT III.

Ad Numerum XII.

IN Textu notatum est, quod in Gallia jam pridem vetitum fuerit informationes capi super vita & moribus Nominati à Rege ad Episcopatum, per Nuntium Apostolicum, utpote omni jurisdictione destitutum; sed eas esse accipiendas per Ordinarium loci, in quo Nominatus ultimo moratus est, quod sanè æquum apparet.

Cùm enim Nuntius careat omni jurisdictione, non potest efficaciter citare testes aut eos ad ferendum testimonium cogere defectu jurisdictionis; atque hinc contingere solet ut informationes recipiantur ex sola depositione eorum qui per Nominatum ad ferendum testimonium mittuntur: plerumque deponentes juxta instructionem sibi à Nominato ejus amicis datam.

Nec id ambigi potest, quin vita, moresque Nominati soleant ordinario domicilii in quo Nominatus resedit & vixit, propius esse noti, quam Nuntiis Apostolicis in Metropoli continuo morantibus.

CAPUT

CAPUT V.

Ad Numerum VII.

Recentioris disciplinæ est, ut quis electus in Episcopum ante suam ordinationem dicatur Pastor Ecclesiæ.

QUod hodie obtinet jure Decretalium ut electus in Episcopum obtenta confirmatione Pontificia habeatur ut *verus Pastor* Ecclesiæ, possitque omnia quæ jurisdictionis sunt tanquam Episcopus exercere, contrarium esse primitivæ Ecclesiæ disciplinæ, & primario fini instituti Episcopatus, dubium non est: constat que decem ut minus sæculis ignotum fuisse ut quis diceretur Episcopus, aut jurisdictionem aut munus Episcopi obiret, priusquam in Episcopum esset ordinatus.

Et sane nequaquam videtur congruum ut is Ecclesiam tanquam *Episcopus* regat, omnemque in Clerum & populum authoritatem & jurisdictionem exerceat, qui hactenus nec per manuum impositionem, plenitudinem Spiritus sancti accepit, nec Sacerdotii Christi particeps factus est, & ob hujus defectum nec ea quæ ordinis sunt & maxime Episcopis propria, exercere potest.

Hac ratione motus Cardinalis Lotharingius coram PP. Concilii Trid. dicere non dubitavit: „Absurdissimum est Cardinalibus *Diaconis* Episcopatum committi, abominandum siquidem „est, ut is Episcopatum obtineat, qui Episcopus „esse non vult.

Nec dissimulavit dicere: “ Hæreticis gravi esse „offensioni, quod in causis Religionis ii judicent, „qui potestatem imponendi manus non habent, „& penè laïci sunt.

Certum quoque est, quod nec Romanus Pontifex legitime electus pro Romano Pontifice reputatus olim fuerit ante suam ordinationem.

Quare electus anno 752. die 6. Martii Stephanus vulgò dictus Secundus, qui ante ordinationem suam obiit, inter Pontifices numeratus non fuit per Anastasium Bibliothecarium, nec alium quemquam ante Baronium qui ceteros ejusdem nominis uno deinceps gradu submovit, & quem alii omnes appellant *Secundum*, ipse facit Tertium & sic consequenter, uti notavit Daniel Papebrochius in suo Conatu Chronico Historico ad vitam hujus Stephani: qui una observat, idipsum liquere ex electione Presbyteri petri post mortem Joannis V. quæ sine dubio legitima fuit, quippe à Clero præcipue pendens, neque per militarem tumultum irritabilis, nusquam tamen ille inter pontifices numeratur, quia nunquam processum est ad ejus ordinationem.

TITULUS XV.

De Consecratione Episcoporum.

CAPUT II.

Ad Numerum II.

Professio fidei simplex absque jurejurando.

OBservatum fuit in textu jam pridem Episcopos suis Metropolitanis fecisse professionem *fidei*, sed nullo interposito juramento; quod & obtinuisse in Ecclesia Romana evincitur ex libro diurno Romanum pontificem, in quo legitur *cap. 3. tit. 6.* professio fidei, quam Episcopus Ecclesiæ Suburbicariæ emittebat coram Episcopo Romano tanquam suo Metropolitano, nulla tamen facta mentione juramenti, sed ita simpliciter concluditur Et ut *nostræ fidei* vestro Apostolatui, sanctæque ejus Catholicæ Ecclesiæ integritas ac puritas monstraretur, per præsentis *promissionis* nostræ paginam per *N.* Notarium scribendam dictavimus, sacro scrinio sanctæ Apostolicæ beatitudinis vestræ contradimus.

Simplex igitur erat fidei declaratio & professio; unde & titulus habet: promissio fidei Episcopi.

Observat autem Garnerius, hanc promissionis formulam referendam ad annum 683. additque hujus formulæ authorem Leonem II. nimirum prout ibidem legitur; nam similes formulæ temporum successu varia passæ sunt additamenta, uti ibidem rectè monet Garnerius.

Ex his interim patet, quod nec eo tempore ab Episcopis, licet Romani Episcopi ordinationi subjectis, obedientia, aut fidei professio medio *juramento* fieri solita esset.

Ad Numerum IX.

Juramentum ab Episcopis præstandum.

Quandoquidem plures ex articulis juramenti ab Episcopis in sua ordinatione præstandi sint planè conformes iis, quos (uti in textu ostensum est,) continet juramentum à Vasallo præstandum Domino directo, non satis conveniens apparet, ut similes articuli proponantur Episcopis, qui Romano pontifici in temporalibus nec immediate, nec mediate sunt subjecti, neque pontifici tanquam ejus Vasalli ratione temporalium sunt obstricti, præsertim ut idipsum jurejurando obsignent.

Ad Numerum XV.

Articuli juramenti Episcoporum.

In textu notatum est nonnullos articulos juramenti ab Episcopis in ordinatione præstandi, ita expressos esse, ut attento expressionis tenore; & spectatis Provinciarum inveteratis moribus, sat ambiguum, sit num Episcopi suo juramento quoad hos articulos, satisfacere possint. Optandum esset ut ob religionem juramenti, articuli clarioribus terminis, & Provinciarum juribus & consuetudinibus conformibus exprimerent, atque ita omnis æquivocatio & ambiguitas, quæ in juramentis solicitè vitanda est, evitaretur: quin & satius esset, juxta sanctos Canones, & laudatissimam Patrum disciplinam, ab omni exactione juramenti abstineretur, & sola fidei professio, & obedientiæ promissio exigeretur, quæ sola per decem & amplius sæcula in usu fuisse legitur.

Etiam hic merito attendendum, hanc juramenti formam per Gregorium VII. demum fuisse propositam & exactam, qui primus inter Pontifices sibi attribuit plenam & universalem authoritatem in temporalia, uti ex hujus Pontificis literis ostendit Dominus Fleury in sua Historia Ecclesiastica *lib. 63. num. 2.*

CAPUT III.

Ad Numerum II.

Ritus interroga-

IN textu notatum est, quo tempore Episcoporum per Clerum & Populum fuerit electio, & per

tionis utrum electus sit dignus ut in Episcopum ordinetur.

& per Metropolitanos electorum ordinatio, inter ritus ordinationis esset, ut Metropolitanus interrogaret postulantes ordinari electum: *Scitis illum esse dignum?*

Et quod dein ad hanc interrogationem ab uno ex Episcopis responderetur: *Quantum humana fragilitas nosse sinit; & scimus & credimus illum dignum esse.*

Quandonam hæc formula interrogationis & responsionis invaluerit, incertum est.

Constat eam tempore Innocentii III. fuisse usitatam, uti & in textu observatum est. sed pristinis sæculis in usu fuisse non legitur. Occurrit quidem in libro diurno Romano *cap.* 3. de Ordinatione Episcopi Suburbicarii *tit.* 3.

Verum hæc alia non erat, quam *Precatoria*, quam Diaconus Ecclesiæ viduatæ missus una cum electo Episcopo, nomine Cleri & plebis Ecclesiæ viduatæ secum ferebat, & coram Episcopo Romano, adstante electo prælegebat, *deprecans* electum in Episcopum ordinari, uti in notis latius exponit Garnerius: observatque, hujus *Decretalis* meminisse Alcuinum *De Officiis Divinis*, dum ait „Cum Episcopus civitatis fuerit defunctus, eligi„tur alius à Clero seu populo? fitque *Decretum* „ab illis, & veniunt ad Apostolicum cum suo ele„cto, deferentes secum suggestiones, seu rogato„rias litteras ut eis consecrent Episcopum.

Nulla tamen ibidem hujus interrogationis aut responsionis fit mentio: sed neque in *Ordine Romano*, qui hoc libro diurno recentior est (uti notat Garnerius) quidquam de hac interrogatione aut responsione occurrit.

Itaque dubitari nequit, quin recentioris ætatis sit hic ritus: qui nec hodie in usu est, uti in textu notatum est.

Ad Numerum V.

Examen electi in Episcopum ante ejus ordinationem.

Formula examinis instituendi in ipsa Ordinatione per Metropolitanum Ordinantem; & responsionis Ordinandi ad singulos articulos sibi à Metropolitano propositos (de qua in textu) recentioris apparet instituti, quandoquidem in libro diurno Romano per Garnerium evulgato; nulla hujus examinis memoria occurrat, sed præscribitur *cap.* 3. *tit.* 6. formula *Professionis fidei* ab Ordinando emittenda.

Hujus verò professionis fidei non meminit *Ordo Romanus*, qui cum aliis libris de *Divinis Officiis* editus est; sed vice *Professionis fidei*, exhibet *interrogationem* ab ordinante Pontifice faciendam, non absimilem illi, quæ in hodierno Pontificali exhibetur.

Ex quo non sine fundamento concludit Garnerius hunc ordinem Romanum esse libro diurno posteriorem. Professioni enim, ait, interrogatio successit.

Similem fidei professionem jam pridem emisisse electum in Episcopum Romanum, testis est Joannes Diaconus in vita sancti Gregorii, quam *Symbolum* vocat.

Recentiorem professionis formulam exhibet Garnerius in citato libro diurno *cap.* 2. *tit.* 9. vocaturque *Indiculum*. Credit autem Garnerius eam referendam ad ætatem Cononis aut Sergii Pontificum.

Ex contextu autem hujus Professionis sive *Indiculi* patet electum in Pontificem Romanum, simplicem, nullo interposito juramento fidei Professionem fecisse: quod & notavit Garnerius, unà observans in notis ad citatum titulum 9. verbo *Electus*, Nempe profitebatur (ait) orthodoxam „fidem, velut *unus fidelium*, antequam in Cathe„dra Petri docturus Ecclesiam sederet. Additque: „Professio hæc videtur fuisse totius cæremoniæ „initium.

Intelligitur insuper ex hac Professionis formula electum in Romanum Pontificem professum fidem suam & „tam de Sanctæ & Individuæ Tri„nitatis, quæ unus est Deus, quàm de dispensatio„ne quæ secundum carnem facta est, Unigeniti „Filii Dei Domini nostri Jesu Christi, & de Ec„clesiæ dogmatibus, *sicut in Universalibus Con„ciliis*, & Constitutis Apostolicorum Pontifi„cum, probatorum atque Doctorum Ecclesiæ scri„ptis sunt commendata.

Ad hunc ordinem expressionis in hac fidei Professione observatum, reflectendũ monet Garnerius in notis verbo *Universalibus Conciliis.* „Adverte (ait) ordinem regularum fidei à sum„mis Pontificibus coram Ecclesia constitutum.

Deinde monet ibidem Garnerius verbo *nihil de traditione* hujus Professionis fidei, quæ prima in libro diurno ponitur, meminisse, & ejus partem referre Ivonem Carnotensem *part.* 4. *cap.* 132. *sui Decreti* Et in Epistola 57. ad Abbatem Majoris monasterii: atque hinc concluditur, etiam ætate Ivonis, id est, circa annum 1115. summos Pontifices eam fidei Professionem emisisse.

Ex quo concluditur ad eam usque ætatem Romanos Pontifices in ordine regularum *fidei* coram Ecclesia in sua ordinatione *Universalibus Conciliis* primum locum dedisse, atque Constitutis Apostolicorum Pontificum præposuisse.

Neque sanè fundamento caret hoc examen, quod hodie in ordinatione instituitur, & merè rituale est, & hodie inter ritus ordinationis refertur successisse pristinæ Professioni fidei quam Episcopus etiam Romanus in sua ordinatione emittebat.

Professio enim hæc eosdem penè fidei articulos continebat, qui in hodierno rituali ordinando proponuntur.

Ad Numerum XIII.

Unctio Episcoporum.

Ritum unctionis Episcoporum, de quo in textu latius exponit Innocentius III. *in cap. unico de sacra unctione*, eumque procedere ex *institutione Apostolica* probare contendit auctoritate Decreti; quod sub nomine Anacleti papæ legerat apud Gratianum *Dist.* 76. *Can. Ordinationes Episcoporum*, desumptum ex epistolâ secundâ Decretali huic pontifici adscriptâ: sed hanc & duas reliquas epistolas Decretales extantes sub nomine hujus pontificis esse putidas Pseudo Isidori merces nôrunt eruditi: notatque philippus Labæus in nota marginali ad primam harum epistolarum. „has „epistolas non ausus est Bellarminus indubitatas „affirmare nec negat in eas aliquos errores irrep„sisse; eruditis verò Catholicis videntur sup„positæ.

Sed & hoc scitur ab Innocentio III. atque à plerisque Auctoribus illius ætatis pro indubitato & authentico reputatum fuisse, quidquid apud Gratianum legebatur.

Et hinc contigit plurima ab Innocentio III. & subsequentibus pontificibus & Auctoribus adscribi instituto Apostolico; & reputari tamquam ex *traditione Apostolica* descendentia, quæ demum mediis Ecclesiæ sæculis statuta sunt vel sensim post receptas has falsas Decretales, & editum Decretum Gratiani inducta & recepta fuerunt.

Ad

Ad Numerum XVII.

In textu notatum, quod in consecratione Episcopi Ordinans, postquam digito Ordinati imposuit annulum, tradat librum Evangeliorum Ordinato dicens: *Accipe Evangelium, & vade, prædica populo tibi commisso, potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam.*

Hæc ostendunt, Ecclesiam desiderare, ut, qui ordinatur Episcopus, commissum sibi habeat populum, cui prædicet Evangelium.

Unde à pluribus deploratum jam pridem legitur, ordinari Episcopos, quos Titulares dicimus, non ad regendum populum sibi commissum, quem non habent, sed dumtaxat ut caracterem & dignitatem accipiant.

Titulares Episcopi, eorum origo & progressus.

De his Episcopis Titularibus rectè notavit Ludovicus Thomassinus de Disciplina Ecclesiæ *part.* 3. *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 2. hos Episcopos impropriè dici *Titulares*; quandoquidem Episcopi & Clerici dicantur ad *titulum* ordinati, dum certæ Ecclesiæ in sua ordinatione assignantur, sive intitulantur, ut ibidem ordinum suorum functiones & munia obeant.

Hi verò ad certas Ecclesias ordinantur sive *intitulantur*, non ut ibidem munia & functiones Ordinis Episcopalis obeant, sed & *nudum* Ecclesiæ ad quam ordinantur *nomen* mutuent.

Unde rectè concludit Thomassinus, hos Episcopos dici *Titulares*, eò quòd *nudum titulum* habeant Ecclesiæ, ad quam sunt ordinati.

Observat quoque Thomassinus *parte* 4. *lib.* 1. *cap.* 7. hos Episcopos *Titulares* in Ecclesia Latina præcipuè originem accepisse circa sæculum XII. & XIII. originis illius occasionem & progressum ibidem summatim deducens.

Et quidem ex his quæ ibidem refert Thomassinus habetur, quod primò in Ecclesia Orientali, sive Græcâ, ac dein in Ecclesia Latina ordinari cœperint Episcopi titulo Ecclesiarum Cathedralium, in quibus quidem erant Episcopi ordinati, sed qui populi idioma ignorarent, uti contigit in quibusdam Ecclesiis Orientalibus seu Græcis sæculo XII. & XIII. quando per exercitus Christianorum occupatâ terrâ sanctâ populi Latini permixti fuêre Græcis: & cùm illi idioma Græcum ignorarent, nec ritibus Græcanicis essent assueti, ordinati sunt Episcopi & Presbyteri Latini, qui populis illis Verbum Dei annuntiarent, & Sacramenta ritu Latino administrarent.

Leguntur & nonnunquam Episcopi pro Ecclesiis sub infidelium Principum dominatione constitutis ordinati, ad quas ordinatis Episcopis non patebat accessus, sed adhuc populus Catholicus restabat, qui Episcopo indigebat; vel spes erat, fore ut hæ civitates ad Principis Catholici dominationem reducerent, atque ita Episcopis ordinatis ad eas pateret accessus.

Verùm sensim his cautionibus prætermissis cœperunt ordinari passim ad Ecclesias in partibus infidelium consistentes, Populo, Cleroque Catholico omninò carentes; & de quibus reducendis ad Principis Catholici dominationem spes nulla affulgebat; imò & certum erat, quòd tum ob ignorantiam idiomatis, aliasque conditiones, ordinatus Episcopus nunquam curam istius Ecclesiæ esset suscepturus, quin ex omnibus circumstantiis & manifestum erat, Ecclesiam illam in ordinatione unicè, pro mero, & quasi imaginario titulo assignari.

Cùm interim similes ordinati Episcopi per hanc ordinationem, Episcopalem dignitatem & caracterem acciperent, atque omnia Episcopalia exercendi jus adipiscerentur, plures etiam in similes Episcopos ordinari ambierunt, qui nullum populum, cui præessent, habentes, per diversa loca discurrentes & è functionibus Episcopalibus turpem quæstum quærentes Episcoporum Diœceses & regimen turbabant, & Episcopalem dignitatem in vilipendium vertebant, uti ex querelis illorum temporum contra hos *Titulares* Episcopos intelligitur.

Concilium Ravennatense anno 1314. *Rubrica IV.* ait: "Item exhortamur pro unitate fidei „& honore sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & affe„ctuosè rogamus ac attentiùs requirimus omnes „& singulos exemptos intra Ravennatem Pro„vinciam constitutos, ut nullos Episcopos pere„grinos vel ignotos, & populum subditum citra „mare non habentes invitent, seu admittant ad „ordinationes tenendas, seu alia Pontificalia ex„ercenda in ipsorum Ecclesiis, Monasteriis, vel „locis. Quòd si contra fecerint, volumus, eos „privilegiis, beneficiis, & favoribus præsentis „Concilii, & omnium aliorum Conciliorum Ra„vennatis Provinciæ ipso facto esse privatos.

Hodie in Gallis usus obtinet, ut Episcopi titulares admittantur ad tenendas ordinationes proprio Episcopo invitante.

Similes Titulares Episcopatus præ cæteris ambiisse Religiosos, notanter Ordinum Mendicantium, atque sub obtentu horum Episcopatuum etiam sui Ordinis deposuisse habitum, habemus ex decreto Concilii Salisburgensis anno 1420. in verbis: "Cùm plerique *Fratres Or„dinum Mendicantium*, ac *Religiosi Ordinum „aliorum intitulati* ad Ecclesias Cathedrales suæ „Religionis habitum absque rationabili causâ „manifestè non deferentes, &c.

Idipsum de Religiosis indicavit Clemens V. in sua adversus hos *Titulares* Episcopos editâ Constitutione relatâ in *Clement.* IN PLERISQUE *de Elect.* & de qua actum in *additione ad titulum* 13. *cap.* 2. *num* 4. Verùm neque per hanc Clementis Constitutionem, neque per Synodorum Decreta, aut piorum querelas abusibus & scandalis, quæ hæc Episcoporum frequens ordinabat, occurri potuit, quapropter plures viri pii eorum ordinationem non convenire dicebant.

Inter alios Joannes Gersonius de *Statu Prælat. consid.* 8. quamvis admodum moderatè loquatur de his Episcopis, asseratque, statum Episcopalem esse posse sine populo, & sine usu vel exercitio, nihilominus dicere non dubitat: „quod hoc fieri non conveniat, *quia* (ait) va„num & *monstruosum videtur in Ecclesia*, „*quoniam frustra est potestas*, *cui non subest* „*operatio.*

Cùmque nec tempore Concilii Tridentini scandala & abusus ex horum Episcoporum ordinatione provenientia cessarent, in ipso Concilio non defuêre Patres, qui contra hos abusus & scandala declamârunt, horum Episcoporum totalem abolitionem optantes.

Scribit enim è Concilio Franciscus de Vargas in epist. die 26 Nov. 1551. scriptâ, alterâ die post celebratam Sessionem XIV. ad Cardinalem Granvellanum Episcopum Attrebatensem quòd Decreta Reformationis hac sessione editâ nequaquam essent sufficientia pro tollendis abusibus: deploratque, quòd Decretum contentum *cap.* 2. potiùs ad obfirmandos quàm tollendos abusus conducat, eò quòd hoc Decreto confirmentur Episcopi *Titulares in partibus infidelium*, qui (ait)

(ait) *deberent aboleri tanquam contrarii Juri Canonico, & plurimorum in Ecclesia malorum causa sunt.*

Et cùm rursus sub Pio IV. tractaretur de Sacramento Ordinis, plures contra hos Episcopos *Titulares* reclamârunt, atque inter alios, teste Pallavicino *lib. 26. c. 16. n. 12.* Archiepiscopus Granatensis damnavit usum Episcoporum *Titularium*, tanquam quos primæva Ecclesia ignoraverit.

Et Ludovicus Caranza in Tractatu de Residentia Episcoporum, quem sub tempus Concilii Tridentini evulgavit pag. 140. hos Episcopos *Titulares* vocare non dubitat *monstra, à quibus vexatur Ecclesia.*

Et licèt eorum usum à Concilio Tridentino toleratum recentiores Canonistæ improbare non audeant, dicere tamen non dubitat Prosper Fagnanus ad *Cap.* EX PARTE *x. de Clericis non resid. n. 48.* "Creare Episcopos *Titulares* sine rationabili causa, & eo tantùm fine, ut eâ dignitate alicujus persona qualificetur seu decoretur, abusionis est.

Sat bene congruit hisce Episcopis *Titularibus*, quod de Episcopis sine certa parochia ordinatis sæculo XI. scripsit S. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis ad Muriardachum Regem Hiberniæ *lib. 3. epist. 167.* 'Dicitur Episcopos in terra vestra passim eligi, & sine *certo Episcopatus loco* constitui: Episcopus, *nisi certam parochiam & populum, cui super intendat, habeat, constitui secundùm Deum non potest*, quia nec in sæcularibus nomen vel officium pastoris habere valet, qui gregem, quem pascat, non habet.

Ex hactenus notatis intelligi potest, querelas contra Episcopos *Titulares* nequaquam dirigi posse, nec jam pridem fuisse directas contra eos, ordinantur cum respectu ad Ecclesias populum Clerumque Catholicum habentes, quem pascant & regant, sed tamen sub titulo sive nomine alicujus peregrinæ Ecclesiæ in partibus infidelium consistentes ob politicas rationes latere jubentur; licèt reipsa ut Episcopi & Pastores populi & Cleri prædictarum Ecclesiarum ordinentur.

Exemplum vidimus in Ecclesiis nobis vicinis, nimirum Metropolitanâ Ultrajectensi & Cathedrali Harlemensi, quæ à centum circiter annis in potestate Acatholicorum constitutæ numerosum admodum populum cum suo proprio Clero & ordinariis Pastoribus retinuerunt; quibus & Episcopus datus fuit, qui tametsi ad eas Ecclesias regendas & administrandas ordinaretur, quin & earum Ecclesiarum vulgò à populo & Clero haberetur, & reputaretur Episcopus, nihilominus propter politicas rationes non sinebatur ad titulum earum Ecclesiarum ordinari, sed peregrinæ Ecclesiæ nomen mutuare debebat, & ab eo nomen Episcopi gerere: quæ lariùs deducta sunt in quadam consultatione ad instantiam Cleri Trajectensis datâ per Doctores Lovanienses & per Doctores Parisienses ultra centum probatâ, in qua & adstruuntur capituli Ecclesiæ jura Sede vacante, uti capituli Ecclesiæ Harlemensis in alio scripto, cui titulus: *Motivum pro Capitulo Harlemensi.*

CAPUT IV.

Ad Numerum V.

De vinculo quasi matrimoniali inter Episcopos & Ecclesiam.

DE vinculo quasi matrimoniali inter Ecclesiam & Episcopum (de quo in textu) loquuntur epistolæ Decretales sub nomine Calixti & Evaristi Pontificum, quarum fragmenta extant apud Gratianum *causa 7. q. 1. Can. 11. & 39.*

Et quidem in Decretali Calixti in citato *can. 39* legitur: "Apostolus ait. *Alligata est uxor legi, quamdiu vir ejus vivit, & eo verò defuncto soluta est à lege viri: similiter & sponsa Episcopi,* (quia sponsa uxorque ejus dicitur Ecclesia) illo vivente ei est alligata, eo verò defuncto soluta est, & cui voluerit, nubat, tantùm in Domino, id est, regulariter: si enim eo vivente alteri nupserit, adultera judicabitur: similiter & ille, si alteram sponte duxerit, adulter existimabitur, & communione privabitur.

Quin penè à temporibus Apostolorum singuli Episcopi singulis Ecclesiis particularibus fuerint præpositi & alligati, & dubitari nequit, sed eum esse vinculi nexum, quo Episcopus Ecclesiæ suæ vinculatur, sive alligatur, qualis est nexus matrimonialis inter ipsos conjuges, nequaquam apud antiquos legitur.

Unde vel ex hoc capite hæ epistolæ meritò suppositiitiæ haberentur, quantumvis plurimis aliis titulis uti apocryphæ & his Pontificibus falsò adscriptæ ab eruditis jam pridem fuerint repudiatæ atque inter alios monet Philippus Labbæus in nota marginali ad epistolam Calixti I. 'Antonius Augustinus Archiep. Tarraconensis *Dia. 4. lib. 2.* de emendatione Gratiani testatur, Calixti epistolas rejectas fuisse à selectis viris, qui Romæ operam navârunt Gratiano corrigendo; idem sentiunt viri eruditi, & res ipsa clamat.

Non minus fortiter vinculum inter Ecclesiam & Episcopum comparatione factâ ad vinculum carnalis matrimonii expressum est in fragmento epistolæ Decretalis Evaristi Papæ in citato *Canone 39.* & integra cum alia epistola ejusdem Pontificis extat. Tom. 1. Concil. Generalium, atque priori harum hanc notam posuit Labbæus: *Supposititia Antonio Contio, aliisque eruditis Catholicis.*

Interim non dubium quin hæ epistolæ Decretales, præsertim postquam eas Gratianus in suum Decretum transtulit, occasionem dederint vinculum illud, quod intercedit inter Episcopum & Ecclesiam, coæquandi vinculo matrimonii inter conjuges intercedenti, prout in Decretalibus sequentium Pontificum ac notanter Innocentii III. hæc coæquatio sæpius occurrit, qui & inde concludit vinculum hujus matrimonii spiritualis inter Episcopum & Ecclesiam *solius* Romani Pontificis auctoritate, tanquam *vices Dei in terris gerentis* solvendum, uti infra in nota ad num. 18. ostenditur.

Verum quidem est, sub gravissimis pœnis jam pridem per sacros Canones, ac notanter Sardicenses, vitium fuisse Episcopis, Ecclesiam, cui erant in sua ordinatione adscripti, deserere, & ad aliam transire (uti in textu ostensum est) sed hanc suam indignationem contra has de una ad aliam Ecclesiam transitiones, non fundant Patres in violatione vinculi spiritualis matrimonii inter Episcopum & Ecclesiam, sed in *avaritia & ambitione*, quæ solet Episcopos impellere ad transeundum de una ad aliam Ecclesiam.

Ad Numeros XII. & XIII.

Translatio de uno Episcopatu ad alte-

Ex actis contra Formosum ob ejus ab Ecclesia Portuensi ad Romanam transitum; nec non ex verbis Joan. IX. sive Concilii Romani (de quibus in textu) intelligitur, quod illis temporibus non

dubi

vum in Ecclesia Romana. dubitaretur, quin Ecclesia Romana, non minus quam reliquæ Ecclesiæ Conciliorum Canonibus & Decretis disciplinam Ecclesiasticam concernentibus adstringeretur.

Insuper ex his, quæ in eo Concilio Decreta fuerunt ad cautelam ne exemplum *Formosi* in consequentiam traheretur, evincitur quam periculosum sit, & exemplo perniciosum obtentu necessitatis & dispensationis à regulis Ecclesiasticis semel recedere. Quandoquidem nec obstante toties iteratâ prohibitione & nominatim appositâ cautione, nihilominus exemplo *Formosi*, prætextu necessitatis & utilitatis Ecclesiæ, sensim translationes contra sacros Canones in Ecclesiâ Romanâ adeo invaluisse conspiciamus, ut à pluribus sæculis vix ullum in Episcopum Romanum assumptum legamus, qui prius alterius Ecclesiæ Episcopus non fuerit ordinatus, atque ita de unâ ad aliam Ecclesiam transferri non debuerit.

Ad Numerum XVI.

Auctoritas transferendi Episcopum. Ex Epistola Eugenii III. Episcopos Germaniæ datâ, occasione electionis Guicmanni Cuensis Episcopi in Archiepiscopum Magdeburgensem, colligitur quod etiam sub medium sæculi XII. auctoritas transferendi Episcopum de una Ecclesia ad aliam nondum esset generatim Sedi Apostolicæ reservata: licet enim Pontifex in hac Epistola acerrimè redarguat Episcopos, qui huic electioni consensum præbuerant, ipsámque electionem improbet; ne verbo tamen conqueritur, quod Guicmannus sine auctoritate Sedis Apostolicæ de Cuensi Ecclesia ad Magdeburgensem translatus sit; sed duntaxat conqueritur, quod in hac electione " *solius Principis favor exspectetur*, & nec „inspectâ necessitate illius Ecclesiæ, nec consideratâ utilitate personæ, *Clero nolente*, imò, ut „dicitur, ex *parte maxima reclamante*, in Magdeburgensi Ecclesia eum dicant supplantandum.

Ut proinde ex hisce non obscurum sit, quod Eugenio minime displicuisset electio Guicmanni Cuensis Episcopi in Archiepiscopum Magdeburgensem, si modo necessitas Ecclesiæ, vel utilitas personæ in hac electione considerata fuisset; & concors fuisset Cleri & plebis in hac electione consensus.

Insuper ex hac Epistola Eugenii & aliis plurimis veterum translationum formulis habetur, quod eadem formâ eodémque ritu electio per Clerum & populum perageretur, sive in Episcopum Ecclesiæ vacantis eligeretur aliquis jam Episcopus consecratus, & alteri particulari Ecclesiæ præpositus, sive eligeretur simplex Presbyter aut Diaconus: quódque ipsa electio & electus pariformiter utroque casu à Metropolitano ejúsque Suffraganeis examinarentur, & discuterentur, hac duntaxat interveniente differentia, quod dum transferendo Episcopo de una Ecclesia ad aliam ageretur, per Metropolitanum & Episcopos Suffraganeos, non tantum ipsa forma electionis & qualitates ipsius electi essent discutiendæ, sed insuper expendendum esset, num causa subesset sufficiens & legitima, ut Episcopus de Ecclesia, cui per ordinationem erat adscriptus, ad vacantem Ecclesiam, ad quam erat electus transferri deberet.

Quod igitur hodie Episcopus uni Ecclesiæ alligatus, non possit per communem formam electionis ad aliam Ecclesiam eligi, sed in ejus electione procedendum sit per viam *postulationis*, recentioris est disciplinæ, neque in Decreto Gratiani aut sanctis Canonibus specialis hæc postulationis forma occurrit; imò nec ante Innocentium III. forma *postulationis* à communi forma electionis distincta, nota fuisse videtur; neque sub titulo Decretalium *De postulatione Episcopi* ulla de hac forma legitur Decretalis antiquior Decretali hujus Pontificis. Unde nec illud olim obtinuisse legitur, ut per electionem, ipsiúsque electionis acceptationem jus aliquod acquiratur electo ad Prælaturam; secus verò per postulationem, licet per postulatum acceptatam, nisi prius hæc à Romano Pontifice fuerit probata.

Ad Numerum XVIII.

In textu notavimus Ludovicum Thomassinum in suo opere de Disciplina Ecclesiæ, existimare quod Innocentius III. dum asseruit in *cap.* 2. 3. & 4. *x. de Translat. Episcopi*, quod *cessio, depositio & translatio Episcoporum, non auctoritate humanâ*, SED INSTITUTIONE DIVINA *Romano Pontifici esset reservata*, aliud noluerit dicere, nisi quod hæc essent Romano Pontifici *jure Divino* reservata; quatenus scilicet Primatûs jure Divino collati Petro, & ejus successoribus quædam appendix est „Jus illud cognoscendi de *causis majoribus;* atque *Episcopos* rationem habuisse hujus Primatûs *cum causas majores*, inter quas est „translatio Episcoporum ad Sedem Apostolicam „referendas sanxerunt. *Dissolutio vinculi spiritualis inter Episcopum & Ecclesiam*

Verum ex hac Thomassini interpretatione sequeretur auctoritatem cognoscendi de causis majoribus & transferendi Episcopos, non tam ex institutione *Divina*, quam ex positivo & humano Episcoporum constituto esse Romano Pontifici reservatam, tametsi Episcopi in hoc constituto aliquam rationem *Primatûs* habuisse viderentur.

Sanè, si verba Innocentii III. nec non argumenta attendantur, quibus hæc tria *cessio, translatio*, & *depositio Episcoporum* Romano Pontifici, *non humanâ auctoritate*, sed *Divinâ institutione* docet reservata, nequaquam abscurum est, hunc Pontificem voluisse & existimâsse, quod hæc tria essent *speciali* Christi privilegio & institutione Romano Pontifici reservata, idque independenter ab omni Episcoporum positivo constituto. Imprimis enim pro fundamento suæ assertionis supponit in *Capitulo* 2. quod fortius sit spirituale vinculum matrimonii, quod dicitur intercedere inter Episcopum & Ecclesiam, quam *carnale* inter conjuges.

Hinc ulteriùs concludit, dubitari non debere, „quin omnipotens Deus spirituale conjugium, „quod est inter Episcopum & Ecclesiam, *suo tantum judicio reservaverit dissolvendum*, qui dis„solutionem etiam carnalis conjugii, quod est „inter virum & fœminam suo *tantum* judicio re„servaverit, præcipiens, ut *quos Deus conjunxit*, „homo non separet.

Similiter in *cap.* 3. tractans idem argumentum redarguénsque Episcopum Hildesemensem, quod relictâ hâc Ecclesiâ sine auctoritate Romani Pontificis transiisset ad Herbipolensem Ecclesiam ait: "Non satis attendens, quod Veritas in „Evangelio protestetur, *quos Deus conjunxit, homo non separet*, evidenter verba illa Christi ap„plicans vinculo spiritualis matrimonii inter E„piscopum & Ecclesiam.

Ex his habetur Innocentium credidisse, quod Deus sibi reservaverit dissolutionem *spiritualis* conjugii, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, eo modo, quod sibi reservavit dissolutionem carnalis conjugii.

Hoc

Hoc & evincit consequentia, quam inde format: immediatè enim subjungit, & concludit: „Non enim humanâ, sed *potius* Divinâ potestate „conjugium dissolvitur, cum per *translationem*, „*depositionem aut cessionem* auctoritate Romani „Pontificis, quem constat esse Vicarium JEsu „Christi, Episcopus ab Ecclesia removeatur. Si„ve ut loquitur in *cap.* 3. Non enim homo, sed „*Deus* separat, quos Romanus Pontifex [*qui non* „*puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris*] „*Ecclesiarum necessitate vel utilitate pensatâ, non* „*humanâ, sed* DIVINA *potius auctoritate dis*„*solvit*.

An non eodem argumento concludendum fuisset Romanum Pontificem posse dissolvere vinculum matrimonii *Carnalis* dicendo, quod dum illud dissolvit, non *homo*, sed *Deus* dissolvat: Certum enim est, quòd Deus suâ auctoritate matrimonium carnale, etiam consummatum dissolvere possit.

Quod autem dicit, *Romanum Pontificem non* PURI *hominis, sed* VERI DEI *vicem gerere in terris*, nequaquam hoc sensu sine blasphemia intelligi potest, quasi Romanus Pontifex aliquid in se Divinitatis haberet, sed duntaxat, quòd tanquam Minister & Vicarius Christi constitutus sit, ad regendam Ecclesiam Dei, quodque hâc auctoritate à Christo sibi concessâ, sit dispensator mysteriorum Dei: quod & indubiè de Episcopis & Ecclesiæ Pastoribus, *quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, eâdem ratione affirmari potest, possunt & ipsi, dum peccatores ligant, aut solvunt, dicere, quòd ligent & solvant, non *humanâ*, sed *Dei* auctoritate, & tanquam vicem Christi in dispensatione mysteriorum Dei & usu clavium gerentes.

Quod autem dicit Innocentius in citato *cap.* 3. *quòd potestatem transferendi Pontifices, ita sibi retinuerit Dominus & Magister, quod* SOLI *Petro Vicario suo, & per ipsum successoribus suis* SPECIALI *privilegio tribuit & concessit*, evidenter repugnat praxi & disciplinæ Ecclesiæ, quæ à temporibus Apostolorum per decem, ut minus sæcula, constanter perseveravit, quæ translationem Episcoporum de una ad aliam Ecclesiam Synodis Provincialibus attribuit.

Quod in probationem sui asserti subjungit Innocentius: *Sicut testatur* ANTIQUITAS, *cui Decreta Patrum sanxerunt reverentiam exhibendam, & evidenter cesserunt sacrorum Canonum sanctiones*, refertur indubiè ad Decretalem *Anteri* Papæ, cujus fragmentum refert Gratianus *Causa* 7. *q.* 1. *can.* 34. ac signanter cum hoc additamento: *Non tamen sine sacrosancta Romana Sedis auctoritate & licentiâ*.

Imprimis scitur, quòd tempore Innocentii III. Decretales à Pseudo-Isidoro primis Romanis Pontificibus affictæ, passim pro veris & genuinis illorum Pontificum Epistolis reputarentur, præsertim postquam in Decretum Gratiani erant relatæ: ea enim erat Gratiani auctoritas, ut, quidquid in Gratiani Decreto legebatur, pro authentico antiquitatis monumento reputaretur.

Quapropter videmus ab Innocentio III. aliisque ejus ætatis Pontificibus & Doctoribus scholasticis indistinctè in auctoritatem assumptum, quidquid à Gratiano referebatur.

Hujus itaque Decretalis authoritate, prout à Gratiano hoc additamento aucta referebatur, inductus verosimiliter fuit Innocentius, ut asserere non vereretur, ex *traditione Apostolica* descendere, quòd *soli* Petro, ejúsque successoribus *speciali* privilegio Dei reservata esset Episcoporum de una Ecclesia ad aliam translatio, sive dissolutio vinculi spiritualis, quo Episcopus suæ Ecclesiæ alligatur.

Porrò hodie eruditis passim notum est, dictam Decretalem Antero Papæ à Pseudo-Isidoro esse falso suppositam.

Unde huic Decretali hanc notam marginalem apponit Philippus Labbæus: *Suspecta pariter viris doctis vel ex unius Hieronymi segmentis*. Monent insuper Correctores Romani [uti num. 16. notatum fuit] verba hæc, *auctoritate hujus sanctæ Sedis*, non legi in Epistola Anteri, neque in Panormia, neque apud Burchardum, vel Ivonem: qui & observant, idem esse de verbis illis prope finem Canonis, *non tamen sine sacrosanctæ Sedis auctoritate & licentiâ*.

Hæc sane Anteri Decretalis, prout per Pseudo-Isidorum sæculo circiter VIII. supposita fuit huic Pontifici, refertur ex collectione Isidori tom. 1. Conciliorum, idque sine additamento illo de auctoritate Romani Pontificis in translatione Episcoporum. Argumentum evidens, eâ ætate nequaquam creditum fuisse, in hac translationem licentiam vel auctoritatem, nequaquam fuisset prætermissum; quin vel ex supposititia Decretali haud obscurum est, eâ ætate auctoritatem transferendi Episcopos de una Ecclesia ad aliam adhuc integram fuisse penes Synodos Provinciales, quandoquidem apertis verbis hæc Decretalis, uti ab Isidoro Antero supposita est, eam auctoritatem Episcopis attribuat, ita enim legitur: *Nam, sicut Episcopi regulariter habent ordinare Episcopos, & reliquos Sacerdotes, sic quoties utilitas, aut necessitas exegerit, supra dicto modo & mutare, & inthronizare potestatem habent.*

Ad hæc quod Innocentius III. in sua Decretali, quasi pro fundamento suæ assertionis assumit, vinculum matrimonii spiritualis, quod intercedit inter Episcopum & Ecclesiam, esse *fortius* vinculo matrimonii carnalis inter virum & uxorem, à nemine ante Innocentium dictum fuisse legitur, uti nec illud, quod hic Pontifex dixit in allegato Capitulo 4. de *Translatione Episcoporum*: " Fœdus spiritualis conjugii, quod est „inter Episcopum & Ecclesiam, quod in *electio*„*ne initiatum, ratum in confirmatione, & in con*„*secratione intelligatur consummatum*; illáque ex falsis Decretalibus in Decretum Gratiani relatis deducta & desumpta, supra ostensum est.

Nequaquam proinde mirum asserere virum clarissimum Guillelmum Barclaium in Tractatu de Potestate Papæ *cap.* 28. " Nullum esse in jure „Pontificio locum *verbis* quidem *planiorem* & „*apertiorem*, *intellectu* autem difficiliorem: adeo „ut [ait] in eo explicando interpretum omnia in„genia concidant: nam quid magis intelligenter, „planè & perspicuè dici potest, quàm non *homi*„*nem*, sed Deum separare, quos Romanus Ponti„fex separat, seu dissolvit: aut cui magis conse„quens, quam hoc illi: Romanum *ergo* Pontifi„cem posse dissolvere matrimonium *inter conju*„*ges carnali copula consummatum*, quâ conclu„sione tamen nihil falsius, ac proinde illud, ex „quo sequitur, falsum esse fatendum est, quemad„modum sequi falsum ex vero nunquam potest.

Insuper ibidem non sine fundamento observavit Barclaius, quòd pleriq; Canonistæ nudis verbis Decretalium inhærentes, hisce Innocentii III. Decretalibus abrepti, Romanis Pontificibus non

huma-

humanam duntaxat, sed quasi Divinam tribuerint auctoritatem: relatis enim prædictis Decretalibus, de similibus Canonistis subjungit: "Hæc „illa sunt, quibus homines isti in præcipitem er„rorem deferuntur, ut *quidquid à Papa fiat, à* „*Deo factum esse putent.*

Quidni hisce & similibus Decretalibus adscribenda est ista quorundam imperitorum Canonistarum perversa opinio, de qua Cardinalis Contarenus in epistola ad Paulum III. "Voluntatem „Pontificis regulam quandam esse, quâ ejus acti„ones dirigantur: neque in jure positivo consti„tuendo, aut abrogando, aut dispensando regu„lam quampiam Pontifici esse constitutam.

Et sane vix credibile est, quod jurisperiti illi hanc impiam propositionem proponere ausi fuissent, nisi in Pontifice aliquid supra humanam potestatem agnovissent, verbis illis Innocentii III. forsan abrepti, quibus asserit Pontificem in dissolvendo matrimonii spiritualis, *non* PURI *hominis, sed* VERI *Dei vices gerere:* nam, uti rectè advertit Contarenus: *Hæc propositio non tantum adeo falsa, adeo repugnans sensui communi, adeo est contraria Doctrinæ Christianæ, adeo depravat universi Christiani populi gubernationem, ut nihil* PERNICIOSIUS *inveniri potuerit; sed insuper* [ait] *Idololatriam sapit cui namque* [pergit Contarenus] CREATURÆ *hoc attribui potest, quod actionum suarum* VOLUNTAS *ejus sit regula: an hoc non proprium sit* SOLIUS DEI?

TITULUS XVI.

De Cura Episcopali.

CAPUT I.

Ad Numerum III.

Auctoritas regendi Ecclesiam omnibus Apostolis data.

Ex verbis Evangelii in textu relatis manifestum est Christum omnes Apostolos misisse in mundum universum ad prædicandum Evangelium omni creaturæ, idque cum pari auctoritate, neque uni præ alio majorem dedisse auctoritatem in hac missione, sed quod omnes & singuli ex æquo cum ea missi fuerint potestate, quâ ipse ut homo missus fuerat à Patre: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.*

Scitur quidem Christum nonnunquam singulariter ad Petrum verba direxisse, dum de potestate *clavium*, nec non de pastura spirituali agebatur, sed & hoc annotatum jam pridem fuit à sanctis Patribus, dicta ad Petrum, Ecclesiæ sive toti Collegio Apostolorum eam repræsentanti in in persona Petri dicta fuisse.

Apud Gratianum *Caus.* 24. *q.* 1. *Can.* 17. Id annotatum occurrit ex S. Cypriano: "Loquitur „Dominus ad Petrum, ego dico tibi, inquit, *Tu* „*es Petrus, & super istam petram ædificabo Eccle*„*siam meam,* super unum ædificat Ecclesiam: & „quamvis Apostolis *omnibus* post resurrectio„nem suam *parem* potestatem tribuat, & dicat: „*Sicut misit me Pater, ego mitto vos: Accipite Spi*„*ritum sanctum:* tamen, ut *unitatem* manifestaret „*unitatis* ejusdem originem ab uno incipientem „auctoritate suâ disposuit. Hoc erant utique & „cæteri Apostoli, quod fuit & Petrus *pari consor*„*tio præditi honoris, & potestatis.* Sed exordium „ab unitate proficiscitur: ut Ecclesia una mon„stretur.

Idipsum notavit S. Hieronymus *lib.* 1. *contra Jovinianum* circa medium: "At dices, supra Pe„trum fundatur Ecclesia, licet idipsum alio loco „super *omnes* Apostolos fiat, & *cuncti* claves Re„gni Cœlorum accipiant, & ex æquo super eos „Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea „inter duodecim *unus* eligitur, ut *capite* consti„tuto schismatis tollatur occasio.

His consonat Sanct. Augustinus *lib. de Agone Christiano c.* 30. "Non enim (ait) sine causa inter „omnes Apostolos hujus Ecclesiæ Catholicæ per„sonam sustinet Petrus. *Huic enim* (Ecclesiæ) „claves Regni Cœlorum datæ sunt, cum Petro „datæ sunt, & cum ei dicitur, *ad* OMNES *dici*„*tur, Amas me? Pasces oves meas.*

Et rursus apud Gratianum *Caus.* 24. *q.* 1. *Can.* 6. ex tractatu ejusdem Doctoris in Joannem hæc leguntur: "Quodcunque ligaveris super terram, „erit ligatum & in cœlis. Si hoc Petro tantum „dictum est, non hoc facit Ecclesia...... Si ergo „hoc in Ecclesia fit, Petrus quando claves acce„pit, Ecclesiam sanctam repræsentavit.

Itaque tametsi Christus subinde verba direxerit ad solum Petrum, hæc nihilominus ad totum Apostolorum Collegium, sive *omnes* Apostolos, quorum personam gerebat Petrus, directa fuisse, censuère patres.

Et quidem adeo constans erat hæc opinio de data *ex æquo* auctoritate omnibus Apostolis annuntiandi Evangelium & regendi Ecclesiam sæculo VIII. ut etiam eam de data ex æquo auctoritate opinionem ipse Pseudo-Isidorus expresserit in Decretali Anacleto Papæ supposita; cujus fragmentum refert Gratianus *Dist.* 21. *Can.* 3. *In novo.*

Post relata enim verba Christi, quibus Petro claves Regni Cœlorum, & super eum Ecclesiam se fundaturum promisit, concludit: "Hic ergo „solvendi, ligandique potestatem primus acce„pit à Domino, primusque ad fidem populum „suæ prædicationis unitate adduxit, verboque in„stituit. *Cæteri vero Apostoli* [ait] *cum* EODEM „PARI *consortio honorem & potestatem accepe*„*runt.*

Scio Glossographum ad hunc Canonem, verbo, *pari*, uti & ad Canonem LOQUITUR *Caus.* 24. *q.* 1. hoc appendisse glossema: "Argumentū, „quòd omnis Episcopus sit *par* Apostolico, quan„tum ad *ordinem*, & rationem *consecrationis.* „*Petrus enim major* fuit aliis in administratione.

Verùm, quàm ineptum sit hoc glossema, evincunt verba Christi, quibus Apostolis omnibus Ecclesiam commendavit, eósque pari cum potestate misit, utpote, quæ evidenter de ipsius Ecclesiæ regimine & administratione loquuntur; ac ita evincunt, à Christo datam esse plenariam potestatem Ecclesiam instituendi & gubernandi, omniaque ad ejus debitum regimen necessaria ordinandi, tanquam fideles dispensatores mysteriorum Dei, & ministri ac boni Pastores, quàm eâdem potestate, quâ ipse missus fuerat à patre: quo sensu & textus à Gratiano relati potestatem ex *æquo* datam supponunt.

Id ipsum notavit Cardinalis Cajetanus in tractatu de auctoritate Papæ & Conciliorum, *cap.* 3. Post relata enim Christi verba, quibus misit Apostolos,

stolos, & propagationem, ac regimen Ecclesiæ ipsis commisit, atque ex his conclusit, Apostolos pari auctoritate à Christo fuisse missos, ulterius ita statuit: "Ex his facile est videre, quòd Aposto-„li, in quantum Apostoli habuerint non solum „potestatem *ordinis*, sed jurisdictionis, auctori-„tas enim gubernandi Ecclesiam, quæ est Aposto-„latui *propria*, sine *jurisdictionis* potestate nõ est.

Fatetur igitur Cajetanus, quòd, sicut ipse Apostolatus æqualis fuit omnibus Apostolis, ita potestas gubernandi Ecclesiam in omnibus fuerit æqualis: utpote quæ est *Apostolatui propria*, eaque non tantum *ordinis*, sed & *jurisdictionis*, quia sine hac potestas gubernandi Ecclesiam non est.

Hæc tamen inter Apostolos æqualitas nullatenus Petri tollit Primatum. Evidens enim est, inter plures in regimine & auctoritate pares & æquales, unum esse posse primum, & primatum etiam cum quibusdam prærogativis obtinere; ut proinde ex æqualitate potestatis ac jurisdictionis, quam inter Apostolos agnoscunt sancti Patres, nihil concludi queat contra Primatum Petri.

Ad Numerum VII.

Omnibus Episcopis ut Apostolorum successoribus plenaria gubernandi Ecclesiam auctoritas competit.

In textu notavimus, Episcopos in ordinaria potestate & auctoritate gubernandi Ecclesiam successisse Apostolis, & quidem omnibus in *communi* sive Apostolorum Collegio.

Ex his consequens est, omnes Episcopos ex sua institutione præveniendo omne jus positivum esse in potestate & auctoritate gubernandi Ecclesiam æquales; non tantum quoad ea, quæ ordinis sunt, sed & quæ jurisdictionis sunt, in quantum hæc ad salutem populi & rectum spirituale Ecclesiæ regimen spectant.

Certum quippe est successorem in jura sui prædecessoris succedere, nisi ostendatur hæc in successore restricta esse vel excepta aut legitimè alterata.

Itaque sicut Apostoli cum plenaria ex *æquo* potestate ad propagandam & gubernandam Ecclesiam missi fuerunt, uti ad *num.* 3. probatum est, ita in eandem *plenariam* potestatem & auctoritatem Episcopi præveniendo omne jus positivum ex *æquo* Apostolis succedere dicendi sunt.

Hanc consequentiam novit S. Hieronymus in Epistola ad Evagrium relata apud Gratianum *dist.* 93. *can. Legimus*, æqualitatem Episcoporum maximarum & minimarum civitatum ex hac successione adstruens: "Ubicunque fuerit „Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Con-„stantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive „Tanis, ejusdem meriti, ejusdem est & Sacerdo-„tii. Potentia divitiarum, & paupertatis humi-„litas vel sublimiorem vel humiliorem non facit „Episcopum.

Hujus æqualitatis rationem dein subdit: *Cæterum omnes successores Apostolorum sunt*, quasi diceret, cum omnes æqualiter Apostolis succedant in communi, etiam ejusdem reputandi sunt *meriti & Sacerdotii.*

Cui conforme est illud S. Cypriani apud Gratianum *Caus.* 24. *q.* 1. *Can.* 16. "Nemo frater-„nitatem fallat, nemo fidei veritatem perfidâ præ-„varicatione corrumpat, Episcopatus *unus* est, „cujus à singulis pars in solidum tenetur.

Et rursus in Synodo Carthaginensi super quæstione de validitate aut invaliditate Baptismi collati per hæreticos, ad Episcopos dicere non dubitavit: *Quòd habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non possit, cum nec ipse possit alterum judicare, sed exspectemus universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus & solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ sua gubernatione, & de actu nostro judicandi.*

Itaque non dubium, quin præveniendo jus positivum, singuli Episcopi habeant plenam auctoritatem statuendi, & agendi omnia, quæ ad populi sibi commissi salutem & rectam ministrorum instructionem judicaverint necessaria, quodque habeat omnis Episcopus suæ potestatis liberum arbitrium, neque ab altero judicari queat, nisi à definitis & decretis Ecclesiæ recedere reperiatur.

Quin & hæc plena auctoritas penes Episcopos septem, ut minus sæculis mansisse videtur; at dum subsequentibus sæculis præsertim post invectas & receptas falsas decretales, multa sensim Pontifici Romano reservari cœperunt; uti in decursu hujus operis sæpius notatum est.

CAPUT II.

Ad Numerum I.

Quâ ratione Pontifex & Episcopi dicantur capita Ecclesiæ.

IN textu probatum est, Apostolos & Episcopos eorum successores, & generatim omnes Pastores positos tanquam operarios & coadjutores in ministerium Evangelii.

Verum & hoc notandum, ipsos duntaxat à Christo positos, ut *meros* ministros, qui per actus hierarchicos & externos applicent & impendant hominibus ea, per quæ Christus voluit *spiritum* suum & interiorem influxum gratiæ suæ largiri; uti sunt divini verbi prædicatio, Sacramentorum administratio, aliáque similia.

At verò interiorem illum influxum sui Spiritûs & gratiæ Christus nulli homini aut puræ creaturæ in anima operandi potestatem communicavit, sed eam sibi soli servavit: hinc illud Apostoli: *neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

Igitur nec Episcopi, nec Pastores dici possunt Vicarii Christi vel ejus vicem in terra gerentes, quantum ad hunc interiorem & spiritualem influxum, sed duntaxat quoad externam Ecclesiæ gubernationem, & sensibilem ac simplicem applicationem eorum, per quæ interiorem eum gratiæ & Spiritûs sancti influxum Christus applicare, & communicare voluit.

Unde propriè loquendo nullus ministrorum Ecclesiæ, etiam Romanus Pontifex dici potest dare verum influxum *interiorem*; sed hic influxus soli Christo, tanquam unico & propriè dicto capiti essentiali suæ Ecclesiæ competit, per quem etiam, tanquam Caput, omnia ejus membra vitam & motum interiorem gratiæ accipere debent.

Proinde impropriè & æquivocè tantum influxus hic Pontifici aut Episcopis tribui potest; quatenus scilicet extrinsecè per ministeria externa sive actus sensibiles & hierarchicos mysteria Christi dispensant.

Inde & habetur, quòd Episcopi, quin & Romanus Pontifex, non nisi impropriè dici queant *Caput* Ecclesiæ; sed solus Christus *Caput* Ecclesiæ dicendus sit: utpote, qui solus in membra influit, ac per interiorem spiritum motum vitalem tribuit, & sine cujus continuo influxu membra motum,

motum & vitam spiritualem amittunt, atque arescunt.

Verùm quemadmodum Episcopi & Pastores dicuntur nonnunquam influere, in quantum per actus hierarchicos externos applicant ea, quibus Christus influxum hunc gratiæ suæ interioris; & sui etiam Sacerdotii communicationem annexuit, ita quoque *capita* ministerialia suarum respectivè Ecclesiarum Episcopi tanquam primi ministri, & Pontifex Romanus, utpote primus inter omnes, totius Ecclesiæ *caput ministeriale* appellari potest.

Id jam pridem notavit Gabriël Biel accuratè explicans, quâ ratione Romanus Pontifex dici queat influere in corpus Ecclesiæ, aut ejus *caput* nuncupari, *Lectione 23 in Canonem Missæ Lit. N.* dicens: "Præterea Christus est caput Ecclesiæ „*principale & primarium*, in se omnia dona & „gratiarum charismata continens & propriâ vir„tute & auctoritate membra vivificans, ac motum „& sensus spirituales influens. Papa verò caput „est Ecclesiæ *secundarium* & Vicarium, nonnun„quam virtutis gratiæ vacuum: neque enim ipse „*influit vitam* spiritualem in membra, neque „enim ipse dat membris sensum & motum, nisi „ut minister & Vicarius Christi, propter quod di„cit Apostolus 2. Corinth. 5. *pro Christo legatio„ne fungimur tanquam Deo exhortante per nos.* „Adde & illud prioris ad Corinth. 3. *neque qui „plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui in„crementum dat Deus.*

Et Petrus Alliacensis Cardinalis & Episcopus Cameracensis in tractatu de Ecclesiæ auctoritate, *part. 1. cap. 1.* notavit, quòd, licèt Christus " so„lus & *propriè* sit & maximè *Caput Ecclesiæ*, ta„men nihilominus Petrus & quilibet ejus succes„sor Vicarius Pontifex summus, potuit dici *caput* „Ecclesiæ, in quantum est *principalis inter mini„stros.*

Hinc ulteriùs *part. 3. cap. 4.* concludit: „quòd, quamvis Papa concedatur *caput* Eccle„siæ, tamen hoc est sub principali & essentiali „capite Christo, & ideo subordinatio corporis „Ecclesiæ ad Papam est solùm *accidentalis*, sed „essentialis ad Christum.

Et Synodus Basileensis in responsione Synodali editâ anno 1432. (quæ incipit *Cogitanti*, & integra habetur tom. 12. Concil. general. Col. 673.) asserit: quòd sit *principalis Prælatus*, corporis mystici & propterea sit nihilominus intra corpus: " Nam, si esset extra corpus tunc non „pertineret ad corpus, nec tunc caput esset. Cor„pus igitur hoc totum continet, & ipsum, quod „dicitur *Caput* & singula membra.

Cùm ergo Romanus Pontifex non nisi caput Ecclesiæ ministeriale dici & reputari queat, tanquam primus minister & principalis Prælatus, neque dici queat propriè influere in corpus Ecclesiæ, ei motum, aut vitam spiritualem subministrando, consequens est non posse duci similitudinem à capite *naturali* respectu corporis humani, ad caput ministeriale, quale est Papa respectu Ecclesiæ: neque prætendi posse, integritatem Corporis Christi mystici dependere ab incolumitate hujus *Capitis*, quemadmodum à capite naturali dependet incolumitas corporis humani.

Idipsum jam pridem notavit Joannes Gersonius art. 11. inter articulos contra Petrum de Luna: "Respondeo (ait) quòd similitudo corporis „veri & mystici non est usquequaque eadem, „quoniam sine capite naturali corpus non potest „vivere, sed sine capite *secundario* corpus mysti„cum potest habere vitam, sicut in casu nostro „patet de Papa, quo remoto, vel abscisso stat uni„tas & vita in corpore mystico Ecclesiæ, & hoc ist „*virtute Capitis essentialis & primi*, quod est „Christus.

His & consentit Bellarminus *lib. 2.* de Concil. auctoritate *c. 19.* "In corporibus naturalibus am„putato capite totum corpus moritur, at Corpus Ecclesiæ non moritur, moriente Papâ.

Unde mortuo Papâ manet *una sancta Catholica & Apostolica Ecclesia*, & ut talem publicè per symboli recitationem, etiam nullo existente Romano Pontifice, confitemur.

CAPUT III.
Ad Numerum IV.

IN textu notatum est, etiam tempore Apostolorum, inter Apostolos & Episcopos, quosdam fuisse certæ Ecclesiæ alligatos quosdam verò nulli particulari adscriptos, prout id convenientiùs videbatur. At post tempora Apostolorum vitandæ confusionis causâ singulis pastoribus certam gregis portionem adscriptam fuisse, insuper in textu notatum, quam regat unusquisque & gubernet. *Solicitudo Episcopalis ad omnes Ecclesias se extendit.*

Porrò, quemadmodum hæc ad certam Ecclesiam adscriptio nullam inter Apostolos essentialem differentiam induxit, ita nec inter Episcopos de eorum auctoritate & missione ad gubernandam Ecclesiam quidquam diminuit.

Unde, quemadmodum Apostoli omnes vi suæ missionis, quam à Christo acceperant, Evangelium annuntiare debeant per mundum universum; ita quoque Episcopi eorum successores non obstante hâc ad certam Ecclesiam adscriptione vocati censentur ad impendendam curam pastoralem omnibus fidelibus, & annuntiandum Evangelium omni creaturæ, dum necessitas, aut salus proximi id exigit.

Quidni igitur pari ratione ex mente Ecclesiæ esse dicamus, omnem restrictionem Episcopalis solicitudinis jure positivo inductam, debere cessare dum necessitas Ecclesiæ, aut charitas proximi eam restrictionem non patitur, sed auctoritatem Episcopalem, & plenitudinem sacerdotii in ordinatione acceptam ad alias Ecclesias extendi postulat?

Omnis enim Episcopalium Diœcesium, non secus ac parochiarum divisio, & ad certos terminos restrictio, ex lege positiva dimanat, quæ legi necessitatis & charitatis cedit.

Quid igitur si noverit Episcopus Ecclesiam aliquam ministris necessariis & Catholicis destitutam videns, neque huic populo esse proprium Episcopum, qui presbyteros & necessarios ministros ordinet? Quidni, inquam, poterit, imò tenetur, urgente Ecclesiæ hujus necessitate Episcopalem suam auctoritatem & solicitudinem ad eam Ecclesiam seu populum extendere, ei necessarios ministros ordinando? Quemadmodum parochus ob defectum proprii parochi vel presbyteri potest, quin & tenetur ultra limites propriæ parochiæ curam pastoralem alteri populo impendere.

De hac mente Ecclesiæ indubiè persuasus erat S. Epiphanius, de quo legimus apud S. Hieronymum Epist. 60. "Quòd enim aliquando esset in „Diœcesi Hierosolymorum, in monasterio Be„thelemitico, Diaconum *ordinaverit* quemdam, „& postea presbyterum, illiusque monasterii in „spiritualibus fermè destituit, curam gesserit non „exiguam, illudque egregiè instituerit & instru„xerit.

Hoc Epiphanii facto offensus *Joannes Hierosolymorum Episcopus*, in ipsum Epiphanium excanduit, uti habetur ex literis S. Epiphanii, ad ipsum excanduisse Joannem, tametsi non diffiteatur *monasterium Bethlehemiticum*, cujus curam egerat, & cui Presbyterum ordinaverat extra suam Diœcesim & in Diœcesi Joannis Hierosolymorum Episcopi situm, Rationem notandum subjiciens: " Ob Dei timorem (ait) hoc sumus „facere compulsi, maximè, cùm nulla sit diversi„tas in Sacerdotio Dei, & ubi Ecclesiæ utilitati „providetur: Nam, etsi singuli Ecclesiarum Epi„scopi habeant sub se Ecclesiam, cui curam vi„dentur impendere; & nemo super alienam men„suram extenditur, tamen præponitur.

Ex his Epiphanii verbis habemus, ipsum existimâsse in sacerdotio Dei nullam esse diversitatem; atque ex Christi instituto nullis locis officium Episcopale sive sacerdotale concludi, atque ita, dictante charitate, quæ humanis legibus non adstringitur, singulos Episcopos posse etiam aliorum Ecclesiis curam impendere.

His consonat, quòd Alexander Episcopus Alexandrinus, ortâ hæresi Arianâ, scribit in epistola, quâ de hac hæresi in sua Diœcesi exurgente, certiores reddit cæteros Episcopos: " cùm (ait) „in sacris literis sit unum corpus Ecclesiæ Catho„licæ nobis traditum & præceptum, ut concor„diæ ac pacis vinculum firmum teneamus apud „Socratem *lib.* 1. *cap.* 3.

Hîc videmus, Alexandrum ad movendos Episcopos in debellationem hujus exorientis hæresis in sua Diœcesi Alexandrina, eo præcipuè fundamento ursisse, quòd singulis Episcopis, non tantùm singularum suarum Diœcesium, sed *unum corpus* Ecclesiæ *omnibus & singulis* traditum & præceptum esset.

Indubiè idipsum movit S. Cyprianum, ut non tantùm Ecclesiæ Carthaginensis (cujus erat Episcopus) curam egerit, sed & eam curam ad Romanam Ecclesiam, cæterasque etiam per Orientem Ecclesias extenderet.

De ipso namque ita scribit Gregorius Nazianzenus Orat. 19. in Cyprianum: " Non enim Ec„clesiæ Carthaginensium præsedit *soli* seu Afri„cæ, quæ ex illo, & per illum celebris in præsen„tem usque diem facta est, sed *Hesperiæ univer„sa*, imò *Orienti* ferè ipsi ad finem usque meri„dici septentrionis.

Notissimum est, qualiter sanctissimi Episcopi Athanasius, Basilius, Chrysostomus, aliique, universis Ecclesiis, ubi eas periclitari cernebant, vel forsan etiam à suis Episcopis negligi, vel erroribus, & hæresibus infici, succurrerint; quin & ubi inter Ecclesias dissidia contentionesque nata videbant, sese ut concordiæ & pacis arbitros ex suo pastorali officio impenderint.

Notabile est, quod de Hilario Pictaviensi & Eusebio Vercellensi scribit Theodoretus in sua historia *lib.* 5. *cap.* 4. " Ita dico, isti viri, velut „magnifica quædam lumina Illiricum, & Ita„liam, Galliasque suo splendore radiârunt.

Quidni & credamus, Eusebium Samosatensem Ecclesiæ hujus Episcopum, varios per *Syriam* & Mesopotamiã ordinâsse Episcopos Catholicos, uti testatur de ipso Theodoretus loco præfato *eadem charitate & necessitate urgente*, ut eas Ecclesias vel ab hæresi Ariana purgaret, vel præservaret.

Neque enim Theodoretus, aliusve ejus ætatis scriptor, vel delegationis alicujus Episcopi, vel ullius Synodi meminit, cujus auctoritate munitus Eusebius has ordinationes extra suam propriam Diœcesim, quin & Provinciam fecisset.

Omnes igitur hi, aliique vigilantissimi Episcopi persuasissimum sibi habeant, officiũ Episcopale ipsos obligare non tantùm ad laborandum pro una particulari Ecclesia, cui in sua ordinatione fuere adstricti, sed quòd hoc officium universæ Ecclesiæ deberent, ubi *necessitas vel charitas* id juxta leges Christianæ prudentiæ exigeret, quemadmodum eam extendit S. Eustathius Episcopus Antiochenus, uti scribit S. Chrysostomus in laudibus hujus Episcopi. " Hic edoctus probè fue„rat à S. Spiritûs gratia, Ecclesiæ Antistitem non „de illa solùm, quæ ipsi à S. Spiritu sit commis„sa, curam debere gerere; verùm etiam de *uni„versa*, quæ per orbem terrarum degit.

Ad Numerum V.

Quemadmodum à primis nascentis Ecclesiæ penè temporibus, singulis Episcopis certa Dominici gregis portio fuit assignata, quam unusquisque regat & gubernet, uti in textu notatum est, ita quoque Episcopo Romano certa portio, sive particularis Ecclesia, quam ipse tanquam ejus proprius Episcopus & pastor regat, & gubernet, assignata fuit. *Episcopo Romano sua est particularis Ecclesia.*

De Ecclesia Romana ita consideratâ, atque certis limitibus circumscriptâ, & uni Episcopo Romano tanquam proprio Pastori concreditâ, intelligitur illud Hieronymi in epist. ad Evagrium apud Gratianum *Dist*, 93. *Can.* 24. " Ubicun„que fuerit Episcopus, sive *Romæ*, sive Eugubii, „sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexan„driæ, sive Tanis, ejusdem meriti, ejusdem est & „Sacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis „humilitas vel sublimiorem vel inferiorem Epis„scopum non facit. Certum, omnes Apostolo„rum Successores sunt.

Quid manifestiùs, quàm Hieronymum hic considerâsse Pontificem Romanum, ut Episcopum Urbis Romanæ, eâque in qualitate cæteris Episcopis æqualem, sive ejusdem meriti, ejusdem & Sacerdotii reputâsse.

Et ante ipsum S. Irenæus Lugdunensium Episcopus scribens contra hæreses, ac probans Catholicæ doctrinæ veritatem ex Apostolica traditione in certis Ecclesiis per manus & successiones ab Apostolis illarum Fundatoribus accepta longum futurum nimis existimans, si vellet omnium Ecclesiarum numerare successiones: ex omnibus tamen Ecclesiis particularibus sumit tres dumtaxat, *maximam & antiquissimam & omnibus cognitam, illam, quæ à duobus Apostolis Petro & Paulo fuit fundata* ROMÆ. Deinde sumit *Smirnensem*, & *Ephesinam.*

Reputavit igitur Irenæus, Ecclesiam Romanam, ut Ecclesiam ab Apostolis fundatam, & antiquissimam, sed tamen tanquam unam particularem, & à reliquis distinctam.

Cùm igitur Episcopus Romanus, tametsi inter cæteros *Primus* & *Primatum* obtinens, semper ordinatus & reputatus fuit, tanquam Ecclesiæ Romanæ certis limitibus circumscriptæ proprius Episcopus & Pastor, etiam pluribus sæculis obtinuit, & religiosè servatum est, ut more cæterorum Episcoporum, non nisi è Presbyteris, aut Diaconis Ecclesiæ Romanæ tanquam ejus proprius Pastor eligeretur: uti etiam recenter notavit Joannes Garnerius in secunda appendice ad librum diur-

diurnum Romanorum Pontificum, una monens non reperiri, quod primis septem seculis, Episcopi Romani consecratio alio ritu fuerit peracta, quam aliorum Episcoporum: " Non aperte (in-„quit) constat, utrum in consecratione Pontificis „alius ritus servatus fuerit primis *septem* seculis, „quam qui servari solitus in consecratione alio-„rum Metropolitanorum, imo & Episcoporum: „additque, quod eâ tempestate non ex Episcopis „summi Pontifices fierent (id enim tentatum pri-„mo in Formoso) sed ex Diaconis ut plurimùm, „& presbyteris Ecclesiæ Romanæ, ut historia „pontificum docet.

Hinc & olim pontifices Romani adinstar aliorum Episcoporum, qui à sua particulari Ecclesia nomen mutuabant, etiam & ipsi à Romana Ecclesia tanquam à sua particulari Ecclesia dicti fuere *Urbis Romæ Episcopi.*

Ita Hieronymus quoties de Romano pontifice loquitur, eum Romanæ Ecclesiæ, aut simpliciter *Urbis* Episcopum vocat. Ita enim in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis loquens de epistolis Dionysii Corinthii ait: " Septima Dionysii epistola est „ad *Sotherem Episcopum eorum*: Evidenter signi-„ficans *Sotherem* esse Romanorum particularem „Episcopum. Et de Victore loquens: " Victor tertius decimus (ait) *Romæ Urbis Episcopus.* Et alios plures ibidem pontifices enumerans, ipsos Urbis *Romæ* Episcopos vocat.

Porro in quantum Ecclesia Romana consideratur ut particularis Ecclesia, eatenus quoque cum cæteris Ecclesiis particularibus per modum partis *integralis* constituit unam universalem Ecclesiam.

Quare ita considerata ipsa reputari nequit, nisi per modum partis *integrantis*, ipsum corpus, quod universalis Ecclesia dicitur? & ita à patribus fuit considerata.

Idipsum observavit Edmundus Richerius *lib.* 1. Historiæ Concil. *cap.* 13. ubi recolligens, quæ in historia octo primorum Conciliorum, Generalium sibi præ ceteris notanda videbantur, *num.* 1. versiculo 5. notandum duxit: " Novem primis „seculis quibus octo universalia Concilia habita „sunt, nunquam auditum, aut lectum *Romanam* „*Ecclesiam* alia notione aut significatione sump-„tam, quam pro *singulari*, aut particulari Ec-„clesia, atque membro primo Ecclesiæ universa-„lis.

Quapropter & legitur, quod Ecclesia Romana tanquam particularis Ecclesia suas habuerit particulares disciplinæ regulas, seu Canones, & Canonum codicem; nec non ritus & cæremonias, uti in hoc opere, & in Tractatu Historico Canonico in Canones non semel notatum est.

CAPUT IX.

Ad Numerum XXV.

De retentione particularium Breviariorum.

IN textu notatum fuit quod in Gallia plures Ecclesiæ suum particulare Breviarum retinendum censuerunt, tametsi Curia Romana frequenter, ac præsertim post Concilium Tridentinum institerit ut Breviarium Romanum ceteris particularibus Breviariis abjectis, in omnibus ubique Ecclesiis reciperetur.

V. Espen. Supplem. in jus Eccl.

Ita legitur circa annum 1581. Curiam Romanam fortiter institisse ut Ecclesia parisiensis, abjecto proprio ritu Divini officii, reciperet ritum Romanum, uti refertur inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap.* 31. *num.* 3. extatque ibidem resolutio Capituli parisiensis super retentione & reformatione *sui particularis* & antiqui Breviarii; ac unà subjunguntur rationes Theologorum parisiensium, quibus ostendebant nullatenus esse recipiendum ritum Romanum, abjecto, parisiensi; sed potius expedire ut unaquæque Diœcesis suum retineat ritum & particularia sua Breviaria.

Porro inter alia observant dicti Theologi, „quod sancti Patres tantâ sapientiâ & pruden-„dentiâ illustres, justis de causis, singulis Diœ-„cesibus singula concesserint & ordinaverint „Breviaria.

Præterea notant: Quod " reliqui Episcopi ha-„beant potestatem politiæ & ordinationis in suis „Diœcesibus, ut Romanus in sua. Hoc autem „bona ex parte convelleretur.

Et infra addunt: " Hi Episcopi in suis Diœ-„cesibus (si intelligant quod sunt) habent pote-„statem, orationis modum instituendi, sicut Pa-„pa in Romana Diœcesi & Ecclesia (hoc enim so-„nat & significat vocabulum *Pontifex Hebr.* „*cap.* 5. & 9.) alioquin fierent Papæ Capel-„lani.

Præterea observarunt, " quod ubi Deus Op-„timus Maximus dedit Sanctos, ibi quoque velit „per illos invocari à fidelibus populis, sicuti vo-„luit rogari à filiis Israël per Patres illorum Abra-„ham, Isaac & Jacob, hac de causa retinenda es-„se singularum Diœcesium particularia Breviaria „utpote quæ singularum quoque Diœcesium *San-*„*ctorum* officia continere consueverunt.

Non prætermittunt insuper liberè edicere, quod hæc particularium Breviariorum abrogatio, & in locum eorum Romani Breviarii inductio, non tam augmentum Religionis, quam Romanæ Curiæ amplificationem pro fine habeat: " „Quid enim (inquiunt) inde provenit, nisi Ro-„manæ non dico religionis, sed superbiæ & am-„bitionis auctio.

Hæc Theologorum resolutio integra exhibetur per Pythæos inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap.* 31. *num.* 11. Et ibidem *num.* 12. refertur Arrestum Parlamenti Parisiensis die 27. Feb. 1603. quo ad instantiam Procuratoris Regii cassatur ordinatio Episcopi Andegavensis, quâ voluit per suam Diœcesim recitari divinum officium juxta ritum Breviarii & Missalis Romani, abrogato antiquo ritu Ecclesiæ Andegavensis, & injunctum fuit eidem Episcopo; ne ullam circa ritum Ecclesiasticum immutationem aut innovationem induceret absque permissu Regis. Vide utrumque Monumentum in appendice sub lit. F. G.

TITULUS XVII.

De Visitatione Episcoporum.

CAPUT IV.

Ad Numerum XI.

De Ministris Regiis in visitatione Episcopis adjunctis.

IN textu notatum est, quòd jam Principes suam authoritatem Episcopis visitantibus adjungerent: ut scilicet ab ipsis statuta & ordinata promptiorem & efficaciorem haberent executionem.

Hanc in rem notandum Caroli Magni Decretum anni 789. directum ad Episcopos & Prælatos Ecclesiæ. In hoc Decreto in primis monet Episcopos & Prælatos, " ut vigili curâ & sedulâ „admonitione populū Dei ad pascua vitæ æternæ „ducere studeant, & errantes oves bonorum ope „rum exemplo seu adhortatione humeris intra „Ecclesiasticæ firmitatis muros reportare satagant, ne lupus insidians aliquem Canonicas „functiones transgredientem, vel paternas traditiones Universalium Conciliorum excedentem (quod absit), inveniens devoret.

Ut hoc faciliùs assequerentur, subjungit; " In „quo opere & studio sciat certissimè Sanctitas „Vestras, nostram vobis cooperari diligentiam, „quapropter & nostros ad vos direximus Missos, „qui & nostri nominis authoritate unà vobiscum „corrigerent, quæ corrigenda essent. Extat integrum apud Baluzium inter Capitularia Regum „Francorum tom. 1. *col.* 209.

TITULUS XVIII.

De Synodis Diœcesanis.

CAPUT I.

Ad Numerum VII. & seq.

Congregationes Pastorum & Archipresbyterorum cum suo Episcopo Synodorum vicem quodammodo supplentes.

EX decreto Concilii Tridentini aliisque in textu notatis manifestum est ex mente Concilii Tridentini esse, ut Synodo Diœcesanæ hi præ cæteris interveniant cum Episcopo, qui unà cum ipso curam animarum & regimen spirituale Ecclesiæ sustinent.

Nec mirum: quandoquidem in hisce Synodis & conventibus præcipuè de regimine animarum; & quæ ad illud spectant, tractandum sit: ut propterea Episcopi, quo tempore secundùm Canones unà cum suo Clero, cujus præcipua portio erant Presbyteri curam animarum sustinentes, negotia suarum Ecclesiarum absolvebant, in effectu Synodaliter regere & causas tractare & examinare dicerentur.

Unde si & hodie Episcopi Archipresbyteros & Parochos saltem annuatim convocarent, & cum illis, quæ ad curam animarum, & regimen spirituale suæ Diœcesis pertinent, sedulò investigarent, & quæ opportuna ex eorum relatione pro salute animarum, & recto regimine Ecclesiæ deprehenderent, in hoc Archipresbyterorum & Pastorum conventu observanda decernerent, non dubium, quin similes conventus vicem & effectum Synodi Diœcesanæ aliquatenus supplere possent.

Cùm autem hujusmodi Congregationes sine ulla penè difficultate per Episcopos indici queant, quin & in nonnullis Synodis Belgicis, ut habeantur, Episcopi excitentur (uti supra *titulo 6 cap* 4. notatum fuit) sat ostendunt Episcopi, has Congregationes negligentes, parum sibi curæ esse, ut exactam suarum Diœcesium notitiam, præcipuè eorum, quæ ad animarum curam pertinent, assequantur; quæque pro vitiis extirpandis, & virtutibus plantantandis convenienter essent statuenda & decernenda.

CAPUT IV.

Ad Numerum XVI.

Literæ Regiæ super impressione Synodorum.

LIteras Regias ad Episcopum Namurcensem, nec non ejusdem Civitatis Senatum super impressione Synodi, de quibus in textu, integras exhibet D. de Laury in sua Arrestorum collectione *Arresto* 122. ibidem adstruens, Synodos sive earum Decreta sine *placito Regio* non posse publicari: ne forsan inter hæc Decreta quidpiam contineretur, quod Principis jura, ejusque Vasallorum violaret, vel regimini politico in hisce Provinciis recepto & stabilito officeret.

TITU-

TITULUS XIX.

De Metropolitanis.

CAPUT I.

Ad Numerum II.

Jura Metropolitanorum unde petenda.

PRætenditur à nonnullis, Metropolitanos, eorumque super alios Episcopos prærogativas, ab Apostolis originem accepisse, atque propterea dici posse *instituti Apostolici*.

Verùm decreta Nicænæ Synodi id non evincunt. Probant quidem hæc Decreta Metropolitanorum institutionem, nec non quasdam eorum prærogativas super alios Episcopos præcessisse hanc Synodum; sed nequaquam evincunt speciali aliquo Decreto Apostolorum, hanc institutionem fuisse factam, sive Apostolos instituisse in quibusdam civitatibus, puta *Metropolibus* Episcopos cum aliqua superioritate vel prærogativa subordinationis super aliquos ejusdem Provinciæ Episcopos.

Imò Synodus Nicæna sat apertè supponit jura Metropolitanorum potiùs ex consuetudine & moribus, quam ex Apostolorum instituto esse petenda & deficientibus. Siquidem Canone 6. firmans privilegia trium principalium Ecclesiarum, Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ, illa petit ex *consuetudine & moribus*, decernens: "*Ut antiqui mores* serventur, qui sunt in Ægypto, Lybia & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quandoquidem & Episcopo Romano, *hoc est, consuetum*. Sive, ut vertunt Dionysius & Isidorus, *parilis mos est*.

Deinde eodem Canone prosequitur: Similiter & in Antiochia, & in aliis Provinciis sua privilegia ac suæ dignitates & authoritates Ecclesiis serventur.

Nequaquam obscurum est, Synodum Nicænam privilegia & jura illarum Ecclesiarum ex *consuetudine & moribus* petivisse; atque decrevisse, ea debere manere firma, quæ probantur *antiquis moribus*, & consuetudine, nullâ Decreti Apostolorum factâ mentione.

Ad Numerum III.

Unde profluxerit superioritas Metropolitanorum super Episcopos.

In textu probatum est à dignitate civili Urbium Metropoleon etiam in Episcopos earum Civitatum aliquid dignitatis derivâsse, atque à nomine Urbis nomen Metropolitani mutuatum esse.

Hæc tamen sola eminentia Metropoleon civilium non videtur fuisse sufficiens, ut Episcopis civitatibus illis Metropoliticis perfectis in alios Episcopos authoritatem sive superioritatem aliquam conferret, sed alia nonnulla concurrisse videntur adminicula, quæ sensim hos Episcopos super alios Episcopos elevârunt; quin & tandem Metropolitanis subjecerunt.

Inter hæc adminicula præcipuum fuisse videtur ordinatio seu consecratio Episcoporum, quæ sensim Episcopo Metropoli Præfecto delata fuit.

Cùm enim antiquitùs moris esset, ut Episcopi à vicinis sive ejusdem Provinciæ Episcopis ordinarentur, facilè contingit, ut, ubi paulatim ex civitatum splendore Episcoporum dignitas incrementum accipiebat, & frequentior ad Urbes Metropoles, ob varia incidentia negotia erat aliorum Episcoporum accessus, cœperint in ipsa Urbe Metropoli ordinationes fieri; atque per Episcopum Metropoli Præfectum, certis Provinciæ Episcopis assistentibus peragi.

Hoc, cùm ab initio forsan fuisset libertatis, tandem in necessitatem transivit, atque ita *consuetudine* potiùs, quàm positivo aliquo decreto, jus ordinandi Episcopos Provinciales primitùs Metropolitanis assertum postmodum Synodus Nicæna per suos Canones firmavit & integrum eis conservatum voluit.

Porrò existimatum fuit, Episcopos Ordinatori suo quandam debere reverentiam & subjectionem. Hinc sensim Jura Metropolitanorum, in Episcopos ad suam ordinationem spectantes, fluxisse verosimile est.

Et revera veteris disciplinæ fuisse observat Petrus de Marca *lib.* 1. *de Concord. Sacerd. & Imp. cap.* 7. *n.* 3. ut Synodis se sisterent Episcopi apud eum, cujus arbitratu ordinati erant: "Unde (ait) profectum est, ut pertinere ad alicujus Concilium, vel ad consecrationem promiscuè & passim dicantur Episcopi, quia à Primatibus suis pendent.

Quapropter olim nulli Episcopi accedere jubebantur ad *limina Apostolorum*, sive, quod idem erat ad *Synodum* Romanam, nisi qui ad Episcopi Romani ordinationem spectabant, uti supra *tit.* 15. *c.* 2. in textu ostendimus ex S. Leone.

Postquam verò sensim Jura illa Metropolitanorum firmata fuerunt primùm Canone Nicæno, ac deinde aliis Canonibus, cœperunt & ipsi vocari Archiepiscopi quo nomine nec ævo S. Leonis, id est, sæculo v fuisse appellatos, saltem apud Latinos, observavit vir eruditus Paschasius Quesnellius in notis ad *Epistolam* 9. S. Leonis, monetque ibidem, quòd, qui hanc Epistolam authenticum esse volunt S. Leonis fœtum, unà sustineant vocem *Archiepiscopi* per oscitantiam exscriptoris pro nomine *Episcopi* irrepsisse.

Ita dubium non est, quin Episcopi, quos posterior ætas vocavit Archiepiscopos, primitùs dicti fuerint simpliciter *Metropolitani*, mutuato nomine à civitate Metropoli.

Probat id ipsum Ecclesiæ Africanæ praxis: cùm enim dignitas & jura Episcoporum non peterentur à dignitate civitatum quibus erant præfecti sed à *prioritate ordinationis*, ita ut hic juribus & prærogativis Metropolitani gauderet, qui inter Episcopos Provinciales erat *ordinatione* senior.

Nomen Metropolitani etiam in Africa notum fuit, sed *senior* Episcopus juribus & prærogativis Metropolitani gaudebat & utebatur, uti observat & pluribus probat Petrus de Marca dissertatione de Primatu Lugdunensi, quæ integra extra tom. 10. Concil. General. pag. 520. observatque ibidem, quòd in Africa Episcopus *senior* ordinatione etiam dictus fuerit *Primas*, quasi primum locum obtinens inter reliquos Episcopos, sed nomen *Metropolitani* illi datum non legitur.

Ad Numerum XI.

Jus instituendi novas Metropoles & erigendi Ecclesias Primatiales qua ratione ad Sedem Apostolicam devolutum.

In textu notatum est, primitùs Metropoles Ecclesiasticas penè ad normam *Metropoleon Civilium* fuisse ordinatas, ut scilicet civitas erecta in Metropolim civilem unà quasi transiret in Metropolim Ecclesiasticam.

At & hoc observatum labentibus sæculis, hanc dependentiam à Metropoli civili desiisse, atque sensim cœpisse independenter à Jure Metopolis civilis, quasdam civitates, vel Sedes Episcopales in Metropoles auctoritate Ecclesiasticâ erigi: quin & tandem hoc Jus erigendi Metropoles ad Sedem Apostolicam fuisse devolutum.

Admodum autem verosimile est, hoc Jus sibi cœpisse vindicare Pontifices Romanos circa sæculum decimum, post inductas falsas Decretales.

Et quidem legitur, quòd & Joannes IX. sub initium sæculi x. ordinaverit, sive instituerit Metropolitanum, & tres novos Episcopos in terris Sclavorum, qui à sua ad Christianam fidem conversione subjecti fuerant Episcopo Pataviensi. De hac autem nova institutione, tanquam sanctis Canonibus contrariâ & Episcoporum auctoritati derogante, altè conquesti sunt Pheotmarus Juvavensis Ecclesiæ Archiepiscopus aliique Episcopi in epistola ad dictum Pontificem, quæ legitur tomo 9. Conc. General. *colum.* 498.

Hæc querela Episcoporum de hac per Romanum Pontificem facta erectione sat ostendit, nondum eo tempore generaliter agnitam fuisse auctoritatem erigendi Ecclesias Metropoliticas aut Cathedrales, ad Romanum Pontificem contra pristina Canonum instituta & Ecclesiæ consuetudinem, esse devolutam.

Itaque verisimile est erectionem Metropoleon non secus ac Episcopatuum erectionem sibi vendicâsse Romanos Pontifices auctoritate falsarum Decretalium; ac signanter Clementis I. ad Jacobum fratrem Domini, cujus fragmentum extat apud Gratianum *Dist.* 80. *Can.* 2. nec-non secundæ epistolæ Anacleti Papæ: *cap.* 4. cujus verba retulit quoque Gratianus *Dist.* 99. *cap.* 1. In his etiam mentio fit, non solùm Metropolitanorum, sed & Archiepiscoporum, Primatum & Patriarcharum quin & Archiflaminum, quos à *S. Petro* & *Clemente* per Provincias constitutos fuisse asseritur.

Et licèt omnibus hodie falsitas harum Decretalium sat sit perspecta, sciaturque nomen *Patriarcharum* & *Primatum*, quin & *Archiepiscoporum*, sed vel maximè *Archiflaminum*, ævo dictorum Pontificum Petri & Clementis; in Ecclesia fuisse ignotum, nihilominus & id scitur sæculo x. & sequentibus has Decretales in auctoritatem fuisse receptas, præsertim post earum in Decretum Gratiani relationem.

Unde vir Clarissimus Claudius Fleury asserere non dubitat auctoritatem instituendi novos Metropolitanos, sive civitates erigendi in Metropoles Ecclesiasticas, ad Sedem Apostolicam devolutam ope dictarum Decretalium.

Similiter auctoritate harum Decretalium Romanos Pontifices sibi asseruisse potestatem erigendi particulares Ecclesias in Ecclesias *Primatiales*, cum prærogativa & jurisdictione supra Metropolitanos, observat Petrus de Marca in dissertatione de *Primatu Lugdunensi*, unà observans ante confictas & receptas has Decretales nullam fuisse Ecclesiam *Primatialem* cum superioritate & jurisdictione in alias Ecclesias Metropolitanas: neque nomen *Primatum* ante receptas has Decretales datum fuisse nisi Metropolitanis, aut iis, qui jure Metropolitani gaudebant, qualis erat in Africa *Senior* ordinatione inter Episcopos Provinciæ.

Id ipsum post de Marca observavit Dominus Fleury in sua historia Ecclesiastica lib. 62. cap. 61. & sat patenter intelligitur ex literis Gregorii VII. quibus Ecclesiam Lugdunensem in Primatialem erigit, eique subjicit tres Metropolitanos, scilicet Rothomagensem, Turonensem, & Senonensem, expressè profitendo in hac erectione, *antiqua SS. Patrum vestigia* se imitari desiderare.

Nequaquam obscurum est, Gregorium VII. in his verbis reflexisse ad falsam Decretalem Clementis I. cujus fragmentum refert Gratianus *Dist.* 80. *Can.* 2. quod & manifestius patet ex ejusdem epistola ad prædictos tres Metropolitanos, in qua pro firmando jure Sedis Apostolicæ erigendi Ecclesias primitiales impendit fragmentum prædictæ supposititiæ Decretalis Anacleti I. Papæ, relatum apud Gratianum *Dist.* 99. quod & ad dictum Canonem Correctores Romani notârunt his verbis: " Hoc caput integrum repetitur à „Gregorio VII. *Lib.* 6. *Regesti Epistola* 63. Ro„thomagensi, Turonensi, atque Senonensi Ar„chiepiscopis scripta, ex qua & originali nonnul„la sunt restituta.

Ex his nequaquam obscurum est per falsas Isidorianas Decretales originem sumpsisse hunc novum ordinem primatuû sive Ecclesiarum primatialium, ad quos à judicio Metropolitanorum gradatim esset appellandum: cujus appellationis ante invectas has Decretales nulla memoria occurrit, neque reservationis juris instituendi novos Metropolitanos Romano Pontifici.

Interim postquam auctoritas erigendi novas Metropoles Ecclesiasticas ad Romanum Pontificem fuit devoluta, cœperunt notanter in Italia Metropoles multiplicari; visumque est, quòd Pontifices nonnunquam civitates aliquas in Metropoles erexerint, ut eas hoc titulo decorarent, uti notavit Dominus Fleury in sua historia loco citato, notatque primitùs Metropoles multò fuisse diffusiores, pluresque sub se complectentes Episcopos Suffraganeos; ac propterea Synodos Provinciales ex majori numero Episcoporum coaluisse. Proinde mirum non est, quòd legatur antiquitùs has Synodos subinde dictas fuisse *plenarias* & *perfectas* Synodos.

CAPUT IV.

Ad Numerum III.

Episcopus Romanus in Ecclesiis Suburbicariis solum jus Metropoliticum exercuit.

IN Textu notatum est, Metropolitanos non posse ullam immediatam Episcopalem jurisdictionem exercere in Diœcesibus suorum Suffraganeorum.

Et id quidem jam pridem adeò religiosè servatum fuit, ut nec Romanus Episcopus, licèt non tantùm jure Metropolitico & Patriarchali, sed & jure Primatûs gauderet, nequaquam tamen primis ut minùs octo sæculis jurisdictionem *Episcopalem* exercere prætendebat in Ecclesiis jure Metropolitico, sive exarchico sibi subjectis: nec eam exercuisse legitur, sed singulis Episcopis juxta Canones, præsertim Antiochenos, integrum atque in solidum Ecclesiarum regimen permittebat, & conservabat. Probat & id liber diurnus, quem edidit Joannes Garnerius, in quo nihil occurrit eorum, quæ in Ecclesiis Suburbicariis Episcopus Romanus

exerceret,

exerceret præter jura Metropolitica, quam etiam cæteri Metropolitani in suis respective Ecclesiis sibi jure Metropolitico subjectis juxta Canones exercebant.

Ad Numerum IV.

Qua occasione authoritas supplendi defectus Episcoporum ad Metropolitanos devoluta.

Quantumvis à primis Ecclesiæ sæculis singulis Episcopis sua fuerit assignata Diœcesis, sive portio Dominici gregis, quam singuli regant & gubernent, nihilominus omnes & singulos tanquam membra unius universalis Ecclesiæ, & operarios in vinea Domini etiam reliquis Ecclesiis, ubi *necessitas* vel *charitas* exegerit, succurrere debere exegerit supra in nota ad cap. 3. tit. 16. de Cura Episcopali pluribus ostendimus, atque hoc titulo sanctissimos quosque & zelosissimos Episcopos eam curam aliis Ecclesiis impendisse notavimus.

Verùm nec hoc negari potest, quin hoc charitatis officium Episcopi, qui locorum vicinitatem arctiori sibi vinculo uniuntur, etiam sibi mutuo hoc speciali titulo meritò impendant.

Insuper & hoc scitur, quòd error aut abusus, ob vicinitatem locorum facilè propagetur; atque idcircò Episcopi meritò soliciti sint, ut error aut abusus in vicina Ecclesia exortatus, aut in eam irrepens supprimatur.

Hoc indubiè fundamento primùm consuetudine inductum, ac dein sanctis Canonibus firmatum fuit, ut divisis Provinciis, Episcopi ejusdem Provinciæ super singulos Episcopos Provinciæ specialiter invigilarent, eorumque negligentiam supplerent & corrigerent, quin & eorum graviores excessus etiam punirent.

Ut autem hæc exactiùs, ac majore auctoritate peragerentur, primùm consuetudine invaluit, ac dein Canonibus firmatum, & Episcopi singularum Provinciarum certis temporibus convenirent, atque in communi de excessibus Episcoporum, & aliis ad rectum Ecclesiarum regimen spectantibus tractarent.

Hanc Synodorum Provincialium auctoritatem in corrigendis Episcoporum excessibus & defectibus patenter agnovit Synodus Nicæna; quæ & eum in finem bis in anno has habendas decrevit, uti latiùs titulo sequenti in textu ostendetur.

Verùm, quemadmodum labentibus sæculis ob difficultatem toties in Synodum conveniendi, confirmatio & ordinatio Episcoporum ad solum Metropolitanum, ut Synodi Caput devoluta est; ita eâdem ratione sensim ad Metropolitanum devolvi cœpit auctoritas defectûs Episcoporum Suffraganeorum supplendi & corrigendi: atque inde natum jus appellandi ab Episcopo ad Metropolitanum.

Itaque jus Metropolitani in Episcopos Suffraganeos, ejusque superioritas primitùs videtur profluxisse ex officio charitatis, quòd omnes & singuli Episcopi, tanquam unius corporis membra, & Sacerdotii Christi particeps ex quodam charitatis officio omnibus Ecclesiæ membris, & partibus impendere jubentur; sed ad confusionem vitandam & ordinem debitum servandum, primùm ad Episcopos singularum Provinciarum Synodum Provincialem componentes, ac demum ad ipsos Metropolitanos, tanquam Synodorum Præsides, & Provinciarum Primates devolutum fuit.

Igitur, sicuti hoc charitatis officium ab Episcopis minimè erat aliis Ecclesiis impendendum, sed integrè & in solidum permittendum erat singulis Episcopis suam respective Ecclesiam regere, nisi à fide aut sanctis Canonibus & Ecclesiæ institutis reperirentur deviare; ita quoque omne jus Metropolitanorum, ac Primatum in suos Episcopos Suffraganeos cessat omnesque in regimine suarum Ecclesiarum æquales reputandi sunt; nullusque inter eos superior cum auctoritate imperandi aut præcipiendi reperitur, ubi ipsi in Ecclesiastico regimine defectuosi non reperiuntur, vel ut tales non deferuntur; ut consequenter illud S. Gregorii in textu relatum hic applicari queat. „Si quæ culpa in Episcopis invenitur, nescio, quis „Sedi Apostolicæ Episcopus subjectus non sit, „cùm verò culpa non exigit, *omnes* secundùm rationem humilitatis *æquales* sunt.

CAPUT V.

Ad Numerum I.

Pallium primum ornamentum Imperiale Imperatorum benignitate profectum.

QUamvis non omnino sit compertum, in quo constiterit primitùs ornamentum illud Pontificale, quod hodie *Pallium* dicitur, uti in textu monuimus, id nihilominus sat constare videtur ornamentum primitùs fuisse ornamentum *Imperiale*; hocque primùm per Imperatores Patriarchis, ac dein per hos Metropolitanis, ac demum per Metropolitanos aliis Episcopis communicatum; saltem apud Orientales & in Ecclesia Græca, uti post Petrum de Marca, aliosque probat Ludovicus Thomassinus *de Discipl. Eccles. part.* 3. *lib.* 1. *c.* 24. qui & *n.* 9. observat: "Hoc autem „penè indubitatum esse aliquot saltem sæculis „non sine voluntate Imperatoris in Oriente *Pal*„*lium*, sicut & in Occidente concessum fuisse.

„Cùm enim (ait) vestimenti id genus initio „*Regium* fuisset, eosque voluissent Imperatores „quæ eximia eorum erat & singularis pietas, Re„gale Christi decorare Sacerdotium; hanc vicis„sim per aliquot sæcula pietatem, gratitudi„nemque rependit Ecclesia, ut illo, præter eorum „assensum, indueretur nemo.

Refert Liberatus Diaconus in Breviario *c.* 21. „Anthimus Patriarcha Constantinopolitanus vi„dens se Sede pulsum, *Pallium*, quod habuit, „*Imperatoribus* reddiderat.

Argumentum nequaquam obscurum, Anthimum *Pallium*, ut ornamentum Imperiale; & ab horum liberalitate & pietate profectum reputâsse: atque idcirco & Imperatoribus reddendum.

Ipsos quoque Romanos Pontifices hoc ornamentum pluribus sæculis reputâsse ornamentum Imperiale, & ex Imperatorum pietate, & munificentia profectum; ac prpoterea nec sine eorum assensu aliis communicandum, etiam sæculo sexto, ex epistolis S. Gregorii manifestum est.

Scribit hic *lib.* 9. *Epist. xj.* Brunichildæ Reginæ Francorum "Syagrio (Episcopo Augu„stodunensi) Pallium dirigere secundùm po„stulationem *vestram* voluimus. Deinde subjungit: Propter quod & *Serenissimi Domini* „*Imperatoris*, quantum nobis Diaconus noster, „qui apud eum responsa Ecclesiæ faciebat, in„notuit, prona voluntas est, & concedi omnino „desiderat.

Ex hac itaque Epistola constat, citra consensum Imperatoris *Pallium* non fuisse concessum; ut & ad hanc epistolam notârunt eruditi Monachi Benedictini Operum S. Gregorii revisores *lit. M.*

Proinde

Proinde cùm expeditum sit, hoc ornamentum fuisse Patriarchis primitùs, ut ornamentum Imperiale donatum, non sine fundamento redarguit Baronium Edmundus Richerius Doctor Parisiensis in Historia Concilii VIII. quod privilegium à Valentiniano Imperatore Ecclesiæ Ravennatensi datum, quo eam erigit in Metropolim, eo titulo in suspicionem falsi adducat, quia eidem Episcopopo conceditur, ut honore Pallii utatur: " Quo„niam (ait Baronius) Romanorum est Pontifi„cum, non Imperatoris, dare Pallium Episcopis.

Uti enim rectè reflectit Richerius, frustra in auctoritatem adducit Baronius, quæ sæculis subsequentibus à Pontificibus in concessione Pallii „acta fuêre: Quandoquidem hic non quærendum "esset, utrum à Pontificibus, labentibus sæculis, "auctoritas assumpta fuerit in concessione Pallii, „sed à quo primitùs, ac signanter ævo Valenti„niani Imperatoris, usus Pallii indultus fuerit.

Quo autem tempore, & à quo Imperatore ornamentum Patriarchis Orientalibus, ac Romano Pontifici ut Occidentis Patriarchæ communicatum fuerit, hactenus compertum non est.

Ex facto Anthimi reddentis *Pallium* Imperatoribus (de quo supra) constat, tempore Justiniani, Constantinopolitanum Patriarcham (qualis erat Anthimus) illud ab Imperatoribus accepisse.

Quin sæculo nono & sequentibus à pluribus creditum fuit, inter cætera ornamenta Imperialia, hoc quoque ornamentum *superhumerale* per Constantinum Magnum donatum Silvestro Papæ, ejusque successoribus, idque auctoritate privilegii, quod vulgò vocatur: *Donatio Constantini*, quæ unà cum falsis Decretalibus in auctoritatem recepta fuit, & hodie paris cum his Decretalibus fidei reputatur.

In textu dictum est, inter ornamenta Pontificalia unum hodie proprium esse Metropolitanis, scilicet *Pallium*. Quo verò tempore & quâ occasione hoc *Imperiale* indumentum Metropolitanis & Episcopis fuerit communicatum sat incertum: illud sat constat, citiùs fuisse communicatum Metropolitanis Græcis, quàm Latinis: cùm enim in Orientalibus Ecclesiis etiam primitùs usitatum fuerit, quòd Metropolitani à suis respectivè Patriarchis ordinarentur, videtur hoc ornamentum per Patriarchas *omnibus* Metropolitanis in ordinatione fuisse indultum.

Quod autem in Ecclesia Latina seriùs Metropolitanis à Romano Pontifice tanquam Occidentis Patriarcha communicatum legatur, inde contigisse verisimile est, quòd pluribus sæculis multi fuerint per Occidentem Metropolitani, quorum ordinatio erat independens à Romano Pontifice.

Et quidem observat Petrus de Marca. *De Concord. Sacerd. & Imp. lib. 6 cap. 7. num.* 3 quod „ævo Divi Gregorii invaluisset, ut Romanus "Pontifex *Pallio* ornaret præcipuos Metropoli"tanos, qui ad ejus consecrationem pertinebant, „aut eos, *quibus vices suas* in Provinciis commit„tebat. Primi generis Episcopi Ravennates in „Italia, Syracusani in Sicilia, Calaritani in Sar„dinia.

„Secundi verò generis Archiepiscopus Thes„salonicensis, & Justinianeæ Primas, sive Bulga"riæ Metropolita, & in Galliis Arelatensis. Lean„drum insuper Episcopum Hispalensem in His„pania Gregorius pallio ornavit, rogante Reca„redo Rege.

„Quod non ita accipi velim (ait de Marca) ut „eâ ratione Gregorius Leandri ordinationem „confirmâsse dicatur: cùm hæc ante multos an„nos peracta fuerit; sed ut suam & Sedis Aposto„licæ in eum benevolentiam illi ostenderet, novo "hoc honore tributo. Ob eandem quoque cau„sam eodem honore prosecutus est Syagrium „Augustodunensem Episcopum, qui præcipuâ „apud Reges Francorum gratiâ vigebat.

Non sine fundamento quidam eruditi arbitrantur, *Pallium* primitùs à Pontificibus datum in signum collati Vicariatûs Sedis Apostolicæ, & ab eo dependentis potestatis Apostolicæ.

Cùm enim solis Patriarchis hoc *Pallii* ornamento uti permissum videretur, Metropolitani, qui eo utebantur, per hanc vestem exteriorem repræsentare non incongruè videbantur vices Romani Pontificis, cui tanquam *Patriarchæ* Occidentis ornamentum hoc *proprium* videbatur.

Idipsum non obscurè significat Vigilius Papa in epistola ad Auxanium Episcopum Arelatensem, scribens: " Quia dignâ credimus ratione „compleri, ut agenti *vices* nostras *Pallii* non de"sit ornatus, usum tibi ejus, sicut Decessori tuo "Prædecessor noster sanctæ recordationis Sym„machus legitur contulisse, B. Petri auctoritate „concedimus.

Ex his non obscurum est, ideo *Pallium* Episcopo Arelatensi concessum fuisse, quòd esset Sedis Apostolicæ Vicarius, ut, sicut ipse Pontifex hoc ornatu à reliquis distinguitur, ita quoque ejus Vicarius hoc charactere repræsentatitio ab aliis Metropolitanis secerneretur.

Imò per concessionem *Pallii* unà censebatur dari Vicariatus Sedis Apostolicæ cum potestate ei annexâ; atque inde eveniebat, quòd Metropolitani, qui hoc ornamentum à Sede Apostolica impetrârant, cæteris Metropolitanis, tanquam *Vicarii* Sedis Apostolicæ, eamque repræsentantes præeminerent; ut proinde mirum non sit, *Pallium*, & ei annexum Vicariatum Sedis Apostolicæ ab Arelatensibus Episcopis fuisse expetitum & magnopere desideratum.

Porrò concessionem *Pallii* indicium fuisse concessi Vicariatûs Sedis Apostolicæ, etiam significare videtur S. Gregorius *lib. 2. epist.* 64. ult. edit. Benedictinorum scribens Augustino, suo apud Anglos Legato, & Vicario, in responso ad nonam interrogationem: " In Galliarum „Episcopos nullam tibi auctoritatem tribui„mus, quia ab antiquis prædecessorum meorum „temporibus *Pallium* Arelatensis Episcopus ac„cepit, quem nos privare auctoritate perceptâ "minimè debemus: Si ergo contingat, ut fra"ternitas tua ad Galliarum provincias transeat, "& aliquid ex auctoritate agendum fuerit, cum „prædicto Arelatensi Episcopo agatur.

Tametsi enim nihil de Vicariatu hic dicat Gregorius, neque de auctoritate Apostolica Episcopo Arelatensi, ut Sedis Apostolicæ Vicario collatâ, id tamen sat significatum existimat, ubi Augustino indicavit, Arelatensi Episcopo Pallium esse donatum.

Hinc patescit, nequaquam concludi posse, à sancto Gregorio quibusdam Metropolitanis donatum fuisse *Pallium* absque Vicariatu Sedis Apostolicæ; eò quòd in concessione *Pallii*, nulla concessi Vicariatûs mentio fiat, quia ipsa *Pallii* concessio Vicariatum suum trahebat.

Itaque verisimilius videtur, sanctum Gregorium non aliis Metropolitanis usum *Pallii* indulsisse, nisi qui ad ejus ordinationem pertinebant, vel quos Vicariatu Sedis Apostolicæ ornare volebat.

Cùm

Cùm verò Metropolitani per Gallias constituti à suis respectivè Episcopis Suffraganeis ævo S. Gregorii ordinarentur; nullásque in horum ordinatione sibi partes assumeret Romanus Pontifex, etiam nec eos *Pallium* petivisse, nec accepisse legitur, nisi solum Archiepiscopum Arelatensem, qui *Pallium* non in qualitate Metropolitani, sed in qualitate Vicarii Sedis Apostolicæ à S. Gregorio ejúsque prædecessoribus accepisse legitur.

Credit autem de Marca loco citato *num.* 4. Galliarum Metropolitanos in qualitate Metropolitani nec postulâsse *Pallium* à Romano Pontifice ante sæculum VIII.

At sub hoc tempus (uti arbitratur de Marca) videntur Metropolitani Galliarum cœpisse Pallium postulare à Romano Pontifice: idque eos ad hoc inducente Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, qui eo tempore vices Sedis Apostolicæ per Germaniam & Gallias agebat.

Quidquid sit de hac opinione Petri de Marca, hoc constat, quod Bonifacius anno 742. Synodum plurimorum Episcoporum Germaniæ celebraverit, in qua inter cætera statutum fuit, "ut „omnes deinceps viverent in unitate & subjectio„ne Ecclesiæ Romanæ, & Vicarii B. Petri, & „Metropolitani à Sede Romana Pallium *quære„rent*, & per omnia canonice obsequerentur præ„ceptis B. Petri (ait) decrevimus.

Hujus Synodalis Decreti meminit ipse Bonifacius *Epist.* 105. ad Zachariam Papam scribens: „In nostro Synodali conventu, & confessi sumus „fidem Catholicam, & unitatem, & subjectio„nem Romanæ Ecclesiæ fide tenuimus servare S. „Petro & Vicario ejus vel subjici; Metropolita„nos *Pallia* ab illa Sede quærere, & per omnia, „præcepta sancti Petri canonice sequi.

Nequaquam obscurum est, uti etiam notat de Marca, scopum Bonifacii fuisse, Metropolitanos Galliarum hâc Palliorum à Sede Apostolica postulatione, arctiori vinculo Apostolicæ Sedi obstringere, & ab ea dependentes facere.

Interim conformiter ad hoc Decretum, Bonifacius adstipulante Carolomanno, tria Pallia à Zacharia Papa impetravit pro tribus Metropolitanis, nimirum Rothomagensi, Senonensi, & Rhemensi, uti habetur ex *Epistola* 5. Zachariæ Papæ ad Bonifacium.

Verum Metropolitani Galliarum suborantes se per hanc Palliorum petitionem reddi Sedi Apostolicæ magis obnoxios; & veriti, ne per hanc novitatem adigerentur ad insolitam quandam subjectionem Sedi Apostolicæ; quin & sensim per eam exciderent ab ea auctoritate, quam Canones tribuunt Metropolitanis, dubii & anxii hæserunt, num Decreto Bonifacii, de *petendis Palliis à Sede Apostolica*, se subjicere vellent; quapropter & à petitione Palliorum tempore aliquo cessâsse videntur.

De hac cessatione & mora conquestus est Zacharias Papa in præcitata Epistola ad Bonifacium, atque non obscure fatetur Bonifacius in responso ad hanc Epistolam scribens: "De eo, „quòd jam præterito tempore de Archiepiscopis „& de *Palliis* à Romana Ecclesia petendis, juxta „promissa Francorum Sanctitati Vestræ notum „feci, *indulgentiam* Apostolicæ Sedis flagito: „*Quia, quod promiserunt, tardantes non imple„verunt, & ventitatur. & quid inde perficere „velint, ignoratur.*

Ex his verbis Bonifacii habetur Metropolitanos super postulatione Palliorum à Sede Apostolica hæsitâsse, & quid agendum esset, deliberâsse. Sed & hoc constat, quòd sensim tum instigante & promovente Bonifacio, tum vero non nihil stimulante quâdam æmulatione honoris & præeminentiæ, quæ per Pallii acceptionem & usum videbantur Metropolitanis accedere, tandem Metropolitanos generatim huic necessitati postulandi Pallium se subjecisse.

Ad Numerum V.

Forma Pallii.

Hodiernam Pallii formam, de qua in textu, esse plane diversam à pristina hujus ornamenti forma, eruditis hodie sat persuasum est, neq; enim moderna hæc forma ullatenus ornamento seu Chlamydi Imperiali congruit.

Cum igitur ornamentum Pontificiale, quod hodie *Pallium* nuncupatur, in sua origine fuerit ornamentum Imperiale (uti supra probatum est) admodum verisimile est *Pallium* primitus fuisse vestem *talarem* in modum Chlamydis, totum quasi corpus contegentis, ut ita vestem Imperialem præferret; hodiernæ vero lanceæ fasciolæ hodierna Pallia conficientes, nullatenus Chlamydem Imperialem repræsentare idoneæ sunt, uti rectè observant Petrus de Marca *lib.* 6. *de Concord. Sacerd. & Imp. cap.* 6. ibidémque ait: "Forma porrò ejus id indicare videntur veterum „Pontificum imagines, prorsùs referebant indu„menta illa, quæ nunc *Cappas* aut *Pluvia* voca„mus.

Admodum verisimile est veterem Pallii formam, ornamentum *Imperiale* præferentem, sensim in aliam formam ac tandem in modernam transiisse, postquam Romani Pontifices Pallium independenter à consensu & benignitate Imperatorum suâ auctoritate, tanquam ornamentum *Pontificale*, Metropolitanis & Episcopis communicare cœperunt.

Neque enim congruum apparebat ornamentum, quod à solius Pontificis Romani auctoritate, & munificentiâ communicari prætendebatur, formam Chlamydis *Imperialis* præferret: sed convenientiùs visum fuit, ut vestis sacræ formam exhiberet; atque ita componeretur, ut ab omnibus tanquam in Pontificiale ornamentū reputaretur.

Ut autem hoc ornamentum evidentius præferret ornamentum *sacrum & Pontificiale*, cœperunt hisce fasciolis laneis imprimi cruces; quin & instar cæterarum sacrarum vestium seu indumentorum, quibusdam adhibitis precibus & ritibus solemniter benedici, prout in textu expositum est: quorum omnium apud veteres auctores de hoc ornamento tractantes nihil occurrit.

Ad Numerum X.

Necessitas petendi Pallium à Romano Pontifice Patriarchis Orientalibus quando imposita.

In textum notatum fuit, Innocentium III. concessisse *Pallium* Patriarchis Orientalibus, cum auctoritate illud respectivè suis Metropolitanis concedendi.

Porro constat, primitùs auctoritatem illud aliis communicandi non minus *Patriarchis Orientalibus*, quàm Romano Pontifici tanquam *Patriarchæ Occidentis* competiisse.

Neque legitur, quod ante Innocentium III. necessitas impetrandi hoc ornamentum à Romano Pontifice aut auctoritatem illud aliis communicandi *Patriarchis Orientalibus* fuerit imposita. Id & observat Ludovic. Thomassinus de Discip. Eccles. *part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 6. "Postquam „enim [ait] sub Innocentio III. Constantinopo„litanam Urbem & Orientale Imperium subjece„re Latini, hic Pontifex statuit in Concil. Latera„nensi, ut Patriarchæ Orientales reciperent Palliū

à Papa

„à Papa & suis Metropolitanis communicarent, „postquam à Romano Pontifice illud receperint. „Ante enim hoc Decretum Patriarchæ Græci non „accipiebant Pallium nisi à suis consecratoribus; „vel illa accipiebant à solo Imperatore.

Id ad hanc Decretalem Innocentii III. reflectens Edmundus Richerius in historia Concilii VIII. *n.* 13. dicere non veretur: « Certe sequentibus sæculis hoc ritu deferendi *Pallium* Pontifices Romani, non modo omnes Ecclesias Occidentales, sed etiam Orientales monarchice „subdere voluisse perspicuum redditur.

Ad Numerum XIV.

Conditiones in concessione Pallii Metropolitanis imposita.

In textu notatum est, quòd juxta modernam disciplinam Metropolitani licet consecrati, nequeant functiones suas exercere ante receptum Pallium.

Observat autem Petrus de Marca, quòd posteaquam Metropolitani necessitatem obtinendi Pallia à Romano Pontifice sibi passi sunt imponi, Pontifices adjicerent in ipsa datione *Pallii* plures conditiones Metropolitanis admodum graves; & quæ ipsos in suis functionibus à Romano Pontifice dependere facerent; atque inter alias, quòd ante receptionem Pallii, nullas Pontificales functiones obire possent: cum mox à consecratione sua *independenter* à consensu Romani Pontificis, suas functiones libere exercerent.

Similiter & Ludovicus Thomassinus de Discip. Eccles. *part.* 2. *cap.* 25. *num.* 10. notat, non reperiri, quòd primitùs Metropolitani, obtentâ consecratione impedirentur obire functiones, quo ad usque recepissent *Pallium.*

Quo autem tempore, & quâ occasione similes conditiones in datione Pallii adjici, & Metropolitanis imponi cœperint, incertum est.

Admodum verisimile est, id primum cœpisse post invectas & receptas falsas merces seu Decretales Pseudo-Isidorianas; ipsósque Romanos Pontifices potissimum impendisse auctoritatem epistolæ decretalis Pelagio I. per Isidorum suppositæ, & cujus fragmentum in suum Decretum postmodum transtulit Gratianus Dist. 100. Can. 1. Hic inter alia dicitur: *Placuit, ut quisquis Metropolitanus ultra* TRES MENSES *consecrationis suæ ad fidem suam exponendam*, PALLIUMQUE *suscipiendum ad Apostolicam Sedem non miserit, commissâ sibi careat dignitate, sitque Metropolitanis aliis licentia, post secundam & tertiam commonitionem, viduatis Ecclesiis, cum Concilio Romani Pontificis*, ORDINANDO EPISCOPOS *subministrare, &c.*

Et quidem videmus, quòd Concilium Ravennatense anno 877. sub Joanne VIII. celebratum Can. 1. verbis citatæ hujus Decretalis eam necessitatem emittendi professionem fidei coram Sede Apostolicâ, & ab ea postulandi Pallium Metropolitanis imponat. Verba Canonis sunt: *Quisquis Metropolitanus intra tres menses consecrationis suæ ad fidem suam exponendam*, PALLIUMQUE *suscipiendum ab Apostolica Sede, nullâ necessitate inevitabili imminente non miserit, commissâ sibi careat dignitate, &c.*

Verum quod auctoritatem harum Decretalium nonnulli Galliarum Episcopi & Metropolitani recognoscere detrectarent, recusaréntque à receptis hactenus moribus recedere etiam sæculo undecimo Archiepiscopum Rhotomagensem ante postulatum & obtentum à Romano Pontifice *Pallium* Clericos ordinâsse, Ecclesias consecrâsse, constat ex epistola Gregorii VII. ad ipsum Metropolitanum Rothomagensem; habetúrque inter epistolas hujus Pontificis. *Lib.* 9. *Epist.* 1.

Acriter ipsum redarguit Gregorius, quòd & *Pallium* à Sede Apostolica postulare neglexerit, & functiones has ante obtentum *Pallium* obire præsumpserit: ac deinde præcipiendo concludit, „Proinde Apostolicâ tibi præcipimus auctorita„te, ut, quia SS Patrum statuta parvi pendisti, nul„lum deinceps Episcopum, vel Sacerdotem ordi„nare, seu Ecclesias præsumas consecrare, donec „honoris tui *supplementum*, Pallii videlicet usum „ab hac Sede impetraveris.

Ex toto hujus epistolæ contextu nequaquam obscurum est, Gregorium quoque respexisse ad citatum suppositiium Decretum Pelagii Papæ.

Proinde non sine fundamento inter puncta recentioris disciplinæ per falsas Isidorianas inducta, & hoc reponitur, quòd auctoritas Metropolitanorum, quo ad præcipuas functiones suspendatur à receptione hujus meri cæremonialis ornamenti.

Quod ipsum deplorat Edmundus Richerius in historia Concilii VIII. *n.* 12. reflectens ad juramentum in receptione Pallii præstandum, atque ad hanc dependentiam in obeundis sacris functionibus, ab hac Pallii acceptione, in verbis. „Quod primitùs in honoris ac dignitatis indici„um, & notam tribuebatur, tum demum in om„nis gravissimum transisse, ita, ut Curia Romana „prohibebat Archiepiscopis ea obire munia, ad „quæ jure Divino tenentur, antequam Pallium „acquisierint, quod tamen est res pure cæremo„nialis nihil ad potestatē Episcoporum conferens.

Ad Numerum III.

Pontifex Romanus omni tempore, & omni loco potest, uti Pallio, non ita Metropolitanis.

In textu notatum est, ex Decretali Innocentii III. in *cap.* 4. *x. de usu Pallii*, quòd solus Romanus Pontifex Pallio *ubique & semper* utatur, alii autem *nec semper, nec ubique*, hâc subjectâ ratione: Quoniam hic (Romanus Pontifex) assumptus est in *plenitudinem* Ecclesiasticæ Potestatis, quæ per Pallium significatur, alii autem eo nec semper, nec ubique. Quoniam vocati sunt in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

Hanc rationem adductam fuisse ante Innocentium III. pro adstruenda auctoritate in Romano Pontifice utendi Pallio *ubique & semper*; & ejus usum restringendi in cæteris Metropolitanis, aut Episcopis ad determinata loca & tempora, non legitur.

Illud autem ex contextu Decretalis perspicuum est Innocentium hâc formulâ loquendi significare voluisse pastoralem solicitudinem & plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis Romani Pontificis ad omnes orbis Ecclesias se extendere, eámque Pontificem posse ubique *per se* fidelibus impendere: sed quia ubique præsens esse non potest, ut eam *personaliter* impendat, idcirco hujus *solicitudinis* PARTEM aliis Episcopis per varias regiones & Ecclesias constitutis ipse communicat; ipsâ tamen *plenitudine* potestatis, sive *solicitudinis* formaliter, & jure proprio in Romano Pontifice remanente.

Id ipsum evidentioribus terminis expressit hic Pontifex *lib.* 1. *Epistola* 350. in verbis: « Apo„stolica Sedes inter Fratres & Episcopos nostros „Pastoralis dispensavit oneris gravitatem, sic eos „increditæ sibi solicitudinis partem assumpsit, „ut nihil sibi subtraheret de plenitudine pote„statis.

Eam

Eam Romanos Pontifices sibi plenitudinem potestatis, aut pastoralis solicitudinis asseruisse primis,ut minus septem sæculis non legimus; sed pastoralem & Episcopalem solicitudinem intra suam particularem Ecclesiam, sive uti hodie loquimur, Diœcesim juxta Canones continebant; nec Metropoliticam ultra regiones & Ecclesias Suburbicarias prætendebant, uti in hoc opere ostendimus, notanter auctoritate libri diurni Romanorum Pontificum per Joannem Garnerium evulgati & notis illustrati.

Interim certum est, plura tum per Pseudo-Isidorum in suam collectionem esse relata,tum postmodum per Gratianum assumpta, quæ hanc in Pontifice Romano plenitudinem potestatis,& pastoralis officii supponunt, & iisdem penè verbis proponunt, quibus eam Innocentius III. expressit.

Imprimis occurrit ex Isidoriana collectione assumptum & relatum *Causa* 2. *q*. 6. *Can*. 12. fragmentum Epistolæ sub nomine Vigilii Papæ in hæc verba. "Qui se scit aliis esse præpositum,non moleste ferat, aliquem sibi esse prælatum: ipsa namque Ecclesia, quæ prima est, ità reliquis Ecclesiis vices suas credidit largiendas, ut in partē vocatæ sint solicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

Monent ad hunc canonem CorrectoresRomani; "Restitutum est hoc caput Vigilio antiquo-„rum exemplarium auctoritate: antea verò tribuebatur. *Julio*.

Monet & vir clarissimus Stephanus Baluzius in notis ad hunc Canonem: Multifariam multisque modis inscriptum est hoc caput in antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus. "Indubiè „hæc varia hujus canonis inscriptio non exiguum „præbet suppositionis & fictionis argumentum.

Fateor quidem Baluzius extare epistolam Vigilii per Correctores Romanos indicatam, non quidem ad *Eutherium*, sed ad *Profuturum* Episcopum Bracarensem, quod latius prosequitur in sua nova Conciliorum collectione,*pag*.1417. sed unà ibidem monens, caput *ultimum* hujus epistolæ Vigilii ad profuturum de *Primatu Romani Pontificis* (quod conficit prædictum canonem apud Gratianum)in optimo codiceBibliothecæ colbertinæ non reperiri à nobis(ait) *propterea omissum*. "Et sanè (pergit Baluzius) cùm cætera ca-„pita referantur integra in *Codice* 408. Colberti-„no,& Lugdunensi,idem tamen non habent, quæ „de primatu Romanæ Ecclesiæ adduntur in Col-„lectione, quæ præfert nomen Isidori.

Hinc idem Baluzius in additionibus ad *lib*. 5. Petri de Marca *cap*.26. *n*.9. reflectens ad prædicta verba canonis sub nomine Vigilii, dicere non dubitat: Postremum caput Epistolæ, quæ circum-„fertur sub nomine *Vigilii* Papæ ad Eutherium, „esse *additamentum illius Impostoris*,qui nomine „Isidori abusus est in vulgandis falsis veterum „Pontificum Romanorum Epistolis."

Siiliter hoc fragmentum conficiens prædictum Canonem recentiori manu huic Epistolæ additum notavit Ludovicus du-Pin, in sua Bibliotheca Ecclesiastica *tom*. 5. *pag*. 71. editionis 1691. sumptumque ipsi apparet ex suppositia Decretali Julii Papæ ad Orientales.

Refertur & apud Gratianum eadem causa 2.q. 6. Can. XI. sub nomine Gregorii fragmentum, quo hæc plenitudo potestatis simili formâ exprimitur in verbis. "Quæ (Ecclesia Romana) vi-„ces suas ita aliis impertivit Ecclesiis, ut in partem „sint vocatæ solicitudinis, non in plenitudinem „potestatis."

Quis sit hicGregorius,cui hæc epistola attribuenda sit, titulus Canonis non inducat.Monent autem Correctores Romani hæc verba, "ut *hono-*„*retur* usque ad verbum *auctoritas* addita esse ex „epistola, quæ extat in Bibliotheca Dominicana, „& videtur esse GregoriiQuarti.Extatque sub nomine hujus Pontificis inserta *tom*. 7. *Concil. Gen. pag*. 157.

At cùm hic Pontifex sederit demum circa medium sæculi IX. post evulgatam Pseudo Isidori collectionem, quidni Pontifex Gregorius auctoritatem hujus collectionis secutus hanc clausulam de plenitudine potestatis sumpsisse potuit ex suppositia epistola Julii Papæ, prout in Isidoriana collectione continebatur?

Insuper ex epistola, prout extat apud Gratianum,& tomo 7.Conciliorum est inserta,habetur, eam scriptam esse in causa Aldrici EpiscopiCenomanensis. "Cùm autem nulla illius mentio habe-„atur in gestis hujus Episcopi, & multa in ea con-„tineantur absurda, non invitus in eorum sen-„tentiam transeo, qui putant eam esse suppositi-„tiam ait Baluzius in additionibus ad Petrum de Marca lib. 5. cap. 26. num. 9.

Legitur quoque apud Gratianum fragmentum epistolæ sanctiLeonis ad Episcopum Thessalicensem. *Causa* 3. *q*. 6. *Can*. 8. quo hæc plenitudo potestatis in Romano Pontifice similiter asseri videtur; verùm si integer contextus epistolæ Leonis attendatur, nec non de qua potestate hic agat sanctus Leo, manifestum erit sanctum Leonem nequaquam de hac plenitudine, de qua Innocentius III. locutum fuisse, uti ostenditur in hoc supplemento *ad tit*. 21. *cap*. 2. *n*. 8. & fusius ostendit Baluzius loco ibidem citato.

Quòd verò Innocentius III. ob eam *plenitudinem potestatis* asserit Pontificem *Pallio semper uti & ubique*, nullam è Pontificibus ante Innocentium asseruisse legimus; neque scitur,quòd primis sæculis majori libertate Episcopus Romanus hoc ornamento usus fuerit, quàm cæteri Patriarchæ Orientales.

TITULUS XX.

De Synodis Provincialibus.

CAPUT I.

Ad Numerum III.

Synodi Provinciales à Pontifice tanquam

AD Nicænos Canones in textu notatos evidenter reflexit sanctus Leo scribens *Epist*. 6. *cap*. 7. universis Episcopis per Siciliam constitutis: „Quare illud primitùs pro custodia concordissimæ „unitatis exigimus, ut, quia saluberrimè à san-„ctis Patribus constitutum est, binos in annis sin-„gulis Episcoporum debere esse conventus, terni „semper ex vobis ad diem 3. Kalendas Octobris „Romam *fraterno Concilio*, sociandi in dissimu-„lanter occurrant:quoniam adjuvante gratiâ Dei, „facilius poterit provideri, ut in Ecclesiis Christi nulla scandala, nulli nascantur errores, cùm coram

Metropolitano olim bis in anno celebratæ.

„ram beatissimo Apostolo Petro id semper in „*Commune* tractandum fuerit, ut omnia ipsius „Constituta, Canonumque Decreta, apud omnes Domini Sacerdotes inviolata permaneant.

Evidens, Leonem hic urgere observantiam *Canonis* 5. Nicæni, quo statutum erat bis in anno Synodum Provincialem celebrari.

Unde & hic loquitur sanctus Leo de solis conciliis Episcoporum, qui Romano Pontifici tanquam Metropolitani erant subjecti.

Constat enim, quòd jus Metropoliticum Episcopi Romani etiam tempore Concilii Nicæni, ad plures Provincias, sive Ecclesias plurimarum Provinciarum (quæ *Suburbicariæ* dicebantur) se extenderet: quoque etiam *Sicilia* sub hisce Regionibus suburbicariis ætate Leonis contineretur; ut proinde mirum videri non debeat, si ad Concilium ab Episcopo Romano tanquam Metropolitano evocarentur Episcopi per *Siciliam* constituti, ut hi cum ipso Episcopo Romano tanquam Metropolitano Concilium provinciale, juxta Canonem Nicænum *bis* in Anno celebrarent.

Quapropter & eosdem Episcopos per *Siciliam* constitutos redarguens in citata Epistola *cap.* 1. quòd Baptismus solemnius & frequentius apud ipsos conferretur in *die Epiphaniæ*, quàm in *Dominica Resurrectionis*, ait" Quam in culpam nul- „lo modo potuissetis incidere, si *unde Consecrati-* „*onem honoris* accipitis, inde legem totius obser- „vantiæ sumeretis, & beati Petri Apostoli Sedes, „quæ vobis sacerdotalis est Mater dignitatis, esset Ecclesiasticæ Magistra rationis.

Quo rursus evidenter stabilitur jus Metropoliticum Episcopi Romani per Siciliam tanquam inter regiones suburbicarias constitutam.

Scitur enim, ordinationes Episcoporum juxta Canones Nicænos, quorum observantiam Leo mirum in modum urgebat, ad Metropolitanos spectâsse.

Quare juxta phrasim istius ætatis, Episcopos ad ordinationem alicujus Episcopi spectare, idem erat, atque illi Episcopo tanquam *Metropolitæ* subjici.

Insuper ex his evidens est, sanctum Leonem nequaquam dubitâsse, Canones, notanter Nicænos, præcipientes *bis* in anno Synodos provinciales celebrari, ipsam Ecclesiam Romanam, non secus ac alias Ecclesias spectâsse: hinc & indubiè contigit primis sæculis frequentissima fuisse Concilia Romana; ipsosque Romanos Pontifices vix aliquid gravioris momenti extra Synodum decrevisse aut statuisse.

Hoc ipsum notavit Cardinalis Bellarminus *lib.* 1. *de Clericis cap.* 16. inquirens eum, quâ ratione primitus, Episcopi non *Cardinales* præcederent, majorisque dignitatis æstimarentur, quàm Cardinales Presbyteri aut Diaconi; eam inter alias assignat rationem; quod eo tempore Episcopi *non Cardinales* operâ & consilio in regimine Ecclesiæ, Romano Pontifici solerent assistere, ejusque *Consiliarii* essent, non autem soli Cardinales: „Siquidem (ait) primis sexcentis, vel octingentis „annis summi Pontifices ad graviora negotia dijudicanda cogebant *Concilia Nationalia Episcoporum Italiæ*, quibus Conciliis intererant quidem Cardinales presbyteri, sed tamen primus locus Episcoporum erat.

Igitur Bellarmino fatente primis sexcentis vel octingentis annis frequentissima celebrabant Romani Pontifices Episcoporum Concilia, eaque ad graviora negotia Ecclesiæ dijudicanda cogebant.

Notavit idipsum vir eruditus Lucas Holstenius in notis ad concilium Romanum sub Bonifacio II. anno 531. celebratum, monens, quòd dum Pontifices consulerentur de negotiis *majoris* momenti „Synodos Episcoporum cogerent, ut de negotiis „his tractaretur & resolutio formaretur.

Imò Decreta Romanorum Pontificum in *majoribus* negotiis non fuisse reputata ut *Canonica*, nisi essent *synodaliter* probata & edita, neque ut talia à successoribus eorum reputata, probat professio fidei, quam novus Pontifex electus ante suam ordinationem emittebat; extatque in libro diurno Romanorum Pontificum *cap.* 2. *titul.* 8. in hac enim profitetur Constituta & Decreta à Romanis Pontificibus prædecessoribus suis observare, sed cum hac restrictione, quæ *synodaliter* statuerunt.

Hoc agendi modo ostenderunt Romani Pontifices, se esse fideles Canonum executores & custodes: nihil enim adeò sacri Canones urgent, quàm eam frequentem conciliorum celebrationem, ut ita majora negotia non unius Metropolitani judicio quasi Monarchicè, sed in *communi* tractarentur & deciderentur, quo possent se de assistentia Spiritûs sancti reddere securiores juxta illud Christi: *Ubi duo aut tres fuerint congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum*, dicit Bellarminus, quo eo tempore, *Episcopi non Cardinales* operâ & *consilio* in regimine Ecclesiæ Romano Pontifici solerent assistere, ejusque *Consiliarii* essent. Si per hæc significare voluerit Bellarminus Episcopos hisce conciliis duntaxat intervenisse tanquam Romani Pontificis *Consiliarios*, non autem ut *Judices*, quemadmodum cæteris Synodis Provincialibus Episcopi cum Metropolitano suo olim intervenerunt & hodie interveniunt, à vero aberravit Bellarminus.

Certum quippe est, Romanos Pontifices convocâsse *bis* in anno Episcopos ad celebrandas Synodos conformiter ad canones Nicænos. Porro evidens est, quòd Patres Nicæni, dum synodos provinciales celebrari præceperunt, voluerint, ut de majoribus negotiis Episcopi unà cum Metropolitano tractarent & judicarent: idque ad exemplum Apostolorum, qui convenientes super quæstione de observantia Legalium in *communi* deliberârunt, & quid tenendum & fidelibus proponendum esset, pariter deciderunt: Decretumque non sub unius Petri, sed omnium nomine conceptum fuit in verbis: *Visum est* NOBIS *& Spiritui sancto, &c.*

Ad Numerum VI.

In textu notatum est, sensim labentibus sæculis celebrationem Synodorum provincialium quasi interiisse: sed quo tempore signanter in Ecclesia latina facessere cœperit, incertum est. *Quæ potissima ratio omissionis Synodorum provincialium?*

Porrò notat Petrus de Marca *de Concord. Sacerd. & Imperat. libro* 6. *capit.* 15. *numer.* 5. celebrandorum conciliorum provincialium morem in Ecclesia Latina perdurâsse, quamdiu perduravit horum conciliorum *suprema auctoritas* in dijudicandis causis presbyterorum, Monachorum, aliorumque Clericorum: notatque hanc supremam auctoritatem hisce Conciliis sartam tectam in occidente conservatam fuisse, etiam ævo Caroli Magni, uti habetur ex Concilio Francofordiensi Anno 794.

cele-

celebrato, ubi *Canone 6.* legitur, Statutum est à „Domino Rege & sancta Synodo, ut Episcopi justitias faciant in suis Parochiis, si non obedierit „aliqua persona Episcopo suo de Abbatibus, presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Monachis „& cæteris Clericis, vel etiam aliis in ejus Parochia, veniant ad Metropolitanum suum, & ille „dijudicet causam *cum suis Suffraganeis*: Comites quoque nostri veniant ad judicium Episcoporum, & si aliquid est, quod Episcopus Metropolitanus non possit corrigere, vel pacificare, „tum tandem veniant accusatores cum accusato, „cum literis Metropolitani, ut sciamus veritatem rei.

Nec sanè obscurum est, hoc Canone Conciliorum Provincialium supremam auctoritatem in dijudicandis Clericorum causis & stabiliri, recognosci, nullamque admitti appellationem à judicio Metropolitani cum suis Suffraganeis, sive Concilii Provincialis, hoc solum permittente Canone condemnatis, ut si post sententiam Concilii superfit adhuc aliqua controversia, accusans, & accusatus adeant Principem cum literis Metropolitani, ut Rex *extra judicialem* causæ cognitionem suscipiat, auctoritatemque suam tribuat pro executione rei judicatæ, aut suam protectionem subditis, si contingeret eos opprimi in injuriam Legum & Canonum, impartiatur uti loquitur de Marca citato libro *cap. 14. num. 6.*

Cum verò in his Conciliis non tantum causæ Clericorum sed & *Laicorum*, præsertim, quas hi habebant contra Clericos, agitarentur, & definirentur, non mirum, si & hisce Conciliis juberentur interesse Comites, ut & hi sua auctoritate similes causas secundum leges definirent.

Quapropter *Canone 35* hujus Concilii Francofordiensis edicitur: " Si forte inter Clericum & „Laicum fuerit orta altercatio Episcopus & *Co„mes* simul conveniant, & unanimiter inter eos „causam definiant secundum rectitudinem.

Indubitatum est harum Synodorum celebrationem multum fuisse interruptam & neglectam, postquam sæculo x. & sequentibus auctoritate falsarum Decretalium admitti cœperunt Clericorum appellationes ab his Synodis ad Romanum Pontificem, atque suprema auctoritas in hisce causis decidendis enervata fuit.

Et ex Epistola Hincmari Remensis nomine Caroli Calvi Imperatoris sub medium sæculi ix ad Joannem Papam VIII missâ habemus, Episcopos Gallicanos contra has appellationes tanquam sanctis Canonibus, notanter Nicænis & Africanis nec non inveteratis moribus contrarias insurrexisse atque inter alia non veritos significare Pontifici quod, si similes appellationes ulterius admittantur, à Synodis Episcoporum celebrandis abstinebunt.

Et sanè in hac Epistola signanter *Capit. 19* sat benè probatur, per has appellationes Synodorum judicata contra accusatos Presbyteros cæterosque Clericos & Monachos etiam atrocium criminum reos, & de his plenè convictos omninò reddi inefficacia, ipsosque Episcopos multis molestiis, & gravibus incommodis exponi, si causas per appellationes Romam delatas ibidem prosequi juberentur. Integra Epistola extat Opera Hincmari Remensis.

Quantumvis dubium non sit, quin per admissas has ad Romanum Pontificem appellationes, & enervatam Synodorum in dijudicandis Clericorum causis auctoritatem, earum celebrationem contigerit intermitti, nihilominus & hoc certum est, modernum Synodorum Provincialium neglectum eo titulo seu prætextu justificari non posse.

Certum quippè est hanc Synodorum celebrationem vel præcipuè commendatam & præceptam ut in his de conservanda, vel restauranda disciplina in communi tractaretur: & quod recto spirituali regimini cujusque Provinciæ magis necessarium & opportunum esset, expenderetur, & ad abusus tollendos statueretur.

Quare harum Synodorum frequentiorem celebrationem urgere, & Episcopis præcipere non intermisit Ecclesia etiam post erecta & recepta Ecclesiastica Tribunalia iisque præpositos Judices quos hodie *Officiales* dicimus, coram quibus causæ Clericorum seu criminales seu civiles, judicialiter, & juxta stylum forensem instruuntur & deciduntur, uti parte 3. latius est expositum.

Undè fatendum est, deplorandam quam hodiè videmus disciplinæ Ecclesiasticæ collapsionem, nec non abusuum & vitiorum inundationem neglectui harum Synodorum magna ex parte adscribendam esse.

CAPUT III.

Ad Numerum III.

Quo tempore cœperit postulari confirmatio Synodorum Provincialium à Sede Apostolica.

IN textu notatum est, ab aliquot sæculis invaluisse, ut à Sede Apostolica Synodorum Provincialium confirmatio, & approbatio peteretur, eamque etiam post Tridentinam Synodum & in Gallia, & in Belgio postulatam per Episcopos aliquando fuisse.

Observat autem Vir clarissimus Petrus Pithæus in commentario ad libertates Ecclesiæ Gallicanæ *cap. 10.* " Non reperiri, quod ulla Syno„dus Gallicana octo primis sæculis ullam à Sede „Apostolica Decretorum suorum confirmatio„nem postulaverit.

At post publicatas falsas Decretales primis Romanis Pontificibus suppositas ac notanter post editum & receptum Decretum Gratiani invalescere cœpit opinio præsertim apud Romanos nullam Synodum cogi, aut ejus Decreta rata esse posse, nisi Sedis Apostolicæ accesserit assensus.

In suppositiitia enim Epistola Marcelli Papæ ad Maxentium apud Gratianum *Dist. 17. Can. 1.* legitur: " Synodum Episcoporum *absque hujus sanctæ Sedis auctoritate* (quanquam quosdam, Episcopos congregare possitis) non potestis regulariter facere.

Et ipse Gratianus referens *Dist. 17. Can. 3.* fragmentum suppositiitiæ Decretalis sub nomine Julii Primi ad Orientales, Canoni hoc summarium præfixit: *Non est ratum Concilium quod auctoritate Romanæ Ecclesiæ suffultum non sit.*

Horum itaque auctoritate tandem invaluit opinio, Concilia Episcoporum rata non esse, nisi auctoritas Sedis Apostolicæ intervenerit, quod & notavit Vir clarissimus Claudius Fleury in sua Historia Ecclesiastica, & notanter in quarto Discursu historico *numer. 2.* unà ibidem observans, ob hanc persuasionem indubiè factum, ut nulla penè Synodus à sæculo XII. legatur celebrata cui non interfuerit & præsederit Legatus Romani Pontificis.

Hanc fuisse Romanorum persuasionem tempore Concilii Tridentini, testatur Franciscus de Vargas in Epistola, quam Tridento scripsit 26.

Novembris anno 1551. ad Episcopum Attrebatensem, Cardinalem Granvellanum.

Scribit, enim quod inter articulos instructionis per Carolum V. Imperatorem missos, ut Patribus Concilii Tridentini proponerentur *session.* 14. sub Titulo 3. fuerit articulus de *cogendis Synodis Episcoporum*, quodque hic articulus Patribus propositus multum conturbaverit Legatum Pontificis.

Post hæc scribit suam opinionem fuisse, articulum non proponendum; eo quod ipse jam novisset prætentiones Papæ, ejusque Ministrorum: quodque tot jam essent de celebrandis his Conciliis edita Decreta, ut superfluum videretur, novum rursus ea de re Decretum publicare. Addit denique, quod Pontifices efficiant, ut Synodi Provinciales restitui nequeant, nisi eo, quo ipsis placuerit, modo; eaque conditione, quod hisce Synodis semper intersint Legati, sive Præsides, qui *vice sua* iisdem præsideant; atque hoc pacto fiat, quod Curia Romana integrum Ecclesiæ Corpus sibi ita subjectum tenebit; ut tandem nullus particularis audeat vel in minimo resistere.

Porro hâc decimâ quartâ sessione sub Julio III. habita, nihil de cogendis Episcoporum Synodis Decretum legitur, forsan, quia Cæsaris Oratores id urgere conveniens tunc non judicabant. At nec in Decreto *sessionis* 24. *cap.* 2. quo præcipitur singulis trienniis Synodum Episcoporum cogendam, nihil occurrit de assistentia, aut præsidentia Legati Apostolici; vel confirmatione aut approbatione postulanda aut obtinenda à Sede Apostolica.

Verum cum in Curia Romana ea esset recepta opinio auctoritate Gratiani, Decreta Synodorum non posse suum plenum habere effectum, & firmitatem, nisi postquam per Sedem Apostolicam essent probata, Decretum Concilii Tridentini in Curia Romana ita receptum fuit, ut quidem conformiter ad hoc Decretum, de triennio in triennium deberet haberi Concilium Provinciale in singulis Provinciis, sed tamen statuta plenum non haberent effectum, & executionem, antequam per Sedem Apostolicam essent revisa & probata.

Cum hac moderatione Decretum Concilii Tridentini in Curia Romana receptum & intellectum fuisse, evincit declaratio sacræ Congregationis Cardinalium super interpretatione Concilii Tridentini die sexta Aprilis 1596. relata inter declarationes Cardinalium ad calcem dicti *capitis* 2. *sess.* 24. *de Reformatione* his verbis. *Quæ in Conciliis Provincialibus conduntur publicari non debent inconsulto Pontifice.*

Hujus declarationis meminit & Petrus de Marca *lib.* 6. *de Concord. Sacerd. & Imp. cap.* 4. *n.* 12. sub finem addens: "Dissimulandum non esse, Cardinales per hanc declarationem auctoritatem Synodorum Provincialium, limitibus quibusdam circumscripsisse, *vim apertam* inferendo verbis Tridentinæ Synodi.

Monet & ibidem de Marca: *Declarationes illæ vim legis non obtinent in Gallia.*

Neque in Belgio has declarationes vim legis habere notorium est, & non semel in hoc opere notavimus: ac notanter hanc declarationem in Belgio agnitam non fuisse, neque creditum Decretorum Synodalium auctoritatem à confirmatione Romana dependere certum est.

Scitur quidem, Synodorum Provincialium, quæ post Concilium Tridentinum in Provincia Mechliniensi sub Cardinale Gravellano anno 1570. & sub Matthia Hovio anno 1570. celebratæ fuere, confirmationem à Sede Apostolica fuisse postulatam, eumque in finem, etiam Decreta Romam transmissa, atque nonnulla ex illis Decretis per Romanos Revisores fuisse immutata: Verum & hoc scitur; in Belgio nullam harum immutationum rationem habitam fuisse: sed Decreta Synodalia, prout per Episcopos fuerant edita, & à Principe probata vim suam habuisse & juxta illa hactenus hoc Capite, item Parte prima *titulo* 30. *cap.* 4. *numero* 16. notatum fuit.

CAPUT IV.

Ad Numerum II.

Quas partes habuerint legati Principum in Synodis?

Tametsi Principes, eorumve *Missi* Synodis Episcopalibus assistentes nequaquam, ut *judices* super Decretis judicium ferrent, uti in textu notatum est, nihilominus officii sui esse duxerunt, suggerere, & proponere, super quibus à Patribus videbatur esse deliberandum & statuendum, uti inter alia fidem facit Concilium Suessionense II. in Monasterio Sancti Medardi apud Suessiones præsente Carolo Calvo Rege, à quinque Provinciarum Episcopis celebratum anno Christi 853.

Imprimis enim in Præfatione profitentur Patres, quod ipsis Synodum celebrare volentibus annuerit Carolus Rex; ipsosque ad Urbem Suessionum in Monasterio sancti Medardi, & sancti Sebastiani 10. Kalendas Maias convenire præceperit.

Insuper, quod ipsemet "Rex dignatus fuerit Synodo interesse, ut se (inquiunt) non solum devotione Ecclesiæ filium esse ostenderet, verum etiam; sicubi opus esset, Protectionem Regiam auctoritate monstraret.

Post hæc, *Can.* 1. subjungunt: "Cum itaque Præsules diversarum Ecclesiarum, Pro Rege *multa humiliter & prudenter* PROPONENTE, tractassent potius quædam, quam definivissent VI. Kalendas Maji præEdentibus Synodo Hincmaro Remorum, &c.

Articuli per Regem Patribus exhibiti referuntur ad calcem Concilii tomo 8. Concil. General. *columna* 92. sub hoc titulo, *Capitula à Domino Carolo Rege in eadem Synodo apud Suessionis Civitatem in Monasterio sancti Medardi* proposita anno Incarnationis Dominicæ 853. in mense Aprili.

Nec tantum in Synodis Provincialibus sed & in Conciliis Generalibus soliti fuere Principes Patribus exponere, & suggerere, quæ ipsis pro reformanda disciplina aptiora & magis necessaria videbantur; quod & in novissima Tridentina Synodo per imperatores, & Reges factum fuisse, acta hujus Synodi testantur, & in decursu hujus Operis ostenditur, quod articulorum à Principibus, Patribus Tridentinis propositorum ratio habita fuerit.

TITU-

TITULUS XXI.

De Legatis & Nuntiis Apostolicis.

CAPUT PRIMUM.

Ad Numerum IX.

De Apocrisiariis Patriarcharum apud imperatorem residentibus.

AD Julianum Episcopum (cujus fit mentio in textu) plures extant sancti Leonis Epistolæ, quibus eum de his, quæ Sedis Apostolicæ Legato agenda sunt, instruit; & vicissim ipsius Juliani ad Leonem, quibus eum de negotiis, & gestis certiorem reddit.

Credit autem Paschasius Quesnellius *nota sexta ad Epist.* 84. sancti Leonis Marciano Augusto, inscriptam *Apocrisiarios*, quos hodiè *Nuntios* vocamus in comitatu Principis vices Romani Pontificis agentes, primum fuisse institutos in persona hujus Juliani.

Quin & ibidem observat, hinc originem habuisse Vicarios, seu ut nunc loqui consuevimus, *nuntios* Sedis Apostolicæ.

Observat insuper, hos Vicarios, à viris doctis non malè comparari cum *Apocrisiariis* Patriarcharum Orientalium; licet discrimina nonnulla inter eos intercessisse, observet.

Quo motivo inductus fuerit sanctus Leo ut ad Urbem regiam destinaret *Vicarium*, qui ibidem intenderet iis, quæ agebantur, præsertim ab Episcopo Constantinopolitano latius exponit ibidem Quesnellius; notans quoque, quare præ cæteris in suum Vicarium elegerit sanctus Leo hunc Julianum Episcopum.

De origine autem *Apocrisiariorum* eorumque apud Imperatores residentia & officiis fusius tractat Petrus de Marca *lib.* 5. *de Concord. Sacerd. & Imp. cap.* 16. 17 & 18. observatque *cap.* 16. *num.* 4. ex *Novella* 6. Justiniani *cap.* 3. quod ævo hujus Imperatoris, sol Patriarchæ suos haberent in Aula Imperatoris residentes *Apocrisiarios*, hosque distinctos fuisse à Clericis & Oeconomis cæterorum Episcoporum, qui ad Palatium mittebantur.

Notat insuper *cap.* 17. *n.* 3. quod *Apocrisiarii* sive *Responsales* nullam jurisdictionis partem attingerent nisi ex delegatione speciali, quæ aut à Principe fiebat aut aliquando à summo Pontifice quod tamen raro contingebat, uti ibidem monet Petrus de Marca.

Quoad hunc articulum hodierni Nuntii sive Internuntii Apostolici cum pristinis illis Patriarcharum Apocrisiariis ferè conveniunt Scitur enim in plerisque Regnis ac notanter in Gallia & Belgio hodiernos Nuntios, nullum jurisdictionis actum exercere posse, imò nec facultatibus suis uti posse, nisi per Principem, ejusve superna Auditoria recognitæ & admissæ fuerint, uti in hoc opere probatum est.

CAPUT II.

Ad Numerum VII.

Causæ majores ævo sancti Leonis nondum erant Sedi Apostolicæ reservatæ.

EX Epistola sancti Leonis in textu descripta consequi forsan posset, etiam tempore hujus Pontificis, id est, sæculo quinto causas *majores* Sedi Apostolicæ fuisse reservatas.

Verum si pressius textus hujus Epistolæ attendatur, apparebit sanctum Leonem voluisse duntaxat, ut, *si quæ Majores inter Episcopos causæ sunt, quæ in Provinciis suis nequeant terminari, ad ejus* (*Vicarii*) *notitiam* referantur, easque non tam à suo Vicario tanquam *Judice* discuti, finirique mandat, quàm ab eodem *ut* ARBITRO *sub divini timore Judicii componantur*, uti loquitur Epistola 13 cap. 1

Unde rectè notat Paschasius Quesnellius, in notis ad dictam Epistolam, *nota primâ*, hinc elici *majorum causarum judicia ad majores Sedes referri non ex* DEFECTU POTESTATIS *in Metropoliticis Episcopis, sed ex difficultate incurrentium quæstionum; quæ dum sæpius, à pluribus examinantur, tandem ex sapientiorum consilio componuntur.* "Et revera (ait Quesnellius) saltem aliquas illarum ad consultationem magis quàm ad judicium evocat sanctus Leo, ut ex his verbis *Epistolæ* 4. ad Anastasium *cap.* 5. fit manifestum: Si qua, (inquit) causa *major* evenerit quæ fraternitate, tua illic præsidente non potuerit definiri, relatio tua missa nos *consulat*, ut revelante Domino, cujus misericordia profitemur esse quod possumus, quod ipse nobis aspiraverit, rescribamus.

Ex verbis sancti Leonis in citata *Epist.* 13. *cap.* 2. insuper habemus causas illas *majores*, maximasque, quæ in Provinciis terminari nequibant, non ex solius Vicarii nutu pependisse, sed easdem in *Concilio Episcoporum* è diversis Provinciis evocatorum discussas, finitasque fuisse.

Licet ergo hic videamus sanctum Leonem *majores* causas sibi reservare sive sibi referri voluisse, nequaquam ex his concludi potest, ævo sancti Leonis *majores* causas fuisse Sedi Apostolicæ reservatas ejus *solius* judicio terminandas: quandoquidē ex verbis sancti Leonis evidens fit, duntaxat ipsum suo mandasse Vicario, ut si *major* emergeret causa, quæ *ibidem terminari non posset*, ipse eam suo proprio arbitrio & judicio non terminaret, sed ejus decisionem suspenderet donec Leonis sententiam intellexisset; quod & habetur ex verbis ejusdem Leonis in *Epist.* 12. relatis in textu *num.* 8.

Ad Numerum VIII.

Quo sensu dictum sit à sancto Leone Thessalonicensi Episcopo eum vocatum in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

Ex verbis Leonis ex ejus Epistola 12. in textu relatis sat compertum est Leonem per illa verba finalia, "Vices enim nostras ita tuæ credidimus Charitati, ut in *partem sis vocatus solicitudinis, non in plenitudinem potestatis* aliud non voluisse significare Episcopo Thessalonicensi, nisi quod ipsum designando suum per *Illyricum Vicarium*, vices suas ei commiserit, sub ea moderatione, ut in arduis negotiis, quæ in Provinciis non possent facile decidi, deberet consulere Pontificem ejusque super eis sententiam exspectare, uti in nota præcedenti ostendimus.

Præterea ex toto contextu Epistolæ manifestum est, sanctum Leonem hic non loqui de *plenitudine potestatis* quam Christus dederit Petro & successoribus ejus Romanis Pontificibus, quasi *solus* plenitudinem istam habeat, ceteri verò Episcopi vocati tantum ab eo sint in partem solicitudinis; sed de potestate patriarchali quam eo tempore, id est ætate Leonis Romanus Pontifex per Illyricum obtinebat, uti & observat, & fusius probat Stephanus Baluzius in appendice ad *libr.* 5 Petri de Marca de Concord. Sacerd. & Imp. *caput.* 26.

Monet ibidem Baluzius *num.* 5. quod occasione hujus Epistolæ sancti Leonis, explicare intendat effatum illud *ultimorum temporum*, nimirum, cæteros Episcopos vocatos esse in *partem solicitudinis*, sed solum Romanum habere *plenitudinem potestatis*: ostendamque [ait] Leonem non cogitâsse hoc loco de suprema auctoritate Romanæ sedis in *Universum*, sed tantum de potestate, quæ Sedi Apostolicæ competebat in Provinciis Illyricianis in cujus potestatis exercitio *vices* suas Anastasio tribuerat, ita tamen, ut ab eo vocatus fuerit in *partem solicitudinis* non in *plenitudinem potestatis*; illius nimirum Exarchicæ, vel Patriarchales, quæ speciali jure vel consuetudine, ævo sancti Leonis per Illyricum competebat Romano Episcopo, non titulo Primatiæ, sive sui Primatûs, qui se ad omnes Ecclesias protendit, sed titulo Exarchatus vel Patriarchatus intra fines & terminos conclusi uti ibidem ostendit Baluzius.

Hic rursus patescit, sedulò in Romano Pontifice distinguendam qualitatem specialis Episcopi, Romani; item Metropolitani, nec non Patriarchæ ac ejusdem Primatus, ne gesta sub una earum qualitatum, credantur sub alia qualitate, ac signanter titulo *Primatus*, Romanos Pontifices sibi, etiam primis Ecclesiæ sæculis vindicasse.

Ad Numerum IX.

Sensim Legati Sedis Apostolicæ sibi attraxerunt jura Metropolitanorum.

Ex Epistola sancti Leonis in textu relata intelligimus sanctum Leonem, enixè injunxisse suis Legatis, sive Vicariis, ut ita Vicarii functiones obirent, ut tamen conformiter ad sanctos Canones, notanter Nicænos, jura Metropolitanorum intacta servarent.

Verum huic saluberrimo, justissimoque monito Vicarii seu Legati Apostolici non per omnia obsequentes; quin & ipsi Romani Pontifices notanter sæculo nono & sequentibus post evulgatas & receptas falsas Decretales, jura & privilegia suorum Vicariorum in præjudicium Metropolitanorum sensim protendentes, varias horum querelas & oppositiones excitârunt.

Inter alia legimus, quod Joannes VIII. constituens Ansegisum Archiepiscopum Senonensem, suum per Gallias & Germaniam Vicarium, ei dedit auctoritatem, "quoties utilitas Ecclesiastica dictaverit, sive in evocanda Synodo, sive in aliis negotiis exercendis, per Gallias & Germanias Apostolica vice finiantur, & decreta Sedis Apostolicæ per ipsum Episcopis manifesta efficiantur, & rursus, quæ gesta fuerint, ejus relatione, si necesse fuerit, Apostolicæ Sedi pandantur, & *majora* negotia ac difficiliora quæque suggestione ipsius à Sede Apostolica disponenda & enucleanda querantur: uti habet Epistola Joannis VIII. quâ Ansegisa Vicariatum committit.

Nequaquam obscurum est, hac commissione jura Metropolitanorum in convocandis Episcoporum Conciliis & *majoribus* negotiis terminandis labefactari. Quapropter cum hæc Epistola in præsente Rege Francorum Carolo Calvo legeretur; atque peteretur nomine Caroli ab Episcopis ibidem præsentibus, quod de his jussis Apostolicis responderent, responsio eorum fuit: "Ut servato singulis Metropolitanis jure privilegii, secundum sanctos Canones, & juxta Decreta Sedis Romanæ Pontificum ex ejusdem Canonibus promulgata, Domini Joannis Papæ Apostolici mandatis obedirent.

"Et cum Imperator & Legatus Apostolicus satagerent, ut *absolute & simpliciter* Episcopi responderent, se obedituros de Primatu Ansegisi sicut Apostolicus scripsit, aliud, nisi quod prædictum est, responsum ab iis extorquere non potuerunt.

Imperator autem volens exequi, quod Pontifex Ansegiso concesserat, illum jussit sedere ante omnes Episcopos in qualitate *Primatus* seu Vicarii Apostolici, etiam ipsa ordinatione anteriores Rhemorum Archiepiscopo *reclamante* audientibus omnibus, hoc factum sacris regulis obviare. Referuntur hæc tom. 9. Concil. General. *columna.* 281.

Ex hac Metropolitanorum, & Episcoporum resistentiâ, & reclamatione noscitur, rectè notâsse virum eruditum Franciscum florentem in commentari ad tit. de officio *Legati* "Novas hujusmodi Legatione Metropolitanis, & Episcopis Galliæ exosas fuisse, tanquam adversus antiqua privilegia Metropolitanorum, quam in rem notanda quoque Epistola, quam prædictus Rhemorum Archiepiscopus nomine Hincmarus scripsit adversus novam illam Ansegisi Senonensis Archiepiscopi Legationem.

Et sanè sensim labentibus sæculis Vicarios, sive Legatos Sedis Apostolicæ omnia pene jura Metropolitanorum ad se traxisse ostenditur in notis ad *n.* 16. ut proindè non immeritò his initiis restiterint Gallicani Episcopi, ac signanter Rhemorum Metropolita Hincmarus.

CAPUT II.

Ad Numerum XVI.

Legatorum auctoritas sensim enervavit auctoritatem Metropolitanorum.

IN textu notavimus Pontifices sæculo. XI. & sequentibus necessitatem mittendi Legatos per varias Provincias cœpisse adstruere ex *plenitudine* pastoralis officii in ipso Romano Pontifice residente, quam & præ cæteris magnificis expressit Innocentius III. Porrò hanc *Pastoralis Officii plenitudinem* à nullo Pontifice in fundamentum mittendi suos Legatos per Provincias assumptam legimus ante seculum X. vel XI. eamque auctoritate falsarum Decretalium Romanos Pontifices sibi asseruisse, supra ostendimus ad *titulum* 19. *capit.* 5. *num.* 15.

Notavit autem Dominus Fleury in sua Historia, ac signanter in suo quarto Discursu historico, quod postquam Pontifices auctoritate falsarum Decretalium, & Decreti Gratiani asseruerunt sibi eam officii pastoralis plenitudinem, coacti fuerint aliis hanc auctoritatem delegare: nam impossibile erat, ut ipsi Pontifices omnes *personaliter* adirent, vel ut adessent, omnes evocarent; atque hinc frequentes esse cœperunt Pontificum legationes à sæculo XI.

Præterea ibidem monet, "Quod & subidem tempus, Legati omnia negotia cœperint sua auctoritate tractare & absolvere; atque indè contigerit, ut omnis penè Metropolitanorum auctoritas evanuerit, nihilque Metropolitanis supra reliquos Episcopos superesset, nisi prærogativa consessûs, nomen Metropolitani & ornamentum Pallii.

De hac amplificata Legatorum potestate ex hoc jacto fundamento necessitatis mittendorum Legatorum; nec non diminutis Metropolitanorum & Episcoporum juribus fusius agit clarissimus Baluzius in appendice *ad Librum* 5. *Petri de*

Marca

Marca de Concord. Sacerd. & Imperat. capit. 47. observatque *numer.* 6. Quod Legati tametsi omnia pro suo arbitrio gererent, ut plurimùm tamen cuncta peragerent in Conciliis; ut quæ ipsi statuebant, etiam Episcoporum auctoritate tenerent. Hoc insuper notans, quod postremis temporibus, postquam solidate fuit suprema illorum potestas, insuper habuerint nomen Episcoporum, satis dignitati illorum prospectum putantes, si coram illis Decreta conderentur.

Undè nonnunquam Decreta in Conciliis Episcoporum, quibus ipsi præsederant, edita suo duntaxat nomine Legati publicabant; & ab omnibus Episcopis observari mandabant; uti à Gerardo Episcopo Sabinensi & Apostolicæ Sedis per Siciliam Legato, in publicatione Decretorum in concilio Generali apud Melphiam Anno 1284. conditorum, factum fuisse ibidem notat Baluzius; ut proinde omnis penè Episcoporum auctoritas in solis Legatis Apostolicis residere videtur.

Ad Numerum XXIV.

Plura tandem Legatis Sedis Apostolicæ indulta ad eorum extollendam dignitatem.

Quanta esset Legatorum ambitio, quantoque fastu & pompa Provincias ingrederentur, & se supra Metropolitanos, & Episcopos efferre ambirent atque in Conciliis Generalibus Episcoporum præsidere, & suffragii prærogativa gaudere, pluribus deducit Baluzius in dicta appendice ad librum 5. Petri de Marca de Concord. Sacerd. & Imper. *capit.* 25. ibidem unà observans *numer.* 15. Insignia Pontificia, de quibus loquitur Innocentius III. in *capit.* ANTIQUA *x. de Privil.* fuisse indumenta Pontificalia; atque hinc concludit, indumenta Romanorum Pontificum, quæ rubea erant, communicata fuisse cum Legatis; sicut olim Pallium; conaturque ostendere vestes Romanorum Pontificum olim fuisse purpureas.

Indubiè hæc ornamenta Legatis suis communicavêre Romani Pontifices ut hoc ornatu ipsam personam Pontificis manifestius exhiberent; & ita honor, & reverentia, quæ Romano Pontifici debetur, Legatis personam ejus repræsentantibus exhiberetur.

Ad hæc *capit.* 53. ostendit Baluzius, quod tantus quondam fuerit Legatorum excessus & insolentia, ac nimiæ auctoritatis suæ abusus, ut etiam ipsos Romanos Pontifices ad eos revocandos commoverint, ipsosque pœnituerit, tantam auctoritatis amplitudinem suis Legatis dedisse: quia uti rectè reflectit Baluzius ibidem *numer.* 1. "Ea "est Romanæ Ecclesiæ consuetudo, quemadmo-"dum observat Ivo Carnotensis Episcopus, ut ne-"que soleat, neque velit Decretis suis *patenter* ob-"viare, toleranda aliqua fuerunt, ne, si statim "quorumlibet Legatorum facta in quæstionem "adducerentur, bona Romanæ Ecclesiæ fama pe-"riclitaretur, quam Sedi illi valde necessariam esse "ait idem Ivo.

"Itaque cum Legati Gradûs & ordinis sui im-"memores, potestatem, quam acceperant, in as-"sertam licentiam vertebant, tum verò fremere, "& indignari Romanos Pontifices, etsi decens fu-"isset, facta Legatorum mittere in irritum: Ve-"rum quia periculum erat, ne infamis Apostoli-"cæ Sedis inconstantia notaretur, & quoniam (ut "ait Baronius) *prudentia carnis, non spiritus* per-"peram facta à Ministris defendi solent ab eorum "Dominis Romani Pontifices, non palam quidem "rescindebant, quæ acta à Legatis concessissent "hæc Baluzius.

Ex his intelligitur, quàm ægrè Romani Pontifices perperam gesta, etiam à suis Legatis & Ministris palam improbare, & in irritum mittere sive emendare jam pridem soliti fuerint; quod meritò Cardinalis Baronius *non spiritûs* sed carnis prudentiæ adscribit.

Ad Numerum XXIX.

Jura Legatorum in Decretalibus ex olim expressa pene ignota.

Si quis conferre voluerit ea, quæ in decretalibus Gregorii IX. sub titulo *de Officio Legati* nec non sub titulo *de Censibus, Exactionibus & Procurationibus:* & *in sexto Decretalium* sub eisdem titulis referuntur de auctoritate, dignitate, ac juribus legatorum, cum iis, quæ Vicariis & Apocrisiariis Romanorum Pontificum à tempore sancti Leonis & aliquot sæculis sequentibus competebant facile intelligit pleraque, quæ de eorum dignitate, auctoritate, & juribus à Canonistis conformiter ad jus Decretalium dicuntur, sapere tempora illa, quibus dignitas & auctoritas, nec non jura Legatorum in immensum excreverant; & quando Romani Pontifices Legatos ad Aulas Principum mittere cœperant ad modum Imperatorum & Regum, quod circa seculum XII. post tempora Gregorii VII. sua initia & incrementa accepisse ex Scriptoribus & Historicis illius temporis compertum est apud quos de Legatorum & Ecclesiæ Romanæ in hac missione excessibus querelæ loquuntur?

Undè in Decretalibus Gregorii IX. sub titulo de *Officio Legati* nulla occurrit Decretalis antiquior Decretali Alexandri III. qui sub finem sæculi XII. demum sedit: ut ea, quæ de juribus ac dignitate & prærogativis Legatorum in libris Juris Canonici dicuntur, nova vix fuisse videantur.

Circa hæc quoque tempora videtur invaluisse, ut Ecclesia Romana dici cœperit *Curia* Romana cum hucusque instar aliarum Ecclesiarum dici soleret simpliciter *Ecclesia Romana.*

In hanc enim nominis mutationem quasi recenter inductam invehitur Gerchus Præpositus Recherspergensis, sancto Bernardo coævus, in expositione in *Psalmum* 64. sive *libro de corrupto Ecclesiæ statu* ad Eugenium III. Papam, ubi Ecclesiæ Romanæ maculas describere satagens ait: "Neque vel hoc ipsum carere maculâ videtur, "quod *nunc* dicitur *Curia Romana*, quæ *ante hac* "dicebatur *Ecclesia Romana*, nam si revolvantur "antiqua Romanorum Pontificum scripta, nus-"quam in eis reperitur hoc nomen, quod est *Cu-"ria* in designatione sacrosanctæ Romanæ Eccle-"siæ, quæ rectius *Ecclesia*, quàm *Curia* nomina-"tur: quia nomen *Curia*, ut ante nos dictum est à *cruore* derivatur, sive à *curis*, ut ait quidam: *quia curarum Genitrix, Nutrixque malorum injustos justis, inhonestos aquat honestis.* Extat hic liber *tom.* 5. *Miscellaneorum* Stephani Baluzii *pagin.* 63.

Ceterum nec hodiè in Belgio aut Gallia pluribusque aliis Provinciis & Regnis nota & recepta sunt ea omnia, quæ in Decretalibus Legatis sive Nuntiis Apostolicis attribuuntur, ac signanter quæ de jure *Procurationum* dicuntur, uti sparsim in hoc opere notatum est.

CAPUT III.

Ad Numerum IV.

consensus Principis in recipiendis legatis Apostolicis.

IN textu notatum est hodie in Belgio, aliisque plerisque Provinciis & Regnis invaluisse, ut Legati, sive Nuntii Apostolici sine consensu principis intrare nequeant, seu functiones obire.

Quo tempore, & quâ occasione eum consensum principes requirere cœperint, non certo scitur. Verisimile est, non ubique eodem tempore, eâdem occasione inductum.

Extat hac de re notanda Epistola Friderici Imperatoris sub medium sæculi XII. data ad Adrianum IV. Pontificem, qua respondit querelæ hujus Pontificis, quod Cardinalibus à se ad Imperatorem destinatis, non tantum Ecclesias, sed & portas civitatis occludi fecissent, respondet Imperator: " Cardinalibus utique vestris clausæ sunt Ecclesiæ & non patent civitates: quia non videmus "eos Prædicatores sed Prædatores, non pacis Cor"roboratores, sed pecuniæ Raptores, non orbis „Reparatores, sed auri insatiabiles Corrasores, „cum autem viderimus eos, quales requirit Ecle„sia, portantes pacem illuminantes patriam, assis„tentes causæ humilium in æquitate, necessariis „stipendiis & commeatu eos sustentare non differemus. Habentur hæ litteræ apud Goldast. tom. 1. Constit. Imper. edit. 1607. *pagin.* 58.

Similiter narrat Hector Boetius lib. 13. Historiæ Scotorum. *fol.* 282. quod cum Romani pontifices frequenter è suo corpore mitterent Legatos in Scotiam, qui Scotiam raptarent, sub umbra legationis, rem eo deductam esse anno 1221. ut, cum illuc missus esset ab Honorio Papa Legatus, Alexander Rex consulendos suos ratus, Concilium convocaverit, ibi Præsul quidam præfatus de avaritia & pravis moribus Legatorum, demum huc flexit, ut censeret, non modo hunc non admittendum reclamante populo, ac regno exhausto sed ne in posterum quidem hunc aliumve.

Addit autem Hector Boetius, ea liberrima Præsulis illius oratione permotos, qui in Conventu aderant, Legatum censuisse in Regnum admittendum non esse. Quæ cum summo Regis (inquit) & assidentium assensu probata essent, Legatus in Regnum admissus non est.

Tandem cæteri quoque principes in suas provincias Nuntios, aut Legatos sine sua licentia recipere noluerunt, uti in textu de Regno Galliæ & Ditionibus Belgii observatum est, ibidemque notatum, per Principem ejusque suprema Auditoria, eorum instructiones, sive facultates examinari, plerosque modificationes adjici. Sed præ cæteris soliciti sunt Ministri Regii, ne quid jurisdictionem sapiens Nuntii sibi attribuant.

TITULUS XXII.

De Congregationibus Cardinalium.

CAPUT I.

Ad Numerum III.

Nomen Cardinalis Presbyteris primum Gelasium Papa I. tributum.

IN textu notatum est, per Gelasium I. qui Pontificatum gessit sub finem sæculi v. Episcopis & Presbyteris, quin & Diaconis nomen *Cardinalis* fuisse tributum: notantque passim eruditiores, ante hunc pontificem, nomen Cardinalis non legi tributum Episcopis, presbyteris, aut Diaconis. Occurrit quidem in quadam Synodo, quæ habita dicitur sub Sylvestro Papa sæculo IV. sed hanc Synodum ejusque acta demum ævo Caroli Magni conficta Sylvestro papæ supposita esse, plura in ea occurrentia evidenter evincunt, & hodie passim Eruditis sat est persuasum.

Ad Numerum XXVI.

Leviore ex causa infliguntur censuræ.

Notatum est in textu, Innocentium X. inhibuisse Pictoribus & Sculptoribus, pingere, vel sculpere in insignibus vel *armis* Cardinalium quâcunque prærogativa familiæ fulgentibus, coronas aliave signa sæcularis prærogativæ sub pœna *Excommunicationis latæ sententiæ.*

Sanè si ex gravitate pœnæ comminatæ, scilicet *Excommunicationis latâ sententiæ* judicandum esset de enormitate criminis, indubie Pictores aut Sculptores hujus Decreti transgressores judicandi essent *enormis* criminis rei: sed scitur, similem censurarum comminationem ex consueto, sed nequaquam probando hodierno Curiæ Romanæ stilo omnibus passim Decretis apponi.

Undè nec mirum, similes censurarum comminationes ut meri stili passim reputari & in judiciis pro talibus haberi.

Optandum ut Curia Romana in censuris infligendis seriò attenderet ad Decretum concilii „Tridentini *session* 25. *capit* 3. *de reformation.* in verbis: " Quamvis *Excommunicationis* gla„dius, nervus sit Ecclesiasticæ disciplinæ & ad "continendos in officio populos valdè salutaris, "sobriè tamen magnaque *circumspectione* exe"rendus est, cum experientia doceat si temerè „aut levibus ex rebus incutiatur, magis contem„ni, quàm formidari, & pernitiem potius parere, quàm salutem.

Ad Numerum XXXI.

Pontifices jam pridem cum consilio Cardinalium tanquam suo Clero negotia tractarunt.

Quemadmodum Episcopi, & etiam ipse Romanus Pontifex primis seculis Ecclesiarum suarum negotia tractabant cum suo clero, ita quoque postmodum pontifices soliti fuerunt cum Collegio Cardinalium, tanquam suo Clero, de negotiis majoris momenti universalem Ecclesiam spectantibus non tantum tractare, sed & ex eorum resolutione & assensu illa absolvere & decidere, uti pluribus ostendit Petrus de Marca *lib.* 1. *de Concord Sacerd. & Imp. cap* 9 *num.* 7.

Quin & notat jam pridem Pontifices jurasse in sua inauguratione, se Ministerium suum cum consilio Cardinalium gesturos. Imo non tantum cum *consilio* Cardinalium, seu sui Cleri consuevisse jam pridem causas *majores* decidere, aut quæstiones ad se delatas resolvere, sed convocatis Episcoporum Synodis, uti monet de Marca, & supra latius ostendimus.

Sed " Hodie (ait de Marca ibidem *n.* 8.) eo jure „utitur Romanus Pontifex, ut eos quidem in con„silium exhibeat, sed eorum assensu non indigeat.

Quo tempore eo jure uti cœperint pontifices & quasi

quasi monarchicè Ecclesiam regere incertum est. Interim illud notat ibidem de Marca, quod etiam ævo Petri Damiani, id est anno 1061. Episcopi Cardinales eum locum tenebant, ut de illis Damianus dixerat. "Patriarcharum & Primatum „jura transcendunt, & supra ipsos quoque Pontifices authenticam prævalent proferre censuram Quin & ætate sancti Bernardi, imò & pluribus sequentibus sæculis Cardinales eam sibi vindicâsse auctoritatem ibidem ostendit de Marca.

Ad Numerum XXXIII.

In textu notatum fuit, quod cum sciretur negotia majoris momenti, etiam Universalem Ecclesiam spectantia hodiè in Curia Romana per Cardinales, tametsi duntaxat Cardinales *Diaconos* tractari & absolvi; atque ipsos à Pontifice saltem in consilium assumi, in Concilio Tridentino de qualitatibus in assumendis ad hanc dignitatem necessariis actum esse; atque hac de re editum decretum *session. 26. cap. 1 de reform.*

Porrò legitur, quod Decreta hujus sessionis ante eorum promulgationem communicata fuerint Oratoribus Regis Christianissimi; quod hi responderint, quod "Quantùm attinet Cardina-„les nihil aliud in hac parte placere nobis potest, „quàm quod de illis aliquando optimè constitu-„tum est, scilicet, ut non plures sint *viginti quatuor*, nec aliquis posthac creetur, aut in demor-„tui locum subrogetur, antequam totus ordo ad „illum numerum redierit. Item etiam, ut ex om-„nibus Christiani orbis regnis, & Provinciis as-„sumantur, sic tamen, ut ex eadem urbe, aut „Diœcesi duo eligi non possint: illi autem, qui „eligendi sunt, moribus, pietate & conditione „præsentes; neque fratres sint, aut nepotes ex fra-„tre, aut sorore Romani Pontificis, aut alicujus „Cardinalis viventis nullo etiam Archiepiscopa-„tûs officio, beneficio Ecclesiastico aut aliâ qua-„vis causâ à perpetua illa assistendi Romano Pon-„tifici solicitudine, quæ eis incumbit, revocentur: „Denique providendum ut quorum eadem est „par dignitas, eorum quoque æqualis sit omni-„nò reditus.

Hujus suggesti articuli reformationis meminere Regis Christianissimi Oratores in suis observationibus ad Decreta reformationis in dicta *session.* 24. publicata, quas miserunt ad Regem, monentque se obtinere non potuisse, ut ab eis suggesta Decreto insererentur; eo quod *persuasum esset, nemini licere præscribere Romano Pontifici* quid in eligendis sibi Cardinalibus spectare aut sequi debeat. Habentur hæ notæ in libello, cui Titulus: *Mémoires sur le Concile de Trente gage* 576.

Ex hac persuasione Curiæ Romanæ? nec non Episcoporum notanter Italiæ huic Curiæ præ cæteris obnoxiorum, scilicet quod Romano Pontifici in eligendis Ministris & regimine Ecclesiæ à nemine leges præfigi possent summum in reformandis abusibus præsertim Curiæ Romanæ, obstaculum objectum fuisse, & historia & acta hujus Concilii abundè probant.

CAPUT II.

Ad Numerum X.

Consistoria aut Congregationes Cardinalium non sunt paris auctoritatis cum Synodis, quas Romanus Pontifex jam pridem cum Episcopis celebrabat.

IN textu notatum fuit ex Cardinale de Luca, quod tametsi negotia consistorialia, ut est promotio Cardinalium proponantur Cardinalibus *consistorialiter* congregatis; eorumque suffragia per Papam ibidem præsentem exquirantur, nihilominus illorum omnium decisio dependeat à *solo* Pontifice votaque Cardinalium duntaxat reputentur *consultiva; quod in negotiis* ad alias Congregationes Cardinalium spectantibus, & à Pontifice ad eas remissis obtinere indubitatum reputatur in Curia Romana (quamvis jam pridem aliter obtinuerit, uti supra notatum est) utpote quæ omnem auctoritatem & jurisdictionem in *solo* Romano Pontifice retinet; ejusque regimen esse planè Monarchium, existimat.

Nequaquam proinde hæc Consistoria vel Cardinalium Congregationes paris auctoritatis reputanda sunt cum pristinis Synodis quas in negotiis majoribus momenti Romani Pontifices convocare consueverant: in his enim unà cum Romano Pontifice interveniebant Episcopi, non tanquam Pontificis simplices Consiliarii; sed ut *veri Judices* & suffragio *decisivo* cum ipso Pontifice gaudentes: ideoque in hisce Synodis Decreta & decisa *synodaliter* Decreta & decisa, & tanquam Synodorum Decreta evulgabantur.

Interim ex his, quæ tum hoc capite de Consistorio nec non in sequentibus de Officio Cardinalium in hisce Congregationibus observata sunt, verissimum esse constat, quod notavit Cardinalis Bellarminus, hodiernum officium Cardinalium esse Pontifici perpetuo assistere, eumque in regenda *Universa* Ecclesia consilio & industriâ adjuvare.

At perperam concludit Bellarminus, quod Cardinalis non Episcopus, sed duntaxat *Presbyter* aut *Diaconus* dignitate emineat supra Episcopum, propterea quod simplices Episcopi, non Cardinales nunquam adhibeantur ad regimen *Universæ* Ecclesiæ, nisi rarissimè, id est, cum ad Generale concilium convocantur; at Cardinales ferè quotidiè præsto sunt Pontifici neque ullum negotium majoris momenti sine eorum consilio peragitur.

Si enim hinc vel in speciem peti posset Cardinalium præeminentia supra Episcopos, quidni eadem consequentiâ concludi posset Presbyteros, Diaconos, cæterosque Clericos è quibus pluribus sæculis constitit *Presbyterium & Senatus* Romanæ Ecclesiæ, sive quorum consilio Romani Pontifices in negotiis præsertim alicujus momenti utebantur (quemadmodum & reliqui Episcopi suo Presbytero, sive Senatu) supra Episcopos reliquos dignitate excelluisse? Quod nemo unquam hactenus prætendisse, aut asseruisse legitur.

Scimus quidem, Diaconos Romanæ Ecclesiæ jam pridem se voluisse Presbyteris ejusque Ecclesiæ anteferre? sed eorum superbiam & supercilium acerrimo stilo in hoc perstrinxisse sanctos Patres, & signanter sanctum Hieronymum, passim notum est, de quo videri possunt, quæ observavi ad *Canonem* 18. Nicænum, in quo Canone ejus temporis Diaconorum insolentia reprimitur, quemadmodum & in *Canone* 7. Concilii Trullani.

CAPUT III.

Ad Numerum XXXVI.

Decreta Congregationis Cardinalium non recipiuntur, & quare?

IN textu notatum est, subinde hic in Belgio permitti publicationem Decretorum, quæ sub nomine hujus Congregationis prodeunt, cum tamen certum sit, Belgium non recognoscere auctoritatem *Inquisitionis* Romanæ.

In

In Gallia autem Ministri Regii nullam volunt permittere horum Decretorum publicationem sub nomine hujus congregationis, ne sensim inquisitio Romana auctoritatem suam in Regnum Galliæ pretendere videretur.

Hac de re Discursum prolixum coram Senatu Regio habuit Advocatus Regius Talonius Anno 1647. occasione Decreti hujus Congregationis, quô condemnabatur hæc propositio. *Petrus & Paulus sunt duo Ecclesiæ capita, unum caput constituentes.*

Hoc Decretum Nuntius Apostolicus miserat ad Archiepiscopos,& Episcopos cum mandato illud per suas respectivè Diœceses publicandi; ipsumque Decretum cum annexo hoc Nuntii Apostolici mandato, sine prævia Regis licentia fuerat impressum & publice venum expositum.

Cum autem contenderetur, hoc suo mandato Nuntium Apostolicum auctoritatem suam excessisse, & contra Regiam auctoritatem attentâsse, jussum fuit Officium Fiscale contra hanc impressionem, & mandatum Nuntii Apostolici coram consilio Regio, ad ejus cassationem agere.

Inter cætera igitur primo loco huic Decreto opposuit Procurator Regius, quod in Gallia Publicatum esset Decretum emanatum à Congregatione Inquisitionis, quam vocant *Sancti Officii*, sub hoc titulo, *Decretum Sanctissimi Domini Nostri Innocentii Divina providentia Papæ X.* eo prætextu, quod Papa fuerit præsens in confectione hujus Decreti.

Post hæc exponit officium Fiscale, quod Regnum Galliæ recognoscat quidem quemadmodum & omnes Catholici, auctoritatem & Potestatem Romani Pontificis ut *Capitis* Ecclesiæ, omnium Christianorum Patris, eoque titulo ipsi exhibendam, sed Gallos nequaquam recognoscere *auctoritatem* aut jurisdictionem Congregationum, quæ Romæ habentur; quæ pro arbitrio Pontificis institui possunt: neque Decreta harum Congregationum in hoc Regno executionem aut auctoritatem obtinere.

Undè ulterius observat, quod, quotiescumque aliquod Decretum in materia contentiosa ab aliqua Congregatione Romana emanatum in consiliis Regiis fuerit exhibitum, puta in materia dispensationis. nullitatis votorum, translationis Religiosorum, Curia declaravit, *Breve* seu Decretum ab hac Congregatione emanatum nullum & abusivum: remittens impetrantes pro obtinenda alia provisione recurrere ad Cancellariam, in qua acta expediantur, sub nomine Pontificis, in quo residet legitima auctoritas.

Monebat quoque, quod, si Decreta ab hac Congregatione *Sancti Officii* evulgata passim in Regno reciperentur, & executioni mandari permitterentur, esset introducere auctoritatem *Inquisitionis*: quandoquidem hæc Congregatio Romana assumat hunc titulum. *Generalis & Universalis Inquisitio in* UNIVERSA *Republica Christiana adversus Hereticam pravitatem*; atque ita tandem prætenderet processum instituere contra subditos Regis, quemadmodum sibi attribuit auctoritatem procedendi contra quoscunque libros pro suo arbitrio.

Meritò & Ministri Principum nostrorum circa hæc Decreta eodem motivo attenderent; quam in Gallia Tribunal Inquisitionis receptum sit, aut recipi possit, sine multorum incommodorum sequela. neque Belgium tribunal Inquisitionis Romanæ unquam agnoverit: ut energicè exponitur in consulta Consilii Brabantiæ non ità pridem data, quæ integra habetur in appendice monumentorum Tractatus nostri *de Recursu ad Principem* sub liter. S.

CAPUT IV.

Ad Numerum XXXIV.

In textu observatum est, quod nec in Sicilia permittantur publicari Decreta à Congregatione *Indicis* emanata nisi fuerint revisa per Inquisitionem teste Francisco Salgado, qui insuper monet *num.* 144. reflectendum: " Quod assiduè practicari videamus circa libros Catholicorum Authorum horum Regnorum tractantes, & fundantes Regis Catholici jurisdictionem, aut Regalias maximè in rebus Ecclesiasticis sibi competentes, aut de jure, aut indultis Apostolicis, sive etiam immemorabili consuetudine à Sede Apostolica diù toleratâ, qui ob id solum solent integraliter in Romana Curia prohiberi, & vitari,& ad hoc Brevia Apostolica transmitti ad Inquisitionem supremam Hispaniæ publicanda. *Decreta Congregationis Indicis in Hispania non recipiuntur sine novo examine & quare*

Adjungit autem, quod Rex Catholicus " Omni conatu, cultu tamen reverenti, huic violentiæ suis juribus Regalibus & sibi ipsi illatæ occurrat, agnoscens hanc prohibitionem duntaxat tendere ad infringenda sua jura, nec-non in grave,& intolerabile præjudicium suum, ac proindè impediens talis brevis executionem ad evitanda scandala, penes se illud retineat, interim quod per supplicationem de damnis & inconvenientiis consulat, Sedem Apostolicam, ut de remedio paternali clementer provideat.

Similem querelam de prohibitione librorum & Scriptorum jura Regia fundantium coram Senatu Regio deposuisse legimus Regis Christianissimi Advocatum Fiscalem Tolanium in discursu super non admissione Decretorum à Congregatione *Inquisitionis* Romanæ emanatorum, de quo in nota præcedenti inter alia enim inconvenientia ex publicatione horum Decretorum timenda hoc proponit: " Quod per hanc congregationem proscripta quondam fuerint Aresta Parlamenti prolata contra Joannem Castel opera Præsidis Thuani, Libertates Ecclesiæ Gallicanæ, aliique Libri concernentes personam Regis, Regiamve jurisdictionem.

Nec minùs rectè; ac verè advertit eruditus atq; sat notus author difficultatum propositarum Doctori Martino Steyaert *part.* 9. *difficul.* 93. quod Theologi Romanæ Curiæ quasdam sibi adoptaverint opiniones, quas ab omnibus quasi pro Catholicis veritatibus haberi vellent; licet sciant eas à plurimis Theologis, imò integris Ecclesiis impugnari: puta, quod Papæ possint deponere Reges quod sint infallibiles, quod sint supra Concilia general a quod Episcoporum jurisdictio immediate A JESU Christo; quod solus Pontifex possit de materia fidei judicare, &c.

Sed cum asserere non audeant, errorem esse oppositum sentire, aliud medium impendunt, ut opiniones stabiliant; nec-non Theologos à propugnandis opinionibus oppositis deterreant, nimirū prohibendo libros, in quibus oppositæ opiniones reperiuntur, aut stabiliuntur. Quis enim ambigat, quin metu imminentis censuræ seu prohibitionis plures deterreantur se pro opposita sententia declarare super his materiis: probe scientes, quantopere per hanc Romanam prohibitionem, apud plerosque ultra montanis opinionibus imbutos & sibi & scriptis suis præjudicium immineat.

Et

Et quidem in regulis à Confessoribus Indicis expurgatorii observandis præscribitur regula septima. *Expungendæ sunt etiam propositiones, quæ sunt contra libertatem, immunitatem & jurisdictionem Ecclesiasticam.*

Cùm autem jura, quibus passim Principes supremi, eorumque auditoria utuntur in materiis Ecclesiasticis, à Curialibus Romanis reputentur contraria libertati, & immunitati, ac jurisdictioni Ecclesiasticæ, non mirum, si libros & scripta, in quibus hæc jura Principibus asseruntur & vindicantur, in indicem librorum prohibitorum relata videamus.

De his latius egi in Tractatu *De publicatione legum & placito regio part.* 4. ubi fusius expositum est, , quomodo, & quibus motivis ad proscriptionem sub & obreptitiæ impetrari; & quibus ex causis similia Decreta possint in publica commoda impingere, quibus præcavendis meritò suspendatur & interdicatur eorum publicatio, saltem donec placitum Regium accesserit.

Ad Numerum XXXV.

Non idem omnium de operibus Caroli Molinæi judicium.

In textu observatum fuit, quòd tametsi opera Molinæi in primam classem indicis Romani essent relata, nihilominus à viris ad conficiendum indicem expurgatorium in Belgio auctoritate regiâ deputatis, plura ejus opera simpliciter; aliâ modicâ adhibitâ expurgatione fuerunt declarata ab omni censura aut prohibitione exempta.

Et sanè non soli Galli, sed exteri quicunque Jurisperiti agnoscunt plurima admodum utilia, atque summâ eruditione ab hoc auctore, tam in civili, quàm canonico jure esse scripta.

Inter cæteros nominatissimus jurisconsultus & Episcopus Segoviensis, qui & Concilio Tridentino interfuit Didacus Covarruvia pluribus locis suorum operum laudat Molinæum; atque signanter *lib.* 2. *variarum resolut. cap.* 1. *num.* 4. notat Molinæum eleganter interpretatum in commentario ad consuetudines Parisienses *capit.* 1. *x. de feudis,* atque lectorem ad eum remittit.

Ad hanc Covarruviæ citationem reflectens Franciscus Pinsonius in nota ad observationes Molinæi ad titul Decretalium *de feudis.* "Non ,,minimum esse à viro laudatissimo Hispano ,,& Catholico Segoviensis Ecclesiæ Præsule lau,,datum fuisse (Molinæum) *non inverso vel* ,,*immutato nomine sed proprio*; ut fecere Ro,,mani & Itali, qui tractatum ejusdem Moli,,næi *de Usuris*, cujus doctrinâ indigebant, im,,primi curârunt, tum latinè, tum Italicè sub ,,*emendato nomine Caballini* ut nomen ipsius ,,tacerent.

Bullam Clementis VIII. contra opera Molinæi nec hic, nec in Gallia receptam esse, ostendi in præcitato *Tractatu de promulgatione legum part.* 4. *cap.* 2. §. 4.

Ex his, quæ circa opera Caroli Molinæi aliaque opera, quæ à confectoribus indicis expurgatorii declarata sunt à prohibitione & censura exempta, fit constat indicem librorum prohibitorum per Pium IV. evulgatum hic in Belgio non fuisse simpliciter receptum, uti in citato tractatu fusius ostendimus.

Similiter idem ille index expurgatorius per speciale edictum Philippi II. Regis Catholici anno 1571. probatus, & recipi jussus probat; neque *Regulas indicis* per Pium IV. indici Romano adjectas, hic simpliciter admissas esse.

Confectores quippe hujus indicis expurgatorii *quatuor* duntaxat regulas, ex decem regulis per Pium IV. indici Romano subjectis, sub initium sui indicis expresserunt, reliquarum sex regularum nullâ factâ mentione.

Indicium non obscurum, visum fuisse hisce indicis expurgatorii confectoribus has quatuor regulas (quæ penè unicè spectant libros hæreticorum vel hæresim continentes, aut res lubricas seu obscenas tractantes præ cæteris in Belgio recipiendas.

Cùm autem Philippus II. per suum edictum voluerit, hunc indicem expurgatorium, prout ab his viris deputatis erat confectus, per omnia recipi; neque sciatur aut legatur alius Principis edictum aut placitum super publicatione vel receptione indicis Romani aut regularum eidem subjectarum post emanâsse, aut datum fuisse, concludendum est, nec indicem Romanum, nec regulas eidem adjectas, hactenus in Belgio receptas, nisi conformiter ad præscriptum hujus indicis expurgatorii.

Pro quo ulterius notandum examen hoc per collegium Censorum auctoritate Regiâ inchoatum fuisse & absolutum demum anno 1570. mense Julio, adeoque ab edita Bulla Pii IV. sex circiter annis, necnon post editum edictum Philippi II. die 15. Februarii 1569. Quo præcipiebatur, indicem Romanum prout per Pium IV. fuerat publicatus observari & recipi, ipsumque edictum ad omnia consilia Regia transmitti, ut eorum auctoritate per provincias more solito publicaretur, atque de hoc edicto loquitur Haræus in Annalibus Belgicis ad annum 1570. atque ipsum secuti plures alii scribere non dubitârunt, indicem Romanum hìc in Belgio promulgatum & auctoritate Regiâ simpliciter receptum fuisse.

Verùm admodum verisimile est, Consilia Regia recepto hoc edicto advertisse, nullatenus convenire, ut hic index Romanus simpliciter promulgaretur ob multifaria incommoda, quæ ex hac promulgatione in hisce Provinciis obventura prævidebant, & quæ subsequenti edicto Rex ipse expressit.

Hinc & indubiè contigit, ut censuerint à publicatione illius prioris edicti esse supersedendum, & interim monendum atque de iis incommodis instruendum Ducem Albanum, ejusque Ministros qui re maturè examinatâ judicârunt expedire, ut quemadmodum super Decretis Concilii Tridentini factum fuerat, ita etiam circa hunc Indicem fieret, nimirum, ut index in hisce provinciis publicaretur eâ moderatione, ut & populus ab iis, qui in libris hoc indice prohibitis continebantur, erroribus conservaretur, & nihilominus occurreretur incommodis, quæ ex simplici & generali illius indicis promulgatione secutura prævidebantur.

Itaque hunc in finem auctoritate Ducis Albani tunc Belgii Gubernatoris institutum fuit prædictum Collegium Censorum & confectus præmemoratus *Index expurgatorius* eo modo, quo supra exposuimus; & in consequentiam illius prodiit edictum Philippi II. Anni 1571. cujus supra meminimus.

Porrò hoc Regio edicto prædictus Index Romanus cum adjunctis regulis non simpliciter, sed magna cum moderatione, conformiter ad *Indicem expurgatorium,* auctoritate regiâ tandem receptus fuit, prout in hoc editamento, nec non in textu & promulgatione Legum exposuimus.

Cùm autem post editum hoc posterius edictum non legatur super prædicto indice Romano aut regulis eidem annexis illud examen auctoritate regiâ institutum fuisse, aut super iis prodiisse aliud aliquod speciale edictum, imò nec speciale aliquod *Placitum Regium* postulatum, multò minus concessum: concludendum est hunc indicem Romanum, atque regulas eidem annexas hîc in Belgio non esse ritè publicata & recepta, nisi cum ea moderatione, quam Collegium Censorum adhibitam voluit, & quam supra indicatis locis latius exposuimus.

CAPUT V.

Ad Numerum I.

NOn ignorabant Patres Concilii Tridentini vix esse possibile, decreta reformationis exteriorem Ecclesiæ disciplinam spectantia ità concipi, & efformari posse, ut omnium passim Provinciarum receptis moribus, & populorum ingenio conveniant: quapropter decreverunt, prout in textu notatum est, ut, si quæ super his decretis dubietas oriatur, Romanus Pontifex evocatis è singulis provinciis, præsertim ex illis, unde difficultas orta est, viris intelligentibus remedium afferet.

Quis ambigat? quin per hos è singulis Provinciis, præsertim ex illa, unde difficultas orta est, viros intelligentes facilius & certius intelligi posset, quâ ratione, & interdum aliquâ moderatione vel modificatione Decreti executio esset urgenda, attentis Provinciæ illius moribus, & populi genio, quam ex Cardinalibus & Prælatis hujus congregationis plerumque Italis & Curiæ Romanæ opinionibus, & unicè imputis, & assuetis.

Ut proinde nec mirum Decreta seu declarationes hujus congregationis in plerisque extra Italiam ac signanter in his Belgicis Provinciis non recipi; neque decreta Concilii Tridentini conformiter ad has declarationes executioni mandari seu recipi, uti in hoc opere sæpius notatum est; & signanter in nota ad num. 7. hujus capitis.

Ad Numerum III.

Constitutio Pii IV. (de qua in textu) reservans interpretationem decretorum Concilii Tridentini privativè soli Cardinalium congregationi, nec in Belgio, nec in plerisque aliis Provinciis recepta est; passimque Doctores in casuum resolutione Concilii Tridentini Decreta interpretantur, quemadmodum & plures, tum ex professo, tum incidenter in suis editis operibus decreta commentantur, & interpretantur non secus atque aliorum Conciliorum decreta.

Ad Numerum VI.

Cujus auctoritatis sint declarationes Cardinalium super decretis Concilii Tridentini.

Cùm hæc congregatio super interpretatione Concilii Tridentini (de qua in textu) ex solis Cardinalibus plerumque Italis constet; interpretatio decretorum Concilii Tridentini consuevit ab hac congregatione fieri conformiter ad praxim & opiniones in Curia Romana receptas, quæ cùm frequenter à Provinciarum exterarum moribus, & inveteratis Privilegiis dissentiant, non mirum, quòd interpretationes, declarationes ab hac congregatione emanantes Provinciarum moribus & institutis nonnunquam adversentur; quin & ipsa Decreta in eum sensum inflectantur, qui stilo, & opinionibus in curia Romana receptis consonat: tametsi ipsa decreti verba alium sensum non obscurè præferant: & Patribus Tridentinis aliud placuisse ex tenore decreti appareat.

Quod & advertens Franciscus Ziipeus *Consult.* 1. *de Elect. num. 6.* monet, Concilium Tridentinum in his ditionibus receptum esse, prout sonat, *non ut quotidiana interpretationes, Decreta aut Constitutiones Romæ adferri possint.*

Certum quoque est, nec in Belgio, nec in plerisque aliis Provinciis hasce declarationes & interpretationes super intellectu decretorum Concilii Tridentini recipi tanquam decisiones Juris, quibus in judicio standum sit; sed ut summum tanquam resolutiones doctrinales reputari. Unde & Petrus de Marca de Concord. Sacerdot. & Imper. *lib. 6. cap. 24. num. 12.* de hisce declarationibus ait: *Declarationes illæ vim legis non obtinent in Gallia* uti & infra *num. 17.* ex Bertrando Loth. notatum fuit de Belgio.

Ad Numerum X.

Confirmatio Synodorum Provincialium an & quomodo in Curia Romana obtinenda.

Juxta constitutionem Sixti V. (de qua in textu) omnium conciliorum provincialium decreta & ordinationes ex judicio & arbitrio hujus congregationis pendere, manifestum est.

Cùm autem hæc congregatio Cardinalium sollicitè attendat, ut omnia sint conformia constitutionibus summorum Pontificum, & praxi atque opinionibus in curia Romana receptis, mirum videri non debet, per hanc congregationem, decreta Conciliorum Provincialium, tametsi spectatis Provinciarum institutis, moribus, nec non populi genio admodum convenientia, reformari, ut constitutionibus summorum Pontificum (quantumvis in provinciis non sint receptæ) nec non praxi & prætentionibus Curiæ Romanæ in omnibus conformia reddantur.

Hinc ulterius contingit, ut nonnulla Conciliorum Provincialium decreta per hanc congregationem reformata in provinciis nec observari, nec executioni mandari permittantur; eo quòd sic reformata attentis provinciarum institutis, & moribus nonnunquam plus obessent quàm prodessent. Exemplum illius habetur in reformatione decreti Concilii Provincialis Mechliniensis anni 1607. super observantia Clausuræ Monialium, de quo vide, quæ notata sunt ex Ziipeo *ad tit. 20. cap. 3. num. 16.* Imò, ut supra ad *tit. 20. cap. 3. num. 3.* notatum est, credunt Belgæ decreta Synodorum provincialium independenter à confirmatione Sedis Apostolicæ plenam suam firmitatem & auctoritatem habere.

CAPUT VI.

Ad Numerum VII.

Quare dicatur occupatissima.

IN textu notatum fuit ex Cardinale de Luca, quòd hæc congregatio dicatur *major*, & occupatissima ob multitudinem negotiorum.

Porrò ex discursu ejusdem Cardinalis in textu relato, nequaquam obscurum est, hanc negotiorum & difficultatum multitudinem, quæ ad hanc congregationem deferuntur, pro majori parte oriri ex exemptionibus, aliisque privilegiis per Romanos Pontifices sæculis posterioribus regularibus notanter Ordinum Mendicantium indultis.

Ob has multiplices difficultates quotidie exorientes, integram horum privilegiorum revocationem urgere non destiterunt zelosiores Ecclesiarum Prælati, uti in hujus operis decursu non semel nota-

notatum est, ac unâ qua de causa Curia Romana his Prælatorum postulatis obstiterit, nec ad horum Privilegiorum revocationem inclinari potuerit; ac notanter in hoc Supplemento ad Partem 2. *tit.* 6. & ad Partem 3. *tit.* 12.

CAPUT VII.

Ad Numerum III.

Unde apocrypha in Divino Officio irrepant?

QUandoquidem primarius finis institutæ hujus Congregationis rituum (de qua in textu) sit, ut invigilet, ne quid in Divina Officia irreligiosum, aut horum Officiorum Majestati contrarium irrepat, mirum sanè est, quod nec postquam Eruditorum operâ & communi omnium consensu plurima in hodierno Breviario Romano apocrypha, & fabulosa fuêre reperta & recognita (uti & nonnullis adductis exemplis notavi in Dissertationibus de *Horis Canonicis cap.* 4. §. 2.) quæ & propterea è Breviariis particularium Ecclesiarum, maximè in Gallia, institutâ revisione, fuerunt expuncta, nulla Breviarii revisio, aut reformatio instituatur ab hac Congregatione.

Illud amplius mirandum etiam hodie ab hac Congregatione officia Sanctorum probari Breviario Romano jungenda, incertis historiis & divinâ Majestate indignis referta.

Admodum verisimile est, id contingere è nimia facili Divinorum Officiorum approbatione: ad unius enim *Cardinalis relationem permittuntur seu approbantur*, ait Pater Daniel Papebrochius in Conatu Chronico Historico ad vitam sancti Cleti Papæ, ibidem arguens illos, qui ex his, quæ similibus Officiis inserta reperiunt suis opinionibus faventia, magni ponderis argumentum reperisse arbitrantur.

Ad Numerum VII.

Veritas miraculorum facilius & solidius in locis, in quibus patrata dicuntur, haberi potest.

In textu notatum est ex Constitutione Sixti V. etiam negotium Canonizationis Sanctorum ad hanc Congregationem pertinere; at & unà notatum est ex Cardinale de Luca, quòd juxta modernum stilum Curiæ Romanæ pro negotio Canonizationis Sanctorum præter Congregationem *Rituum*, habeatur alia Congregatio *extraordinaria*; cui ultra Cardinales & Prælatos ad Congregationem hanc spectantes plures intersunt personæ, ut acta gestaque, ac signanter miracula in probationem sanctitatis canonizandi adducta examinent & discutiant.

Si igitur in hac Congregatione acta, & gesta canonizandi, nec non miracula, quæ per canonizandum sive in vita, sive post mortem patrata & facta esse prætenduntur, examinari & discuti debeant; quis ambigat, quin horum veritas facilius & certius haberi potuerit; dum juxta veterem disciplinam & stilum adscriptio in catalogum Sanctorum fiebat auctoritate Episcoporum, qui *per se* in locis, in quibus canonizandus sive in catalogum Sanctorum referendus vitam peregerat, ipsaque miracula perpetrata dicebantur, super his inquirere, omniaque accuratè examinare & discutere poterant; atque ita per hanc informationem assequi possent de omnibus accuratiorem & & solidiorem notitiam, quam ex relatione aliorum Romanus Pontifex accipere queat: ut proinde nec mirum sit, hunc stilum per novem aut decem sæcula constanter servatum esse.

V. Espen. Supp. in Jus Eccl.

Quantumvis certum sit, sit etiam ex moderno stilo præcipuum argumentum pro sanctitate canonizandi peti ex miraculis, quæ per canonizandum seu in vita, sed ad ejus invocationem post mortem perpetrata probantur, rectè tamen monet Christianus Lupus tom. 3. Schol. in Can. *pag.* 571. *quod non quævis licet miraculis illustrata justitia ad canonizationem sufficit: esse debet eminens, & ab omni etiam* FAMÆ NÆVO *immaculata.* In probationem hujus sui asserti adducit Constantinum magnum, quem (ait) *ob summa in Rempublicam ac Ecclesiam merita Romanus Senatus receptum in cœlos variis post mortem picturis est protestatus, quem item in solemnes Sanctorum tabulas accepit omnis Orientalis Ecclesia: hunc inquam Constantinum in laudatas tabulas nunquam admisit* LATINA ECCLESIA, *quod is sub vita finem Vafris Eusebianæ criminationis artibus circumductus, licet nullo pacto orthodoxam fidem, ejus tamen defensorem sanctum Athanasium malè tractâsset.*

Post hæc pergit Lupus: "Aurelii Cartaginen„sis Archiepiscopi in Africanam Ecclesiam singu„larissima merita, vitamque *vere* Episcopalem „quis ignoret? Ipsum tamen, quod adversus „*Romanas appellationes*; *& Sardicenses Canones* „pertinaciter, quasi pro suæ Diœceseos juribus „litigâsset Sanctorum numero Apostolica Sedes „nunquam adscripsit.

Deinde exemplum adducit Roberti Episcopi Lincolniensis, de quo hæc scribit: "Adversum „Romanæ Ecclesiæ exactiones, & Apostolicas „Ecclesiasticorum Beneficiorum reservationes du„rè olim recalcitavit: etenim excommunicatus „Innocentium quartum Pontificem appellavit, ac „evocavit ad divinum Tribunal; evocatioque à „quibusdam dicitur accepisse effectum. Quidquid „sit: scribit Henricus Cnyghtonus *lib.* 2. *cap.* 16. „*Hac de causa quamvis Robertus perspicuis efful„geret miraculis, non est permissus canonizari.* „Quod ipsum laté exponit Matthæus Parisiensis, „addens, etiam Sevvalum Eboracensem Archie„piscopum fuisse eadem de causa excommunica„tum ab Alexandro quarto, appellâsse item ad di„vinum judicium, & tanquam Martyrem in ipso „mortis lecto miraculis coruscâsse. Hæc Lupus.

Ad exempla per Lupum adducta reflectens vir eruditus A. Bailletius in præfatione ad vitas Sanctorum. *num.* 90. monet nonnunquam contingere, ut in catalogum Sanctorum Roma non referat, quantumvis & meritis & miraculis fulgentes, qui Curiæ Romanæ molestiam causârunt, aut scandalum dederunt Ecclesiæ facto vel scripto: „Ceux qui ont donné *quelque chagrin à la Cour* „*de Rome*, ou quelque scandale à l'Eglise, soit par „conduite leurs écrits.

Ad numerum VIII.

Veritas canonizationis fundatur in factis non revelatis.

Quandoquidem veritas & notitia Sanctitatis ex actis & miraculis canonizandi hauriri debeat, uti ex discursu Cardinalis de Luca, de quo *num.* 7. intelligitur, mirum videri non debet, quòd jam pridem Romani Pontifices, priusquam judicium canonizationis proferrent, hanc præmitterent protestationem: *Antequam ad pronuntiationem veniamus, protestamur publicè apud vos omnes hìc præsentes, quòd per hunc actum canonizationis non intendimus aliquid facere*, quod sit contra fidem aut Ecclesiam Catholicam, seu honorem Dei.

Hanc protestationis formulam descripsit Christianus Lupus ex opere Ecclesiasticorum rituum Christophori Marcelli *sectione* 6. *capite* 6. ad

ad quam reflectens tom. 3. Schol. in Canones *pag.* 574. ait: *quæ protestatio palam supponit errandi possibilitatem.*

Eandem errandi possibilitatem supponunt, quæ in Ordine Romano XIV. apud Joannem Mabillonium tomo 2. Musæi Italici (cujus auctorem esse credit, & probat Jacobum Cajetanum Cardinalem, qui floruit sæculo XIV.) in hoc Ordinario Rubricâ 115. describitur *modus, qui servari consuevit circa canonizationem alicujus Sancti*: atque inter cætera dicitur: *finito vero sermone* Dominus Papa prædicet *se oraturum, & hortatur alios, ut orent, ut supra scilicet quod Deus non permittat eum errare in hoc negotio.*

Et sanè, cùm hic actus super pluribus particularibus factis & testium depositionibus fundetur, in quibus etiam Ecclesiam Universalem errare posse, communi consensu docent Doctores, non mirum, si & ipsi Romani Pontifices, se in hoc actu canonizationis errori obnoxios esse professi fuerint.

Quapropter & communiter Canonistæ securi glossam in *cap. unic. de Reliquiis & venerat. & sanct. in vj.* verbo *Sedi Apostolicæ*, docuerunt, accidere posse, ut Ecclesia in canonizatione Sanctorum erraret. Rectè tamen monet ibidem Glossographus, "quòd preces in honorem talis acceptæ "& gratæ sint, *per fidem enim Christi* (ait) *omnia "purgantur, & sic quòd veritas canonizationis "deficiat, non deficiat fides.*

Similiter Pater Veronius in doctissima sua fidei Regula ab illustrissimis Fratribus Wallemburgicis laudata & approbata *cap.* 2 §. 7. advertens, "Sanctos maximè canonizari ex miraculis factis "post tempora Apostolorum, quorum miraculo"rum plenæ sunt vitæ, Sanctorum, tum in vita, "tum post mortem ab eis editorum, & nullum ta"lium miraculorum esse revelatum in verbo Dei, "proinde nullum esse de fide divina; quomodo "ergo (concludit Veronius) canonizatio ex illis "facta; seu judicium Ecclesiæ, quòd sint Sancti, "esset fide divinâ credendum?

" Ex quo (pergit) rursus dicimus, ne quidem "*infallibilem* esse in his canonizationibus Papam, "aut Concilia etiam Generalia. Quam suam as"sertionem & conclusionem ibidem pluribus probat Veronius.

Ad Numerum IX.

Hodie soli auctoritate Romani Pontificis canonizatio perficitur.

In textu notatum est, quòd juxta modernam Ecclesiæ disciplinam penes solum Pontificem sit auctoritas per solemnem canonizationem aliquem referendi in catalogum Sanctorum: licet enim, antequam ad ultimum actum hujus canonizationis procedat; & super eo pronuntiet, habeatur consistorium solemne & publicum, ad quod conveniunt omnes Archiepiscopi & Episcopi, qui in Curia præsentes sunt, quorum omnium etiam votum exquiritur, uti in textu de Cardinale de Luca *n.* 8. notatum est; quia tamen Episcopi ad hoc consistorium convenienter, nec examini nec discussioni factorum, & allegatorum interveneruntur, nec in hoc solemni Consistorio acta illa Episcopis, cæterisque ibidem præsentibus Prælatis exhibeantur examinanda & discurienda, nequaquam judices esse possunt, sed si, quod eorum votum exquiritur, ad meram actus solemnitatem contingit: ut proinde meritò notaverit Cardinalis de Luca, in hoc Consistorio Episcoporum votum exquiri per quandam *Concilii imaginem.*

Primitùs autem, dum per Pontifices, aut Metropolitanos relatio in Sanctorum catalogum auctoritate Synodorum decernebatur omnis discussio & examen meritorum & miraculorum coram Synodo peragebatur; ipsumque Decretum canonizationis omnium, qui Synodo assistebant, auctoritate, & nomine edebatur, omnesque *judicis* partes in hoc actu obtinebant. Et quidem in ipso Conventu Lateranensi, in quo ab Episcopo Augustano confirmatio sive approbatio canonizationis Udalrici Episcopi Augustani postulata fuit, gesta ipsius Udalrici, atque miracula, quæ per ipsum patrata ferebantur, in ipso Conventu prælecta & exposita fuêre; cunctorumque præsentium judicium expetitum fuit, videmusque non tantùm Pontificem, sed & Episcopos, aliosque Synodo præsentes eâdem formulâ cum ipso Pontifice Decreto canonizationis subscripsisse.

Licet igitur coram Pontifice peragereturactus canonizationis, non tamen à solius Pontificis judicio fides canonizationis dependebat, sed omnium Episcoporum ipsi in hoc actu assistentium.

At verò hodie existimatur, quòd fides canonizationis à solius Pontificis judicio dependeat, quòdque consistoria, aliaque in hoc actu canonizationis juxta præscriptum Romanæ Curiæ stilum intervenire solita non ad substantiam, sed solummodo ad solemnitatem actûs pertineant.

Unde infra ad num. XI. notavimus ex Bailletio, quòd omissis omnibus actûs hujus solemnitatibus per simplex breve Pontificis, & Decretum Congregationis relatio in Sanctorum catalogum fiat.

Quin & jam pridem Gregorium VII. non existimâsse solemnem hunc canonizationis ritum, aut actus illos quasi judiciales, & prævias informationes requiri, ne quis per Romanum Pontificem ut *Sanctus* publico cultu honorari permittatur, probant, quæ de hoc Pontifice referuntur, atque inter alios de ipso scribit Christianus Lupus tom. 3. Schol. in Canones pag. 573. *omnium usque ad Siricium antiquorum Pontificum festa Romano Breviario inseruit, adeoque ipsos canonizavit.*

Ad numerum X.

Canonizandi auctoritas Sedi Apostolicæ sensim reservata.

In textu probatum fuit, auctoritate Episcoporum pluribus sæculis relationem in catalogum Sanctorum peractam fuisse; faceturque Bellarminus, ante sæculum VIII. pro canonizatione Sanctorum ad Romanum Pontificem non fuisse recursum. Imò credit vir eruditus Joannes Mabillonius in præfatione ad sæculum V. Benedictinorum *n.* 101. demum sæculo X. id fieri cœpisse; nec ullum extare authenticum, & indubitatæ fidei monumentum de solemni per Romanum Pontificem facta canonizatione, antiquius diplomate Joannis XV. (qui sedit sæculo decimo) hic in frequenti Episcoporum Conventu, ad preces Luvitolfi Episcopi Augustani Udalricum ejusdem Ecclesiæ Episcopum in Sanctorum album retulit anno 995. extant integræ hæ literæ Joannis XV. super hac canonizatione apud præfatum Mabillonium ad calcem vitæ hujus Udalrici in prædictis actis *pag.* 471.

Mabillonio consentit Daniel Papebrochius in *Dissertatione* 20. ad calcem vitæ Joannis XV. in suo conatu chronico historico, similiter credens, nullũ antiquius extare exemplum canonizationis ab extero à Pontifice postulatæ: unâ tamen monens, quòd Episcopi *suburbicarii* ad *specialem* ordinationem Romani Episcopi spectantet, auctoritate referendi aliquem in numerum Sanctorum per elevationem corporis defuncti non uterentur sine licentia Episcopi Romani: putatque per Episcopum Romanum tunc temporis hanc

in

in Sanctorum catalogum relationem, in Synodis Romanis, quæ quotannis Romæ habebantur, factam fuisse.

Credit propterea Papebrochius, admodum verisimile esse Episcopos *suburbicarios*, qui ordinationi Episcopi Romani suberant, pro corporis alicujus tanquam sancti elevatione sive, ut hodie loquimur canonizatione, recurrisse ad Romanum Pontificem, quemadmodum aliarum Provinciarum Episcopi pro eadem solemnitate peragendâ ad suos *Metropolitanos*, aut *Primates* recurrere consueverant; ut, quemadmodum in Synodis Provincialibus, aut Metropolitanis visitantibus Provincias, vel etiam ad comitatum Regium accedentibus & ibidem pluribus Episcopis Comprovincialibus convenientibus hæc solemnitas in Provinciis perageretur, ita quoque in Synodis Romanis, Præsidente Pontifice & Episcopis *suburbicariis* convenientibus absolveretur: atque hunc morem durâsse, quoad usque magis, magisque invaluit usus, etiam apud exteras Nationes recurrendi in his, aliisque majoribus causis ad Sedem Romanam.

Arbitratur autem ibidem Papebrochius cum Mabillonio, quod id demum circa finem sæculi x. cœperit: ac per consequens, quod ad illud usque tempus idem fuerit Ecclesiæ Romanæ mos canonizationis, qui in aliis Provinciis ab Episcopis servabatur: quod consequenter nec crediderum fuerit prioribus illis sæculis, ampliorem esse effectum canonizationis factæ in Synodis Romanis per Episcopum Romanum cum Episcopis suburbicariis quam esset similis canonizationis per alios Primates, sive Metropolitanos in suis respectivè Synodis Provincialibus peractæ: sed eam persuasionem demum sub finem sæculi x. invalescere cœpisse ac propterea tunc à quibusdam pro obtinenda aut confirmanda canonizatione ad Romanum Pontificem cœpisse recurri.

Quin & ex dictis etiam verisimile est, dum Pontifices ac signanter Urbanus II. responderunt, similes relationes in Sanctorum catalogum fieri non posse nisi in Concilio *Generali* (uti notavimus *numero* 12. in textu) per Concilium *Generale* non intellexerint Concilium *Universale* sive *Oecumenicum*, sed duntaxat Synodum ex pluribus Episcopis & Prælatis constantem; uti reflexit vir eruditus Bailletius in præfatione ad tom. 1. de Vitis Sanctorum *num.* 97.

Monet autem supra citatus Mabillonius, quòd, licèt circa hæc tempora, scilicet sæculum x. & xi. nonnulli Episcopi pro obtinenda canonizatione recurrerent ad Sedem Apostolicam, nihilominus Episcopi, præsertim Metropolitani, in pluribus locis antequam hac in re facultatem retinerent, eâque uterentur, uti manifestum est ex canonizatione S. Guiberti per Obertum Leodiensem Episcopum factâ sæculo xii. de qua dixi *numero* 11. in textu.

Verisimile est, hanc Episcopis libertatem remansisse, donec auctoritate Gregorii ix. fragmentum Epistolæ sub nomine Alexandri III. in Collectionem Decretalium relatum fuit in *cap.* 1. *x. de Reliquiis* & veneratione Sanctorum & pro jure communi à Canonistis & Theologis sensim haberi cœpit.

Verumtamen liber hic Decretalium non statim ubique receptus fuit; neque Decretales in eo contentæ tantæ apud omnes auctoritatis fuerunt, ut Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati crederent, se jure, & auctoritate, quibus hactenus gavisi fuerant, vigore harum Decretalium esse spoliatos.

Unde notat Bailletius, quòd etiam post tempora Innocentii III. quidam Episcopi adhuc usi fuerint auctoritate declarandi Sanctum pro districtu suæ Diœcesis. Imò legitur de Episcopo Mindensi (Minde) in Westphalia, qui anno 1373. (id est, centum & amplius annis post evulgatas Decretales Gregorii IX) instituit festum Episcopi Feliciani per totam *suam Diœcesim*, mox ut ejus sanctitas per miracula cœpit se manifestare.

Evidens est, quòd hæc Feliciani Episcopi in catalogum Sanctorum relatio esset dumtaxat particularis canonizatio usque ad sæculum x. in usu fuerit, quæ tamen, accedente totius Ecclesiæ consensu, & approbatione *Generalis* evadebat.

Ad Numerum XI.

Quemadmodum posterioribus sæculis relatio in Sanctorum numerum, quæ hodie Canonizatio dicitur, Sedi Apostolicæ fuit reservata, ita quoque peragi cœpit non tantùm cum majoribus cæremoniis, sed & actibus quasi judicialibus. *Fastus Canonizationis.*

Quin & ipse actus Canonizationis tanto cum fastu, & exteriori apparatu absolvi consuevit, ut sine ingentibus sumptibus fieri nequear.

De hoc fastu & apparatu, sumptibusque ad eum necessariis, aliquando graviter conquestum fuisse Adrianum VI. in ejus vita testatur Blasius Ortizius, & in Canonizatione sanctorum Antonini & Benonos illos fieri vetuisse. Verba hujus auctoris sunt: "Quamvis summa pecuniarum „non exigua in ejusmodi actu, in Pontificia familia „roganda, tum in aliis impendiis soleat insumi, „circumspectissimus tamen Papa tales sumptus, „quasi alienos à sanctimonia & puritate Canoni„zationis fieri vetuit.

Et licèt hujus Pontificis pio desiderio non fuerit per omnia satisfactum, soleantque etiamnum hodie ingentes sumptus fieri in hoc actu Canonizationis, nihilominus subinde Pontifices pepercisse leguntur.

Et quidem monet vir eruditus Bailletius in præfatione ad vitas Sanctorum *numero* 99 quòd interdum per simplicem insertionem nominis alicujus defuncti in Breviario Romano censeatur canonizatus, vel etiam per speciale Breve Pontificis, & Decretum Congregationis Cardinalium, uti patuit (ait) nostrâ ætate in Joanne de Matha & Felice Valesio, quorum Ordines parcere voluerunt sumptibus Canonizationis, quia fieri debuissent ærario captivorum.

V. Espen Suppl. in Jus Eccl.

TITULUS XXIII.

De Officialibus Curiæ Romanæ.

CAPUT I.

Ad Numerum XV.

Taxæ Cancellariæ Apostolicæ.

IN textu notatum fuit, quòd plurimi sint hodie in Cancellaria Romana Officiales, qui expediendis Bullis & literis Cancellariæ occupantur; quodque eorum singulis certa sint constituta emolumenta, quæ vulgò *Taxæ Cancellariæ Apostolicæ* dicuntur: & quibus non solutis *Literæ* aut *Bullæ* non relaxantur.

Inter Extravagantes Joannis XXII. legitur sub *titulo* 13. Extravagans, quæ incipit, *cum ad Sacrosancta*, in qua designantur & taxantur jura Abbreviatoribus, & scriptoribus literarum & gratiarum solvenda. Hinc communiter existimatur, hunc Pontificem fuisse eorum emolumentorum, quæ hodie Taxæ Cancellariæ Apostolicæ dicuntur, primum auctorem.

Quidquid sit, hoc habetur ex Joannis XXII. Constitutione, quòd eo tempore Scriptores & Abbreviatores, aliique expediendis in Cancellaria Romanis literis præpositi, in exigendis Juribus multùm excederent; atque eorum excessus excitâsse multorum murmura, quasi nihil gratis Romæ obtineretur.

Ulteriùs ex eadem Constitutione habetur, quòd ad obviandum his excessibus Joannes XXII. *taxaverit*, quid his ministris pro singulis literis esset solvendum.

Cùm igitur hæc Jura per hunc Pontificem fuerint pro singulis literis determinata, & *taxata*, non mirum, quòd ab eo tempore *taxæ* Cancellariæ hæc Jura fuerint vocata; & hic Pontifex creditus primus earum auctor: tametsi antea quædam Jura exigerentur.

Cùm autem plurimi essent in Curia Romana ministri & officiales Bullis & literis scribendis, revidendis, & plumbandis, signandis, ac registrandis præpositi; ac insuper hæ taxæ essent non tantùm proportionatæ labori & operæ in conficiendis his literis impendendis, sed insuper majores, vel minores pro ratione gratiarum vel provisionum, super quibus Bullæ, vel literæ expediendæ erant, non mirum has taxas multorum querelas excitâsse, & tanquam simoniacas, ut saltem de ea admodum suspectas fuisse reputatas.

Accedebat, quòd literæ seu Bullæ non relaxarentur, nisi his taxis solutis; summâ autem facilitate; imò vix negarentur his taxis solutis.

Inter alios sæculo XV. scribens Paulus Angelus Decretorum Doctor in suo *speculo aureo* in has taxas invehitur; atque ex illo habetur, quòd eo tempore accepissent suam stabilitatem, & pro ratione gratiarum & provisionum essent *taxatæ*: uti retuli in nota ad partem 2. tit. 30. *c.* 3. *n.* 10.

Quo autem tempore hæ *taxæ*, sive Jura ad commoditatem ministrorum literis Cancellariæ expediendis præpositorum typis mandatæ & evulgatæ fuerint, incertum est.

Hoc scitur, quod anno 1514. sedente Leone X. Romæ apud Marcellum Silber in Campo Floræ expressus fuerit libellus sub hoc titulo: *Taxæ* Cancellariæ Apostolicæ, & taxæ Sanctæ Pœnitentiariæ, in quo per ordinem designatur quantitas taxæ solvendæ pro quibuscunque literis dispensationum, absolutionum, &c. in Cancellaria, & Pœnitentiaria Romana obtinendis.

Hujus libelli meminit vir eruditione & pietate clarissimus Claudius Espencæus Doctor Theologus Parisiensis in Commentario Epistolæ Apostoli ad Titum *c.* 1. qui ibidem describens abominandam Curiæ Romanæ avaritiam, & pecuniæ cupiditatem, in ejus probationem inter cætera adducit hunc libellum dicens: "*Prostat & in* „*quæstu pro meretrice sedet.* Liber palam ac pu„blicè hic impressus, hodieque, ut olim venalis „*taxæ Cameræ seu Cancellariæ Apostolicæ* inscrip„tus, in quo plus scelerum discas licet, quàm in „omnibus omnium vitiorum summistis, & sum„mariis, & plurimis quidem licentia, omnibus „autem absolutio empturientibus proposita.

Quidquid sit de hac Espencæi doctissima in hunc libellum redargutione nec non de Curiæ Romanæ pecuniarum aviditate & gratiarum, absolutionum, atque dispensationum venalitate, per hunc auctorem descriptâ, illud sanè optandum esset, ut tandem Curia Romana suo agendi modo, hunc libellum adeò scandalosum improbaret, omnibusque notum faceret, Rom. Pontifices tanquam fideles dispensatores mysteriorum Dei in mitigandis Canonibus, delictisque condonandis solam ædificationem Ecclesiæ, & fidelium salutem præ oculis habere, atque ab ipsis tanquam Christi Vicariis præ cæteris observari, quod à Christo omnibus mandatum fuit, *gratis accepistis, gratis date*, atque ita palam probarent, falsum esse, quod de Curia Romana vulgò dicitur, quod in relaxandis Canonibus, seu Decretis positivis, tam diversa sit in Curia Romana divitis, atque pauperis conditio, ut vix quidquam prohibeatur, quam ut ne quis gratis contraveniat, & quod vetatur, numeratâ pecuniâ statim dispensetur, quasi nullum sit peccatum majus, quàm nummis carere, uti fusiùs describit, præcitatus Espencæus.

CAPUT II.

Ad Numerum II. & III.

De tempore erectæ Datariæ.

QUandoquidem (uti in textu ex Cardinalium de Luca notatum est) constet, reservationes Beneficiorum potissimùm à temporibus Joannis XXII. frequentari cœpisse, atque per has reservationes factum esse, ut necesse fuerit per Pontificem institui Officialem, qui *Datarius* dictus est, totam hanc praxim *Datariæ* cum omnibus suis ministris nec non taxis, quas vocant Cancellariæ, à temporibus hujus Pontificis Curiam Romanam intrâsse, aut saltem suum accepisse incrementum, ut vel inde pateat, quàm funestam sequelam habuerint odiosæ illæ Beneficiorum reservationes; & quàm perniciosa fuerit Ecclesiæ ea Jurisperitorum persuasio; Pontificem esse *Dominum* omnium beneficiorum, ac per consequens Pontifici liberum esse, omnia beneficia suæ dispositioni reservare, atque de iis pro libitu disponere.

Ad Numerum XVIII.

Compositio super fructibus malè perceptis.

In textu notatum fuit, in Curia Romana esse quasdam materias, quæ dicuntur subjacere *componendæ*; quo significatur, super his materiis non esse fixa & determinata Jura; sed super his esse pro varietate casuum & circumstantiarum *componendum* cum Officiali Datariæ, qui ab hac compositione dicitur *componenda*.

De

De hoc Officiali scribens Perardus Gastellus in sua praxi Curiæ Romanæ gallicè conscripta sub hoc titulo: *Usage & Pratique de la Cour de Rome page* 27: editionis 1693. observat, hunc Officialem præterre quandam speciem *Thesaurarii*, seu Receptoris dependentis à Datario; cui incumbit recipere Jura solvenda in materia subjecta *componendæ*; uti sunt (ait Gastellus) *causa matrimoniales, pensiones sine causa*, & quæ procedunt ex *fructibus malè perceptis*, quales sunt confidentiarii simoniaci, & cæteri, qui fructus beneficiorum perceperunt sine titulo, consequenter supponuntur fructus *suos* facere non potuisse.

Similiter & pro obtinenda dispensatione, absolutione, & nova provisione ob commissam simoniam; vel vitium, quod provisionem reddidit invalidam, quæ solent passim in omnibus casibus concedi.

Hoc notari meretur ex stylo Curiæ Romanæ, ut ibidem monet Gastellus, per Pontificem quidem interdum concedi absolutionem à crimine, putà simoniæ, confidentiæ, &c. sed non propterea Pontificem per hanc absolutionem *rehabilitare* ad beneficium super quo (ait) *nova* provisio impetranda: id est, non solet Pontifex dispensando super simonia, aut alio vitio reddente provisionem per datam dispensationem reddere validam; sed vult, ut post hanc impetratam super vitio dispensationem & absolutionem, impetretur nova ejusdem beneficii, & quidem in Curia Romana provisio; & literæ provisionis solutis Juribus, seu taxis leventur.

Cùm autem (ait Gastellus) fructus *malè* percepti sint frequenter restitutionis incertæ, sive incertum sit, cui debeant restitui; aliquibus sustinentibus, restitui debere Ecclesiæ, aliis successori, nonnullis sustinentibus eos elargiendos esse pauperibus; tandem quæstio hæc decisa fuit in *favorem Cameræ Apostolicæ*, sub obtentu, quòd omnium proventuum Ecclesiasticorum dispensatio, & administratio ad nullum in particulari spectantium censeantur pertinere ad Pontificem.

Itaque hoc titulo Officiales Curiæ Romanæ sustinent, hos fructus *malè perceptos* pertinere ad Cameram Apostolicam; & consequenter cum hac Camera super his fructibus esse *componendum*, priusquam literæ *novæ* provisionis aut rehabilitationis expediantur.

Tertium, uti ad hunc locum Gastelli notat Guillelmus Noyer: "Hæc Curialium prætentio "super fructibus *malè perceptis* in Gallia nec probata nec recepta fuit, nam [ait] Pontifici Jus "non est applicandi Cameræ Apostolicæ fructus "beneficiorum Regni Galliæ, neque permittitur, "ut intrusi, simoniaci, aliique, qui gavisi sunt fructibus beneficiorum absque legitimo titulo, "componant super fructibus *malè* perceptis in "præjudicium Ecclesiarum, quibus sunt restituendi, in usum ornamentorum, aut eorum reparationem. De hac praxi Regni Galliæ etiam consuli poterit commentarius Pytheorum ad *articulum* 51. libertatum Ecclesiæ Gallicanæ.

Monet & hic Gastellus, provisiones beneficiorum consistorialium, ut sunt Abbatiæ frequenter ad hunc Officialem, qui dicitur *componendæ*, remitti, priusquam literæ expediri queant, eò quòd per Cancellariam super his provisionibus literæ non expediantur, si requiratur aliqua dispensatio, vel alia specialis difficultas occurrat, quæ Pontificiam dispensationem aut declarationem requirat.

Pro faciliori horum notitia, observandum, in Curia Romana tribus diversis modis literas Apostolicas, super provisione beneficiorum expediri.

V. Espen Suppl. in Jus Eccl.

Primus modus est per speciale Breve Apostolicum, qui rârior est, nec nisi in favorem *sublimium Principum*, & dum gratis Pontifex alicui providere intendit, impendi consuevit.

Alius modus est, qui observatur in provisione beneficiorum consistorialium per *Cancellariam*, sive *consistorialem*: dum nimirum in provisione omnia sunt sine difficultate; ita ut nulla specialis dispensatio aut declaratio Pontificis requiratur.

Tertius denique modus est per *Datariam*, sive Cameram Apostolicam, qui est modus frequentior: eò quòd per hanc expediri debeant omnes provisiones beneficiorum non Consistorialium; imò & Consistorialium, quandocunque in horum provisione defectûs dubietas; aut difficultas, per Pontificiam dispensationem aut declarationem tollenda occurrit.

Nec mirum, Curiales solicitos esse, ut provisiones potiùs in *Dataria*, vel Camera Apostolica debeant expedire, quàm in *Cancellaria*; quia in *Dataria* majora Jura, quàm in Cancellaria solvenda sunt.

Et quidem si provisio beneficiorum Consistorialium expediatur per Cameram, aut Datariam cum *derogatione consistorialitatis*, ultra taxam Cancellariæ, debet in Dataria solvi præterea *tertia pars istius taxæ*: uti hic monet Guillelmus Noyer in Curia Romana quondam Banquarius expeditionarius.

CAPUT III.

Ad Numerum II.

Pristina illa praxis, quam jam pridem in Ecclesia Romana viguisse monet de Luca (de qua in textu) quòd nimirum, tam in foro externo, quàm interno valeret dispensatio vel absolutio obtenta à Pœnitentiario, sive in Pœnitentiaria; nec esse pro foro *externo* recurrendum ad Datariam, & pro foro *interno* ad Pœnitentiarium, indubitanter conformior erat pristinæ Ecclesiæ disciplinæ, quæ forum internum ab externo non distinguebat. Hinc videmus, Curiam Romanam continuò magis à pristina disciplina deflexisse, dum non tantùm in materiis contentiosis, sed & in voluntariis, & gratiosis, putà in dispensationibus, absolutionibus, & similibus, forum externum ab interno separare cœpit; atque utriusque diversum esse effectum voluit. *Absolutio obtenta in Pœnitentiaria.*

Ad Numerum X.

In textu notatum est, hodie literas, expediri per Pontificem, interdum in forma *Brevis*, interdum per Bullas. *Forma literarum nulla specialis olim in Curia Romana.*

Has expediendi formulas in Curia Romana hodie usitatas, an antiquiores sint, quàm taxæ Cancellariæ, nescio. Hoc sat certum est, plurimis sæculis Episcopum Romanum in scribendis literis, simplici formulâ, ac aliis Episcopis communi usum esse, uti probant literæ pristinorum Pontificum, quæ nobis hodie supersunt; nec aliam præter communem literarum scribendarum formam præferunt.

Imò eas expediendi formulas in forma *Brevis*, & per *Bullas*, nec sæculo XIII. notas fuisse, vel inde habetur, quòd nec inter Innocentii III. literas hæc distinctio observetur, videturque indicatæ Cardinalis de Luca verbis in textu relatis, eam

eam diversam formam præcipuè invaluisse sæculo XIV. unà cum beneficiorum reservationibus & Annatarum solutionibus.]

Ad Numerum XIII.

De reservatione etiam eorum, quæ creduntur minoris momenti in Curia Romana.

In textu notatum est ex Cardinale de Luca, quòd magnâ cautione asserventur literæ Apostolicæ, quæ in forma Brevis expediuntur, "illis forsan "gratiis vel brevibus exceptis, quæ conceduntur "super rebus consuetis, modicique momenti.

Si ea, quæ in textu recensita sunt, adeò sint modici momenti, ut nemini negentur (teste Cardinali de Luca) mirum profectò, tot edita fuisse Decreta Conciliorum, quibus allaboratum fuit, ut disciplina, quæ per has dispensationes, & concessiones evertitur, stabiliretur, vel collapsa restauraretur, uti & in novissima Synodo œcumenica Tridentina quoque factum fuit.

Præterea, si hæc adeò sint exigui momenti, ut omnibus *indifferenter* concedantur, quid necesse fuit, ut Episcopis, quibus tanquam Apostolorum Successoribus plena authoritas dispensandi, nec non ligandi, & solvendi, vigore clavium, de jure competit, & per novem ut minùs sæcula integra permansit, auferri debuerit, & Romano Pontifici reservari; necnon ipsos fideles ad Romanam Curiam pro illis obtinendis remitti ac impensis gravari oportuerit.

TITULUS XXIV.

De Instituto Regularium, & eorum admissione.

CAPUT I.

Ad Numerum IX.

Regula S. Augustini primitùs data nisi Monasterio Monialium.

IN textu notavimus, quòd Pater Daniel Papebrochius asserat, Regulam S. Augustini, non nisi planè extemporaneam fuisse scriptionem, ad unius solius Parthenonis usum, in quo S. Augustini soror præposita fuerat. Verùm Pater Sebastianus à S. Paulo Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, in *exhibitione errorum*, quos in Actis Sanctorum per Papebrochium evulgatis se reperisse contendit, inter alios exhibet & hunc *art.* 13. "Papebrochius cum Erasmo Roterodamensi S. Augu"stini regulam negat esse scriptam viris.

Huic *errorum exhibitioni* responsionem apologeticam responso ad dictum *art.* 13. non solùm Erasmum Roterodamensem (uti prætendere videbatur P. Sebastianus) sed & plures alios viros doctissimos id asseruisse; quod & pluribus ibidem relatis eorum textibus evincit; unà notans, S. Augustini Regulam *viris* demum aptatam fuisse per S. Benedictum Abbatem Monasterii Anianensis, qui sæculo IX. *Concordiam Regularum* compilavit, & plures alias regulas seu instructiones primitùs solis fœminis datas, *viris* adaptavit; uti observat Papebrochius.

Ad Numerum XII.

Utrum conveniat potiùs Regulam pro singulis Monasteriis quàm in generali præscribere.

Quandoquidem admodum varius sit hominum genius; atque pro varietate temporum & locorum, plurima conveniant uni populo, & non alteri, pro climatis, & morum diversitate, non sine fundamento ambigi posset, num disciplina, quæ inter primos Monachos viguit, nimirum regulam & normam vivendi pro cujusque Monasterii, & temporum & locorum conditione moderandi & præscribendi (de qua in textu) non foret convenientior, quàm hodierna, quæ sub una generali Regula universum Ordinem, per dissitas inter se Provincias diffusum immutabiliter vigore ejusdem professionis obstringit; signanter quoad ea, quæ vitæ monasticæ & trium votorum solemnium substantiam non attingunt.

Ad Numerum XIV.

Hodie Regula per Sedem Apostolicam probanda.

In textu monuimus, hodie non reputari veram & propriè dictam Religionem, neque veros Monachos seu Religiosos, professos etiam cum emissione trium votorum, nisi profiteantur Regulam à Sede Apostolica approbatam seu confirmatam.

Verùm circa hanc receptam opinionem duo sunt observanda. Primum, ad veram Religionem nec hodie requiri, ut ipsa Religio sive institutum cum omnibus suis constitutionibus per Sedem Apostolicam sit approbata, vel confirmata, ut reputetur vera Religio, & in ea professi veri Religiosi, vel Religiosæ, etiam ad effectum dirimendi matrimonium, post emissum in ea votum castitatis; sed sufficere, quòd emittant professionem juxta *Regulam* per Sedem Apostolicam expressè vel tacitè approbatam putà SS. Augustini, Basilii, Benedicti, Francisci, & similibus, sub quibus passim omnes, licèt instituti admodum diversi Ordines tam virorum quàm mulierum militant; & pro veris Religiosis reputantur, tametsi aliquorum institutum nunquam per Sedem Apostolicam sciatur probatum.

Secundò notandum, quòd ea Sedis Apostolicæ approbatio sive confirmatio, quæ hodie necessaria reputatur, ut vera sit Religio, & in ea professi habeantur veri Religiosi, nequaquam extulerit hodiernum Monachorum sive Regularium institutum, vel professionem supra pristinos Monachos, quorum Regulæ neque authoritate Sedis Apostolicæ, aut etiam Episcoporum erant approbatæ aut in aliam Monachorum sive Regularium speciem mutaverit.

Hæc enim vel Pontificia vel Episcopalis approbatio Regulæ vel Instituti Monachalis nihil ipsi Regulæ vel Instituto addit, sed duntaxat eum in finem posterioribus sæculis requiri cœpit, ut provideretur, ne sub prætextu novæ Religionis improba conventicula in Ecclesiam irreperent.

Hinc tandem & Principes noluerunt ad suas ditiones sine sua licentia admitti novos Ordines, aut Monasteria, ne sub titulo Religionis intrarent hominum conventicula Reipublicæ suæ minùs convenientia, uti infra ostendemus.

Itaque

Itaque hodierni Religiosi regulam approbatam per Sedem Apostolicam professi manent nihilominus in ordine laicorum non minus quàm veteres monachi.

Similiter nec hodie per solam religiosam professionem Monachi ad Ordinem Hierarchicum magis pertinere noscuntur quàm pristini illi Monachi, qui se in simplici laicorum statu consistere existimabant, donec ab Episcopis per ordinem Clericalem & Hierarchicum ordinati essent, credebantque, se per eam ordinationem in alium statum & ordinem translatos & se tunc Monachatum exuisse censebant, uti in decursu hujus operis non semel annotatum est.

Ad Numerum XVII.

Qua occasione creditum fuit solum Pontificem posse dispensare super Regula.

Quòd soli Pontifici credatur esse authoritas derogandi Regulæ aut super ea dispensandi uti ex S. Antonino in textu notatum est, id verisimiliter invaluit, postquam creditum fuit, nullam esse propriè dictam Religionem, nisi in qua emittitur professio juxta Regulam à Sede Apostolica approbatam.

Postquam enim receptum fuit, Regulam debere esse à Sede Apostolica approbatam, ut vera sit Religio; neque verus sit Monachus vel Religiosus, qui juxta Regulam sic approbatam professionem non emisit: consequens visum fuit, neminem præter Pontificem in Regula sic approbata posse dispensare. Ut proinde hæc inter Regulam & Constitutiones Ordinis differentia quoad perpetuitatem (de qua in textu) demum circa sæculum XIII. invaluisse videatur, una scilicet cum opinione eam Sedis Apostolicæ confirmationem requirente, ut vera & propriè dicta Religio habeatur, atque eam professi reputentur veri & propriè dicti Religiosi.

CAPUT III.

Ad Numerum VI.

De non construendis Monasteriis sine consensu Ordinarii.

Constitutionem Gregorii XIV. de non construendis novis Monasteriis sine consensu Ordinarii (de quo in textu) rursus renovavit Urbanus VIII. per Bullam, quæ incipit *Romanus Pontifex*, quæ & in Belgio placcetata habetur integra *parte* 3. *Edict. Fland. lib.* 1. *Rub.* 4. In hac Bulla Pontifex revocat quascunque licentias à Romanis Pontificibus quocunque modo obtentas citra consensum Ordinarii; necnon formam ibidem præscripsit, juxta quam nova Monasteria ædificanda sunt.

Insinuat insuper Urbanus, idcirco censuisse revocandas licentias à suis prædecessoribus indultas, eò quòd per has indulgentias Decreta Concilii Tridentini, necnon Prædecessorum Decreta enervarentur; imò quodammodo inutilia, & sine effectu redderentur.

Si seriò expenderentur licentiæ & indulta, quæ passim per Pontifices conceduntur, seu potiùs per sub- & obreptionem, vel nimiam etiam importunitatem extorquentur, appareret per ea frequenter Decreta Conciliorum, & Romanorum Pontificum enervari & quodammodo inutilia reddi.

Ad Numerum XII.

Sine Principis consensu novi Regularium Conventus non recipiendi.

Per Edictum Caroli V. vetitum fuisse, novas Ecclesias, aut Capellas in hisce Ditionibus sine licentia Principis exstruere, in textu notatum est: & postmodum per plura recentiora Edicta renovatum; ac nominatim, ne sine prævii literis Regiis nova Monasteria aut Conventus exstrui queant, quæ habentur *part.* 3. *epist. Brabantiæ lib.* 1. *tit.* 10. atque inter alia *cap.* 7. referuntur literæ Recentes quibus significatur, quòd, cùm literæ Placiti Regii fuerint negatæ Monialibus Cœlestinis, intentio Regis sit, ut eas jubeant recedere; bonaque ab eis acquisita in manus sæcularium transferantur.

Insuper scribitur, mentem Regis esse, ut *filiæ de Pœnitentia*, vulgò dictæ *Repentines*, non recipiantur in modum Congregationis, aut Conventûs Religiosi, nec ulla bona habeant in communi.

Similis quoque lex jam pridem nota fuit apud plerasque gentes; legiturque, quòd anno 1337. Respublica Veneta hanc stabiliverit legem: *Ne vel Ecclesiæ, Monasteria, Hospitalia, vel aliud quidquam Venetiis ipsis sine Magistratus licentia & consensu fabricaretur;* eamque legem tum 1515. tum 1561. confirmâsse.

Cùm autem postmodum hæc Respublica animadverteret, talem provisionem, non tantùm ipsi civitati Metropoli, sed etiam cæteris suæ Ditionis Civitatibus ad mare & alibi sitis necessariam fore, earundem Rectoribus mandavit, ut nec Religiosis nec Laicis erectionem Ecclesiarum, Monasteriorum, aut Hospitalium sine Superiorum consensu permitterent; sed illud omne sub pœna excommunicationis, & confiscationis tum erectorum ædificiorum, tum etiam ipsius fundi prohiberent.

Hæc fusiùs enarrat Paulus Venetus in Tractatu, cui titulus: *Considerationes Censurarum Pauli V. Pontificis contra Serenissimam Rempublicam Venetam*, in quo solidis rationibus & authoritatibus ostenditur, per hanc à Republica latam legem, nec libertati Ecclesiasticæ, nec authoritati Pontificiæ ullum præjudicium generari: neque condere talem legem, esse (prout voluit Pontifex Paulus V. in literis ad Rempublicam Venetorum.) „Exercere potestatem supra Ecclesiam, sed dominari super fundum, aream aut superficiem, „super qua ædificium illud erigitur, quod etiam „nemo negare potest, purum & merum sæculare „esse. Neque sanè (ut rectè notat hic Author) „ullus privatus, qui Ecclesiastico fabricaturam alicujus Ecclesiæ super suo ipsius fundo recusat, dici potest, quod Ecclesiæ, vel Ecclesiastico aliquid „præscribat; sed quod in proprio fundo, prout „placet, disponat; & tantum prohibeat, ad quod „à legibus non obligatur. Non enim illud Ecclesiæ dici potest, quod fabricari potest, sed „quod jam ædificatum & dedicatum est. Et habet „privatus quilibet dominium super fundum „suum proprium. Principes verò super omnes „fundos simul totius seu dominii habent potestatem majorem.

Hinc Author hic concludit: "Quemadmodum itaque iniquum est, ædificare Ecclesiam "super fundum cujusdam privati, absque illius "permissu: ita etiam æquum esse non potest, in "loco Principis, ubicunque libuerit, contra ipsius "voluntatem tale quid moliri.

Quod argumentū ibidem fusiùs prosequitur; osten-

ostenditque non minus Principi, quàm cuilibet privato liberum esse, suum territorium, sive fundos certis ædificiis ædificandis, etiam ad rem sacram, vel cultum divinum dicandis negare. Extat hic Tractatus apud Melchiorem Goldastum *tom. 3. Monarchia pag. 286.* cum aliis pluribus Tractatibus hujus legis æquitatem & Justitiam adstruentibus; atque inter alios, Tractatus Antonii Quirini Patritii & Senatoris Veneti, qui inter alia rectè advertit, quòd finis hujusmodi legis sit " Publica pax, & tranquillitas, quæ occasione „novorum Monasteriorum facilè turbaretur; si-„quidem novi hominum cœtus hoc modo sæpè „sunt introducti & cum iis etiam plerumque novi „mores, per quos simpliciores, nobiles & ignobiles sub vario prætextu Religionis non raro se-„ducuntur, ut huic vel illi parti, cum ingenti pu-„blicæ libertatis præjudicio, & summo dissensio-„num periculo adhæreant. Et quis quæso Prin-„ceps (pergit Quirini) æquo animo ferret, ut „cœtus quilibet sibi antea nec visus, nec notus pro „suo libitu in quocunque loco suæ Ditionis vel-„let pedem figere? Nonne prius de ejusdem „conditione, propter quid scilicet venerit, & „quid rerum agat, inquireret, aut num sibi ipsi, „suisque subditis periculum vel detrimentum „aliquod afferre posset, bono jure investigaret? „Sæpè enim sub pallio & tegumento Religionis „res aliæ occultantur, uti benè hic Auctor refle-„ctit, & ostendit.

Cùm verò objiceretur, mentem Pontificis non esse, loqui de omnibus Monasteriis in Republica Veneta ædificandis, sed de illis solùm ædificiis, seu Monasteriis licentiam à Pontifice factam esse, quæ in locis non periculosis, aut suspectis eriguntur, respondet idem Auctor: " Necessarium „esse, ut illa distinctio loci, temporis, & aliarum „circumstantiarum alicui sit nota, quæ tamen co-„gnitio nulli alii debetur, quàm Domino fundi, „utpote de cujus periculo & securitate agitur, „quæ nullius alterius præjudicio debet submitti; „ex quo consequitur, penes ipsum solummodo „esse, permittere, aut non permittere, & licen-„tiam dare, vel denegare, hæc vel illa ædifican-„di, quod unicum est legis nostræ (ait) argumen-„tum.

TITULUS XXV.

De Novitiatu.

CAPUT II.

Ad Numerum XII.

An conveniat novitiorum à reliquis professis separatio, & educatio.

NOvitiorum in rectè instituto Monasterio educatio & probatio (de qua in Decreto Innocentii XII. in textu relato) uti & Novitiorum à reliquis Religiosis professis separatio) de qua *n. 3*) indubiè rectæ educationi & institutioni Novitiorum congruit.

Notandum tamen, quòd ex hac separatione Novitiorum à cæteris Religiosis professis natum sit contingere, quòd Novitiis nimiùm occultentur, tum monasticæ disciplinæ collapsio, tum multorum Religiosorum à regulæ observantia deflexio; quæ si Novitiis apprimè essent cognitæ, non raro intelligerent, quàm difficile ipsis postmodum erit, in tanta disciplinæ monasticæ deformitate ac collapsione, & inter tam defectuosos fratres, veram atque integram vitæ monasticæ disciplinam observare & emissis votis per omnia satisfacere.

Ex his quoque parentes, necnon adolescentium directores intelligere possunt, sui muneris & officii esse, eos, quos sciunt ingressum in monasterium meditari, subinde de hac disciplinæ & regulæ collapsione præmonere, & instruere, difficultatesque exponere, quas ob hanc deformationem sint habituri si vitam verè religiosam in his monasteriis ducere, & votis suis per omnia satisfacere intendant.

Ad Numerum XIII.

Quod tempus in Novitiatu requiratur?

In textu notatum fuit, ex præscripto regulæ S. Benedicti requiri annum duntaxat Novitiatûs; at apud Orientales ex præscripto Justiniani in *Novella 5. cap. 2.* requisitum fuisse triennium Novitiatûs.

Utriusque hujus disciplinæ monasticæ meminit Gratianus. Et quidem *causa 17. quæst. 2. Can. 1.* refert sub nomine Alexandri Papæ II. quod tum S. Benedicti, tum S. Gregorii Papæ constitutio Canonica interdicat, *Monachum ante unius anni probationem effici.*

Deinde *Can. 3.* sub nomine Decreti Bonifacii (sed quod re ipsa desumptum est, ex Novellis Justiniani, ut notant Correctores Romani) refert: " Si quis *incognitus* monasterium ingredi „voluerit, ante *triennium* Monachi habitus ei „non præstetur.

Ut autem has authoritates conciliet Gratianus ad calcem *Canonis 2.* subjungit: " Authoritas „illa Alexandri secuta est institutionem B. Gre-„gorii & B Benedicti, quæ probandis annum „indulget, sed tantùm *notis*, *ignotis* verò trien-„nium concedit.

Absona planè restrictio, cujus nulla aut in regula S. Benedicti, aut apud S. Gregorium mentio habetur.

Similiter nec apud Justinianum ullum inter *notos & ignotos*, discrimen constituitur: sed simpliciter *triennium* probationis præscribitur. Neque in Novellis Justiniani legitur, quemadmodum hic apud Gratianum in prætenso Decreto Bonifacii, *si quis* INCOGNITUS, sed indefinitè: *Si quis autem ad monasticam vitam venire voluerit.*

Si Gratianus loca & tempora distinxisset, obvia fuisset conciliandi ratio: scitur enim nec ubique, nec semper eandem fuisse circa tempus probationis disciplinam.

CAPUT III.

Ad Numerum VII.

An conveniens Novitiatum peragi in veste laica

QUòd pluribus sæculis Novitiatus peractus fuerit in veste *laicali*; atque demum emissâ professione daretur vestis Monastica, idque ut major maneret Novitiis egrediendi libertas, ex Hugone Menardo, in textu observatum est.

Et sanè

Et sanè non dubium, quin major esset libertas Novitiis ad sæculum revertendi, si Novitiatus in veste laicali etiamnum hodie perageretur. Scitur enim vulgò non nihil ignominiosum reputari, si semel susceptus Religionis habitus exuatur; eò quòd per exteriorem vestis religiosæ gestationem, quasi jam Monachi seu Religiosi reputati, redeuntes ad sæculum Monachum exuisse videantur & existimentur. Interim nec dubitandum, quin durante modernâ disciplinâ monastica peragendi Novitiatum in habitu monastico, & à laicali planè distincto minor quasi videatur novitio egrediendi libertas, adeoque major & exactior in recipiendis ad Novitiatum cura, & morum & spiritûs discussio & inquisitio meritò requiratur.

TITULUS XXVII.

De Professione & ejus effectu.

CAPUT II.

Ad Numerum VII.

De ætate recipiendorum ad professionem.

VErum est, quod notavit Bartholomæus de Martyribus, deteriorem fructum reddi plerumque Cœnobiis, ab iis, qui *à teneris annis illic sati non fuerint*, adeoque adhuc illæsi à vitiis laxioris libertatis.

Sed illud in tenera illa ætate frequenter occurrit, ut non ea sit adolescentium, aut puellarum maturitas, ut sufficienter cognoscant, ad quæ per professionem monasticam se obstringant, & quas difficultates secum trahat integra votorum persolutio, præsertim in monasteriis, in quibus disciplina sensim relaxata, & à præscripto regulæ, quam profitentur, receditur.

Vix dubium, quin ob hanc judicii imbecillitatem, plures etiam sanctissimi ordinum fundatores, in admittendis ad professionem majorem & maturiorem ætatem requisiverint: quod nec Synodus Tridentina improbavit, quæ licèt permittat emitti professionem anno decimo sexto, nequaquam tamen improbat statuta Ordinum, majorem in profitentibus ætatem exigentia: uti nec prolixiorem, quàm annalem novitiatum, si eum regula aut statuta requirant.

TITULUS XXIX.

De Voto Paupertatis.

CAPUT III.

Ad Numerum XV. & seq.

Sine principis licentia bona immobilia in Monasteria non transferenda.

IN textu notatum est, per Principes nostros vetitum esse bona *immobilia* transferri in Monasteria, aliaque corpora Ecclesiastica, sive, ut vocant, *manus mortuas*, nisi obtentis literis amortizationis.

Non desunt, qui ausu temerario scribere & docere tentârunt Principes sæculares similem legem ferendo suam excedere potestatem, eamque legem tanquam immunitati & libertati Ecclesiasticæ contrariam omnino esse reprobandam.

Et quidem legitur, quòd cùm Respublica Veneta sub initium præcedentis sæculi similem legem edidisset, eam Paulus V. declaraverit per specialem Bullam ut libertati & immunitati contrariam, atque per Rempublicam revocari mandaverit.

Cùm verò Respublica mandato Pontificis non parendum editamque hanc legem nullatenus libertati aut immunitati adversam arbitraretur, imò eam conservationi Reipublicæ planè necessariam; tandem idem Pontifex Rempublicam Ecclesiastico interdicto subjecit; cui interdicto tanquam sub- vel obreptitiè à Pontifice extorto nullatenus obtemperandum censuit Respublica, omnibusque subditis tam laicis, quàm Ecclesiasticis seu sæcularibus, seu regularibus vetuit sub gravissimis pœnis huic interdicto obtemperare, sed illud voluit ut nullum atque invalidum ab omnibus haberi, & ut tale publico edicto declaravit.

Hac occasione plures singulares tractatus editi leguntur quibus æquitas & justitia hujus legis solidissimè astruitur, & Principum auctoritas in ferenda simili lege vindicatur.

Plures ex his tractatibus inserti leguntur tomo 3. Monarchiæ Imperii per Melchiorem Goldastum; atque inter alios doctissimus tractatus Pauli Veneti sub hoc titulo: *Considerationes censurarum Pauli V. Pontificis contra Serenissimam Rempublicam Venetam*, ubi advertit, quòd lex, quæ prohibet, ne quis laicorum *immobilia* sua bona ad Ecclesiasticos transferat, "nihil Ecclesiasticis præcipiat, sed laicis solummodo; & sæcularibus legem imponat, & quam injuriam "facere Princeps eo potest, dum subditis, ne cum "hoc vel illo certo hominum genere contractus "ineant prohibet? In omnibus enim regnis usitatissimum est, ut prohibeatur, ne omnis generis "merces aut exportentur, aut etiam sine discrimine inferantur hoc itaque fiet in offensionem exteriorum? Non credo, quemquam in hanc consequentiam assensurum; idque tantò magis, "quando privati talem legem de suis ipsorum "bonis statuunt, & in contractibus has conditiones inserunt, ne is, quicunque ipsis in societate "est, commodum suum Ecclesiis vendere, aut "alio quovis modo ad easdem alienare possit. "Quemadmodum etiam nonnulli, ut bona ab iis "parta inter suos maneant, in testamentis præcavent, ne quid ad Ecclesias transferatur: & ita "sanè omnes leges de fidei commissis libertati Ecclesiæ repugnarent, dum scilicet bona in Ecclesiis relinquere prohibent.

Post hæc probat, in hac lege Principem non disponere de rebus Ecclesiæ, sive ad Ecclesiam jam spectan-

spectantibus, sed de rebus suæ jurisdictioni planè subjectis, & eatenus sibi propriis disponere; ac propterea posse statuere, ne ad Ecclesiasticos, sive *manus mortuas* bona illa transferantur; præsertim quòd per eam translationem quodammodo ejus jurisdictioni subtrahantur, nec jura Principis salva & integra esse possint.

Quapropter sicut privatus quisque potest præcavere, ne sua bona ad Ecclesiam transferantur citra violationem libertatis Ecclesiasticæ, non dubium, quin idem liceat Principi, si ex ea translatione sua jura inverti prævideat.

Ad Numerum XX.

De juramento in alienatione bonorum immobilium.

Non obstantibus iteratis, iisque admodum rigorosis Principum nostrorum edictis, vetantibus omnem bonorum *immobilium* quocunque titulo alienationem, & translationem in corpora Ecclesiastica, sive *manus mortuas* nihilominus deprehensum fuit, plurima hujusmodi suppositis aliorum privatorum hominum nominibus in Monasteria, aliasque *manus mortuas* cum non exiguo Reipublicæ detrimento transferri. Quare ad obviandum hisce fraudibus, necessaria visa est nova rursus Principis ordinatio, quæ prodiit 3. Decembris anni 1638. relatâ parte 1. Edict. Brab. *lib.* 1. *tit.* 4. *cap.* 9. quâ inter cætera ad præveniendas fraudes, per quas nonnulli nomen suum supponebant in alienatione bonorum immobilium, quasi in ipsos bona illa immobilia transferrentur, cùm tamen revera hæc alienatio esset in commodum *manûs mortuæ*, injungitur tam venditoribus, quàm emptoribus dictorum bonorum immobilium, ut in venditione & emptione, eorumque inhæredatione declarent sub *juramento*, hanc alienationem fieri *directè*, seu *indirectè* in commodum alicujus *manûs mortuæ*: utque ipsa acta inhæredationis fiat expressa mentio factæ hujus declarationis.

Dolendum sanè, quòd Ecclesiasticorum, & Religiosorum quorundam nimia aviditas copulandi agrum agro, Principes coëgerit, subditis suis simile juramentum imponere, eos periculo perjurii sæpiùs exponendo; ita ut hic meritò applicaretur, quod occasione similis legis suo tempore dixit S. Ambrosius: legem non reprehendendo, sed doleo, quòd talem legem meriti fuerimus.

TITULUS XXXI.

De Monasteriorierum Superioribus.

CAPUT IV.

Ad Numerum V.

De distinctione inter fratres conversos, sive laicos & professos ad chorum.

Tametsi in pristinis Monachorum regulis non occurrat distinctio illa Monachorum ad chorum professorum, & illorum, quos hodie *Fratres Conversos* dicimus, qui ad opera manualia, & externa obeunda recipiuntur (uti in textu notatum est) nihilominus quidam è Monachis olim *conversi* dicebantur; nimirum hi, qui ad provectam usque ætatem sæcularem vitam duxerant & postmodum vitam monasticam amplectebantur; & morum *conversionem* profitentes ab ea *conversi* appellati: iique distinguebantur hac appellatione ab iis, qui *ab infantia* in Monasteriis enutriti, eandem vitam amplexati erant; atque inde *nutriti*, sive *oblati* propter oblationem parentum de ipsis factam dicebantur, uti observat du Cange in Glossario mediæ & infirmæ latinitatis, verbo: *conversi*; atque de his *nutritis & conversis* agi apud S. Anselmum in libro *de similitudinibus c.* 78. ex ipso contextu manifestum est: quapropter rectè notavit dictus Auctor, errâsse Haeftenum, qui credit, ibidem agi de his, quos hodie fratres *conversos* dicimus, qui & *laici* dicuntur; & à Monachis *ad chorum* professis distinguuntur; quos non nisi circa sæculum XII. ortum habuisse observat Claudius Fleury in historia sua Eccles. *lib.* 63. *n.* 58. qui occasionem hujus distinctionis inde ortam credit, quòd *laici* literas non discerent, & lingua latina vulgaris esse desiisset; atque ita *laici* idioma latinum non callentes, officio divino, quod latinè peragebatur, inidonei essent.

Quidquid sit de origine, indubitatum est, distinctionem modernam inter *laicos* sive *conversos*, & professos *ad chorum*, prout hæc in pleris-que Monasteriis est in usu, recentioris disciplinæ esse: quodque in ratione Monachatus non distinguantur, sed omnes eodem vinculo, iisdemque votis Religioni sint adstricti.

Ad Numerum XXV.

An solus Abbas juxta regulam S. Benedicti possit admittere ad professionem sine consensu communitatis?

Inter ea, quæ per Abbatem *de Consensu* Congregationis expedienda sunt, in textu ex Ascanio Tamburino notata refertur receptio & admissio Novitii ad professionem.

Verùm, si inspiciantur sola verba Regulæ Benedictinæ, videtur, quòd admissio ad professionem *soli* Abbati competat *de consilio* Congregationis: quod & supponere videtur Josephus Meige in parte Regulæ Benedictinæ, derogaverit, & auctoritatem Abbatis restrinxerit: ita ut hodie non tantùm *consilium*, sed & consensum Congregationis habere debeat; atque non tantùm ex constitutionibus totius Ordinis, prout existimâsse videtur Trithemius, & post eum Ascanius Tamburinus; sed etiam ex jure communi receptio & admissio Novitii ad professionem esset una ex causis gravioribus, quæ sine *consensu* Congregationis per solum Abbatem absolvi non possent; quâ in re ordinum & Monasteriorum constitutiones, & continuata praxis maximè sunt attendenda.

Contingere enim potest, ut alicujus Congregationis, aut Provinciæ Monasteria pressiùs, & constantiùs Regulæ Benedictinæ adhæserint, atque conformiter ad regulam Abbatibus ac in re pristina auctoritas fuerit conservata.

Quidquid sit de hac Abbatum auctoritate, hoc certum est, quòd Abbas, tanquam Pater suorum Monachorum, non nisi summa cum prudentia hac sua auctoritate, in admittendis Novitiis ad professionem sine consensu sui Capituli, uti debeat;

beat: quandoquidem similis admissio ad professionem vix fieri queat, sine charitatis & unionis inter fratres detrimento; ac notanter si ex parte Abbatis carnalem aliquem erga Novitium affectum in hac ad professionem admissione concurrere circumstantiæ ostendant.

CAPUT VI.

Ad Numerum I.

Pontificalium usus quo tempore per Abbates postulari vel impetrari cœperit?

IN textu notatum est, incertum esse, quo tempore ornamenta Pontificalia ex privilegio Romani Pontificis fuerint Abbatibus indulta, illud sat constat, ante sæculum septimum, aut octavum nullum hujusmodi privilegium per Romanos Pontifices fuisse Abbatibus concessum; sed demum sæculo nono, aut decimo similia privilegia per Romanos Pontifices cœpisse concedi: postquam scilicet auctoritate falsarum decretalium sibi plenitudinem potestatis asseruerunt; atque eâ potestate prætenderunt, se posse aliis communicare, quæ Episcopis erant propria.

Quin & credit Christianus Lupus, uti in textu dictum est, inter Pontifices primum fuisse Joannem XVIII. qui dederit Abbatibus usum Pontificalium sub initium sæculi XI.

Hoc præterea notatur, quòd primitus non omnia, sed, quæ minora reputabantur, duntaxat Abbatibus fuerint indulta, puta sandaliorum Dalmaticæ & Chirothecarum usus; uti observavit vir eruditus Joannes Mabillonius in præfatione ad primam partem sæculi VI. Benedictinorum *num.* 54. ibidem inter alia observans, quòd Leo IX qui sedit sub medium sæculi XI. indulserit Richerio Abbati Cassinensi, ad exemplar suorum prædecessorum, usum *sandaliorum*, Dalmaticæ, nec non Chirotecarum.

Insuper notat, quòd idem Pontifex eundem usum Pontificalium tribuerit Warmino Abbati sancti Arnulphi, exceptis (ait) Chirothecis.

Hæc ostendunt, primitùs in concedendo Pontificalium usu Pontifices admodum fuisse moderatos, atque Leonem IX. existimâsse usum *Chirothecarum* quid amplius, quàm sandaliorum, aut Dalmaticæ.

Hoc sat constat inter ornamenta illa, externa Pontificalia semper enituisse usum *mitræ*, quem Abbatibus serius communicatum fuisse credit Mabillonius; primumque credit Egelsinum Abbatem sancti Augustini, prope Cantuariam, cui Alexander II. usum *mitræ* indulsit, *ob ipsius* (ait) *Romanorum alumni & Angelorum Apostoli dignitatem.*

Ad Numerum II.

Querela sancti Bernardi de Abbatibus, qui multo pretio ibi Pontificalia impetrabant.

Ex verbis epistolæ sancti Bernardi (de qua in textu) nequaquam obscurum est, privilegia illa, etiam illo tempore à ditioribus Abbatibus, sive Monasteriis in Curia Romana fuisse impetrata; quandoquidem ipse Bernardus apertè redarguat Abbates, qui similia privilegia non tantùm labore, sed & *pretio* sibi comparent. Postquam enim graviter reprehendisset Abbates, qui sub obtentu libertatis privilegia emancipationis, sive exemptionis à jurisdictione Episcoporum in Curia Romana, non sine multo labore, sed *pretio* impetrabant, tandem verum genuinum in hisce impetrandis Monachorum scopum esse ambitionem & superbiam sat exinde lucere scribit: "Multo (ait) labore; & *pretio* Apostolicis adeptis „privilegiis per ipsa vindicant *insignia Pontificalia*, utentes & ipsi more Pontificum *mitrâ annulo*, atque *sandaliis.*

„Sanè si attenditur (pergit Bernardus) rerum „dignitas, hanc Monachi abhorret professio, si „ministerium, solis liquet congruere Pontificibus; „profectò esse desiderant, quod videri gestiunt, „meritoque nequeunt esse subjecti, quibus jam „ipso se comparant desiderio. Quid si & nomen „eis conferre privilegiorum posset auctoritas, „*quanto* putas *auro* redimerent, ut appellarentur „*Pontifices*. Quo ista ô Monachi! ubi timor mentis, ubi robur frontis? quis unquam probatorum Monachorum tale aliquid aut verbo docuit, aut reliquit exemplo, Hæc Bernardus de Abbatibus sui temporis.

Illud habetur ex verbis sancti Bernardi, quòd suo tempore Abbates non tantùm multo labore, sed & *pretio* usum insignium Pontificalium, obtinerent, quod & de sui temporis Abbatibus testatur Thomas Cantipratanus *lib.* 1. de Apibus *cap.* 6. ubi de infulis loquens ait: "Secundùm statuta „Ecclesiæ ferè, *solis* Episcopis uti licet: *abusivè* „tamen quidam Abbates de novo *in magna pecuniæ mole his* utuntur.

Ad Numerum III.

Canonici Præmonstratensis, Abbates Congregationis Bursfeldensis usum Pontificalium jam pridem reprobarunt.

In textu notavimus, aliquando Abbatibus Ordinis Præmonstratensis usum Pontificalium displicuisse; atque per statutum Capituli Generalis fuisse reprobatum, atque per literas Innocentii III. hoc fuisse laudatum, & probatum.

Ex his autem literis habemus Innocentium III. usum hunc Pontificalium in Abbatibus existimâsse contrarium humilitati religiosæ, & incentivum esse superbiæ, & ambitionis, ideo & statutum, quo is usus inhibetur, in favorem esse Religionis; utpote ad substrahendam dissolutionis materiam conveniens, ac propterea merito Apostolico communiendum præsidio. Verba ejus sunt: "Quæ „in favorem Religionis ad subtrahendam dissolutionis materiam sunt providè instituta, firma „debent, & illibata servari, & ne infringi valeant „Apostolico præsidio communiri. Significâsti siquidem nobis, quòd communi consilio Abbatum vestri Ordinis statueritis, quod nullus Abbatum vestrorum *mitrâ* vel *chirothecis* utatur; „ne forsan ex ipsis supercilium elationis assumat, „aut sibi videatur sublimis, cum his uti se viderit, „quæ Pontificibus, & majoribus Ecclesiarum „Prælatis à Sede Apostolica sunt concessa. Nos „igitur institutionem ipsam sicut à vobis providè „facta est & recepta, auctoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti paginâ communimus, statuentes, ut si qua forsan Ecclesia laxioris „Ordinis vestram voluerit regulam profiteri, „hujusmodi Pontificalibus, etiamsi ea prius habuerit, ulterius non utatur, imo potius humilitatem servet, & in ea statuta vestri Ordinis imitetur.

Similiter Abbates Congregationis Bursfeldensis non absimilem de hoc usu Pontificalium ideam habuisse verba constitutionis probant: "Nemo „(inquiunt) ex Abbatibus nostris etiam Apostolico „suffultus privilegio, mitrâ & cæteris hujusmodi „insigniis, & apparatibus Pontificalibus uti præsumat: hæc enim licet interdum simplici animo „rationabiliter fieri possint, tamen à linguentibus „& ad judicandum pronis curiosæ vanitati magis,

„magis, quàm religiosæ simplicitati deputari „solent.

Insuper ex supra relatis verbis Innocentii III. constat, usum Pontificalium in Ordine Præmonstratensi tunc temporis assumptum fuisse in quibusdam monasteriis *relaxata* disciplinæ; rejectum verò fuisse in Monasteriis reformatis; ut proinde mirum non sit, quòd labentibus sæculis relaxata in plerisque Monasteriis regulari prorsus disciplinâ, usus Pontificalium assumptus fuerit & toleratus.

Et sanè legimus jam pridem nonnullos Abbates hunc Pontificalium usum modestiæ causâ & ad suorum reprimendam superbiam, etiam ultro oblatum vel indultum, recusâsse.

Refert Mabillonius in præfatione ad partem primam sæculi VI. Benedictinorum, Leonem IX. *sandaliorum* usum obtulisse Gervino Abbati Centulensi; *sed ille* (ait) *ut insigniter modestus erat, hæc ornamenta recusavit.*

Refert & post Baronium Christianus Lupus, Urbanum II. sub finem sæculi xi. Beneventano Petro Abbati Monasterii Cavensis concessisse usum mitræ: *At ille uti noluit ad reprimendam superbiam aliorum Abbatum.*

CAPUT VII.

Ad Numerum XXXVI.

Discutitur Decretum Concilii Trid. sess. 25. cap. 21. de Regularibus.

IN textu notatum est, quòd in Italia usus Commendarum etiam post Concilium Tridentinum ibidem publicatum & receptum perseveret; ac passim omnes Abbatiæ dentur in Commendam Clericis sæcularibus, si sola Monasteria, quæ *Ordinum Capita* dicuntur, exceperis, idque conformiter ad resolutionem Cardinalium super interpretatione Decreti Concilii Tridentini *sess. 25. cap. 21. de Regularibus*, quâ declaravit per hoc Decretum vetari in Commendam dari Monasteria, quæ sunt *Ordinum Capita:* quo ad reliqua verò Monasteria nequaquam positivè vetitum esse, ea in Commendam Clericis sæcularibus concedi: sed in conscientiæ, & judicio Romani Pontificis committi, uti refert Prosper Fagnanus in textu citatus.

Verùm si textus Concilii Tridentini ritè expendatur, non obscurum apparebit per hoc Decretum Concilii Tridentini absolutè & indistinctè ac generatim vetari *vacatura* Monasteria quæcunque ulterius in Commendam Clericis sæcularibus dari.

Imprimis in hoc Decreto deplorat Concilium; „Quòd pleraque Monasteria, etiam Abbatiæ, Pri„oratus, & Præposituræ, ex eorum quibus com„missa fuerunt, administratione non levia passa „fuerint, tam in spiritualibus, quàm in tempora„libus detrimenta.

Post hæc declarat Concilium, *cupere se ut hæc Monasteria ad congruam vitæ Monasticæ disciplinam revocarentur.*

Porro advertunt Patres, uti in ipso Decreto significant *Quòd adeò dura, difficilisque ejus esset temporis conditio, ut nec statim omnibus, nec commune ubique, quod optaret, remedium possit adhiberi.*

Cùm igitur Patres attenderent ob hanc duram ac difficilem temporis conditionem nec omnibus, nec ubique remedium, quod optarent, adferri posse, nimirum Monasteria tum temporis, Clericis sæcularibus *commendata* possent *statim* & *ubique* commendatariis illis eripi & regularibus in titulum conformiter ad sacros Canones & Patrum Regulas assignari, curam illius Romano Pontifici committendam censuit Synodus, „*con„fidens*, quòd ipse pro sua pietate & prudentia cu„raturus sit, quantum hæc tempora ferre posse vi„derit, ut iis, quæ *nunc* commendata reperiun„tur, & quæ suos Conventus habent, regulares „personæ ejusdem Ordinis, expresè professæ, & „quæ gregi præire & præesse possunt, præficiantur

Ex his evidens est Synodum Tridentinam in hac priori parte Decreti duntaxat loqui de Monasteriis, quæ tunc in Commendam à Clericis sæcularibus possidebantur, & quæ sic possessa, non videbantur ob duram difficilemque temporis conditionem, statim omnibus & ubique Commendatariis illis auferri posse; & ad regulares personas Ordinem expresè professas transferri Unde satius duxit Synodus curam providendi his ita commendatis Monasteriis Romano Pontifici committere, ut ipse pro suâ pietate & prudentia provideret.

Hæc autem difficultas cùm non occurreret quoad Monasteria etiam hactenus commendata, quæ per cessum, vel decessum Commendatariorum vacare contingeret, Synodus quoad similia *vacatura* seu *vacantia* Monasteria decrevit in verbis: "Quæ verò *in posterum* vacabunt, non nisi „regularibus spectatæ virtutis & sanctitatis con„ferantur.

Planum est ex textu Decreti, Synodum in priori parte loqui de solis Monasteriis, quæ *tunc* in Commendam possidebantur, atque iis providendi curam confidisse Romano Pontifici, atque verbum illud *confidit*, non nisi ad similia commendata Monasteria referri posse.

In altera verò periodo, quæ incipit ab his verbis: *Quæ verò*, evidenter Synodus loquitur de Monasteriis in posterum vacaturis, atque ibidem modum præscribens, quo iis provideri desiderat, evidenter *præceptivè* non autem *consultivè* loquitur in verbis: *Regularibus spectatæ virtutis & sanctitatis conferantur.*

Præterea nequaquam obscurum est periodum, quâ præscribitur forma providendi Monasteriis in posterum vacaturis, omnino sensum perfectum habere, neque verbum illud *confidit* ullatenus posse referri ad Decretum in posteriori hac periodo expressum, sed in hac Decreti parte sive periodo absolutè mandari: ut Monasteria *in posterum vacatura, regularibus spectatæ virtutis & sanctitatis conferantur*

Cùm autem inter Commendata Monasteria reperirentur quoque quædam Monasteria, quæ essent *capita* & Primates Ordinum, voluit Synodus ut hæc non tantùm, cùm in posterum per cessum vel decessum Commendatarium vacare contingeret, Regulares personæ iis præficerentur, sed insuper voluit Synodus: "Ut teneantur illi, qui *in „præsenti* ea in Commendam obtinent, nisi sit eis „de Regulari successore provisum, infra sex men„ses Religionem illorum Ordinum propriam so„lemniter profiteri, aut iis cedere, aliàs Commen„dæ prædictæ ipso jure vacare censeantur.

Non itaque in hac periodo Synodus loquitur de Monasteriis vacaturis, sed de Monasteriis, quæ in Commendam possidebantur.

Igitur à verbis & mente Patrum Concilii Tridentini alienum est, quòd Synodus sola Monasteria, quæ sunt *capita* & Primates Ordinum præceperit, dum ea vacare contingeret *ulterius* in Commendam non dari, uti conformiter ad quoddam

De-

Decretum Congregationis Cardinalium prætendit Fagnanus in textu relatus.

Sed [uti ex verbis Decreti probatum est] Synodus voluit, ut quæcunque Monasteria *in posterum vacatura* regularibus spectatæ virtutis & sanctitatis conferantur.

Non dubium proinde, quin conformiùs ad textum Concilii Tridentini processerint Domini de Rota, dum referente Prospero Fagnano ad cap. *Cùm ad nostrum* x. de Elect. *num.* 10. declarârunt hanc periodum, *quæ verò in posterum vacabunt, regularibus spectatæ virtutis & sanctitatis conferantur,* habere sensum perfectum, ne de cætero alicui non regulari conferantur.

Ut proinde hæc Congregationis Cardinalium interpretatio non immerito reputari posse videatur ex iis, per quas Decreta Concilii Tridentini nonnunquam in alienum sensum inflexa reperiuntur, de quibus loquitur Zypeus *Consult.* 1. *de Elect. num.* 6. ibidem propterea monet, Decreta Conc. Tridentini hìc in Belgio esse recepta, prout verba sonant, non autem juxta interpretationes Cardinalium, denique ex his patescit, praxim Belgii, quæ similes Commendas non agnoscit neque admittit, esse sat conformem Decreto Concilii Tridentini.

TITULUS XXXII.

De Regularium Reformatione & Visitatione.

CAPUT II.

Ad Numerum XIV.

IN textu notatum est, quòd in Gallia, Senatus Regii subinde se pro regularum reformatione impendant; quin & nonnunquam unum alterúmve Episcopo Monasteria visitanti, & reformationem meditanti è suo corpore adjungant, ut visitatio & meditata reformatio faciliorem & promptiorem effectum habere queat; testatúrque Rebuffus in Concordatis tit. de Regia ad Prælaturas nominatione §. 1. in verbo *reformatis*, se pluries vidisse Senatum Regium ex officio extra ordinem cognoscere de reformatione Monasteriorum & solere compellere Episcopum Diœcesanum, ut creet Vicarios Generales quosdam Senatores Clericos, qui edant statuta & alia, quæ pertinent ad reformationem.

Similiter in Belgio nostro Principes eorúmque Magistratus nequaquam dubitârunt, sibi jus esse Monasticæ ac regulari disciplinæ conservationi, & restaurationi intendere, & suam, ad eam conservandam, aut restaurandam, auctoritatem impendere.

Et quidem, cum circa annum 1556. Principi innotuisset, in quadam Abbatia disciplinam monasticam admodum esse collapsam gravésq; abusus irrepsisse, adeoque reformatione omnino opus esse, Princeps ad vacantem hanc Abbatiam novum Abbatem nominando, ipsi nominato instructionem pluribus articulis constantem dedit, secundùm quam, ipse se & Religiosos suos reformare teneretur, sub pœnâ destitutionis quantum *ad se*; & sub pœnâ translationis ad aliud Monasterium reformatum, vel pœnâ carceris, quantum ad Religiosos, si in his, quæ in hac instructione continebantur, non obedierint.

„ Huic instructioni in hæc verba consensit & „subscripsit nominatus Abbas: Supra scriptam „instructionem & articulos in ea contentos ex „jussu Regiæ majestatis mihi exhibitos ego N...... „ab eadem majestate sua ad dignitatem Abba„tialem Monasterii N...... nominatus promit„to in verbo Sacerdotis cum omni diligentia ob„servare, & observari facere, executionísque fideli„ter mandare. Actum Bruxelli die 27. mensis Au„gusti anno 1556. ego Frater N...... fateor ita „esse, & manu propriâ hoc scripsi anno 1683. „simile regulamentū à Concilio privato Bruxellis „præscriptū fuit alteri Abbatiæ N...... in Belgio.

Et rursus circa annum 1702. cum Principi innotuisset quoddam Monasterium Canonicorū Regularium tam in spiritualibus, quàm temporalibus, admodum collapsum atque in multis indigere reformatione, per supremum suum Senatum Brabantiæ provisionale præscripsit regulamentum, quo tam circa administrationem temporalium, quàm circa spiritualia exercitia in posterū regi deberet. Tria hæc regulamenta exhibentur in Appendice monumentorū sub litt. H. I. K.

CAPUT IV.

Ad Numerum XXI.

IN textu notatum est Generales Ordinum extra hasce ditiones residentes, ad visitanda Monasteria ipsis subjecta hisce in partibus sita nequaquam solere admitti sine prævio placito Regio. Conformiter ad hanc praxim & jus harum Provinciarum legitur, quòd anno 1593. Generalis Ordinis Cisterciensis in Gallia residens, desiderans visitare Monasteria sui Ordinis in partibus sita, jusserit per duos Prælatos à Principe facultatem illam visitandi postulare, quam facultatem Princeps reformationem Monasteriorum impedire nolens benignè annuit, eâ tamen conditione, quòd Generalis in ipso actu visitationis deberet secum adhibere duos Prælatos, ejusdem Ordinis hisce in Provinciis residentes.

Generales Ordinum exteri sine Principis licentia Monasteria in Belgio sita visitare non possunt.

Cumque anno 1551. quidam Religiosi Ordinis FF. Prædicatorum in Gallia residentes, sine Regio *Placito* tentâssent quædam in his partibus Monasteria ejusdem instituti visitare: Regina Hungariæ Belgii Gubernatrix eosdem visitatores ad se evocavit, eisdémque ulteriorem visitationem interdixit: quorum per literas acriores die 6. Junii horum Monasteriorum Provincialem & Religiosos reddidit certiores; unà, sub pœnâ Regiæ indignationis, seriò inhibens ullos visitatores Gallos aut alios in posterum admittere, nisi prius eis de *placito* & consensu suæ majestatis constiterit. Anno 1616. Belgii Gubernator similes scripsit litteras 27. Junii ad Abbates Truncinienses juxta Gandavum ac SS. Cornelii & Cypriani Ninoviæ Ordinis Præmonstratensis super eo, quòd sui Ordinis Generalem etiam sine prævio Regis *placito* ad visitationem admisissent. Extant hæ litteræ sub litt. L M.

Ad hæc praxis Belgii in hoc conformis est praxi Regni Galliæ [de qua in textu num. 22.] quod Generales Ordinum extra has Provincias residentes, nullam possint *per se* in Monasteria, aut Religiosos harum Provinciarum auctoritatem, aut actum jurisdictionis exercere; sed teneantur in hisce partibus constituere Commissarium Generalem, qui nomine eorum, Monasteriis in hisce Provinciis sitis intendat, quemadmodum videmus Ordinem Cisterciensem, nec non Præmonstratensem suum respectivè habere Commissarium Generalē, eo quod horum Ordinum Generales habeant fixam residentiam in Regno Galliæ.

SUPPLEMENTUM IN JUS UNIVERSUM ECCLESIASTICUM.

PARS SECUNDA.

TITULUS PRIMUS.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPUT I.

Ad Numerum XIV.

Theologi Scholastici multa circa materiam & formam Sacramentorũ scrupulose inquirere cœperunt.

IN textu notatum notavimus, quòd Innocentius III. & Gregorius IX. in suis Decretalibus declaraverint, esse *cautè supplenda, quæ in Ordinum collatione per errorem inveniventur omissa.*

At nequaquam obscurum est, Innocentium III. in hoc suo responso, uti & Gregorium IX. attendisse ad Theologiam Scholasticam, quæ sæculo XI. invalescere jam cœperat, & de materia & forma, aliisque ad Sacramenta spectantibus multa scrupulose inquirebat, quorum nihil aut parum apud antiquos Patres legitur: quod hisce, aliisque hujus ætatis Pontificibus sat familiare fuisse eorum Decretales & responsa evincunt.

CAPUT II.

Ad Numerum III.

An conveniat preces in administratione Sacramentorũ idiomate vulgari recitare?

IN textu notatum fuit, Synodum Tridentinam aliásque Synodos mandâsse omnibus curam animarum sustinentibus, ut in administratione Sacramentorum populo exponant eorum virtutem sive effectum; nec non quæ sint in suscipientibus necessaria, ut cum fructu ea suscipiant.

Cum igitur in precibus atque collectis, quas in administratione Sacramentorum & Divinorum officiorum celebratione Ecclesia præscribit in suis passim ritualibus, manualibus & libris Ecclesiasticis recitandas, plurima occurrant, per quæ fideles in horum notitiam venire possent, quis ambigat, quin ad populi instructionem, atque excitandam pietaæm, & erga sacra reverentiam plurimùm valeret, si hæc linguâ vernaculâ sive idiomate patrio recitarentur, quemadmodum pluribus sæculis in Ecclesia usitatum fuit.

Idipsum expertus dicitur S. Cyrillus Apostolus Gentis Sclavonicæ, de quo legitur in ejus vita apud Bollandum ad 9. Martii in secundis actis *pag.* 22. " Apostolicus [Adrianus II.] & reliqui, „qui Rectores Ecclesiæ corripiebant B. Cyrillum, „cur videlicet ausus fuisset, *in Sclavonica lingua* Horas Canonicas statuere. At ille humi„liter respondens dixit: Attendite vos fratres & „Domini sermonem Apostoli dicentis: *Loqui „variis linguis nolite prohibere.* Secutus ergo „Apostolicam doctrinam (linguam) quam impu„gnatis institui. At illi dixerunt, quamvis Apo„stolus loqui variis linguis persuaserit, non ta„men per hoc ipsa, quam statuisti linguâ, divina „solemnia voluit decantari.

„Cum autem propter hujusmodi institutio„nem plus & plus apud eos cresceret altercatio, „B. Cyrillus dictum Davidicum protulit in me„dium dicens: Scriptum est enim, *omnis lingua „laudet Dominum:* & si omnis spiritus laudando „magnificat Dominum, cur me prohibetis sacra„rum Missarum solemnia & horarum Sclavoni„cè modulari? Siquidem si quivissemus illi po„pulo aliter aliquando cum cæteris nationibus „subvenire in lingua Græca, vel Latina, omnino „quæ reprehenditis non sanxissem: sed quia idio„tas viarum Dei totaliter eos reperi & ignotos, „solum hoc ingenium almiflua S. Spiritûs gratia „cordi meo inspiravit, per quod etiam *innume„rum* populum Deo acquisivi. Quapropter Pa„tres & Domini cogitate, consultiùs, si institu„tionis meæ normam hanc expediat immutare. „At illi audientes, & admirantes tanti viri indu„striam, & fidem studiosâ deliberatione præha„bitâ, statuerunt supradicto ordine & sermone, „in illis partibus, quas B. Cyrillus Deo acquisie„rat, sicut statuerat Canonicas Horas cum Mis„sarum solemniis ita debere deinceps celebrari.

Neque hac Missarum, & horarum Canonicarum aliorúmque Divinorum officiorum decantationem

tionem, & recitationem in idiomate Patrio ad populi ædificationem, displicuisse Joanni VI I. habetur ex ejus epistola sub idem pene tempus scripta ad Stento pulchrum gloriosum comitem Moraviæ, in qua hæc scribit: Nec sane fidei vel „doctrinæ aliquid obstat, sive *missas* in *Sclavoni*-„*ca* lingua canere, sive sacrum Evangelium, vel „lectiones divinas novi & veteris testamenti bene „translatas, & interpretatas legere, aut alia *hora*-„*rum officia omnia* psallere, quoniam qui fecit „tres linguas principales Hebræam scilicet, Græ-„cam, & Latinam, ipse creavit & alias omnes ad „laudem & gloriam suam.

Itaque nec sub finem sæculi IX. quando sedit Joannes VIII. vetita videtur fuisse divinorum officiorum in lingua vulgari decantatio vel recitatio.

Credit D. Claudius Fleury in sua historia Ecclesiastica *lib. 63. num.* 8. primam originem prohibitionis legendi sacram scripturam & ecclesiastica officia in lingua vulgari referendam esse ad tempora Gregorii VII. (id est ad medium sæculi XI) qui postulanti Uratislao Regi Bohemiæ, ut divina officia lingua *Sclavonica* apud gentem Sclavorum recitari possent, absolutè renuit, & ut populi hac in parte postulatis Rex obsisteret, mandavit. Istius prohibitionis hanc rationem assignat, quod " omnipotenti Deo sacram scripturam pla-„cuerit quibusdam locis esse occultam, ne si ad li-„quidum cunctis pateat, forte vilesceret, & sub-„jaceret despectui, aut prave intellecta à medio-„cribus in errorem induceret.

Hoc à Gregorio hic positum prohibitionis fundamentum, nequaquam sat firmum visum fuit octo primorum sæculorum Patribus, qui licet non ignorarent in sacris scripturis nonnulla obscuriora & abditiora contineri, nihilominus & sacram scripturam, nec non divina officia idiomate vulgari, & singulis populis proprio, legi & publice recitari permiserunt, uti recte notat D. Fleury loco citato, qui & suo discursu 3. historico num. 24. ait: " * Non moveor ratione, qua prætendunt „varii moderni (veterem disciplinam recitandi „divina officia lingua vulgari, merito abroga-„tam esse) ad conservandam reverentiam religio-„ni debitam: hæc enim cæca reverentia, ait, non „convenit nisi falsis religionibus fundatis super „fabulis & frivolis superstitionibus. Vera religio „tanto in majori pretio erit, quanto melius nota „fuerit. Idem pluribus ostendit Daniel Papebrochius in erudita dissertatione XVIII. in conatu suo chronico historico vitæ Nicolai I. subjecta; in qua notat, quod Innocentius IV. etiam sæculo XIII. permiserit cuidam Episcopo, ut conformiter ad consuetudinem apud Sclavos receptam, divinum officium in lingua ibidem usitata recitaret, hac subjecta ratione. *Quod sermo rei, & non sit res sermoni subjecta.*

Ubi à veteri & Patrum disciplina hoc in puncto est recessum, atque disciplina & praxis habent, & jam in ritualibus seu manualibus authoritate Episcoporum præscripta, ut hæ preces dicantur lingua *latina*, summâ prudentiâ hîc opus est; ne prætextu majoris utilitatis, aut pristinæ Patrum disciplinæ, ab hoc usu & ritualium præscripto, Parochi, aliique inferiores Ecclesiæ ministri sine legitima superiorum licentia recedant.

Quin tamen vel ante vel post administrata Sacramenta parochi utiliter pro populi captu, quid per externos illos ritus & preces, Ecclesia significare, & à Deo impetrare velit, lingua vernacula exponere queant, dubium non est.

CAPUT III.

Ad Numerum I.

Sacra non redigenda ad quæstum.

Nihil esse quod populi devotionem & reverentiam erga sacras functiones adeo minuat, quàm populi persuasio, hæc sacerdotum quæstui subservire, in textu notavimus, atque propterea perniciosum esse abusum sacra non secus ac profana opificia ad quæstum redigere: eumque abusum jam pridem quoque notavit, & summopere deploravit Guillelmus Durandus Episcopus Mimatensis, vulgo *Speculator*, in Tractatu de modo Generalis Concilii celebr. *Parte secunda rubrica* 60. " Quod sepulturæ in multis locis ven-„dantur, & in aliis pro baptismo, Pœnitentia, Eu-„charistia & aliis Sacramentis pecunia ex qua-„dam pestifera consuetudine recipiatur & levetur; „neque prosunt remedia super hoc constituta, „pro eo quod multi ex majoribus columnis & „Prælatis Ecclesiæ in hoc peccant; & ideo quia ab „his male agitur, facile trahitur à subditis in „exemplum.

Utinam nec hodie pestifera ejusmodi consuetudo exemplum similium Prælatorum firmaretur! qui Parochos ipsos aliosque Ecclesiæ ministros ad sordidum hunc quæstum ob defectum congruæ & honestæ competentiæ quodammodo cogunt.

Ad Numerum XIX.

Minus incommodi habebat decimarum personalium quàm hodierna jurium Pastoralium in administratione Sacramentorum solutio.

Tametsi verisimile sit, jura illa, de quibus in textu, successisse in locum decimarum *personalium* quemadmodum ibidem probatum est, illud tamen incommodi habent hæc jura præ decimis *personalibus*, quod horum jurium exactio, & persolutio facilius nata sit ingerere speciem simoniæ aut turpis quæstûs, quam persolutio & exactio decimarum *personalium*, eò quod præ dicta jura solvantur & exigantur cum respectu ad *singulas* sepulturarum aut matrimoniorum celebrationes, eaque ratione suspicionem facilè ingerant, ea persolvi vel exigi quasi pretium exhibiti ministerii divini.

Decimæ vero personales, non secùs atque hodiernæ decimæ prædiales & mixtæ solvebantur & exigebantur sine respectu ad *singulas* functiones Ecclesiasticas: neque plus minusve solvebatur aut exigebatur: sive sacra illa sæpius vel rarius administrata essent. Proinde nulla ex earum solutione vel petitione suspicio oriri nata erat, functiones has intuitu retributionis temporalis impendi, quam non raro horum jurium exactio & receptio ingerere solet.

Hinc ulterius sequitur quod imputatio decimarum personalium in competentiam Pastoralem non esset obnoxia iisdem incommodis, quibus esse solet imputatio dictorum jurium in dictam competentiam: hæc enim jurium illorum

*Je ne suis point touché de la raison qu' alleguent plusieurs Modernes, de conserver le respect pour la Religion. Ce respect aveugle ne convient qu'aux fausses Religions, fondées sur des fables & des superstitions frivoles. La vraie Religion sera toujours d'autant plus respectée, qu'elle sera mieux connuë.
V. Espen. Suppl. in Jus Eccl.

imputatio quodam modo Pastores cogit ad *rigidam* horum jurium exactionem, quæ vix sine suspicione simoniæ, vel ut minus turpis quæstûs, fieri solet.

TITULUS II.

De Baptismo.

CAPUT I.

Ad Numerum V.

Innocentius III. utitur auctoritate Gratiani sine discussione.

IN textu notatum fuit, Innocentium III. resolvisse, Presbyterum, de quo dubitabatur num esset baptizatus, debere reordinari; idque auctoritate cujusdam Canonis sub nomine Concilii *apud compendium* per Gratianum relati: quippe nullibi nisi apud Gratianum sub nomine hujus Concilii reperitur; ut vel ex hoc responso patescat, hunc Pontificem in suis responsis & decretalibus usum fuisse auctoritate Gratiani sine discussione, num à Gratiano relata, essent genuina vel authentica. Hinc ulterius contingit, (uti in hoc opere sæpius notatum) plura sensim, post evulgatas & receptas has decretales Innocentii III. & aliorum Pontificum, qui similiter sine examine, Decreto Gratiani usi sunt, à Canonistis & Theologis pro indubitatis fuisse recepta, quæ vel Patribus fuerant ignota, aut saltem nondum determinata.

Ad Numerum XIV.

De forma Baptismi.

In textu notatum fuit, quod Alexander III. *in cap.* I. x. *de baptismo* responderit, infantem non esse valide baptizatum quia omissa erant hæc verba: *Ego baptizo te* Pro quo notandum, quod circa tempora Alexandri III. dubitari cœperit, num infans tertio in aquam immersus sub hac formula: IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI, omissis his verbis: *Ego te baptizo*, censeretur valide baptizatus. Legitur enim quod Pontius Episcopus Claromontensis consuluerit Mauritium Episcopum Parisiensem, & Stephanum Abbatem, qui post modum fuit Episcopus Tornacensis, de quodam puero, qui cum natus esset, nec posset Sacerdos ad baptizandum „eum congruè reperiri. Pater ejus immersit eum „aquâ dicens: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: Additque. Et hæc est pessima con„suetudo in terra nostra, ut in talis necessitatis ar„ticulo dicant: *In nomine Patris, & Filii, & „Spiritus sancti*, nec totam exprimant verborum „formam, quæ debet exprimi in baptismo, quod „*undiare* vocant Quærit igitur Episcopus utrum baptismus sic collatus sit validus, vel utrum puer postea debeat baptizari? Super hoc per Episcopum Claromontensem proposito dubio respondit Mauritius Episcopus Parisiensis: " Quia in „quem modum forma baptismi tradi vel recipi „debeat, scripturarum divinarum auctoritate & „sanctorum Patrum testimonio traditum habe„mus in hunc modum, scilicet: *Ego te baptizo „in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Et „tanta est verborum vivacitas, ut nihil immutari, „nihil innovari oporteat, nisi vero tota hæc verba „simul à quocumque, & quacumque linguâ pro„ferantur, baptismum esse non credimus. Quia „ergo sicut litterarum vestrarum testimonio co„gnovimus, præsentium lator in submersione „filii sui, *ego te baptizo*, siluit, & tantum, *In „nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, pro„tulit, baptismus non fuit, & ideo puer ille „baptizandus est, quia baptismum nunquam sus„cepit.

Stephanus verò, quantumvis Episcopi Parisiensis auctoritati plurimum deferens, ejus opinioni difficulter se refragari audere profiteretur, tamen rescribere non veretur, sibi videri baptismum in necessitate collatum sub hac formula: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, esse validum, neque infantem sub ea formula baptizatum, esse rebaptizandum: " Quia, inquit, qui „Sacramentum Baptismi instituit, formam tra„dit baptizandi: ite, inquit, docete omnes gen„tes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & „Spiritus sancti: qui baptizandi sibi potestatem „retinuit in hac forma, ministerium aliis conces„sit: Nemo dixerit, pergit Stephanus, quia quod „dicitur, *Ite docete omnes gentes*, vel Sacramenti „obtineat substantiam, vel exprimat formam. Te„neamus quod sequitur, *baptizantes eos in no„mine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, non„dum ibi legi, *baptizantes eos*, & dicentes, „*Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & „Spiritus sancti*. Si baptizare intingere, & ba„ptismus intinctio est, quid aliud sunt, *bapti„zantes*, nisi intingentes? Intingendo ergo cum „intentione baptizandi, si proferat quod veritas „jubet, id est: *In nomine Patris, & Filii, & Spi„ritus sancti*, baptizasse videtur, & formam à „Christo traditam complevisse.

Post hæc adductis in hanc sententiam plurium Patrum, ac signanter sancti Augustini testimoniis, quibus relatis, ita concludit " Vides, Pater, quia „solis verbis Evangelicis consecratur baptismus, „nusquam in toto Evangelio lego: *Ego te bapti„zo in nomine Patris, & Filii, &c.* sed tantum, „*baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & „Spiritus sancti*.

Quantumvis autem crederet, tum scripturarum tum Patrum auctoritate suam opinionem de validitate baptismi in necessitatis articulo, omissis „his verbis, *ego te baptizo*, summa reverentiâ de„osculor, summo studio amplector; eam mater „Ecclesia sic induxit, ut esset de *solemnitate mi„nisterii*, non de *substantia sacramenti*: nam si „aliud dixerimus, absque medio confitebimur „damnatos, quos in necessitatis articulo à laïcis „novimus baptizatos. Hoc enim dicere solent, „qui literas ignorantes, parvulos *undaisant* in „nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, in „quibus verbis eandem virtutem in esse, quam in „latinis syllabis, idem significantibus, & cre„dimus & fatemur.

Ex

Ex his habemus, eo tempore receptam & præscriptam fuisse hodiernam Baptismi formulam : *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* eamque in solemni Baptismo à Sacerdotibus fuisse usitatam, quin & præceptam impendi.

Unde licèt crederet Stephanus, hæc verba: *Ego te baptizo*, non pertinere ad *substantiam Baptismi*, scribere tamen non dubitat, "arguendos vehementer, & pœnitentiâ afficiendos Sacerdotes, ,,qui per negligentiam, aut imperitiam aliquid ,,omiserunt de verborum solemni dignitate.

Neque ignorabat vir hic tum eruditione, tum sanctitate celebris, nefas esse Sacerdotibus, à præscriptis & receptis formulis recedere, aut eas mutare sub prætextu, quòd hæ formulæ in Evangelio aut SS. Patribus non reperiantur expressæ, nec ad substantiam Sacramenti pertinere dignoscantur.

Insuper ex hac Stephani responsione & Pontii Claromontensis Episcopi proposito dubio habetur, *laicos* in casu necessitatis absque cæremoniis præscriptis infantem immergentes, sive baptizantes, solitos fuisse uti simplici invocatione sanctissimæ Trinitatis, sine expressione horum verborum, *Ego te baptizo.*

Interim, quia moderna forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* ubique in solemni Baptismo adhibebatur, & à Sacerdotibus adhiberi præceptum erat admodum probabile est, Mauritium Episcopum Parisiensem, more Scholasticorum, credidisse, eam formulam, quam videbat, jam receptam, Scripturarum & SS. Patrum testimoniis esse traditam: quantumvis nec Scriptura, nec Patres ullibi hæc verba: *Ego te baptizo*, pro forma Baptismi requisivisse legantur.

Eodem verisimiliter fundamento Alexander III. in Decretali, in textu citato, respondit; Quod si puer *tertiò in aquam* immersus fuerit *sub hac formula: In nomine Patris, &c. non sit baptizatus, si baptizans non dixerit: Ego te baptizo.*

Postquam autem hæc Decretalis Alexandri III. relata fuit inter Decretales Gregorii IX. communi Canonistarum & Theologorum Scholasticorum consensu, creditum fuit, Baptismum sine horum verborum, *Ego te baptizo*, expressione, invalidum esse.

Nec dubium, quin ad hanc Alexandri III. decretalem; nec non ad receptam in Ecclesia Latina formulam baptizandi cum hisce verbis: *Ego te baptizo*, respexerit Eugenius IV. in suo decreto pro Armenis, dicens: "Principalis causa, ex ,,qua Baptismus virtutem habet, est sanctissima ,,Trinitas. Instrumentalis autem est minister, qui ,,tradit exterius Sacramentum, *si exprimitur* ,,*actus*, qui per ipsum exercetur ministrum cum ,,sanctissimæ Trinitatis invocatione perficitur Sa- ,,cramentum.

Non enim obscurè innuit, expressionem actûs ministerialis in baptismo requiri ad ejus effectum; adeò solicitè requirens, ut actus, qui per ministrum exercetur, exprimatur.

Et quamvis his non obstantibus, aliqui dubitaverint, utrum hæc verba, *Ego te baptizo*, ad substantiam pertineant Baptismi, cùm nec iis etiamnum hodie utantur Græci, uti in textu num. 13. notatum est, nec in Evangelio aut SS. Patribus hæc verba occurrant, uti notavit Stephanus Tornacensis; nihilominus indubitatum est, fas non esse Sacerdotibus, ea in solemni Baptismo; imò nec laicis in necessitate baptizantibus omittere, eosque solicitè instruendos & monendos, ut servatâ formulâ hodie receptâ, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* baptizent, nihilque ex prædicta formula intermittant.

TITULUS IV.

De Sacramento Eucharistiæ.

CAPUT III.

Ad Numerum XVI.

Quæ pœna in non communicantes in Paschate?

IN textu dictum fuit, pœnam non communicantis in Paschate ex decreto Concilii Lateranensis esse, ut *vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Ecclesiasticâ sepulturâ careat*, atque unà notatum est, quòd videatur Synodus Provincialis Mechliniensis eam accepisse non pro pœna *latæ*, sed pro *ferendæ* dumtaxat sententiæ: nihilominus fatendum esse, verba Concilii esse ambigua, quibus pœnam expressit, utrum scilicet *latæ* an *ferendæ* sententiæ. Quod & observavit Du Casse, Archidiaconus & Officialis Condomensis in suo Tractatu *de Jurisdictione Eccles. tom. 1. c. 9. §. 9. n. 15.* Asseritque, in quibusdam Ecclesiis eam accipi ut *latæ* sententiæ, in aliis verò ut *ferendæ*, atque ibidem exponit praxim Ecclesiæ Gallicanæ, quâ Officialis Episcopi contra Parochianum de neglectu Communione Paschali delatum procedere debeat, unà monens, officium Parochi esse iteratis vicibus monere & exhortari ipsos defectuosos, ut se ad Communionem ritè præparent, & ad eam se præsentent, priusquam ipsos ut defectuosos Episcopo ejusve Officiali denuntiet.

V. Espen Suppl. in Jus Eccl.

Et sanè Parochi in hac defectuosorum delatione seu denuntiatione, magnâ prudentiâ & moderatione uti debent; quia coactio illa judicialis per censuras Canonicas, aliasve pœnas, quibus similes defectuosi ad Sacram Communionem adiguntur, plus subinde nocet, quàm prodest ipsorum saluti, & magis in scandalum quàm in ædificationem aliorum cedere potest, dum ex modo vivendi, aliisque circumstantiis vident ad Sacram Communionem adigi eum, qui nulla anteactæ vitæ emendationis signa hactenus præbuit; neque de criminibus aut vitâ parum Christianâ anteacta publica pœnitentiæ opera ostendit.

Et licèt jam pridem SS. Patres fideles ad Sacram Communionem hortarentur; imò ut ad eam sæpiùs per annum accederent, non tantùm monuisse, sed & præcepisse reperiantur, nequaquam tamen legimus, quòd ante hoc Concilii Lateranensis decretum ad eam sub comminatione fuerint adacti.

TITULUS V.

De Celebratione Missarum.

CAPUT VII.

Ad Numerum V. & VI.

Quomodo convivia jam pridem in exequiis defunctorum instituta?

IN textu ostendimus, jam pridem usitatum fuisse, ut in die & Anniversaria eleemosynæ distribuerentur; quin & in Regno Hispaniæ sæculo XI. usitata fuisse convivia defunctorum, ad quæ tum Laici, tum Clerici conveniebant, colligitur ex Synodo Coyacensi habitâ in Hispania anno 1050. in qua legitur hoc pium Decretum Can. 5. „Clerici & Laici, qui ad convivia defunctorum „venerint, sic panem defuncti comedant, ut ali„quid boni pro ejus anima faciant; ad quæ tamen „convivia vocentur *pauperes & debiles* pro ani„ma defuncti.

Ad Numerum XIII.

An conveniat eidem Sacerdoti injungere quotidianæ Missæ celebrationem?

Capitulum Insulense dedisse unam præbendam suæ Ecclesiæ sub onere, quòd percipiens præbendam, Missam de S. Maria (nisi corporis infirmitate esset gravatus) deberet quotidie celebrare, in textu notavimus: atque unà, quòd Alexander III. concessionem sive fundationem hanc confirmans, hanc addiderit restrictionem, *salvâ honestate suâ, & debitâ devotione.*

Notanda ratio hujus restrictionis, quam ex Panormitano assignat Prosper Fagnanus his verbis: "Quia talis institutio præberet multoties „occasionem seu materiam peccandi, cùm facilè „non contingat, Sacerdotem *quotidie* devotum „existere ad celebrationem.

Hæc sanè ratio si ab Episcopis & Prælatis attenderetur, agnoscerent indubiè similes Missarum fundationes, nec facilè admittendas, nec Sacerdotibus quibuscunque esse committendas; cùm paucissimi reperiantur, præsertim inter illos, qui solent hujusmodi Missarum celebrationem suscipere, eâ devotione & pietate, ut quotidie sint dispositi dignè sacris altaribus adstare, & metuendum Sacrificium offerre.

Hinc pluribus sæculis hujusmodi Missarum quotidianarum celebratio, uni Sacerdoti injuncta, ignota fuit.

Habetur quidem ex antiquis formulis fundationum ac dotationum Monasteriorum & Ecclesiarum, quòd fundatores solerent bona sua in Monasteriorum fundationem aut dotationem pro remedio animæ suæ, aut parentum suorum offerre, nullus tamen determinatus Missarum numerus expressus reperitur pristinis illis sæculis.

Quin nec legitur primis Ecclesiæ sæculis, vel in Monachorum regulis, vel in aliqua Episcoporum Synodo injunctum fuisse Presbyteris *quotidie* Missæ Sacrificium offerre.

Primum de hac quotidiana Missæ celebratione decretum occurrit in quodam Concilio Compostellano anni 1056. quod ex schedis Antonii Augustini annalibus suis inseruit Baronius ad eundem annum, & prout expressum ibidem fuit, insertum legitur tomo IX. Conciliorum Generalium pag. 1087. ut proinde fides hujus Concilii unicè innitatur prædictis schedis Antonii Augustini.

In hoc Concilio inter alia, quæ ad disciplinam Ecclesiasticam conservandam spectant, illud sancitum legitur: *Ut Sacerdotes omnes,* Episcopi atque Presbyteri Missam quotidie celebrarent.

Ad hoc statutum reflectens Mabillonius in Præfatione ad secundam partem sæculi VI. Benedictinorum *n.* 95. ait: "Hæc *prima* de hac re „constitutio legitur, & quidem id maximè pro„bandum, si modò Sacerdotum omnium mores „tanti mysterii dignitati & sanctitati responde„rent, abesset sordidus quæstus, & lex consuetu„dinis, quæ in trivialem usum degenerat.

Neque eandem Missarum multitudinem à S. Francisco sæculo XIII. probatam fuisse sufficienter indicavit idem sanctus, dum jussit fratres suos in suis Ecclesiis unâ Missâ esse contentos, uti in textu hoc tit. *cap.* 6. *n.* 19. dictum est.

Ad Numerum XV.

Utrum possessor simplicis beneficii sub onere Missarum possit sibi retinere partem fructuum, dum alteri Sacerdoti committit celebrationem Missarum?

In textu dictum est, possessorem simplicis beneficii sub onere Missarum posse sibi partem proventuum retinere, solvendo Sacerdoti Missas celebranti consuetum honorarium pro numero Missarum, atque ita Congregationem Cardinalium declarâsse: id quidem speciem justitiæ præter onus Missarum aliud officium sive onus ipsi beneficiato in fundatione sit injunctum, ratione cujus proventus beneficii percipiat.

Si verò huic beneficio nullum onus præter celebrationem Missarum annexum est, ipse fundator proventus hos reliquisse censetur in honorarium Missarum, adeoque hujus beneficii proventus vicem honorarii in singulas Missas ex mente fundatoris habere videntur, atque propterea circa honoraria Missarum, quæ pro singulis Missis à fidelibus offerri consueverunt Presbyteris.

Igitur non apparet, quo titulo hi beneficiatus retinendo sibi partem proventuum hujus beneficii committendo alteri Sacerdoti celebrationem Missarum, ab injustitia magis eximeretur quàm Sacerdos, qui partem honorarii sibi pro Missa celebranda oblati retinere, & partem dumtaxat illius alteri Sacerdoti Missam celebranti daret.

Cùm enim fundator beneficii non requisierit, nisi certarum Missarum celebrationem, sat innuit, intentionem suam fuisse, ut proventus fundationis cederent Missas illas celebranti, non secus ac aliis, qui offert honorarium Sacerdoti Missam celebraturo.

Ad Numerum XXIII.

Vitandus animus mercenarius in persolvendis Anniversariis.

Dictum est in textu, quòd Canonici aliique Clerici, qui mox ut honoraria Anniversariorum deficiunt, ea celebrare negligunt, ostendant, quo animo hæc celebrent, & his assistant; ut proinde meritò laudet Paresius *de lara* in tractatu suo de Anniversariis & Capellaniis *lib.* 1. *cap.* 51. Canonicos Ecclesiæ Compostellanæ, in qua ita adimplentur Anniversaria illa, pro quibus *unum* dipondium datur cuilibet præbendato, etiam Canonico, ac si magna quantitas distribueretur, cujus exemplo (ait) reliquæ Ecclesiæ deberent facere, dum tamen non egeant, sed habeant sufficientes reditus ad suî sustentationem.

Hoc

Hoc enim modo agendi ostenderent Canonici, se non merè intuitu temporalium distributionum sive animo merè mercenario hæc divina officia celebrare, & iis assistere.

CAPUT VIII.

Ad Numerum XIII.

An Synodus Tridentina ademerit Episcopis authoritatem dandi licentiam celebrandi in oratoriis domesticis?

IN textu notavimus, Prosperum Fagnanum prætendere, per Synodum Tridentinam esse Episcopis ademptam facultatem dandi licentiam celebrandi Missam in oratoriis domesticis, eamque opinionem non semel probâsse *Congregationem Cardinalium*, at unà notavimus Zypæum sat solidè probâsse, Synodum Tridentinam nullatenus per suum decretum voluisse Episcopis eam facultatem adimere; sed dumtaxat abusibus remedium adferre. Quod & evidenter supponit S. Carolus Concilii Tridentini præcipuus director & fidelissimus executor in suo Concilio Mediolanensi 1. *part.* 2. titulo, *quæ pertinent ad celebrationem Missæ*, ubi expressit, quæ in annuendis similibus privatis & domesticis oratoriis per Episcopos sint observanda & examinanda, prout in textu retulimus. Hæc palam evincunt S. Carolum non dubitâsse, quin penes Episcopos post Synodum Tridentinam salva esset authoritas similia oratoria concedendi.

Hinc habetur, quàm meritò monuerit Zypæus, decreta reformationis Concilii Tridentini hîc in Belgio fuisse publicata & recepta: *prout sonant*, non autem juxta interpretationes Romanas, sive, quæ sub hujus Congregationis Cardinalium nomine quotidie prodeunt, & circumferuntur, uti in hujus operis decursu non semel notavimus.

Hoc tamen Zypæi assertum, de receptis Concilii Tridentini decretis, *prout sonant*, intelligendum est ad exclusionem interpretationum dictæ Congregationis, non autem cum exclusione modificationum, quæ decretis hujus Concilii authoritate Principis pro faciliori eorum executione appositæ fuere in ejus publicatione, uti & ex textu Zypæi manifestum est.

Ad Numerum XIV.

Abusus celebrandi in oratoriis privatis jam pridem reprobatus.

Quantâ moderatione & cautione uti debeant Episcopi in concedendis oratoriis domesticis, in textu notavimus. Porro, quia hæc oratoria domestica plerumque à potentioribus & ditioribus ex quadam innata superbia, quæ singularitatem, & à reliquis distinctionem appetit, solicitè quæruntur: hinc videmus, hunc abusum jam pridem invaluisse: extatque de re Decretum Concilii Parisiensis anni 829. *Can.* 47. Contra hunc abusum, etiam consuetudine quorundam Sacerdotum introductum, qui relictis Basilicis Deo dicatis, in domibus Missarum celebrationem contra divinam authoritatem & Canonicam institutionem facere præsumunt. Addit que Concilium: "Et hoc similiter ad Episcoporum culpam pertinere perspicuum est.

Hinc ulteriùs concludit, necesse esse, ut unusquisque Episcoporum hujusmodi temerariam consuetudinem à Parochia sua penitùs amoveat.

Nequaquam ambiguum est, si abusus & corruptelæ, quæ sub obtentu consuetudinis hodie circa celebrationem Missarum invaluerunt (qui sub hoc titulo in textu notati sunt) ritè expenderentur, facilè intelligerent Episcopi, etiam frequenter ad eorum culpam abusus hos pertinere: eò quòd illis obviandis aut extirpandis non satis allaboraverint, uti & tanti mysterii sanctitas requirit, & Synodus Tridentina ipsis injunxit.

Post hæc prædictum Concilium Parisiense monet ipsos laicos, non esse sui officii, ut relictis Basilicis Deo dicatis, & Episcopali authoritate contemptâ, ad libitum suum in domibus vel certis ædiculis, quas juxta domos suas construunt, & palliis exornant, altaria erigi faciant, & Missarum celebrationes Presbyteros facere compellant.

Quin & hîc legitur monitum illud, quod & in sua Synodo postmodum dedit Martinus Rithovius Episcopus Iprensis, supra in textu relatum, scilicet, *satius illis esse Missam non audire, quàm eam, ubi non licet, nec oportet, audire*.

CAPUT IX.

Ad Numerum VIII.

Decretum Episcoporum de non admittendis Presbyteris extraneis etiam se extendit ad Ecclesias Regularium.

SAnctus Carolus renovans, & executioni mandari præcipiens Decretum Concilii Tridentini, quo præcipitur, ut Presbyteri *extranei* ad Missarum celebrationem non admittantur sine literis testimonialibus proprii Episcopi, voluit & declaravit, id & in Ecclesiis Regularium cujusvis ordinis esse servandum, uti in textu notatum est.

Hoc Decretum nec à mente Concilii, nec à jure communi discrepat: licet enim plures Regulares, præsertim Ordinum Mendicantium gaudere dicantur privilegio exemptionis; eoque titulo prætendant Ecclesias etiam suas esse à jurisdictione Episcopi exemptas.

Indubitandum tamen est, Episcopum posse præcipere, ne quis Sacerdotum sæcularium exterorum sine sua licentia in scriptis obtentâ celebret in oratoriis, vel in Ecclesiis Regularium etiam exemptorum, & mandare Superioribus dictorum locorum, ne quemquam Sacerdotem sine prædicta licentia ad celebrandum admittant. Uti post Barbosam aliosque ab eo citatos tradit Du Casse Archidiaconus & Officialis Condomensis in suo tractatu de Jurisdictione Ecclesiastica *tom.* 1. *cap.* 7. §. 5. *num. xj.*

Cùm enim ad curam Episcopi spectet occurrere scandalis & irreverentiis, quæ ex admissione promiscua similium Sacerdotum ad celebrandum nata sunt obvenire, nequaquam exemptio huic curæ Episcopi obstaculo esse potest.

TITULUS VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

Ad Numerum XVI.

Studium & constantia Episcoporum pro conservanda aut reducenda pœnitentia publica pro peccatis publicis.

IN textu observatum fuit, Episcopos interdum coactos fuisse implorare brachium sæculare, ut publici & scandalosi peccatores ad agendum publicam pœnitentiam adigerentur.

Nec id mirum videbitur, si attendatur, atrociora crimina non rarò publicè, & cum gravi populi scandalo à potentioribus & opulentioribus sæculi perpetrari; atque hos præ aliis difficiliùs ad agendam *publicam* pœnitentiam pro commissis criminibus & datis scandalis induci posse.

Unde & legimus, quòd, dum Patres Concilii Cabilonensis II. an. 813. deprehendissent, agere pœnitentiam juxta antiquam Canonicam constitutionem in plerisque locis ab usu recessisse, neque antiqui moris ordinem reconciliandi servari, decreverunt Can. 25. " Ut à *Ludovico Imperatore* impetretur adjutorium, qualiter si quis publicè peccat, publicâ mulctetur pœnitentiâ, & secundùm ordinem Canonum pro merito suo excommunicetur, & reconcilietur.

Discant Episcopi exemplo horum Patrum, non mox abjiciendum esse studium reducendi Canonicam Patrū sanctissimam disciplinam circa pœnitentiam publicam pro peccatis publicis, dum conspiciunt hanc disciplinam totaliter vel Pastorum negligentiâ, vel incuriâ collapsam, imò quodammodo abolitam, & in desuetudinem abiisse.

Legitur quoque, quòd, dum Episcopi pro gravitate criminum & publico scandalo pœnitentias *publicas* injungere pro debito sui officii, & zelo Ecclesiasticæ disciplinæ voluerunt, criminum rei hujusmodi Pœnitentias refugientes, ipsos subinde Principes contra Episcopos suscitârint, ac tandem sæculo x. & sequentibus, ad Curiam Romanam refugerint, ut illic absolutionem criminum sine Pœnitentia *publica* obtinerent, quam à suo Episcopo obtinere non poterant.

Exemplum occurrit in vita S. Dunstani Archiepiscopi Cantuariensis, qui sedit sæculo x.

Legitur, quòd hic sanctus Præsul Comitem quendam præpotentem, qui cognatam suam illicito sibi Matrimonio copulaverat, quem cùm semel, secundò & tertiò redarguisset; tandem contumacem, & perseverantem in incestu, à liminibus Ecclesiæ ut publicum incestuosum excluserit.

Hunc Dunstani agendi modum typho superbiæ inflatus Comes, non ferens, Regem adiit adversus Dunstanum, ipsum impiæ & immoderatæ severitatis accusans; precaturque, ut regia sanctione à Tyrannide (ut ipse ajebat) Dunstani liberaretur.

Rex autem nimiùm facilis ad credendum, Dunstano mandavit, ut hominem cum ea, quam duxerat, in pace manere sineret, & à quibus ipsum suspenderat, liminibus sacris restitueret.

Hoc audito dolebat Dunstanus, religiosissimum Regem per mendacem hominis linguam ante rei inquisitionem & examinationem esse seductum.

Interim Dunstanus, ut Regis postulatis, salvâ tamen disciplinâ, satisfaceret, hominem ad satisfactionem, tam pro commisso crimine, quàm & propter injustam suî criminationem apud Principem terræ factam, paulò duriùs increpat, cupiens modò ad pœnitentiam & correctionem cor illius emollire. Sed Dunstanus videns se nihil proficere, sed hominem magis furere, zelosissimus hic Præsul, nequaquam regiis mandatis contra ecclesiasticam disciplinam obsecuturus, hominem illum non tantùm à liminibus Ecclesiæ exclusum retinuit, sed & insuper à fidelium communione exclusit.

Tunc ille seipso deterior effectus immani est furore correptus, & nihil eorum, quæ possidebat, alicujus esse momenti reputans, ad hoc solum setotum studebat impendere, ut Dunstano excitaret scandalum, & Christianæ legis jugum, quo à sua libidine coërcebatur, sibi faceret alienum. Legatos itaque suos Romam destinat, talibus assueta quorundam Romanorum corda, & ora in suam causam *largo munere largiori sponsione* permutat.

„Quid inde? (pergit Historicus) Præsul Apostolicæ Sedis Joannes XIII. Dunstano, peccatori homini condescendere verbis ac literis, mandat, & eum Ecclesiæ gremio integrè conciliare monet, hortatur, imperat.

His mandatis Apostolicus Vir sanctus hæc reposuit: " Equidem cùm illum, de quo agitur, sui delicti pœnitudine gerere videro, præceptis D. Papæ lubens parebo; sed ut ipse in peccato suo jaceat, & immunis ab Ecclesiastica disciplina nobis insultet, & exinde gaudeat, nolit Deus.

„Avertat etiam Deus à me, ut ego causa alicujus mortalis hominis, vel pro redemptione capitis mei, postponam legem, quam servandam statuit in sua Ecclesia idem Dominus Jesus Christus Filius Dei.

Hæc omnia latiùs referuntur tom. 9. Conciliorum Generalium col. 700. ac unà refertur qualiter tandem hic Comes intelligens inflexibilem Dunstani pro disciplina ecclesiastica constantiam, pœnitudine ductus, abdicato illicito conjugio, pœnitentiæ sibi cultum imposuerit, ac tandem in Generali Angliæ Concilio per Dunstanum indicto ritu publici pœnitentis, nudis pedibus, laneis indumentis, se ad Dunstani pedes provolverit, atque ab eo, instantibus Episcopis, absolutionem obtinere meruerit.

Hinc discant Episcopi, aliique Ecclesiæ Pastores, quid possit Pastoralis pro Ecclesiastica disciplina perseverans, & non timida constantia.

CAPUT III.

Ad Numerum XXIII. & XIV.

QUantopere jam pridem soliciti fuerint Episcopi, ut pœnitentibus pro gravitate & qualitate criminum convenientia pœnitentiæ opera imponerentur; atque tanti existimâsse momenti opera & tempora pœnitentiæ determinare, ut frequenter hujus rei causâ Synodos Episcoporum convocandas censerent, hoc capite in textu probatum fuit.

Insuper ostendimus, quod, postquam sæculo VIII. & sequentibus pœnitentium reconciliatio & operum pœnitentialium impositio ad inferiores Presbyteros devolvi cœpit, Episcopi veriti, ne hi in reconciliandis pœnitentibus, & imponendis pœnitentiæ operibus, necnon peccatorū remediis præscri-

præscribendis cum animarum pernicie aberrarent eisdem vetuerint, *ex corde*, id est ex suo proprio judicio & arbitrio procedere; sed juxta *canonicam auctoritatem*, seu prout in canonibus & libris pœnitentialibus per Episcopos esset præscriptum."

Et sane experientia docuit, quantus esset in hisce Presbyterorum defectus quantaque animarum pernicies; dum neglectis sibi præscriptis Canonibus, sive regulis, tentarunt *ex corde*, seu pro suo arbitrio & affectu pœnitentias & vulnerum remedia præscribere, & pœnitentes reconciliare.

De his ita conqueritur Concilium Toletanum „III. anno 589. Can. XI. Quoniam (ait) comperimus per quasdam Hispaniarum Ecclesias, non "secundum Canones, sed fœdissime homines pro "suis peccatis agere pœnitentiam, ac quoties peccare libuerit, toties à Presbyteris se reconciliari „postulent.

Et unde hæc tam perniciosa præsumptio? Non aliunde quam ex neglectu Canonum, uti ex verbis Concilii habetur. " Ideo (ait) pro coercenda „*tam execrabili* præsumptione, à sancto Concilio „jubetur, ut secundum formam *Canonum anti-* „*quorum* detur pœnitentia.

Similiter Patres Concilii Parisiensis anno 829. *lib.* 1. *cap.* 32. deplorant quod multi sacerdotum, partim incuriâ, partim ignorantiâ, *modum pœnitentiæ* reatum suum confitentibus, secùs quam jura Canonica decernant, imponunt........ & ob id non vulnera peccatorum curant; sed potius foventes palpant, incidentes in illud propheticum: *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubitu manûs, & faciunt cervicalia ad decipiendas animas.*

Ut huic pernicioso abusui mederentur, statuerunt, "ut Presbyteri, etiam imperiti, ab Episcopis „sint instituendi solerti studio, qualiter & confi- „tentium peccata discrete inquirere, ipsisque con- „gruum modum, secundùm *canonicam auctori-* „*tatem*, pœnitentiæ imponere noverint.

Necessitatem hujus instructionis subjiciunt: „Quoniam hactenus eorum incuria & ignorantia „multorum flagitia remanserunt impunita, & hoc „ad animarum ruinam pertinere dubium non est.

Monent præterea sacerdotes, qui aut muneris, aut amoris, aut timoris, aut favoris causâ, tempus modumque pœnitentiæ ad libitum pœnitentium inducunt, audiant, quod Dominus per Ezechielem Prophetam terribiliter dicat: " Hæc "dicit Dominus Deus: Quia locuti estis vana, & "audistis mendacium: Ecce ego ad vos, ait Domi- "nus Deus: Et erit manus mea super Prophetas qui „vident vana & divinant mendacium in concilio populi mei non erunt, & in scriptura domûs Is- „raël, non scribentur, nec in Israël ingredientur, "& scietis quia ego Dominus Deus. *Eo quod de-* "*ceperint populum meum dicentes: Pax, pax, &* „*non est pax.* Et post non multa. *Cum caperent* „*animas eorum, & violabant me ac populum me-* „*um propter pugillum hordei, & fragmentum pa-* „*nis, ut interficerent animas; quæ non moriuntur,* „*& vivificarent animas, quæ non vivunt,* „*mentientes populo meo credenti mendaciis.*

Quis igitur miretur, tam exiguos hodie apparere hujus Sacramenti salutares effectus, rarasque pœnitentium conversiones, quando tandem pristinis sanctorum Patrum regulis sive Canonibus, modum & tempus pœnitentiæ præscribentibus, penitùs abjectis & oblitteratis, pœnitentiæ etiam pro enormibus criminibus imponendæ factæ sunt arbitrariæ; & cuivis confessario permittitur *ex corde* sive suo arbitrio pœnitentias imponere, nullo ad Canones pœnitentiales habito respectu.

Accedit, plurimos ex hisce esse, qui ex pœnitentium oblationibus, favore, & amicitia sibi aut communitati suæ emolumentum sperant; ideoque numerum pœnitentium ambiunt, pœnitentesque, ne ad alios divertant, palpant & iis adulantur.

Nonne hinc contingit, ut hodie verissime dici possit, etiam pro gravissimis peccatis & criminibus, homines *fœdissime* pœnitentias agere & quoties peccare libuerit, toties à Presbyteris reconcilientur, si reconciliari postulent.

Si Episcopi aliique Ecclesiæ superiores existiment quod attentâ præsentis temporis dispositione, & disciplinæ Ecclesiasticæ collapsione non esse conveniens reducere pristinam Canonum pœnitentialium disciplinam; ipsisque Presbyteris præcipere, ut juxta Canones pœnitentiales, non autem *ex corde* pœnitentias imponant; nihilominus muneris Episcopalis est, ut saltem, quantum in ipsis est, Presbyteros, antequam ad excipiendas fidelium confessiones admittant, solerti studio instituant, vel instructos noverint qualiter & confitentium peccata discretè inquirere; ipsisque congruum modum pœnitentiæ secundùm Canonicam auctoritatem imponere noverint, ut Episcopos monuit Concilium Parisiense.

Præterea exemplo sancti Caroli Presbyteros moneant, ut Canones pœnitentiales bene noverint, quin præcipiant, ut examinandi interrogentur: *An Canones pœnitentiales rite teneant?*

Deinde ut hujus sancti præsulis exemplo Presbyteris ostendant, quam utilis sit horum Canonum notitia, prout hæc latius retuli *cap.* 4. hujus tituli, & fusius exposuit vir clarissimus Claudius Fleury in suo discursu 2. historico numero 8.

Ulterius Patrès Concilii Parisiensis deprehendentes, abusum leviores & incongruas pœnitentium nimium præcipitandi provenire partim ex ignorantia, hancque vel inde maxime provenire, quod uterentur *quibusdam codicillis contra canonicam auctoritatem scriptis, quos pœnitentiales vocant*, declarant " quod ipsis omnibus in commune salubriter visum sit, ut unusquisque Episcoporum in suâ Parochia eosdem *erroneos codicillos* diligenter perquirat, & inventos igni tradat, ne per eos sacerdotes imperiti homines decipiant. Indubiè si Episcopi sedulo attenderent in codicillos sive libros prælegi solitos in seminariis & collegiis Theologorum his, qui ad munus Confessariorum aliquando obeundum destinantur, facile indubiè deprehenderent plures ex illis non secundū *auctoritatem canonicam* scriptos nec minus Theologis perniciosos, quam codicillos illos, quos Conciliū Parisiense igni tradendos declaravit, ne aliàs sacerdotes hisce utentes, homines deciperent.

Similes libri si è manibus Theologorum eriperentur, nec ipsis prælegi sinerentur, sed his substituerentur libri canonicam sanctorum Patrum normam in hujus sacramenti ministratione continentes, sperandum esset, quod & sensim Patrum saluberrima disciplina pœnitentialis restitueretur; atque sacerdotes ad præscriptum Concilii Tridentini: Quantum spiritus & prudentia suggesserit, „pro qualitate criminum & pœnitentium condi- „tione salutares & convenientes satisfactiones in- "jungerent haberentque præ oculis, ut satisfactio, "quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ „custodiam, & infirmitatis medicinam, sed eti- „am ad præteritorum peccatorum vindictam & „castigationem.

Non

Non parum quoque conducet, si Episcopi solerti circumspectione, & moderatione utantur in approbandis his; quos verisimile est hoc munus Confessarii expetere, quo sibi vel communitati suæ directe vel indirecte emolumentum temporale obventurum sperent.

Nihil enim perniciosius in hujus Sacramenti administratione esse, quàm si à ministris hujus sacramenti lucrum aliquod temporale quovis prætextu directe vel indirecte quæratur aut speretur, pluribus ostenditur *cap.* 4. hujus Tituli.

Ad Numerum XXXXII.

Directio pœnitentium potest committi Diaconis & Presbyteris reconciliandi auctoritatem non habentibus.

In textu notatum est, quod vigentibus Canonibus pœnitentialibus, & in administratione Sacramenti Pœnitentiæ venerandâ Patrum disciplinâ Episcopi Presbyteros & Diaconos deligerent, qui Pœnitentium curam, durante pœnitentiæ peragendæ tempore gererent, ipsisque sedulò invigilarent, & eorum in peragendis pœnitentiis zelum fervoremque attenderent: ut exinde de eorum sincera conversione justum judicium ferre, atque Episcopo ut vere conversos pro obtinenda reconciliatione præsentare tuto possent.

Certum quidem est, solis Episcopis, spectatâ ætatis illius disciplinâ, publicè pœnitentium sacramentalem & plenam reconciliationem fuisse reservatam. Sed nec hoc negari potest Presbyteros & Diaconos, quibus pœnitentium cura, & directio ab Episcopis demandata esset, non parum ad conversionem & reconciliationem pœnitentium concurrisse, adeo ut quodam modo dici posset, ipsam pœnitentiæ agendæ rationem, & modum hisce Presbyteris & Diaconis fuisse creditum, Reconciliationis Sacramentalis impendendæ auctoritate Episcopis reservatâ.

Simile quid etiam sæculo XII in usu fuisse, testatur Guilielmus Parisiensis Episcopus in tractatu de Sacramento Pœnitentiæ dicens, quod confessio ita *possit dividi, ut alius audiat ad* CONSILIUM ET INJUNGENDAM POENITENTIAM SALUTAREM, *alius autem* BENEDICTIONEM, ABSOLUTIONEM *faciat super pœnitentem.*

Hoc autem licitum est (ait) " Ubi sacerdos „simplex, & sanctarum litterarum ignarus: ibi „enim potest advocare socium tanquam *consiliarum* & *assessorem* sibi in judicio pœnitentiali: Si „enim in judicio Forensi & sæculari hoc licet, ne „erretur in illo, quanto fortius in isto judicio, ubi „error incomparabiliter perniciosior? Cum enim „Diaconus claves non habeat, & scientiam medicinæ cœlestis habeat, non est dubitandum defectum sacerdotum in hoc ipsum posse & debere „supplere.

Quod hi sacerdotes & Diaconi, quos ad *consilium* & ad *imponendam pœnitentiam* adhiberi vult Episcopus Parisiensis, similes sunt illis, quos dirigendis pœnitentibus jam pridem Episcopi impendebant. Notavit quoque Edmundus Richerius tom. 2. defensionis suæ *cap.* 3. *numero* 56. relatis enim verbis Guilielmi Parisiensis, ex illis hoc notabile haberi notat: scilicet confessionem dividi posse; ita ut uni sacerdoti aut etiam Diacono medicinalis, & directiva fiat confessio, deinde sacramentalis, & absolutoria alteri sacerdoti, qui pœnitentem reconciliat: " Profecto (ait) tempore „primitivæ Ecclesiæ pœnitentiarius Presbyter de „quo loquitur Socrates, pœnitentes ad veram con„fessionem & pœnitentiam dirigebat, & exhor„tabatur qui postea ab aliis sacerdotibus reconci„liabantur, & ad sacram Synaxim admittebantur.

CAPUT V.

Ad Numerum VII.

Parochis jure proprio competit excipere confessiones suorum Parochianorum.

IN textu notatum fuit, quod jus excipiendi confessiones parochianorum annexum sit beneficio parochiali, ipsique parocho sive curato competat *jure ordinario*; non secus ac jus annuntiandi verbum Dei vel alia sacramenta administrandi.

Hinc sequitur, hoc jus excipiendi confessiones suorum parochianorum sibi confiteri volentium parocho non magis adimi posse, quàm jus annuntiandi verbum Dei, vel cætera sacramenta administrandi, aut functiones ad curam animarum spectantes exercendi.

Id ipsum jam pridem notavit Cancellarius universitatis Parisiensis Joannes Gersonius in sermone *contra bullam* Mendicantium; in quo asserit, imprimis curatos succedere in locum 70. discipulorum quemadmodum Episcopi succedere dicuntur in locum 12. Apostolorum, ipsosque curatos esse in Ecclesia *minores Prælatos*, & Episcopos *majores Prælatos*.

Ex his tanquam consequens infert: " Quod de „ordinatione essentiali & stabili sanctæ Ecclesiæ „æque bene est status curatorum, sicut ille Præ„latorum, Cardinalium, Archiepiscoporum: „imo vero sicut status ipsius Papæ, quamvis non „sit adeo perfectus.

" Sequitur (pergit Gersonius) Papam hunc sta„tum destruere, aut annihilare non posse: cum „hic status non proveniat ex sua positiva ordina„tione, sed sine medio ex Dei ordinatione.

His positis concludit: " Ad curatos pertinet „jus audiendi confessiones suorum parochiano„rum, aut procurare ut audiantur, & committen„di, si Presbyter non est, aut si minus sufficiens.

" Sequitur (pergit) " Papam aut alterum non „debere auferre illam potestatem, aut jus ipsis cu„ratis, absque ipsorum placito & voluntate, sal„tem expediens non est.

Igitur ex sententia Gersonis, non tantum est curatis jus audiendi confessiones suorum parochianorum per nullum ei sine legitima causa adimendum; sed insuper si ad eos audiendum non sit capax, ob defectum ordinis presbyteralis, aut si minus sufficiat, ipsius est *procurare ut audiantur, & jus committendi.*

Huic Gersonis asserto conforme est Decretum Concilii Tridentini *sessione* 21. *capite* 4 *de reformatione* quo injungitur Episcopis, " ut in „omnibus Ecclesiis Parochialibus, in quibus po„pulus ita numerosus sit, ut unus rector non possit „sufficere Ecclesiasticis sacramentis ministrandis, „& cultui divino peragendo, *cogant rectores vel* „*alios* ad quos pertinet, *sibi tot sacerdotes adhoc* „*munus adjungere, quot sufficiant ad sacramenta* „*exhibenda, & cultum divinum celebran*„*dum.*

Evidens de Concilium supposuisse, ad rectores Parochialium Ecclesiarum pertinere sibi adjungere tot sacerdotes, in casu quo ipse solus non sufficiat, quot sufficiunt sacramentis ministrandis & cultui divino peragendo. Ad Episcopos verò pertineat rectores in casum non sufficientiæ ad eos sibi adjungendos cogere, & in casum negligentiæ eorum defectum legitime supplere.

Verum

Verum est, Concilium supponere etiam ad *alios* posse spectare jus & obligationem adjungendi, Sacerdotes in adjutorium Parochi: sed ex contextu sufficienter constat, jus illud primario Rectoribus deferri, & aliis, etiam primitivis Pastoribus, non competere, nisi alio speciali accedente titulo, uti supra parte 1. tit. 3. cap. 2. notavimus.

Ad Numerum X.

Privilegia Fratrũ Mendicantium super audiendis confessionibus cui fundamento innitantur, & quæ inde secuta dissidia

Notatum fuit in textu demum circa sæculum XIII. dari cœpisse per Romanos Pontifices privilegium Fratribus Mendicantibus excipiendi fidelium confessiones. Et quidem primus, qui simile privilegium dederit, videtur fuisse Gregorius IX. Scribit enim Matthæus Parisiensis ad annum 1246. quòd Fratres Prædicatores impetraverint à Papa Gregorio IX [qui specialiter eorum fautor erat] INAUDITUM *privilegium, hoc etiam ipsis temporibus novum.*

Bullam sive privilegium hoc exhibet ibidem Parisiensis, datum Anagniæ IV. Kalend. Octob. Pontificatûs sui anno 1. id est anno 1227.

In hac Bulla mandat omnibus Prælatis per Angliam constitutis, "ut Fratres Prædicatores be„nignè recipiant, & populos sibi commissos se„dulo admoneant, ut ex ore ipsorum Verbi Dei „semen devote suscipiat, *confiteantur: Cum ipsis* „[inquit] *auctoritate nostra liceat confessiones au„dire, ac pœnitentias injungere.*

Cum autem nonnulli Prælati Anglicani Fratres Prædicatores in hujus privilegii usu turbare videntur, scilicet hos Fratres sine sua licentia ad prædicationis officium, vel confessiones excipiendas admittere renuentes, Fratres hi recursum habuerunt ad Innocentium IV. qui mox à sua ad Pontificatum assumptione, scilicet anno 1243. Bullam expedivit in favorem horum Fratrum, inscriptam Episcopis Vintoniensi, Vigoriensi, & Norvvicensi, quibus mandat, ut dictos Prælatos auctoritate Apostolicâ compescant, iisque præcipiant, ut juxta *Apostolica scripta* Fratribus Prædicatoribus permittant *libere* fidelium confessiones excipere. Bullam hanc exhibet ibidem historicus præfatus.

Post hæc narrat idem historicus, quantâ insolentiâ Fratres hisce privilegiis muniti sese erga Prælatos, & ordinarios Pastores gesserint: atque fideles à propriis Pastoribus abstrahere, & ut sibi confiterentur, inducere studerint. Ut & hinc factum sit: prout subjicit idem author: "*Quòd „multi præcipue Nobiles, & Nobilium uxores, „spretis propriis Sacerdotibus & Prælatis, ipsis „Prædicatoribus confitebantur. Unde non me„diocriter viluit Ordinariorum dignitas & con„ditio, & de tanto sui contemptu, non sine magna „confusione, doluerunt.*

„Nec sine evidenti causâ [inquit Historicus] „videbant enim ordinem Ecclesiæ, jam enormi„ter perturbari, quem constat, longis retroactis „temporibus, in Deo placitâ simplicitate ambu„lantem, multos è sæculo migrantes Deo præsen„tâsse Sanctos, de quorum sanctitate nefarium „judico dubitare. Videbant desuper, Parochia„nos suos *audacter jam peccare, & impudenter,* „scientes se coram Presbytero *proprio non erube„scere*, sua enormia peccata confitendo; quod „magnum reputatur periculum, cum rubor & „confusio pars sit maxima & potissima pœniten„tiæ. Dicebántque susurrantes peccaturi ad in„vicem; *Perpetremus, quæ nobis voluptuosa vi„dentur, & placentia; aliquibus enim Prædica„torum vel Minorum per nos transitum facienti„bus, quos nunquam videmus vel nunquam visu„ri sumus, cum consummatum fuerit, quod desi„deramus, sine aliqua molestia confitebimur.* Et „sic contemptis Ordinariis, & eorum disciplinis, „peccatum copiosius exuberavit.

Hæc dissidia inter Prælatos & Parochos ab una & Fratres Ordinis Prædicatorum & Minorum ex altera partibus, occasione ejusmodi Privilegiorum, non tantum fuisse in Anglia, sed etiam sensim in reliquas Christiani Orbis regiones se diffudisse testatur Bonifacius VIII. sub finem hujus sæculi XIII. in Constitutione, quæ incipit, *Super Cathedram*, relata inter Extrav. communes, sub titulo *de Sepulturis.*

In hac enim Constitutione declarat Pontifex: „Quòd ab olim inter Prælatos & Rectores, seu „Sacerdotes, ac Clericos Parochialium Ecclesia„rum per diversas mundi provincias constitutos „ex una parte; & Prædicatorum & Minorum Or„dinum Fratres ex altera, gravis & periculosa di„scordia extitit suscitata super prædicationibus „fidelium populis faciendis, *eorum confessionibus „audiendis, pœnitentiis injungendis eisdem,* tumu„landis defunctorũ corporibus, qui apud Fratrũ „Ecclesias sive loca noscuntur eligere sepulturam.

Hanc gravem, & periculosam discordiam hâc suâ Constitutione, "intendens paternæ solicitu„dinis studio [ut ipse loquitur] prorsus evellere, „ac omnimode submovere, nullus unquam tem„poribus futuris, favente Domino, suscitandam. Plura circa tria hæc discordiæ semina constituit; ac signanter super articulò de audiendis fidelium confessionibus, & injungendis pœnitentiis statuit, ut Superiores Ordinum illorum "se conferant „*per se* vel *per Fratres,* quos ad hoc idoneos fore „putaverint, humiliter petituri, ut Fratres, qui ad „hoc electi fuerint, in eorum civitatibus & Diœ„cesibus confessiones subditorum suorum confi„teri sibi volentium, audire liberè valeant, & hu„jusmodi confitentibus [prout secundùm Deum „expedire cognoverint] pœnitentias imponant „salutares, atque eisdem absolutionis beneficium „impendere de licentia, gratiâ, & beneplacito „eorumdem.

„Et si eidem Prælati [pergit Pontifex] petitam „licentiam Confessionum hujusmodi audienda„rum concesserint, illam præfati Magistri, Mini„stri & alii cum gratiarum recipiant actione: di„ctæque personæ sic electæ, commissum sibi of„ficium exequantur.

Post hæc subjungit: "Quòd si forte jam dicti „Prælati quemquam ex dictis Fratribus præsen„tatis eisdem, ad hujusmodi officium nollent ha„bere, vel non ducerent admittendum. Eo amoto, „vel subtracto, loco ipsius similiter eisdem præ„sentandus Prælati, possit & debeat alius surro„gari. Si vero iidem Prælati præfatis Fratribus ad Confessiones [ut præmittetur] audiendas electis hujusmodi exhibere licentiam recusârint. Nos ex nunc ipsis, ut Confessiones sibi confiteri volentium, liberè licitèque audire valeant, & eisdem pœnitentias imponere salutares, atque eisdem absolutionis beneficium impartiri gratiose concedimus *de plenitudine Apostolicæ potestatis.*

Bonifacius hâc suâ Constitutione sperabat hanc gravem & periculosam discordiam omnino evellendam; sed spes sua ipsum fefellit, si Benedicto XI. ejus in Pontificatum successori credimus.

Hic enim Benedictus XI. ad Pontificatum ex ordine Fratrum Prædicatorum assumptus, ut

ut hæc dissidia extingueret, novam edidit Constitutionem, quæ incipit: *Inter cunctas*, relatam inter Extravagantes communes sub titulo *de Privilegiis*.

In hac sua Constitutione præfatur, quòd debeat, "quantum ex alto permittitur, pacem inserere, scandala removere materiam, & *intelligere super egenum & pauperem, quia non in finem oblivio erit pauperum, & patientia pauperum non peribit in finem.* Quæ finalia verba evidenter Fratres Mendicantes, è quorum Ordine erat assumptus, respiciunt.

Post hæc subjungit: "Sane dudum bonæ memoriæ Bonifacius VIII. prædecessor noster quandam specialem inter Prælatos, Rectores, seu Sacerdotes & Clericos Parochialium Ecclesiarum, ex altera super faciendarum prædicationum, *audiendarum Confessionum* per eosdem Fratres, ac de eis relictis, & de funeralibus Canonicæ portionis articulis, Constitutionem edidit, certum his modum imponens, prout in eadem Constitutione plenius continetur. Sed [inquit] pro ea, quam intendebat, quiete, *turbatio* nota est, pro concordia sunt suborta *dissidia*, & *pullulata inquietudines pro tranquillitate nascuntur.* Sicque dum ansam solvisse se credidit, nodum ligâsse videtur, & septem uno hydræ amputato capite suscitâsse.

"Nec mirùm [pergit Benedictus] quia plerumque pariunt novitates discordiam, præsertim dum ab eo, quod diu æquum visum est, per novam Constitutionem receditur, utilitas evidens vel alia causa subest.

Ipse autem cupiens, "ut *gregi cura plenior impendatur*, quo amplior in agro Domini operariorum numerus operatur, *super egenum* [ait] *intendentes & pauperem*, ac novitatem removentes per eandem Constitutionem inductam, hanc ipse novam Constitutionem, sive Extravagantem, Bonifacii VIII. Extravagantis abrogatoriam, evulgavit.

Evidens est hunc Pontificem credidisse, & publicè per suam Extravagantem declarâsse, ex Constitutione Bonifacii VIII. quâ ipse Bonifacius credebat gravi & periculosæ discordiæ finem imponendum, *pro concordia fuisse suborta scandala, & pullulâsse inquietudines pro tranquillitate.*

Insuper ex relatis verbis hujus Extravagantis Benedicti XI. intelligitur, hunc Pontificem existimâsse, Bonifacium per suam Constitutionem modificando & intra suos limites Ordinum Prædicatorum & Minorum Privilegia reducendo, non satis *intellexisse super egenum & pauperem:* ipse autem per Constitutionem suam, ampliando hæc Privilegia, intendat *intelligere super egenum & pauperem*, scilicet Fratrum inopiæ & paupertati ope horum Privilegiorum succurrendo.

Ut igitur Fratribus ampliorem favorem impendat, atque ad hâc ratione intelligat super egenum & pauperem, hac suâ Constitutione declarat, "quod *liberè* AUCTORITATE APOSTOLICA *absque licentia Diœcesanorum & aliorum Prælatorum inferiorum Exemptorum, & non Exemptorum, quibus subsunt, qui ad confitendum accedunt, audiant, eis peccata sua confiteri volentes.*

"Ut autem [ait Pontifex] Diœcesanis honor debitus reservetur, præcipimus, ut Provinciales, Priores Prædicatorum, & Ministri Minorum Ordinum præfatorum, per se vel alios, verbo vel scripto, eis significent se Fratres ad hujusmodi Confessionum audiendarum, & pœnitentiarum injungendarum officium elegisse, & non nominando, aut coram ipsis sistendo eos, nec illorum numerum exprimendo, petant humiliter à Diœcesanis eisdem, quòd iidem electi Fratres de ipsorum beneplacito, & licentia dictum possint in eorum civitatibus & Diœcesibus intra eis determinatos fines officium exercere. Quòd si denegent, vel *intra triduum* non concedant, ex tunc iidem Fratres nihilominus Auctoritate eâdem hujusmodi officium exequantur. Datam verò licentiam per Diœcesanorum mortem nolumus terminari.

Imprimis probat hæc Constitutio, quod & à pluribus annotatum est, similia privilegia à Fratribus sollicita, & per Pontifices indulta fuisse, ut per ea Fratrum necessitatibus in temporalibus succurreretur: quod & Fidelibus perniciosum, & Fratribus admodum periculosum esse non ambigitur, & à multis deploratum fuit.

Atque inter alios jam pridem per Richardum Archiepiscopum Armachanum in *Defensorio Curatorum* coram Innocentio VI. notatum est, quòd & eo titulo salubriùs & tutiùs sit Parochianis confiteri proprio Sacerdoti, sive Curato, quàm Fratribus Mendicantibus, quod hi à suis pœnitentibus temporale subsidium expectantes, congruas pœnitentias injungere non audeant, ne pœnitentium in se affectum amittant.

Præterea quis non videt, per hanc Constitutionem dictos Fratres, qui duntaxat in subsidium Prælatorum & Parochorum Ordinariorum sunt instituti, & ut tales ab Ecclesia admissi ad præcipuas Hierarchicas ac Pastorales functiones, & à quibus ritè administratis, recta animarum directio præcipuè dependet, independenter à licentia Prælatorum & Pastorum Ordinariorum admitti.

Non mirum proinde, quòd Clemens V. hujus Benedicti XI. immediatus successor hanc Constitutionem omnino cassaverit, & præfatam à Bonifacio VIII. editam innovaverit; "utpote, quæ [teste hoc Pontifice Clemente V.] ut probavit effectus, nedum pacis ab Authore speratæ fructum non attulit, quinimò discordiæ, pro qua sedanda processerat, fomentum non modicum ministravit. Hæc Clementis V. Constitutio extat in Clementina, *dudum de Sepulturis.*

Verum sicuti per Constitutionem Bonifacii VIII. dissidia & scandala non fuerunt extincta, ita nec per hanc Clementis V. Bonifacianæ Constitutionis confirmatoriam, uti probant succedentium Pontificum pro his dissidiis extinguendis editæ Constitutiones & Bullæ.

Atque inter alios Alexander V. ex Ordine Minorum anno 1409. ad Pontificatum assumptus, Bullam emisit, non minus, atque Constitutio Benedicti XI. Fratribus Mendicantibus faventem, quæ incipit: *Regnans in excelsis.* De hac Bulla loquens Natalis Alexander in Historia Ecclesiastica sæculi XV. in vita hujus Pontificis, asserit, quòd Fratres Prædicatores & Carmelitæ palam professi sint, hanc se inscitis impetratam fuisse, nec eam approbare: "Fratres verò Minores de Alexandri V. exaltatione intemperantius exultantes, ejúsque in Ordinem suum amore & benignitate abusi, pertinaciores fuerunt; quibus juncti Augustiniani, cum Privilegiis novâ illâ Constitutione collatis credere

„cedere nollent, Edicto Regio, publicâ Præ„conum voce, Parochis prohibitum est gravi „mulctâ, ne ipsos in Ecclesiis Confessiones au„dire, aut Conciones habere sinerent.

Bulla hæc, utpote Statum Hierarchicum non parum perturbans, multum offendit Episcopum & Academiam Parisiensem, quorum causam suscepit celeberrimus ejus ætatis Doctor Joannes Gersonius in sermone, quem coram populo habuit; extátque inter ejus Opera sub hoc titulo: *Sermo factus ad populum Parisiensem ex parte Universitatis super facto Bullæ Mendicantium anno* 1409.

In hoc sermone asserit in Ecclesia à Deo institutum Ordinem Hierarchicum ex Prælatis majoribus, ut sunt Papa & Episcopi, & minoribus, qui sunt curati, nec posse hunc à Deo institutum Ordinem inverti, quemadmodum ibidem exponit; atque unà, quæ sint jura Prælatorum, signanter Minorum sive Curatorum describit, ostendítque hæc per Fratres Mendicantes sive Privilegiatos infringi non posse.

Dissidia & discordias inter Prælatos & Mendicantes etiam post Constitutionem Alexandri V. perseverâsse; imò nec tempore Concilii Tridentini, Prælatorum querelas contra hæc Privilegia cessâsse, ex Actis & Historia hujus Concilii evincitur: quin & constat plures ex Patribus institisse: ut authoritate Concilii hæc Privilegia totaliter revocarentur ad primævam suam institutionem, ad quam reducti ipsi, ut auxiliares & subsidiarii Prælatorum & Pastorum Ordinariorum in functionibus Hierarchicis, plenariè subderentur Prælatis & Parochis.

Porrò ex Actis & Historia Concilii Tridentini & hoc intelligitur, postulatæ Privilegiorum revocationi restitisse non tantum Ordinum illorum Generales, eorúmque Patronos, sed vel præcipuè Curiales Romanos: qui & hanc revocationem urgentes, ut Sedis Romanæ & Authoritatis Pontificiæ adversarios palam traducebant.

Nec sanè mirum apparebit, Curiam Romanam, hisce Fratrum Mendicantium Privilegiis conservandis favisse, si attendatur per hæc Privilegia, *plenitudinem Potestatis Pontificæ* stabiliri: quin & ipsa Privilegia, signanter in quantum per illa indulgetur Fratribus excipere Confessiones Fidelium, & eis annuntiare Verbum Dei in Episcoporum Diœcesibus & Curatorum Parochiis, sine eorum licentia, huic *plenitudini potestatis* & jurisdictionis tanquam basi & fundamento inniti.

Vidimus enim Pontifices, in concessione horum Privilegiorum, eam *plenitudinem Potestatis Pontificiæ* impendisse.

Et quidem Bonifacius VIII. in Extravagante *supra Cathedram*, & renovatâ per Clementinam, *dudum*, postquam præscripsit modum, quo Fratres debeant per Superiores Ordinum ad audiendas Confessiones electi, Episcopis præsentari atque licentia ad audiendas Confessiones peti, subjungit: “Et si iidem Prælati præfatis Fratribus „ad Confessiones [ut præmittitur] audiendas electis, hujusmodi exhibere licentiam recusârint: „Nos [ait] ex nunc ipsis, ut Confessiones sibi confiteri volentium liberè licitèque audire valeant, „& eisdem pœnitentias imponere salutares, at„que eisdem absolutionis beneficium impartiri, „gratiosè concedit de *plenitudine Apostolicæ po„testatis*.

Ulterius nec ignorabant Pontifices, quòd Fratres Mendicantes his Privilegiis muniti, eam *plenitudinem Pontificiæ Potestatis* & Jurisdictionis, tanquam suorum Privilegiorum basim & fundamentum, eodem quo sua Privilegia zelo & studio propugnaturi essent.

Et sanè videmus, quotquot in defensionem horum Privilegiorum scripserunt, eam in Pontifice plenitudinem potestatis supposuisse & asseruisse, ac in fundamentum & basim Privilegiorum assumpsisse.

Et inter alios sanctus Thomas in opusculo contra Guillelmum de sancto Amore, propugnans Privilegia Fratrum Mendicantium, signanter de audiendis Confessionibus, pro fundamento ponit *cap.* 3. §. 14. *Quod Papa habeat immediatam Jurisdictionem in omnes Christianos*.

Deinde postquam dixit Christum esse propriè dictum Sponsum Ecclesiæ, monet, “quod mi„nistri Ecclesiæ tantum dicantur *Sponsi*, in quan„tum vicem *veri Sponsi gerunt*; *& ideò* [ait] *Pa„pa, qui obtinet vicem in tota Ecclesia, Univer„versalis Ecclesiæ dicitur*: Episcopus autem suæ „Diœcesis, Presbyter autem suæ Parochiæ.

Planum est S. Thomam asserere voluisse Papam habere immediatam jurisdictionem in *omnes* Christianos, qualem habet Episcopus in Christianos suæ Diœcesis, & Curatus in subditos suæ *Parochiæ*: idcircò & Papa dici possit *Sponsus Universalis* Ecclesiæ, & Presbyter suæ Parochiæ.

Hoc posito fundamento, consequens est in Papa esse *plenitudinem Pontificiæ Potestatis*, eo sensu, quòd totam & Universalem Ecclesiam ex omnibus particularibus Ecclesiis constantem, habeat pro sua Diœcesi, atque ad omnes illas ejus Pastoralis solicitudo & authoritas se extendat, ac si immediatè ipsi essent, tanquam Episcopo & Pastori subjectæ, uti eam potestatis Apostolicæ plenitudinem exposuisse Innocentium III. ostendimus supra in hoc Supplemento ad partem 1. tit. 19. cap. 5. num. 15.

Ex his ulterius concludere poterat sanctus Thomas, quòd, sicuti potest Episcopus Presbyteris dare licentiam audiendi Confessiones per totam suam Diœcesim, similiter possit Papa eam dare per *totam* Ecclesiam, tanquam per suam Diœcesim.

Habemus plura opuscula sancti Bonaventuræ, quibus hæc Fratrum Mendicantium Privilegia tuetur, in quibus etiam plenitudinem potestatis Pontificiæ exemplo sancti Thomæ pro fundamento assumit, asserendo à Papa emanatam omnem jurisdictionem Ecclesiasticam, uti observat D. Fleury *lib.* 84. *Hist. Eccles. num.* 43.

Similiter Magister Rogerius Chonnoé, Ordinis Fratrum Minorum, suscipiens defensionem privilegiorum, sive Fratrum Mendicantium contra defensorium Curatorum Richardi Archiepiscopi Armachani pro fundamento defensionis assumpsit, & supposuit eam in Papa potestatis Apostolicæ plenitudinem.

Hæc Rogerii defensio constat octo capitibus, atque primo capite, ut omnem tollat æquivocationem, præmittit distinguendam esse publicam potestatem ligandi & solvendi in foro pœnitentiæ. “Quædam est, [ait] quæ confertur ex „vi Ordinis Sacerdotalis, vel Ordinationis in Sa„cerdotem. Et hæc potestas est in omnibus Sa„cerdotibus æqualis.... perpetua & inamissibilis, „sicut character Ordinis Sacerdotalis: & est cau„sa remota ab actu & exercitio, quod magis „propriè dicitur potentia, quàm potestas.

“Alia est [inquit] potestas jurisdictionis, quæ

„requirit relationem super plebem aliquam vel „personam, tanquam super materiam, in qua „tam prima, quàm secunda debeat exerceri. Un„de sicut Faber vel Artifex quicunque non po„test operari nisi habeat materiam, in qua ope„retur; sic nec Sacerdos potest quemquam „solvere quem ligare, nisi sibi ministretur ma„teria suprà dicta. Quam materiam *solus Pa„pa* mediatè, vel immediatè tribuit Sacerdoti„bus, vel aufert, sicut suæ *placuerit volunta„ti* tanquam ille, in quo *solo* hujusmodi ple„nitudo potestatis *extra de usu Pallii ad ho„norem.*

Et rursus *cap.* 2. ponit pro regula, eâque *tam per se nota*, quod ejus [ait] impugnator esset *igne vel gladio puniendus* scilicet, "quod in „Hierarchia Ecclesiastica semper est, aut debet „esse sub Christo Summus Princeps, in quo Ec„clesiæ planè secundùm se *tota residet authoritas, „jurisdictio seu potestas*, à qua in reliquos Præsi„dentes quoscunque mediatè vel immediatè om„nis Ecclesiastica jurisdictio, quam obtinent, si„ne sui detrimento juxta Summi Pontificis *arbi„trium* derivatur.

Hinc tandem effectum, ut hæc de plenitudine potestatis Apostolicæ opinio, quasi articulus fidei ab ipsis proponi cœperit, & contrariam sustinentes pro Hæreticis reputari, & ut tales *igne* vel *gladio* puniendi proclamari, uti ex Rogerio jam vidimus, idque Curiâ Romanâ applaudente.

Dicitur enim, & in hac Curia eam de plenitudine potestatis Pontificiæ opinionem pro indubitatâ, & quasi fidei esse receptam.

Et quidem Cardinalis de Luca in *Relatione Curiæ Romanæ* referens opiniones in hac Curia receptas ponit *Discursu* 2. *num.* 37. hoc Summarium: *Papa est Ordinarius Ordinariorum, eosque prævenire valet.*

Hoc Summarium in textu exponens & prosequens ait: "Quamvis item nonnulli Episcopi „aliique Prælati & Magistratus ultra montes, „quorum aliquibus, ubi etiam schismatis macu„la objici non valeat, aliqua tamen *proximitas* „forè congruere videtur, *antiquas retineant opi„niones* super æqualitate eorum potestatis in pro„pria Diœcesi cum Papa, qui non possit citra „casus appellationis, & recursum in eorum pote„statis ac jurisdictionis exercitio se ingerere, eós„que impedire quasi quod quilibet dicatur Pon„tifex in propria Diœcesi. Attamen [ait] eodem „themate retento, conclusivè scilicet insinuandi „opiniones in Curia, tam firmas ac receptas. Hæc „opinio pariter damnata est, atque receptum, „quod Papa tanquam Ordinarius Ordinario„rum, à quo omnis Episcoporum jurisdictio „ordinaria immediatè descendit, concurrere po„test cum quolibet Ordinario.

Quin hic Cardinalis per Episcopos & Prælatos ac Magistratus *ultra montes*, quos saltem *proximitatis schismati* fortè argui posse scribit, intellexerint Episcopos & Prælatos atque Magistratus Gallicanos dubitari nequit, utpote, qui præ cæteris eam in Pontifice *plenitudinem potestatis* & jurisdictionis constanter negant; eúmque, ut *Ordinarium Ordinariorum*, à quo omnis jurisdictio ordinaria in Episcopos aliósque Prælatos derivetur, recognoscere renuant: imò contrariam opinionem tanquam basim & fundamentum libertatum Ecclesiæ Gallicanæ tuentur & propugnant.

At hoc notatu dignum, quòd licet hic Cardinalis, & in Curia Romana Patronus non vereatur aliquali *schismatis*, aut saltem ejus *proximitatis* maculâ aspergere Gallicanos Antistites, & Magistratus ob defensionem dictæ opinionis, fateri nihilominus debuerit per hos Prælatos, vel Magistratus non esse inductas novas opiniones; sed quòd *antiquas opiniones retineant.*

Notare quoque non dubitavit Vir Clarissimus, & in Disciplina Ecclesiastica versatissimus Claudius Fleury hanc de *plenitudine Potestatis Pontificiæ* opinionem in fundamentum privilegiorum à sancto Thoma, aliísque privilegiorum propugnatoribus assumptam esse novam.

Referens enim per Compendium Apologiam, quam sanctus Thomas in defensionem Fratrum Mendicantium opposuit libello Guillelmi *de S. Amore;* relatísque verbis sancti Thomæ supra citatis, quibus hanc plenitudinem potestatis Pontificiæ expressit, monet *lib.* 84. suæ Historiæ num. 42. has opiniones fuisse novas: *Ces maximes touchant l'autorité du Pape étoient nouvelles.*

Nec sub initium sæculi noni fuisse opinionem, quòd Pontifex Romanus posset Episcopalem authoritatem in omnibus Diœcesibus exercere, putà quod posset alienos Parochianos sine licentia proprii Episcopi absolvere, constat ex Capitulari Ahytonis Episcopi Basileensis ad suos Presbyteros directo *anno* 821.

Postquam enim eos monuit, qualiter seipsos, & plebem sibi commissam castè & justè regere atque in Religione Divina confirmare debeant, subjungit *cap.* 18. "Et hoc omnibus fidelibus de„nuntiandum, ut, qui devotionis causâ ad li„mina beatorum Apostolorum pergere cupi„unt, domi confiteantur peccata sua, & sic „proficiscantur, quia à proprio Episcopo suo „aut Sacerdote ligandi aut exsolvendi sunt, non „ab extraneo.

Manifestum est Ahytonem existimâsse, idcircò fidelibus proficiscentibus Romam ad limina Apostolorum esse intimandum, ut domi confiteantur proprio Episcopo aut Sacerdoti: eò quod Romæ Episcopus aut Sacerdos esset extraneus: & quod & notavit D. Fleury in sua Historia lib. 41. num. 15. relatis enim verbis Ahytonis subdit „Hic sub nomine Episcopi extranei manifestè „comprehensus est Papa, sicut cæteri Episcopi: „*Ici sous le nom d'évêque étranger le Pape est ma„nifestement compris comme les autres.*

Præterea ex Ahytonis Capitulari evincitur, eo tempore eam viguisse disciplinam, quòd fideles tenerentur proprio Episcopo aut Sacerdoti sui peccata confiteri, nec alieno aut extraneo posse sine illius licentia: quam disciplinam usque ad sæculum XIII. perdurâsse notavimus in textu hujus capitis num. 7. & 8.

Ad Numerum XXIII.

Sæpius notavimus pristinam fuisse Ecclesiæ disciplinam, ut Fideles sua peccata confiterentur *proprio* Sacerdoti, atque hoc numero rationes ex S. Bonaventura adduximus, cur expediat *proprio* potiùs quàm alieno Sacerdoti peccata sua confiteri.

Qua de causa expediat potius proprio, quàm alieno Sacerdoti confiteri?

Notan-

Notandum autem, quòd rationem à Bonaventura adductam etiam probaverit Innocentius IV. in Bulla, quæ incipit, *Etsi animarum*, ubi inter alia incommoda, quæ sequuntur ex eo, quod Fratres Mendicantes Parochianos ad Confessiones sibi faciendas indifferenter reciperent, hoc addit: "Sicque eorum prædicti Sacerdotes, qui curam "suscipiendo, ipsorum suam pro eis animam ob"ligant, dum sibi taliter subtrahuntur, statum eo"rũ ignorantes non possunt, quod in eis est, ægro"tum sanare, nec consolidare infirmum, nec alli"gare confractum; & sic dum curâ commissâ non "adhibentur remedia invalescentibus morbis "usque ad interemptionem, læsio debacchatur, "& iidem Sacerdotes nullâ possunt de sic pereun"tibus animabus supremo Judici reddere ratio"nem.

Ulteriùs in hac Bulla monet Pontifex: "Quod "ex recursu ad Fratres Confessionis causâ relicto "*proprio* Parocho, non tantùm indevotio & con"temptus in populo prodeunt contra proprios "Sacerdotes, verùm etiam *erubescentia*, quæ est "magna pars pœnitentiæ, tollitur, dum quis non "proprio Sacerdoti, quem habet continuum & "præsentem sed alieno & aliquando transeunti, "ad quem difficilis & quandoque impossibilis est "recursus, sua crimina confitetur.

Nobiles & divites ex libero hoc recursu ad Fratres Mendicantes sibi ignotos occasiones liberiùs peccandi accepisse deplorârunt Præl[illegible] Angliæ, uti notavimus in nota præcedenti.

Quin & fuere nonnulli, qui asseruerunt, quod ex mente Concilii Lateranensis in Canone, *Omnes utriusque sexûs* fideles teneantur saltem semel in anno confiteri *proprio* Sacerdoti *omnia* sua peccata, etiam illa; quæ antea fuissent confessi *alieno* Sacerdoti: idque ob rationes ex S. Bonaventura & Innocentio IV. in textu adductas, ac notanter, ut per hanc omnium peccatorum Confessionem à proprio Sacerdote haberetur exactior de statu spirituali Parochiani notitia.

Et licèt Joannes XXII. hanc opinionem, in quantum fidelibus imponit necessitatem reiterandi Confessionem peccatorum, reprobaverit in Extravagante, quæ incipit, *Vas electionis*, sub tit. *Hæreticis* Inter *Communes*, eandemque opinionem etiam reprobâsse videtur Benedictus XI. in Constitutione, quæ incipit: *Inter cunctas* (de qua in nota præcedenti) Nihilominus hic Pon-Pontifex in eadem Constitutione declarare dubitavit, *salubre* esse ut Parochus *omnia* sua peccata proprio Sacerdoti confiteatur, in verbis: Cæterùm licèt (sicut prædicitur) *de necessitate* non sit *iterum eadem* confiteri peccata, tamen, qui propter erubescentiam, quæ magna est pœnitentiæ pars, ut eorundem peccatorum iteretur confessio, reputamus *salubre*, :, *districtè injungimus, ut Fratres ipsi confitentes attentè moneant, & in suis Prædicatoribus exhortentur, quod suis Sacerdotibus saltem semel confitebantur in anno, asserendo id ad* ANIMARUM PROFECTUM PROCUL DUBIO PERTINERE.

CAPUT VII.

Ad Numerum VIII.

Sæculo XI. nondum ubique invaluerant casus reservati Pontifici.

EX Ludovico Thomassino in textu observatum est, pluribus sæculis liberam fuisse penes Episcopos ab omnibus etiam gravioribus criminibus absolvendi authoritatem: imò nec videtur, quòd sub initium sæculi XI. adhuc usitata esset Reservatio Papalis, sive quòd criminum aliquorum absolutio ita fuisset Romano Pontifici reservata, ut extra casum necessitatis ab his absolvendi, nec Episcopus sine licentia Pontificis haberet authoritatem, tametsi constet, eo tempore plures criminum reos Romam pro obtinendâ à Romano Pontifice pœnitentiâ & criminum relaxatione se contulisse.

V. Espen Suppl. in Jus Eccl.

Legitur enim in Actis Concilii Lemovicensis *anni* 1031. quòd quidam coram Patribus dixerit: "Vidi nuper de Episcopo Engolismensi qui "præsens est, quod dico; quòd quidam ex suis Pa"rochianis excommunicatus ab eo, dum satisfa"cere nollet non poterat impetrare ab eo pœni"tentiam, *qui sine licentia sui Episcopi* Papæ Ro"mano subripuit pœnitentiæ legem, & literas ex "nomine ejus Episcopo detulit in Cœna Domini, "quibus Episcopum rogabat Apostolicus, quate"nus illi pœnitentiam, quam imposuerat, affir"maret.

Post hæc subjungitur: "Episcopus verò intel"ligens fraudem, ait homini: Versâ vice, quod "ego debueram petere ab Apostolico, Apostoli"cus postulat à me. Non credere possum, Man"datum hoc ab eo exortum: tibi nihil utile est; "& donec aut *à me*, vel ab *hujus Sedis Archidia"cono, me jubente, accipias pœnitentiam*, perma"nere in Excommunicatione, & ejecit eum foras "de Ecclesia.

Patres hujus Synodi probantes resolutionem hujus Episcopi, dixerunt: "Hoc ab ipsis Apos"olicis cautum tenemus, ut Parochiano suo Epis"copus, si pœnitentiam ponit, eumque Papæ "dirigit ut judicet, utrum sit, an non pœniten"tia digna pro tali reatu: potest eam confirmare "authoritas Papæ aut levigare, aut super [illegible]; "judicium enim totius Ecclesiæ in Apostolica "Romana Sede constat.

" Item. Si Episcopus Parochianum suum te"stibus vel literis Apostolico ad pœnitentiam "accipiendam direxerit, ut multoties pro gravis"simis fieri solet reatibus, in quibus *Episcopi* ad "dignam *hæsitant* pœnitentiam imponendam, "hinc talis licenter à Papa remedium sumere po"test: nam *inconsulto* Episcopo suo ab Apostoli"co pœnitentiam, & absolutionem nemini acci"pere licet. Hæc fusiùs narrantur tom. 9. Con"cil. General. pag. 908. & seq.

Ex his habetur, quòd Episcopi eo tempore crediderint, fas non esse Parochianis, *inconsulto* Episcopo, ad Romanum Pontificem recursum habere pro obtinenda etiam gravissimorum criminum pœnitentia aut absolutione.

Hinc consequens est, Episcopos nequaquam credidisse, etiam gravissimorum criminum pœnitentiam imponendam, aut eorum absolutionem Romanis Pontificibus reservatam, quandoquidem nemini suorum Parochianorum pro quocunque crimine permitterent inconsulto Episcopo ad Romanum Pontificem habere recursũ.

Fatentur quidem Episcopi, quòd Parochiani cum testibus vel literis ad pœnitentiam accipiendam Apostolico subinde dirigantur: verùm id non faciebant Episcopi ob defectum potestatis absolvendi hos criminum reos; sed duntaxat quia subinde *hæsitabant*, quâ pœnitentiâ similia crimina essent punienda; subjungitur enim in Actis, "ut multoties pro gravissimis fieri so"let reatibus, in quibus Episcopi ad dignam *hæ"sitant* pœnitentiam imponendam.

TITULUS VII.

De Indulgentiis.

CAPUT I.

Ad Numerum V.

Pristina formula indulgentialis sæculo IX. nota.

QUin & eam indulgentialem formulã seu speciem in Canonibus Nicænis, Ancyranis aliisque expressam, & à SS. Patribus impensam, de quo n. 5. in textu, etiam sub medium sæculi IX in usu fuisse constat ex Synodo Regiaticina, seu potiùs in urbe Regia Ticino celebrata *anno* 850. uti præfert titulus tom. 8 Conciliorum generalium *col.* 61. in qua decernitur, "quòd oporteat per "oppida singula villasque curam gerere Presby-"teros, qualiter Pœnitentes impositam sibi absti-"nentiæ formam custodiant, & utrum eleëmosy-"nam largiantur, vel aliis remissionem peccato-"rum promerentibus piis operibus inserviant, & "quâ cordis contritione vel lamentatione seipsos "afficiant ut hac consideratione pœnitudinis tem-"pus rationalem possit accipere terminum, & vel "extendatur, si pœnitens negligenter injuncta pro-"secutus est, vel brevietur, si desideranter veniæ "placationem studuit promereri.

Si hæc erga pœnitentes hodie esset Presbyterorum cura & vigilantia, eâque moderatione tempora pœnitentiæ, ejusque opera abbreviarentur, indubiè major appareret indulgentiarum & pœnitentiarum fructus, scilicet vera peccatorum conversio.

Ad Numerum X. & XIV.

Sæculo XI. inductæ novæ formulæ indulgentiales quibus fundamentis innixæ?

In textu notavimus in Concilio Claromontano præsidente Urbano II. decretum fuisse, ut, qui ex devotione ad liberandam terram sanctam à servitute infidelium iter Hierosolymitanum susciperet, iter hoc ei esset pro *omni pœnitentia*. Hanc indulgentiarum formulam novam planè & hactenus ignotam fuisse ex Morino aliisque notatum est.

Ecclesia enim permiserat quidem arbitrio & discretioni Episcoporum abbreviare tempora pœnitentiæ, vel ejus opera mitigare, aut in alia commutare, prout id saluti pœnitentium pro eorum conditione congruere videretur, exemplo Apostoli rogantis Corinthio mitiùs & indulgentiùs agere cum incestuoso, ne *nimia tristitia absorbeatur*: sed ut pro uno eodemque opere omnibus indifferenter pœnitentibus partialis vel totalis pœnitentiæ remissio sive indulgentia addiceretur pristinis Patribus fuit ignotum, & uti observavit Dominus Claudius Fleury in suo sexto discursu historico n. 2 id & disciplinæ pœnitentiali in Ecclesia hactenus conservatæ, erat contrarium.

Insuper observatum est ex Morino, quod sæculo XII. ex quinta formula indulgentiali ibidem descriptâ orta fuerit alia formula indulgentialis, quâ partialis vel etiam totalis pœnitentiæ remissio promittebatur his, qui eleëmosynas conferrent in pium aut etiam publicum aliquod opus vel Ecclesias certis diebus visitarent, præscriptas preces ibidem recitaturi.

Ulteriùs ex eodem notatum fuit, quòd ex hac indulgentiarum formula secuta fuerit Canonicarum pœnitentiarum omnimoda abolitio, & Canonum pœnitentialium obliteratio.

Rationes, quibus ejus temporis Doctores eam indulgentialem formulam hactenus ignotam sustinerent exponit Guillelmus Episcopus Parisiens. in tract. de Sacramento Ordinis c. 13. *tom.* 1. operum *pag.* 551. Edit. Londinensis *anni* 1674.

Imprimis pro fundamento harum indulgentiarum ponit; 'quod, cujus potestas est Pœnitentiales satisfactiones injungere, ejusdem est eas "augere, minuere, & mutare, prout ad Dei ho-"norificentiam & animarum salutem & ad publi-"cam & specialem.

Hoc præmisso fundamento concludit: "Quare & pœnitentialem in eleëmosynas & oratio-"nes, & in omne, quod Deo magis acceptum vi-"derit esse, licitum est Prælato, suæque potestatis "est & officii mutare, prout ipsi pœnitenti aut pa-"triæ, aut toti Ecclesiæ vident expedire.

Post hæc descendens ad ea, quæ in literis sive formulis indulgentialibus fidelibus pro demerenda indulgentia injungi solebant, puta eleëmosynas in ædificationem vel refectionem, vel etiam ornatum alicujus Basilicæ eum subjicit: "Manifestum est, quòd & major honor Dei sit, "majorque utilitas animabus, ut sacrificiis & "orationibus assiduè succurratur, Sanctorum suf-"fragia, qui, quæcunque voluerint, apud Domi-"num possunt die ac nocte ab eis impetrentur, "in qua incessanter hostes invisibiles impugnen-"tur, cæteraque bona, quæ numeravimus & no-"minavimus, ibi sine intermissione animabus im-"pendantur, major, inquam, est honor Deo, ma-"jorque animabus utilitas, quàm quantacunque "afflictionum pœnitentialium carnificina: Episco-"palis ergo potestatis & officii est, carnificialem "illam afflictionem quantamcunque sive pro par-"te, sive pro toto, sicut expedire viderit, in hujus-"modi bonum vel simile vel etiam alterius modi, "quod publica requirit utilitas, commutare am-"plius quia omnis servus bona Domini in hono-"rem ipsius & gloriam, & regni vel domûs suæ "utilitatem tenetur expendere, & ubi majorem "vel honorem, vel utilitatem vel ambos videt, ibi "largiùs, cùm ejus fidei commissa sit eorum dis-"pensatio, additiones aut diminutiones, commu-"tationes & relaxationes pœnitentialium satisfa-"ctionum Prælatis indubitanter commissæ sunt: "manifestũ ergo est ad eos pertinere, ut bona ista, "quæ nominavimus, expendant largiùs vel par-"ciùs, prout negotia vel opera ex parvitate vel "magnitudine divini honoris, spiritualisque utili-"tatis plus aut minus requisierint: & propter hoc, "quia maximus Dei honor est in terra Christiana "Religio maximaq; animarum utilitas & privata "& publica: certum est, quòd pro ea plantanda, "conservanda, amplianda & defendenda, necesse "habent hujusmodi expendere præfati servi Dei "de prænominatis bonis, quidquid prædictæ ne-"cessitates requirunt: necesse ergo habent relaxa-"tiones, diminutiones, commutationes pœniten-"tiarum facere, quantumcunq; requirit plantatio, "conservatio, amplificatio defensioque Christianæ "Religionis sive ultra mare, sive in Provincia, si-"ve alibi ubicunque: hæc & est causa, propter

quam

„quam largiſſimæ indulgentiæ fiunt ab Eccleſia „pro ſubſidio terræ ſanctæ, & generaliter contra „inimicos Fidei & Chriſtianæ Religionis. Amplius. Si Rex vel Princeps bellum habeat, dat poteſtatem ducibus ſuis perquirendi & conducendi „bellatores, dignisque ſtipendiis remunerandi. „Quia ergo Rex regum & Dominus dominantium Chriſtus bellum habuit à tempore quo cœpit Eccleſia, bellum, inquam, non ſolum ſpirituale, ſed etiam litterale, ſeu corporale ſive materiale contra hæreticos & alios chriſtianæ Religionis inimicos, videlicet Paganos, & à tempore „Machometi Saracenos, neceſſariò dedit poteſtatem ducibus ſuis, id eſt Prælatis, perquirendi „bellatores materiales, & conducendi eos, & congruis ſtipendiis remunerandi. Quid autem eſt „prædicare indulgentias, & promittere hujuſmodi bellatoribus, niſi eos perquirere & conducere „Regi Regum Chriſto Domino? Et quid eſt pœnitentias eis injunctas remittere niſi partem aliquam ſtipendiorum eis dare? Quemadmodum „ſtipendia peccati mors, ſicut legitur 6. ad Rom. „ſic ſtipendia hujuſmodi bellatorum pro maxima „& nobiliſſima ſui parte remuneratio æterna erit. „Indulgentiæ autem quæ fiunt pro Baſilicis vel „ampliandis, vel quolibet alio modo meliorandis „etiam propriam probationem habent cum enim „quilibet ſervus malus apud dominum ſuum, vel „etiam amicus apud amicum. Manifeſtum autem „eſt imperrare unumquemque ſervum gratioſum „à domino ſuo, vel amicum ab amico: innumeras „ergo remiſſiones peccatorum & pœnitentiarum „inæſtimabiliter venatoribus ac cultoribus ſuis à „largiſſimo bonorum omnium largitore Deo „Sanctos impetrare veriſimile eſt. Et ſi iſti ex igniculo dilectionis & ſtilla benevolentiæ ita ſoliciti ſunt pro neceſſitatibus charorum ſuorum, „quantò fortiùs Sancti ex camino charitatis quo „toti ardent & diluvio redundantiſſimo benevoliæ quo toti defluunt, ſoliciti erunt pro neceſſitatibus ſibi devotorum ſeque venerantium atque colentium... Indulgentiæ verò quæ fiunt pro „pontibus ædificandis, pro viis ſternendis, ſive „pro pavimentis ſive faciendis aut meliorandis illam habent rationem per ſe propriam. Quia ergo licet unicuique Diſpenſatori conducere operarios ad agenda opera domini ſui: diſpenſatores autem in domo Dei magna, quæ eſt Eccleſia „Prælati ſunt: licet ergo Prælatis conducere operarios ad præfata opera quocumque pretio quo „cum eis convenerint, ſive indulgentiarum & remiſſionum, ſive alterius cujuſcumque: laborantibus autem in hujuſmodi operibus poſſunt Prælati Eccleſiarum dare indulgentias quas viderint „expedire. Communis autem ratio ſeu probatio „de indulgentiis iſtis & eis, quæ fiunt Benefactoribus Religioſorum, eſt ipſa communicatio; ſerviunt enim hujuſmodi peregrinantibus, & aliis „propter pias cauſas iter agentibus.

Rationes in juſtificationem harum indulgentiarum per Guillelmum Pariſienſem brevi compendio referens D. Claudius Fleury in ſuo quarto hiſtorico num. 16. reflectit, quod *a* ſi hæ rationes eſſent ſolidæ, debuiſſent movere ſanctos „Epiſcopos priorum ſæculorum, qui Eccleſiæ „præfuerunt, & determinaverunt pœnitentias „canonicas: ſed (ait) hi longius proſpiciebant, ipſi „Deum infinities plus honorari per morum puritatem, & virtutem Chriſtianorum, quàm per „conſtructionem & decorationem templorum „materialium, cantum, cæremonias, & omnem „cultum exteriorem, qui non niſi cortex Religionis, cujus anima & eſſentia eſt virtus.

Cum autem, (pergit idem Hiſtoricus) *b* major numerus Chriſtianorum non conſervet innocentiam baptiſmalem, hi ſapientiſſimi Paſtores ab Apoſtolis inſtructi, ſummo ſtudio inquiſierant media opportuniora & efficaciora ad lapſos peccatores convertendos & à relapſu præſervandos.

Porrò utiliora remedia non invenerunt quam ſi ipſi Pœnitentes cogerentur pro perpetratis delictis ſeipſos voluntariè punire in proprio corpore per jejunia, vigilias, ſolitudinem, ſilentium & omnium oblectamentorum reſciſſionem; ipſæque eorum piæ reſolutiones oratione & veritatum æternarum meditatione firmarentur; ac denique exercitia hæc per longa temporum ſpatia protraherentur, ut interea de ſolida converſione ſecuritas haberetur.

Nec dubium quin hæc à Patribus præfixa pœnitentiæ tempora & pia exercitia directiùs tenderent ad veram cordis converſionem & humiliationem, & conſequenter magis ad gloriam Dei, (cui præ cæteris placet cor contritum & humiliatum) quàm eleemoſyna in ædificationem aut ornatum Eccleſiæ alicujus materialis collata.

Et ſanè ſi experientiæ credamus, nunquam Chriſtiani ſanctiores fuêre, quàm dum pœnitentiæ canonicæ maximè viguerunt: ubi è contra nunquam fuerunt magis corrupti quàm ab eo tempore quo pœnitentialis diſciplina abolita fuit.

Hæc ille qui & in ſuo ſexto diſcurſu hiſtorico oſtendit quam parum conveniret pœnitentibus in compenſationem pœnitentibus in compenſationem pœnitentiarum canonicarum injungere iter Hieroſolymitanum ſive ſuſceptionem militiæ: rectèque reflectit quod ſancti Patres in opera pœnitentiæ injunxerint pœnitentibus ceſſationem ab armis & militia.

Ad Numerum XXI.

Quod de communi vulgi errore circa Indulgentias *Stationarias* per ſanctum Gregoriũ conceſſas notavit Morinus, uti in textu retulimus, pluribus proſecutus eſt Daniel Papebrochius in ſuo conatu chronico-hiſtorico Diſſert. 17. ſubjecta vitæ Sergii II. ubi præterea notat quod poſtquam communem vulgi errorem de Indulgentiis *Stationariis* per ſanctum Gregorium conceſſis amplexi eſſent Theologi Scholaſtici, „ mirum non ſit ſi diſcipulis ipſorum conformatos Pontifices, etiam in eo „puncto (quod alioquin non Theologicum, ſed

Indulgentias Stationarias à ſancto Gregorio fuiſſe conceſſas perperam aſſeruit Bonifacius VIII.

a Ces raiſons, ſi elles étoient ſolides, auroient dû toucher les ſaints Evêques des premiers ſiécles qui avoient établi les pénitences canoniques; mais ils portoient leurs vûes plus loin. Ils comprenoient que Dieu eſt infiniment plus honoré par la pureté des mœurs & la vertu des Chrétiens, que par la conſtruction & l'ornement des Egliſes materielles, le chant, les cérémonies, & tout le culte exterieur, qui n'eſt que l'écorce de la Religion, dont l'ame & l'eſſentiel eſt la vertu.

b Comme les Chrétiens pour la plûpart ne ſont pas aſſez heureux pour conſerver l'innocence baptiſmale: ces ſages Paſteurs, inſtruits par les Apôtres, avoient étudié tous les moiens poſſibles de relever les pécheurs, & de les préſerver des rechûtes, & n'avoient point trouvé de meilleurs remedes que de les engager à ſe punir eux-mêmes en leurs propres perſonnes, par des jeûnes, des veilles, la retraite, le ſilence, le retranchement de tous les plaiſirs; d'affermir leurs bonnes réſolutions par la priere & la méditation des veritez éternelles; enfin de continuer ces exercices pendant long tems pour s'aſſurer de la ſolidité des converſions.... Ces pratiques tendoient plus directement au ſalut des ames & par conſequent à la gloire de Dieu, que des aumones pour le bâtiment & la décoration d'une Egliſe. Enfin croions en l'experience: jamais les Chrétiens n'ont été plus ſaints que lorſque les pénitences canoniques ont été le plus en vigueur, jamais ils n'ont été plus corrompus que depuis qu'elles ſont abolies.

„Historicum erat) sua authoritate pertraxerint, eo „tempore quo nemo adhuc applicabat animum „erudierandis Antiquitatibus Ecclesiasticis, sacra„rumque cæremoniarum originibus illustrandis.

Hinc ulteriùs concludit, nec mirum esse quod Bonifacius VIII. Pontificatûs sui anno 3. Christi autem 1298. non dubitaverit in hunc modum scribere: frequenti considerationis indagine perlustramus & intra claustra pectoris sollicitâ meditatione discutimus, qualiter Doctor optimus, Ecclesiæ sanctæ lumen beatus Gregorius dum adhuc in terris gereret vices Christi, Patriarchalibus, & aliis ejusdem urbis Ecclesiis primò (prout tradit *Antiquitas*) & alii postmodum Romani Pontifices.... de Apostolicæ Sedis liberalitate munificâ diversorum tenorum *Stationarias indulgentias* concesserint.

Porrò evidens est Bonifacium non dubitasse quin à sancto Gregorio institutæ non tantum essent *Stationes*, sed & visitantibus Ecclesias *Stationarias* Indulgentias fuisse ab ipso concessas.

Hinc discimus, uti rectè ibidem advertit Papebrochius, " *Pontifici etiam frequenti conside„rationis indagine aliquid perlustranti, & intra „claustra pectoris solicita meditatione discutienti „in iis quæ purè historica sunt, obrepere posse quid„quam.*

Ad Numerum XXVII.

Admodum moderatè de Indulgentiis locuta est Synodus Tridentina.

In textu monuimus à Theologis Scholasticis plura in hac materia Indulgentiarum disputari; sed admodum pauca fidei certitudinem attingere, ut inde contigisse verisimile sit, durante Concilio Tridentino, materiam *Indulgentiarum* sæpius & acriter inter Theologos & Patres Concilii fuisse agitatam, plurimasque fuisse super ea exortas difficultates; præsertim unde effectus Indulgentiarum esset petendus, & quis earum esset effectus.

Ob Patrum & Theologorum dissentiones contigit quod in hac materia Indulgentiarum nihil definitum, nullumque decretum editum legatur ante instantem finem & conclusionem Concilii; postquam" Episcopus Mutinensis Patres monuit, „si de Indulgentiis tractationem instituere vellent „eum in modum, quo de justificatione tractatum „esset, causis omnibus consideratis, & quæstioni„bus consideratis, & quæstionibus excussis, rem „fore longam admodum & difficilem, multum„que temporis desiderantem: neque enim caput „illud satis dilucidè explicari posse, nisi priùs illud „constitutum sit, an sint absolutiones, an verò „compensationes & suffragia: & utrum pœnas „tantum à Confessore impositas remittant, an „quascumque debitas. Itidem an thesaurus qui „fundamenti loco substernitur, ex solis Christi „meritis constet, an verò opus sit insuper meritis „Sanctorum: an dari possint sine ulla accipientis „opera; an ad mortuos etiam se extendant, & alia „non minoris difficultatis.

" Verum ad hæc determinanda (pergebat E„piscopus) Ecclesiam earum concedendarum po„testatem habere, semperque eas concessisse, quod„que per quam utiles sint fidelibus eas dignè per„cipientibus, tantâ disputatione opus non esse: „nam authoritatem eas concedendis in sacris Li„teris haberi, usum continuatum ex Traditione „Apostolica & Conciliorum authoritate, totius„que materiæ dilucidam cognitionem ex concor„di doctrina Theologorum Scholasticorum Hisce de rebus confici posse. Decretum nullis diffi„cultatibus obnoxium ita refertur ab Historico „Concilii Tridentini, qui & addit. " Hæc sen„tentia magno coronæ assensu accepta est, depu„tatique ipsi cum aliis Episcopis & fratribus ad „Decretum in hanc sententiam formandum, ad„junctâ ad abusus tollendos provisione.

Et sanè Decretum Concilii manifestè probat juxta mentem & monitum hujus Episcopi Patres Concilii doctrinam de indulgentiis ita expressisse, ut à quæstionibus & difficultatibus in hac materia Indulgentiarum, præsertim quoad earum effectum seu valorem inter Theologos agitatis, omninò abstinuerit.

Hoc indubiè intelligens Episcopus Meldensis in expositione fidei de qua in textu, tantâ moderatione locutus est de hac materia Indulgentiarum ut dicere non dubitaverit quod nihil aliud de Indulgentiis credendum proponat Tridentina Synodus, *potestatem eas conferendi à Christo Ecclesiæ concessam esse, earumque usum esse salutarem.*

Quin ex verbis hujus Episcopi Meldensis in textu relatis manifestum est ipsum existimasse *Indulgentiam* unicè consistere in condonatione sive remissione pœnitentiæ, in satisfactionem criminum pœnitentibus impositæ quæ est illa species Indulgentiæ cujus meminere Canones Nicæni, Ancyrani, aliique veteres Canones, de qua specie Indulgentiarum actum est in textu num. 5.

Nec mirum quandoquidem nec in Decretali quæ refertur in *c.* 14. *x. de Pœnitentiis & Remissionibus*, sub nomine Innocentii III. in Concilio Lateranensi apertè dicatur *Indulgentiam* in hac pœnæ sive pœnitentiæ remissione propriè consistere: præfigens enim terminos intra quos Authoritas Episcoporum in concedendis Indulgentiis se continere deberet, expresè declarat ut tempus ibidem præfixum *de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat.* Si Theologi Controversistæ se intra hos limites continerent minor ipsis esset cum adversariis in hac materia difficultas.

CAPUT II.

Ad Numerum XV.

IN textu notavimus quod Morinus in suo opere de administratione Sacramenti Pœnitentiæ, relatâ Epistolâ Gelasii II. eum in hoc laudet, quod quantitatem Indulgentiæ sive remissionis pœnitentiarum determinandam committat Episcopis: „Non abs re sanè (ait Morinus) cùm paria non „sint omnium scelera & merita, sanitas & infir„mitas. *Formula Indulgentialis per Gelasium II. Episcopis Hispaniæ præscripta.*

Verissima profectò esset Morini reflexio & Epistolæ Gelasii convenienter applicata, si Gelasius in moderanda vel extendenda hac indulgentia vel remissione voluisset pœnitentium *singulorum* conditionem, seu *sanitatem & infirmitatem*, nec non *scelerum gravitatem* attendi, atque ita his maturè consideratis, conformiter ad sacros Canones, tempora pœnitentiæ contrahi, vel extendi authoritate Episcoporum scripsisset.

Verum Gelasius hanc scribens epistola post inductam quartam speciem formulæ indulgentialis (de qua *cap.* 1. *num.* 9.) duntaxat in hac moderatione Indulgentiarum per Episcopos attendi voluit *laborem & eleemosynarum quantitatem*, quæ in refectionem Ecclesiarum & sustentationem Clericorum in partibus Saracenorum consistentium conferretur: verba Epistolæ sunt: " Cæterùm qui „pro eodem Domini servitio vel *laborant* vel *la„boraverint*, & qui præfatæ urbis Ecclesiæ à Sara„cenis & Moabitis dirutæ, unde *reficiatur*, &

Clericis

„Clericis ibi Deo famulantibus, *unde pascantur* „*aliquid donant vel donaverint*, *secundum labo*„*rum suorum & beneficiorum suorum Ecclesiæ im*„*pensorum quantitatem, ad Episcoporum arbitri*„*um, in quorum Parochiis degunt pœnitentiarum* „*suarum remissionum & indulgentiam conse*„*quantur*.

Hanc Epistolam Gelasii Papæ, Episcopi Hispaniæ in Synodo congregati, recognoverunt atque Indulgentiam à Gelasio propositam probarunt, eidem in hunc modum subscribentes: *hanc absolutionem facio & confirmo*.

Cum his literis Gelasii per Episcopos dictâ formâ signatis miserunt per suas respectivè Diœceses suos Archidiaconos qui eleemosynas fidelium colligerent, uti ex Hieronymo Blanca in Commentariis rerum Arragonensium refert Baronius ad annum 1118.

Proinde nequaquam obscurum est, hanc esse formulam indulgentialem quæ sub finem sæculi XI. sedente Urbano II induci cœpit, ac tandem labentibus sæculis dicta fuit Indulgentia *Quæstuaria* à *Quæstoribus* qui hac formula indulgentiali ad sordidum quæstum abutebantur. De quibus cap. 3. actum est.

Ad Numerum XXIII.

Decretum Concilii Tridentini de moderandis Indulgentiis potius Pontificias quam Episcopales Indulgentias respicit.

Quandoquidem Patres Tridentini non ignorarent Episcoporum authoritatem concedendi Indulgentias à tempore Concilii Lateranensis sub Innocentio III, anno 1215. restrictam fuisse ad *dies* 40. excepto solo die Consecrationis Ecclesiæ, quo ipsis permittitur unius anni Indulgentiam concedere, non videtur quod Patres in Decreto de *Indulgentiis* quo injungunt, *in his concedendis moderationem juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur*, tam respexerint ad Episcopos quorum authoritas intra moderatos terminos sciebatur conclusa, quam ad Romanam Curiam à qua non ea moderatio, quam Synodus exoptabat adhiberi, servabatur in his Indulgentiis concedendis.

CAPUT IV.

Ad Numerum I.

Origo formulæ indulgentialis quæ dicitur Jubilæum.

IN textu notavimus formulæ indulgentialis quæ vulgo *Jubilæum* dici solet, atque omnium Indulgentiarum *plenissima*, & majoris præ cæteris effectûs creditur, nullum authenticum repertum esse instrumentum, aut ullum Authoris de ea testimonium ante Constitutionem Bonifacii VIII. quâ etsi non sub nomine *Jubilæi* plenissimam hanc Indulgentiam promulgavit, ideoque & ipse hujus indulgentialis formulæ reputetur primus Author quantumvis ipse asserere non dubitet, quod " „*Antiquorum habeat fida relatio* quod accedentibus ad honorabilem Basilicam Principis Apostolorum de Urbe concessæ sint magnæ remissiones & indulgentiæ peccatorum.

Quam enim infirma fuerit hæc de qua loquitur *Antiquorum fida relatio*, cujus authoritate hanc indulgentialem formulam tanquam *Antiquitati* notam promulgavit, & à novitate vindicare voluit Bonifacius, intelligitur ex Historia institutæ hujus indulgentialis formulæ descripta per Jacobum Cardinalem sancti Georgii ad *velum aureum* qui eo tempore Romæ præsens erat.

Scribit hic, quod " finiente sæculo XIII. & „instante sæculo XIV. id est anno tricentesimo supra millesimum increbuerit in Urbe Romana „rumor qui pollicebatur, *tantam fore ejus anni* „*vim*, ut ad Basilicam Principis Apostolorum „Petri pergentes, *omnium plenissimam peccato*„*rum luitionem sortirentur*.

" Hujus rumoris conscius factus Pontifex Bo„nifacius VIII. vetustorum evolvi librorum mo„numenta edixit, sed in his nihil ejus quod quæ„rebatur, inventum.

" Interim advenit prima dies anni hujus tre„centesimi supra millesimum, nihilque præter so„litum decurrente die illo visitur; at demum sub „mediam noctem, seu ut loquitur Historicus, ad „mediæ ferè noctis intempestæ silentium, ipsi „Romani ad sacram Basilicam beati Petri frequen„tes properant: oppressi altaria stipant, alterna„timque se, ut vix accedere fas esset, impediunt, „quasi eâ brevi finienda die expirare, gratiam vel „majorem autumarent.

" His actis initiis (ait Historicus) in dies civi„um exterorumque fides & peregrinatio augeri „cœpit, quibusdam primâ centesimi die omnium „culparum sordes deleri asserentibus; cæteris an„norum Indulgentiam fore, sicque ferè usque ad „trimestre tempus, similiter die, qua toti orbi ve„nerabilis revelatur *effigies* vulgò *Sudarium*, seu „*Veronica*, (quæ incidit in Dominicam post Epi„phaniam) longè plus solitò compactis turbis „convenirent, utrimque dubii sperantes erant.

Itaque usque ad hunc diem *dubii hærebant* etiam Romani circa centesimi anni Indulgentiam, Interim Pontifex Bonifacius VIII. " ut erat ingenio „vigilans refertusq; solertiâ, conservabat hæc om„nia, conferens in corde suo: suoque more præsen„tia, dum haud prohibebat, frequentiam acceptâ „conjiciebat, venientiumque firmabat votum.

Itaque hactenus Pontifex circa hujus indulgentiæ valorem nihil determinaverat, eo quod in vetustorum librorum monumentis nihil de hac Indulgentia *Jubilæi* reperisset, interim tamen devotioni populi favebat.

Pontifice autem sic dubio hærente, & populi Romani devotionem, & exterorum advenientium votum fovere desiderante, accessit tandem " „vivus præteritorum testis, qui (inquit Histori„cus) peregrinationis suæ centum & septem as„severans annos (multis eodem Præsule Bonifa„cio VIII. coram adscitis) adstrueret meminisse „Patrem alio centesimo anno Romæ nequaquam „puer adesse pigritaret, nobisque idem sciscitan„tibus intulit quinquaque ejusdem anni die illi „centum annorum Indulgentiam lucrifieri posse, „ob quam peregrinaturus accesserat.

Si fides huic testi esset, sola *centum annorum Indulgentia* anno centesimo promissa fuerat: " „At eodem Historico teste Romæ plenissime cul„pas dilui apud Gallos vulgatum, tanti avi duos „adhuc Diœcesis Bellovacensis, pluresque alios „Italici soli superesse, qui meminissent, nobis „assertum.

His factis informationibus, Pontifex convocavit Collegium Cardinalium, atque de eorum consilio confecta fuit famosa illa Bulla quæ incipit *Antiquorum*, relata inter Extravagantes communes, & de qua in textu.

Publicata fuit hæc Bulla Romæ in festo Cathedræ sancti Petri Antiochiæ 22. Februarii 1300. atque summo plausu à Romanis recepta.

Incredibilem porrò hominum multitudinem

non modò ex Italia, Sicilia, Sardinia, Corsica, sed & ex Gallis, Hispania, & Anglia, Germania, Hungaria concurrisse, nec solùm juvenes ac vegetæ ætatis, sed etiam septuagenarios & infirmos qui lecticis deferebantur, confluxisse scribit dictus Cardinalis.

Tradit his conformia Joannes Villanus Florentinus *lib* 8 *cap.* 36. additque tantam fidelium multitudinem Romam convenisse, ut præter Romanos ducenta peregrinorum millia in urbe viderit, quibus omnia necessaria abundè suppeditabantur.

Hæc fusiùs narrat Odoricus Raynaldus ad annum 1300. qui & addit ex Annalium Colmariensium Scriptore, quod tantus fuit factus concursus Romam, *ut sæpius una die egressi sunt triginta millia hominum, pariterque ingressi.*

In hac Bulla asserit Bonifacius VIII. quod *An*„*tiquorum* habeat *fida relatio*, quod accedenti„bus ad honorabilem Basilicam Apostolorum de „urbe concessæ sint magnæ remissiones & indul„gentiæ peccatorum.

Nequaquam obscurum est eam *Antiquorum fidam relationem* referri ad relationem eorum peregrinorum excedentium ætatem centum annorum, qui ætatem puerilem in præcedenti anno ducentesimo supra millesimum agentes, simile aliquid intellexisse se affirmabant.

Verum quam infirmum sit hoc testimonium ex auditu & similium hominum datum ad requisitionem Pontificis & populi, id enixè desiderantium, nemo non videt, præsertim de re, quæ nemini poterat fuisse ignota, & cujus tamen nulla apud temporis illius historicos, aut in vetustis Pontificum regestis aut epistolis memoria occurrebat, atque notanter Innocentii III. qui ipso anno ducentesimo supra millesimum Pontifex erat, & cujus registra in quibus ejus epistolæ & acta per annos singulos descripta continebantur, & in Bibliotheca Vaticana asservabantur hujus remissionis peccatorum aut populi ad eam lucrandam ad Basilicam Principis Apostolorum concursûs non meminerunt.

Mirum Videri non debet, quod tam infirmis innixa depositionibus relatio, ut *fida* per Pontificem relata fuerit, cùm aliunde constet, hunc Pontificem Bonifacium VIII. sat fuisse facilem, ut sine discussione vulgi opinionem sequeretur, uti ex Papebrochio supra in Additione ad capitis 1. hujus tit. *num.* 21. notatum est circa Indulgentias Stationarias.

Illud nihilominus notandum, Bonifacium VIII. quidem declarare quod *Antiquorum fida relatio* habeat, quod accedentibus ad Basilicam Principis Apostolorum concessæ sint *magnæ remissiones & indulgentiæ peccatorum*, sed nequaquam declaret num essent *plenariæ*, an verò duntaxat *centum annorum*, de quo nec *Antiquorum* relatio, nec populi tum conveniebat.

Præterea notandum, Bonifacium in hâc Bulla non meminisse Jubilæi *Judaici*, sed primus fuit Clemens VI. qui in Bulla sive Extravagante, quæ incipit *Unigenitus*, hujus Jubilæi Judaïci exemplum adduxit, ut inde occasionem captaret, anno quinquagesimo post datam à Bonifacio hanc Bullam indulgentialem, rursus renovandi atque declarandi (idque ad instantes preces populi Romani) quod hæc *Plenaria* Indulgentia non tantùm de centesimo in centesimum annum recurreret, uti edixerat Bonifacius, sed de quinquagesimo in quinquagesimum. Verba ejus sunt "Nos autem „attendentes quod annus *quinquagesimus* in lege „Mosaïca (quam non venit dominus solvere, sed „spiritaliter adimplere) *Jubilæus* remissionis & „gaudii, sacerque dierum numerus, quo lege fit re„missio, censebatur quodque ipse quinquagena„rius numerus in testamentis, veteri quidem ex le„gis datione novo, ex visibili Spiritûs sancti in dis„cipulos missione, per quem datur peccatorum „remissio, singulariter honoratur: quodque huic „plura & grandia divinarum adoptantur myste„ria Scripturarum, & *clamorem pecularis populi* „*nostri Romani*, videlicet, hoc humiliter suppli„cantis, ac nos adinstar Moysi, & Aaron per pro„prios & solemnes nuntios, ad hoc destinatos spe„cialiter orantis pro toto christiano populo, & di„centis *Domine, aperi eis thesaurum tuum fontem* „*aquæ vivæ*. Desiderantes benigniùs exaudire, „non quidem ut sicut illius Israëlitici populi indu„rati cesset murmuratio, sed ut istius prædicti po„puli & cunctorum fidelium augeatur devotio, fi„des splendeat, spes vigeat, charitas vehementius „incalescat: volentesque quam plurimos hujusmo„di indulgentiæ fore participes, cùm pauci multo„rum respectu propter vitæ hominum brevitatem „valeant ad annum centesimum pervenire, de Fra„trum nostrorum consilio prædictam concessio„nem Indulgentiæ ex supra scriptis, & aliis justis „causis ad annum quinquagesimum duximus re„ducendum.

Non mirum sane populum Romanum tam instanter apud Pontificem institisse, ut terminus hic ad quinquagesimum annum contraheretur, cùm non ignoraret quantus fuisset ob hanc evulgatam Indulgentiam per Bonifacium VIII ad urbē concursus, quantaque ejus occasione pecuniæ moles Romanis obvenisset, non dubitans quin idem contigerit per hanc Indulgentiæ publicationem.

Præterea quia Clemens VI. in hac Extravagante in motivum hujus contractionis assumpsit Jubilæum de quinquagesimo in quinquagesimum annum recurrens admodum verisimile est, demum ab edita hac Extravagante, huic indulgentiali formulæ nomen Jubilæi adhæsisse.

Ad Numerum VII.

Notandum istius thesauri de quo in textu, & cujus meminit Clemens VI. in *Extravagante Unigenitus*, nullam mentionem occurrere ante sæculum XII. in ordine ad valorem & effectum Indulgentiarum: à pluribus enim observatum est quod circa hoc tempus invalescente Theologiâ Scholasticâ, cœperit inter Theologos disputari & inquiri unde petendus esset *Indulgentiarum* effectus; quodque hac occasione hujus thesauri meminerint & eum impenderint, ut adstruerent Indulgentiarum valorem, atque inter cæteros Alexander de Hales & Albertus Magnus. *De thesauro indulgentiali nihil certi ex Antiquitate habetur.*

Quapropter meritò observat Veronius in sua *Regula fidei*, quidquid de hoc thesauro ejusve applicatione ad effectum Indulgentiarum passim asseritur ad fidei dogma non spectare, quandoquidem nihil fidei certitudinem attingere possit, nisi à Deo fuerit revelatum, idque constet vel Dei verbo scripto vel non scripto ex Traditione Apostolica ad nos transmisso.

Ad Numerum VIII.

In textu notatum est quod Clemens VI. in sua Extravagante postquam asseruit conformiter ad quorundam Theologorum Scholasticorum tunc invalescentem opinionem fructum sive effectum Indulgentiarum petendum esse ex applicatione *thesauri* constantis ex meritis Christi subjunxerit, quod Christus hunc thesaurum per beatum Petrum cœli clavigerum, ejusque successores suos in terris Vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum. *Primitus Episcopis relicta integra Indulgentiarum concessio.*

Verum

Verùm, quemadmodum ante sæculum undecimum vel duodecimū nullam invenimus factam mentionem de applicatione hujus *thesauri* ad effectum seu fructum indulgentiarum, ita nec reperitur apud veteres ulla mentio de hujus *thesauri* dispensatione specialiter à Christo commissa beato Petro, ejusque Successoribus Romanis Pontificibus ejus in terris Vicariis.

Sed hæc opinio demum verisimiliter invaluit, postquam invaluit opinio, notanter in Curia Romana de *plenitudine* potestatis & Jurisdictionis in Romano Pontifice. de qua in hoc Supplemento tum parte 1. tit. 19. cap. 5. tum part. 2. tit. 6. cap. 5. latiùs actum est.

Et quantum ad hanc materiam indulgentiarum, illud certum est usque ad sæculum XIII. plenam fuisse penes Episcopos concedendi indulgentias authoritatem. ac demum per Innocentium III. factam restrictionem, uti notatum est supra cap. 2.

Præterea & hoc negari nequit, quin *Indulgentiarum* sive remissionum concessio potiùs Episcopis in suis respectivè Diœcesibus dispensanda conveniret, quàm per Romanum Pontificem, dum hæ indulgentiæ, seu remissiones fiebant ad præscriptum Canonum Nicænorum, Ancyranorum, aliorumque, quemadmodum per novem & amplius sæcula facta fuit, ut in cap. 1. in textu notatum est.

Cùm enim vix possibile sit ut Romanus Pontifex, tum de facti seu criminis qualitate, necnon vitâ & conditione peccatoris sive pœnitentis in remotis partibus agentis, ritè ac plenè sit informatus, satius visum est, modum pœnitentiæ pro gravitate criminis determinandum, necnon ejusdem mitigationem vel condonationem seu indulgentiam Episcopis respectu suorum respectivè subditorum relinquere.

Id & sæculo VI. vidit & judicavit Vigilius Papa. Hic consultus à Theoberto Galliarum Rege, cujusmodi pœnitentiâ illius possit purgari delictum, qui cum uxore fratris sui illicitum præsumpsit inire conjugium? Scripsit Vigilius ad S. Cæsarium Episcopum Arelatensem his verbis: "Charitas tua, totius facti qualitate, ac pœnitentis ipsius compunctione perspectâ, prædictum gloriosum Regem filium nostrum, de temporis observatione non omittat instruere, & ne ulteriùs tale aliquid præsumatur, instanter exposcat.

Rationem hujus commissionis hanc permittit Pontifex: "Quia (sicut charitatem tuam benè nôsse confidimus) modus pœnitentiæ *præsentium* potiùs Sacerdotum inspectioni committitur, ut *juxta compunctionis meritum venia quoque possit indulgeri remedium*, tuæ hoc potiùs æstimationi credimus relinquendum.

TITULUS VIII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

CAPUT II.

Ad Numerum XXVIII.

Utrum conveniat, Extremam Unctionem dari ante Viaticum.

IN textu observatum fuit, Sacramentum Extremæ Unctionis per quatuordecim circiter sæcula in omnibus passim Ecclesiis, etiam Latinis datum fuisse *ante Viaticum*, sive sanctam Eucharistiam: at demum ordinem illum sæculo 15. mutari cœptum, ac tandem etiam in Ritualibus & Libris Ecclesiasticis præscriptum ordinem dandi hoc Sacramentum post administratum Viaticum.

Vix dubium, quin Episcopi eorumque Ministri, qui hisce Libris Manualibus & Ritualibus concinnandis impensi fuere, potiùs præ oculis habuerint & secuti sint vulgatem illam opinionem, quæ tum invaluerat, scilicet, quòd Sacramentum *Unctionis in extremis* duntaxat esset conferendum, quasi *extrema Unctio*, non satis attendentes, non dici *extremam* Unctionem quasi in *extremis*, aut ut *extremum* Sacramentum esset conferendum, sed quia inter Unctiones est *extrema*, quâ homo Christianus inungitur.

Interim non dubium quin pristina Ecclesiæ disciplina administrandi hoc Sacramentum ante Viaticum videretur congruentior primariæ rationi instituti hujus Sacramenti, quæ est abstergere reliquias peccatorum, puriorem que reddere infirmum ad sumendum Viaticum.

Optandum esset, ut tales revidendis similibus Libris adhiberentur, qui veterem Patrum disciplinam, & veram Rituum ac cæremoniarum rationem, & originem perspectam haberent.

Nec enim dubium, quin ex horum ignorantia in pluribus à pristina & meliori Patrum disciplina sit recessum, plurimaque in ritus & cæremonias irrepserint, quæ parum aut nihil ad devotionem Populi excitandam, vel ad majorem erga res sacras venerationem conciliandam conferant: imò ipsos ritus ac cæremonias, spectatâ modernâ Ecclesiæ disciplinâ, ita obscurârunt, ut vix quid per eas intendat Ecclesia, intelligi queat; atque ad sensus mysticos à cujusque judicio pendentes sit recurrendum.

CAPUT III.

Ad Numerum XXV.

Vetus forma circa administrationem Extremæ Unctionis

EDMUNDUS MARTENE, Monachus Benedictinus è Congregatione S. Mauri *tom.* 3. de Ritibus Ecclesiasticis cap. 15. *Ordine* 13 profert Ritum vel ordinem inungendi Monachos infirmos ex Codice manuscripto Audœni Rhotomagensis, annorum (ut ipse putat) circiter 400.

Ex hoc Ordine habetur, quòd inunctio partium seu membrorum sub eadem penè formula verborum fieret, quæ hodie usitata est; sed illud speciale occurrit, quod ad singulas membrorum unctiones decantaretur Antiphona cum Psalmo.

Præterea ex eodem Ordine patet, quòd eâ ætate ad huc ipsa Unctio *præmitteretur Viatico*.

Post datum autem Viaticum seu sacram Communionem dicitur in eodem Ordine: "Offertur ei Crux ad adorandū & osculandum; deinde osculatur eam Sacerdos, & reliqui omnes per Ordinē ad quam osculationem quisque Fratrum petit ei duas

„ei duas venias, alteram quidem ante osculum, „alteram verò post.

Itaque si huic Codici fides sit, notus fuit Ritus offerendi Crucem osculandam infirmo, etiam eo tempore, quo sacra Unctio præmittebatur Viatico.

Cùm verò nulla fiat in illo Ordine mentio porrectionis *cerei*, verisimile est, hunc Ritum esse recentiorem, saltem in aliquibus Ecclesiis.

TITULUS IX.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT II.

Ad Numerum XXXVIII.

Plurima incommoda oriuntur ex Privilegiis contra sanctos Canones indultis.

EX Declaratione Cardinalium per Clementem VIII. probatâ, necnon Constitutione Pii V. per Gregorium XIII. revocatâ, sive ad terminos Conc. Tridentini reductâ (de qua n. 36. & 37.) intelligitur, *Romanos* Pontifices existimâsse, sibi esse jus concedendi Privilegia sive indulta Regularibus, aliisque quibuscunque Episcoporum subditis à quocunque Episcopo suscipiendi sacros Ordines, etiam sine licentia aut prævio examine proprii Episcopi; idque indubiè ex eadem illa *plenitudine potestatis*, vigore cujus sibi jus esse existimârunt mittendi Concionatores & Confessarios per omnes Ecclesias sine licentia Ordinariorum, uti supra ad tit. 6. cap. 5. n. 10. notatum fuit.

Similiter Privilegia sive indulta suscipiendi ab alieno Episcopo sacros Ordines sine licentia aut examine Ordinarii, de quibus *Sessione* 23. *cap.* 8. Concilii Tridentini *de Reformatione* his verbis: *etiam cujusvis generalis aut specialis Rescripti, vel Privilegii prætextu*, huic plenitudini potestatis innitebantur.

Verum quidem est, quòd Concilium Trident. & etiam nonnulli Pontifices circa similia Privilegia & rescripta voluerint & præceperint, quandam moderationem adhiberi; at experientia sat docuit, abusibus & confusioni Ordinis Hierarchici per hanc præscriptam moderationem non sat potuisse mederi: nec unquam efficaciter medendum, nisi his & similibus Privilegiis omninò revocatis & annullatis, jus commune & sacrorum Canonum pristina disciplina per novem ut minùs sæcula sanctissimè conservata postliminio revocetur, ipseque Ordo Hierarchicus integer & cum debita subordinatione conservetur.

CAPUT IV.

Ad Numerum XV.

E Canonicis Graduatis tres ad examen Ordinandorum assumendi.

BUlla erectionis novorum Episcopatuum pro Belgio non obscurè innuit, tres ut minus è Canonicis Cathedralibus, quos *Graduatos* dicimus, unà cum Archidiacono curam examinandi Ordinandos subire debere, uti *n.* 13. notatum est; dicit enim Bulla: "Ex senioribus præfatis „Canonicis duo in Theologia, & unus in jure „Canonico Graduati, unà cum Archidiacono „curam habeant examinandi promovendos ad „sacros Ordines, & admittendos ad curam animarum, quacunque illi authoritate provisi „fuerint.

Porrò Synodus Tridentina deferens Episcopis electionem Examinatorum ad sacros Ordines promovendorum, huic Statuto nequaquam derogâsse censetur: quandoquidem certum sit generale Decretum, quale est hoc Decretum Concilii Tridentini, non derogare specialibus Statutis, præsertim in limine fundationis expressis, cujus generis est Statutum, prædictos Canonicos Graduatos ad examen Ordinandorum vocans, utpote in ipsa erectione seu fundatione novorum Episcopatuum expressum.

CAPUT V.

Ad Numerum VI. VII. & IX.

Hodierna disciplina circa Ordines Minores plurimum à pristina discrepans, & unde hæc discrepantia?

IN textu notatum est, pristinis Ecclesiæ sæculis nequaquam creditum fuisse, Ordines Minores esse præmittendos Ordinibus sacris, quasi ex defectu illorum timenda esset horum invaliditas, vel ne qui uno illorum omisso ad sacros Ordines ascendisset *per saltum*, censeretur promotus, atque eo titulo *irregularis*, uti hodie existimatur.

Quo autem tempore hodierna hæc opinio de necessitate præmittendi *omnes* quatuor Minores Ordines susceptioni sacrorum Ordinum invaluerit, & quæ ejus inducendæ fuerit occasio vel fundamentum, non omninò constat.

Illud admodum verisimile est, multum ad eam persuasionem contulisse Epistolam Decretalem ab Isidoro vulgò *mercatore* confictam, & Cajo Papæ suppositam, quæ extat integra tom. 1. Conciliorum General. *colum.* 925. ubi in margine notat Labbæus: *Supposita ab Isidoro Mercatore.*

In hac ficta Decretali sub nomine dicti Pontificis, *ab omnibus servari mandatur, ut Ordines Ecclesiasticos sic ascendant, in Ecclesia, qui ordinari merentur, id est, si quis Episcopus esse meretur, sit primò Ostiarius, deinde Lector, &c.*

Hoc fragmentum sub nomine Caji Papæ Decreto Gratiani insertum *Distinct.* 77. *Can.* 1. tanquam authenticum passim receptum fuit, creditumque, quod etiam à primis Ecclesiæ sæculis, Ordines omnes, etiam Minores, reliquis essent præmittendi.

Quin & sensim authoritate hujus Decretalis creditum fuit, superiorum Ordinum validitatem dependere à susceptione inferiorum, etiam Minorum Ordinum: ac tandem constitutum & receptum fuit, quòd promotus ad superiorem Ordinem, omisso vel uno ex Minoribus censeretur promotus *per saltum*, eoque titulo irregularitatem contraxisset.

Hinc indubiè profluxit deploranda hodierna disci-

disciplinæ Ecclesiasticæ circa Minores, imò & sacros Subdiaconatûs & Diaconatûs Ordines collapsio.

Effectum quippe inde est, ut hi Ordines non suscipiantur, ut ad eos promoti functiones eorum obeant, atque per eorum Ordinum exercitia probentur, ac idem probati ad altiores promoveri digni inveniantur, uti ætate Patrum & vigente pristinâ disciplinâ fieri consueverat, sed duntaxat, ut quasi quidam ritus ad validitatem Presbyteratûs aut Episcopatûs spectantes.

Idipsum circa alia plurima disciplinæ puncta, & opiniones à Canonistis & Theologis communiter hodie receptas occasione fictarum Decretalium contigisse, in decursu hujus operis notatum est.

Cæterum quatuor Minores Ordines ex Christi instituto non requiri pro integritate aut validitate Superioris Ordinis indubitatum est: quandoquidem pluribus sæculis non omnes hi Ordines noti fuerint in Ecclesia Latina, nec etiam hodiè sint in Ecclesia Græca.

Quod igitur in textu *num.* 9. observatum est, quòd Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 14. *de Reformat.* permittens Episcopis dispensare cum promoto *per saltum*, modò in Ordine suscepto non ministraverit, loquatur etiam de promoto, vel uno Minore Ordine omisso; quòdque hic Ordo omissus supplendus sit, dicendum est Synodum in hoc processisse conformiter ad opinionem, & praxim eo tempore in Ecclesia Latina receptam.

Ad Numerum XVIII.

Soli Pontifici extra tempora præfinita hodie licet Ordines conferre, quod olim omnibus licuit Episcopis.

In textu notatum est, quòd juxta Decretales relatas in *cap.* 2. & 3. *x. de temp. Ordinat.* nulli Episcoporum licitum sit extra quatuor tempora & Sabbatum ante Dominicam Passionis & Vigiliam Paschatis sacros Ordines conferre *excepto Romano Pontifice.*

Verùm notandum has Decretales esse Alexandri III. qui sedit sub medium sæculi XII. quando Pontifices plurima sibi reservare cœperunt, quæ prioribus sæculis, præsertim ante invectas falsas Decretales, & receptum Gratiani Decretum omnibus Episcopis erant communia, ut iis pro utilitate vel necessitate suarum respectivè Ecclesiarum uterentur.

Optandum esset, ut per has similésque reservationes labentibus sæculis inductas canonicæ disciplinæ firmata esset observantia, & rarior ab ea recessus haberetur, ut omnibus appareret has reservationes esse inductas, ut Canonum fidelior haberetur custodia, & rarior eorum relaxatio.

CAPUT VI.

Ad Numerum III.

Conveniens esset, ut in usum revocaretur disciplina Can. VI. Concilii Chalcedonensis expressa.

IN textu notavimus, quòd vigente pristinâ Patrum disciplinâ per Synodum Chalcedonensem probatâ, nullus ordinaretur nisi in ipsa Ordination certæ Ecclesiæ intitularetur, sive adscriberetur, ut eidem Ecclesiæ tanquam minister deserviret: ac per consequens & ex proventibus ejusdem Ecclesiæ tanquam Operarius vitæ necessaria acciperet.

Hâc proinde vigente disciplinâ, nulla erat quæstio de titulo, sive Ecclesiastico, sive Patrimoniali, è quo Ordinandus honestam sustentationem vitæ haberet, illáque omnia juramenta, quæ Ordinandos frequenter periculo perjurii exponunt aliæque circa titulos Ordinationis exorientes difficultates [de quibus in textu] fuerunt ignota.

Proinde vel hoc motivo Episcopi meritò allaborarent, ut pristina illa Patrum disciplina in usum revocaretur; quod & menti Patrum Concilii Tridentini conforme videtur, dum statuerunt *Sess.* 23. *cap.* 16. *de Reformat.* "Vestigiis *Canonis VI. Concilii Chalcedonensis* inhærendo, ut „nullus imposterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, „aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate „assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur „muneribus.

Ad Numerum XLIII.

Unde contingat Episcopos plus solicitos de titulo ordinandi, quàm de ejus idoneitate?

Fagnanus in textu citatus probat, quòd Episcopus, qui sine titulo ordinavit, non tantùm ad alimenta Ordinando præstanda teneatur, sed & ejus successor: quin & subindè ejus hæredes ad ea subministranda urgeri possint.

Quidni & inde contingere dicamus, quòd quidam Episcopi admodum soleant esse soliciti & anxii de titulo Ordinationis ejúsque sufficientiâ, ut scilicet se, suósque hæredes ab hac obligatione, ejúsve periculo eximant securósque reddant, quos interim parum solicitos & anxios videmus circa mores & doctrinam, aliásque qualitates Ordinandorum.

TITULUS X.

De Irregularitate, ejusque speciebus.

CAPUT I.

Ad Numerum I.

Plura circa irregularitatem posterior ætas induxit.

QUod in textu observatum est, vocem *Irregularitas*, prout significat impedimentum Canonicum, impediens Ordinum susceptionem, vel eorum jam susceptorum exercitium, in sacris Canonibus non occurrere notavit quoque Emmanuel Gonzales in Commentario ad *Capitulum* 4. *x. de Clericis Excomm. minist. n.* 5. Quin & monet, eam in hac significatione à nullo Pontifice fuisse usurpatam ante Innocentium III.

Quidquid sit, de Epocha usurpatæ hujus vocis *irregularitas*, illud admodum verisimile est, circa tempora Innocentii III. demùm invaluisse, quæ modernam disciplinam in materia irregularitatis constituunt; & inter quæ nonnulla sunt à pristina Patrum disciplina dissona: uti in textu sæpiùs fuit notatum.

Nec id mirum videri debet: certum enim est, circa sæculū XII. & XIII. post evulgatum Decretū Gratiani in multis circa sacros Ordines & Ministrorum electionem, necnon eorum qualitates, à pristina Patrum disciplina sensim recessum esse, multa-

multáque introducta, & hodie esse recepta, notanter à tempore Alexandri III. & Innocentii III. quæ pristina Patrum ætas ignoraverat; ac signanter in hac materia irregularitatis.

Ad Numerum VIII.

An in dubio contracta censeatur irregularitas?

Quod in textu ex communi Canonistarum opinione notatum fuit, irregularitatem non censeri inductam, nisi in casibus *in jure expressis*, intelligi debet de casu, quo non constat, utrum delictum, vel defectus juxta modernam disciplinam habeat annexam irregularitatem, quo casu si non ostendatur, jure positivo huic delicto vel defectui irregularitas annexa, non debet se pro irregulari gerere, neque ut talis reputari. Si autem constet alicui delicto vel defectui irregularitatem esse annexam, sed *dubium* sit, num quis simile delictum admiserit, eo casu propter *dubium* contractæ irregularitatis, tenetur se pro irregulari gerere, atque ab Ordinum susceptione, vel eorum functione, stante hoc dubio abstinere: atque de hoc casu intelligi debere responsum Pontificis in cap. 12. de Homicidio, & in *cap. 5. de Cler. Excomm. minist.* asserit Franciscus de Roye in *instit. juris Canon. lib. 3. cap. 16.*

Porrò rationem suæ decisionis allegat Pontifex: *Quia in dubio oportet sequi partem tutiorem.*

Aliam insuper rationem conciliandi prædictos textus ex Fagnano adduxi infrà *cap. 7. num. 22. & 23.* ibidémque ex eodem Authore notatum est, quàm turpiter à regula in citatis Decretalibus assumpta & probata ab Innocentio III. recesserint quidam Casuistæ, ut suam de Probabilismo opinionem tuerentur contra evidentem à Pontificibus expressam regulam; quòd *in dubiis semita sit tutior eligenda.*

Pro intellectu hujus regulæ, videri quoque possent, quæ conformiter ad reflexiones Prosperi Fagnani notavi, & exposui in dissertatione ad hanc regulam: *in dubiis semita tutior est eligenda*, quæ integra habetur inter Opuscula *pag.* 439. Editionis Lovaniensis *anno* 1700.

CAPUT II.

Ad Numerum XXVIII.

An faciliùs cum lapso in crimen carnis, quàm cum vero Bigamo sit dispensandum?

IN textu notatum est, Episcopum posse dispensare in promovendo ad sacros Ordines cum lapso in crimen carnis, non autem cum vero Bigamo: tametsi indubitatum sit, magis inordinatum esse, ad sacros Ordines promoveri prolapsum in crimen carnis, quàm eum, qui successivè duxit duas uxores.

Insuper ibidem adducta fuit ratio hujus disciplinæ ex Fagnano, quòd scilicet criminosus post peractam pœnitentiam restitutus videtur in pristinum statum, & incipit esse, quod non fuit: & ideò cum talibus dispensatur: sed Bigamus non prohibetur promoveri propter crimen, sed propter Sacramentum amplius restitui non potest per aliquam satisfactionem cùm non sit crimen.

Verum num hæc ratio sat fundata sit, si verus sensus Apostoli attendatur, non sine fundamento ambigitur.

Uti enim in textu probatum est, Apostolus, dum dixit: Episcopus eligatur *unius uxoris vir*, intendit, ut omnis vel levis incontinentiæ suspicio ab eo, qui ordinandus esset in Episcopum, abesset.

Quis verò dubitet, hanc incontinentiæ suspicionem, majorem esse in eo, qui publicè in crimen carnis est prolapsus, quàm qui duas successivè uxores duxit: atque faciliùs suspicionem incontinentiæ purgandam in simili Bigamo, quàm in hujusmodi prolapso.

Hinc admodum verisimile est, pristinos Patres, præsertim Græcos, potius dispensaturos fuisse cum Bigamo, quàm cum simili criminoso, sive in crimen carnis prolapso. Interim illud indubitatum mentem Ecclesiæ esse, ut Ordinandus ab omni incontinentiæ suspicione sit liber.

Ad Numerum XXXI.

Quid sit Bigamia similitudinaria, & unde dicta?

Bigamia similitudinaria, de qua in textu, nomen suum mutuavit à similitudine quâdam intercedente inter matrimonium carnale, & matrimonium spirituale, quod per solemnis voti professionem contrahi dicitur inter virginem voventem se Christo, & ipsum Christum; atque ita attentans matrimonium carnale cum simili virginitatis voto obstrictâ, videtur matrimonium attentare cum ea, quæ spiritualiter Christo nupserat: & si ipsi Monachi vel Presbyteri voto solemni obstricti cum virgine matrimonium carnale attentarent, iterare nuptias quodammodo viderentur; ideòque quâdam similitudine deductâ, à carnali matrimonio, Bigami similitudinarii dicti fuêre.

Hanc Bigamiam similitudinariam Canonistæ desumpsisse videntur ex *Canone 24. caus. 27. quæst.* 1. ubi refertur Canon 18. Synodi Ancyranæ ex versione Isidori, dicitúrque, quotquot virginitatem pollicitam prævaricatæ sunt, professione contemptâ, inter Bigamos, id est, qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debebunt.

Unde & notat Glossa, quòd repellantur ab Ordine sicut Bigami.

Verùm meritò dubitari potest, utrùm Patres Synodi Ancyranæ hoc Canone intenderint, voventes, & suum votum violantes quasi Bigamos, ad effectum irregularitatis haberi.

Si enim Canonis verba juxta temporis illius disciplinam expendantur, verisimiliùs apparebit similes voventes ad classes Bigamorum rejici, in ordine vel pœnitentiam subeundam per Canones veris Bigamis, sive nuptias iterantibus injunctam; quod & apertè indicat versio Græcorum hujus Canonis [cui congruit versio Gentiani Herveti] quæ habet: "*Quicunque virginitatem* „*profitentes professionem suam irritam reddunt;* „*ii Bigamorum definitionem impleant.* Quibus „verbis non aliud significari videtur, quàm quod „similes votifragi teneantur definitionem, sive „tempus pœnitentiæ definitum, & Bigamis præ„fixum adimplere.

Hinc Theodorus Balsamon in Commentario Canonum hujus Synodi, ita hunc Canonem interpretatur: "Eos, qui suam Deo professionem, „votúmque de virginitate servanda irritum red„dunt, Patres Bigamorum definitioni, hoc est, „pœnæ subjiciunt.

In eundem sensum hunc Canonem commentatus est Zonaras; additque: "Definitionis „enim nomine Canones, & Constitutionem in„telligit, ut quæcunque nimirum de Bigamis „constituta, ac decreta sunt, ab iis quoque ser„ventur, ac nonnisi lapso demum anno admit„tantur.

Hæc igitur similitudinaria Bigamia, potiùs ex inter-

interpretatione Canonistarum, quàm ex genuino Canonis sensu originem suam habere videtur, utpote qui ad sui temporis disciplinam respicientes, solam irregularitatem, non autem pœnitentiam Bigamis inflictam noverant, ac proinde reputabant votifragos, dum ad classem Bigamorum rejectos videbant, non in ordine ad pœnitentiam, sed in ordine ad contrahendam irregularitatem Bigamorum Bigamis comparari.

Unde, & non mirum apud veteres, nullam hujus Bigamiæ similitudinariæ mentionem fieri.

CAPUT IV.

Ad Numerum XVI.

An testes in causa sanguinis fiant irregulares?

IN textu notatum est, ex communi Canonistarum opinione credi, Clericos non posse citra periculum incurrendæ irregularitatis esse testes in causa sanguinis: tametsi per judicem cogerentur testimonium dicere.

Verùm plures, notanter ex Pragmaticis, ac inter alios Du-Casse in sua Praxi Jurisdictionali *tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 5. testes deponentes in causa sanguinis non fieri irregulares sustinet; creditque id non tantùm procedere ex particulari consuetudine regni Galliæ; sed nec de jure hanc testium irregularitatem fundatam.

Ulterius ibidem asserit ex recepta regni Galliæ consuetudine observari, Clericos posse compelli, etiam coram Judice Laico testimonium ferre in causa sanguinis; quantumvis fateatur id contrarium variis Canonibus apud Gratianum relatis, quos non observari in regno Galliæ asserit: additque in eodem regno neminem reputari pro proximo influente in mortem reorum, nisi Judicem, partemque criminalem, sive Officiarium publicum criminaliter agentem, & executorem sententiæ criminalis.

Conformiter ad hanc regni Galliæ praxim, asserit. *tom.* 2. *cap.* 8. §. 3. Officialem posse expedire Monitoriales, quibus cogantur testes etiam deponere in causa criminali; neque Officialem effici irregularem, licet ex depositione testium mors sequatur.

Praxi regni Galliæ, saltem quoad testes, ut nimirum Ecclesiastici teneantur, etiam in causa sanguinis, coram Judice Laico testimonium perhibere, citra metum incurrendæ irregularitatis, praxim Belgicam, ac notanter in comitatu Flandriæ, conformem esse, pluribus probatur in Arresto sexagesimo nono inter Arresta collecta per Dominum Laury.

Et sanè, quia hæc, aliæque plures irregularitates jure duntaxat positivo, aut interdum etiam consuetudine sensim sunt inductæ, nihil obstat, quin & contrariâ consuetudine possint abrogari vel restringi; notanter dum nimia irregularitatis extensio justitiæ complemento, & publicæ tranquillitati conservandæ obstaculum esset, prout in hac specie irregularitatis facilè contingeret, si ob periculum irregularitatis Clerici testes esse non possent.

Ad Numerum XIX.

Dictum est in textu, quòd Ecclesiasticus denuntians reum criminis, debeat *protestari* se non intendere mortem denuntiati.

Varia circa irregularitatem ob concursum in causa sanguinis consuetudine abolita.

Verùm rectè monet Du-Casse Archidiaconus, & Officialis Condomensis in sua Praxi Jurisdictionali, *tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 5. protestationem illam in Regno Galliæ esse inutilem, eò quòd ad solos Officiarios publicos pertineat agere ad vindictam publicam, seu sanguinis: privati verò tantum possint agere civiliter, ad suum interesse, quæ ratio etiam obtinet in Belgio, aliisque passim Provinciis.

Scitur enim, quòd non tantùm in Gallia, sed passim ubique receptum sit, solum Officiarium *publicum* posse *criminaliter* ad vindictam publicam agere: privatos verò duxtaxat pro suo privato interesse.

Unde videtur, quòd dici queat hanc protestationem hodie & in Belgio inutilem reputandam, præsertim cùm certum sit, eam protestationis formulam, de qua in textu, posterioribus sæculis inductam fuisse, unà cum pluribus aliis, quæ Theologi Scholastici, necnon recentiores Canonistæ Decretalibus scrupulosiùs inhærentes in hac materia irregularitatum contra veterem Patrum disciplinam induxerunt.

CAPUT V.

Ad Numerum XVIII.

Dispensatio super irregularitate, sive defectu corporis.

OBservatum fuit in textu ex Pyrro Corrado de stylo Curiæ Romanæ, dispensationis literas super defectu corporis, semper dirigi ad Episcopum ejus, qui defectum patitur, ut ipse *per seipsum* defectum inspiciat, & de eo judicet: & si eo inspecto judicet, non esse talem, ut offensionem notabilem in populo sit parturus, aut impedimentum in Ordinis exercitio, tunc Authoritate Apostolicâ ipse dispenset.

Verùm indubitatum apparet, quòd Episcopus, etiam nullo impetrato à Romana Curia Rescripto, judicare possit, utrum defectus corporis talis sit, qui vel scandalum generaret in populo, vel obeundis functionibus sacrorum Ordinum impedimentum præstet.

Scitur enim non omnem defectum corporis parere irregularitatem, sed eum duntaxat, qui vel executionem Ordinis omninò impedit, vel saltem sine scandalo exequi non patitur.

Dum igitur Judicio Ordinarii constiterit, quòd defectus corporis talis non sit, non videtur, quo ex capite exigeretur, ulterior dispensatio, præsertim cum obtenta dispensatione, nihilominus ipsius Ordinarii judicio deferatur, num defectus sit talis, qui executionem Ordinum impediat, aut scandalum parere posset.

CAPUT VI.

Ad Numerum XVIII.

Quandonam censeatur Occultum, ut

IN textu diximus verisimiliùs videri, quòd crimen non videatur *occultum*, ut super eo dispensare queat Episcopus ex Decreto Concilii Tridentini, si commissum sit coram duobus vel tribus testibus, per quorum testimonium aliquando in judicio probari posset.

V. Espen. Supp. in Jus Eccl.

Ean-

in eo possit dispensare Episcopus.

Eandem opinionem sequitur, & adstruere nititur Fagnanus *ad cap. vestra. x. de Cohabit. Cleric. & mulierum*: sed eum ex professo refutare nititur Du-Casse in praxi sua Jurisdictionali *tom.* 1, *cap.* 10. §. 2. sustinens, crimen etiam posse esse *occultum*, licet commissum in præsentia duorum vel trium testium, quorum testimonio in judicio probari posset; modò non sit *publicum & notorium*: asseritque eam esse opinionem communem, quam in eo præcipuè fundat, quòd Concilii Tridentini intentio fuerit, restringere authoritatem dispensandi ad crimina *occulta*: quòd indecens & scandalosum crederet, ut Sacerdos, qui *publicè & notoriè* in grave crimen esset prolapsus, permitteretur sacris ministrare: quod scandalum non æquè timendum est, dum crimen est *occultum*, tametsi duobus aut tribus notum esset; qui de eo in judicio deponere possent.

Fatetur quidem dictus Author, esse quasdam sacræ Congregationis declarationes Fagnanani opinioni faventes; sed notat, has declarationes in Gallia vim legis non habere, nec ejus esse ponderis, ut in praxi se illis Episcopi conformare debeant.

Quod de non receptis his Cardinalium declarationibus in Regno Galliæ notavit hic Author, id & de Belgio dici potest: uti enim non semel ex Zypæo, *Consultatione* 1. *de Elect. num.* 6. notavimus, Concilium Tridentinum in Belgio fuit receptum sine respectu ad has declarationes, præsertim quæ ipsam Authoritatem Ordinariorum magis restringere videntur, quàm textus Concilii Tridentini exposcit.

Et sanè re penitùs ponderatâ, verosimilior apparet opinio, quàm contra Fagnanum propugnat D. Du-Casse, præsertim, quòd Episcopis non sit neganda dispensandi authoritas, nisi plenè probetur eam ipsis ademptam.

Ad Numerum XXIII.

De Suspensione ob crimen occultum.

Quod ex Fagnano in textu relatum est, per sanctam Congregationem Cardinalium declaratum fuisse, Episcopum posse in vim decreti Concilii Tridentini, *Sess.* 14. *cap.* 1. *de Reformat.* suspendere Clericum ab Ordinibus susceptis, aut dignitatibus adeptis; eorumve functionibus, ob crimen *occultum* soli Prælato notum; idque etiam *extra judicialiter*, nec Decreto Concilii, nec sanctis Canonibus conforme est.

Imprimis evidens est, ex contextu *cap.* 1. *Sess.* 14. *Concilii Tridentini*, quod Concilium non intenderit determinare, quâ formâ esset procedendum in suspensione ab Ordinibus *susceptis*, aut ab Ordinum susceptorum functionibus, vel muniis Beneficio aut Dignitati annexis: sed duntaxat declarare, quòd dum alicui *ascensus ad sacros Ordines à suo Prælato fuit interdictus*, aut "à suis Ordinibus, seu gradibus vel dignitatibus "Ecclesiasticis fuit suspensus, nullâ contra ipsius "Prælati voluntatem concessâ licentiâ de se pro"moveri faciendo, aut ad potiores Ordines, gra"dum & dignitates, sive honores, restitutio suffra"getur. Supponent hac in causa Prælatum juxta Canones processisse.

Cùm itaque admissio ad sacros Ordines frequenter sit gratiosa, sive dependeat à mero beneplacito ipsius Prælati, non mirum, quòd Concilium in priori parte dicat, dispositionem sui Decreti etiam habere locum, dum ascensus ad sacros Ordines, *quacunque ex causa etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam Judicialiter* alicui interdictus fuit, nimirum eo casu, quo admissio ad sacros Ordines à solo beneplacito Prælati dependet.

In secunda parte, ubi Concilium loquitur de suspensione ab Ordinibus *susceptis*, aut dignitatibus adeptis, vel earum functionibus, ex professo videtur Concilium omisisse prædictas clausulas, *etiam ob occultum crimen, quomodolibet etiam extrajudicialiter*: eò quòd suspendere aliquem ab Ordinibus jam susceptis aut dignitatibus adeptis, vel functionibus hisce annexis, requirat Ordinem judiciarium, non secùs atque omnis alia censura, & consequenter ferri non potest ob crimen *merè occultum*; utpote quod in judicio probari non potest.

Ad Numerum XXV.

In textu observatum fuit, ex resolutione sacræ Congregationis, per Gregorium XIII. probatâ, in Curia Romana stylum invaluisse, quòd si Episcopus aliquem ordinare recusaverit, hic possit querelam de hac recusatione ad Pontificem instituere; quodque ex stylo Curiæ Romanæ committatur Metropolitano, vel viciniori Episcopo, ut ab eodem Ordinario exquirat rationem recusationis, quo causam legitimam non allegante, liceat Metropolitano aut viciniori Episcopo eundem recusatum ordinare.

Licentia se promoveri faciendo.

Num hæc sacræ Congregationis resolutio, & ei innixa Curiæ Romanæ praxis textui & menti Synodi Tridentinæ sat sit conformis, non sine fundamento ambigi potest.

Ac imprimis certum est, quod tempore Synodi Tridentinæ à nullo nisi à Romano Pontifice, & in Curia Romana dari possit *licentia de se promoveri faciendo contra ipsius Prælati voluntatem.*

Igitur cùm Synodus simpliciter & indefinitè decreverit, ut *nulla licentia* contra ipsius Prælati voluntatem de se promoveri faciendo suffragetur, dubitari meritò potest, num Synodus hanc licentiam in Curia Romana obtentam aut obtinendam excludere non voluerit, sive suffragari.

Ad hæc experientia docet, quòd vigilantiores Episcopi frequentiùs per illas licentias *de se promoveri faciendo*, & recursus ad Datariam Romanam, non rarò vexentur, & quodammodo cogantur admittere ad Ordines sacros, quos indignos probè noverunt, eò quòd defectus non sint quidem adeò notorii, ut probari in judicio possint, vel adeò enormes, ut impedimentum canonicum pariant, sed tamen sat graves, ut ob hos meritò à sacris Ordinibus repellantur.

Unde optandum esset, ut Curia Romana similes recursus non admitteret; neque similes licentias expediret; potiusque Episcoporum conscientiæ Ordinationem suorum subditorum consideret, prout Synodus Tridentina optâsse videtur: notanter cùm certum sit, melioribus sæculis hujusmodi recursus fuisse ignotos,

* * * *

TITU-

TITULUS XII.

De Sponsalibus & Matrimonio.

CAPUT V.

Ad Numerum XIX.

Præcautio à Parocho adhibenda, ne dubium oriatur super assistentia matrimonii per vice-Pastorem.

IN textu notatum fuit, Parochum posse sive voce, sive scripto dare licentiam alteri Sacerdoti Matrimonio assistendi. At subinde dubium oriri potest, utrum hæc licentia sufficienter fuerit expressa.

Et inter alios monet Zypæus *Consultatione 2. num. 11. De Officio Ordinarii*, à nonnullis in dubium vocari, utrum sufficienter data sit licentia Sacerdoti assistendi Matrimonio, si Parochus illi dederit facultatem administrandi *omnia* Sacramenta. Ad tollendam hanc ambiguitatem convenit, ut Parochus eam licentiam concedere intendens, *specialem* licentiam assistendi Matrimonio concedat; vel si eam concedere non intendat, etiam idipsum exprimat, dum alteri Sacerdoti curam suæ Parochiæ committit; ut ita tollantur dubia de validitate Matrimonii, quæ ex ambigua delegatione, sive commissione alteri Sacerdoti à Parocho facta, oriri possunt.

TITULUS XIII.

De Impedimentis Matrimonii.

CAPUT I.

Ad Numerum I.

Matrimonium legitimè contractum non dirimitur ob impedimentum dirimens superveniens.

QUod in textu dicitur, Matrimonium contractum cum impedimento dirimente esse nullum, sive impedimenta dirimentia Matrimonium dirimere, intelligi debet de impedimento, quod erat inter desponsatos tempore initi Matrimonii: non autem de impedimento post contractum Matrimonium superveniente.

Indubitatum enim est, impedimentum quantumvis dirimens, post contractum Matrimonium superveniens, nequaquam Matrimonium contractum dirimere.

Legitur quidem, Gregorium II. rescripsisse Bonifacio Episcopo: "Quod proposuisti; si mu-»lier infirmitate correpta non valuerit viro debi-»tum reddere, quid ejus faciat jugalis; Bonum »esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret; »sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non po-»terit continere, *nubat* magis: non tamen subsidii »opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpe-»dit, non detestabilis culpa excludit: Integra epistola extat *tom 6.* Concil. General. *col.* 1448. & citata verba apud Gratianum *causa 32. quæst. 7. can. 18.* sub nomine Gregorii III. sed Jacobus Sirmundus in nota huic Epistolæ subjecta observat, eam non esse Gregorii III. sed Gregorio II. adscribendam.

Fatendum est, Gregorium sive II. sive III. sat apertè resolvisse, ob impedimentum *impotentiæ*, quod mulieri, stante Matrimonio, infirmitate correptæ supervenerat, eatenus Matrimonium dissolvi, ut, si vir ejus se non possit continere, alteri nubere queat.

Idipsum jam pridem notavit Gratianus, qui & propterea ad hunc Canonem monere non dubitavit: *Illud Gregorii sacris Canonibus, imò & Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ penitus invenitur adversum.*

Et antiquus Glossographus ad citatum Canonem Gratiani, verbo *adversum* sibi objiciens, *quod Leo IV. dicta Gregorii minoris* (id est II. vel III.) *sine exceptione mandavit tenenda*, respondet: *sed illud in aliis, in quibus benè dixit*: Evidenter supponens Gregorium in hoc responso *non benè dixisse*.

Hanc Gratiani, atque Glossographi sententiam uno consensu amplexi sunt Theologi & Canonistæ sustinentes, Matrimonium legitimè contractum nequaquam dissolvi ob alterius conjugis impotentiam supervenientem; neque liberum esse alteri conjugi ad alias nuptias, vivente conjuge impotente, transire.

Ex Præfatione hujus Epistolæ Gregorii ad Bonifacium insuper habemus, Bonifacium postulâsse à Gregorio Papa, non quid ipse Gregorius tanquam Doctor particularis de capitulis in Epistola propositis sentiret; *sed qualiter teneat vel doceat hæc sancta Apostolica, Romana Ecclesia.* Præterea ex eadem Præfatione habetur, Gregorium conformiter ad postulationem Bonifacii respondisse: Relato enim prædicto Bonifacii postulato, subjungit: "Benè satis, quia B. Petrus »Apostolus, & Apostolatûs & Episcopatûs »principium extitit: & consulenti de statu Ec-»clesiæ, *non ex nobis, quasi ex nobis, sed ejus »gratia, qui aperit os mutorum, & linguas »infantium facit disertas*, qualiter tenere de-»beas Apostolici vigoris doctrinam, dicimus.

Expendere poterunt Theologi num Gregorius non sit dicendus super capitulis à Bonifacio propositis, *respondisse ex Cathedra*? Præsertim, cùm hic Bonifacius à Gregorio II. missus esset ad convertendos populos, *ubicunque eos reperiret*, uti habetur ex Epistola III. hujus Pontificis: ut proinde, dum sic scripsit ad Bonifacium, scripsisse censeatur ad *universos*, ad quos instruendos Bonifacium miserat; & consequenter voluisse ab universis teneri circa dissolubilitatem Matrimonii ob superveniens impotentiæ impedimentum, quemadmodum tenendum responderat ad Bonifacium.

Ad Numerum XII.

Ex Petro Soto aliisque in textu citatis probatum est, jam pridem authoritatem inducendi impedi-

Utrum olim fuerit & an hodie sit authoritas penes Principes inducendi impedimenta dirimentia matrimonium?

pedimenta *dirimentia* matrimonia fuisse penes Principes sæculares; quod & notavit Christianus Lupus in Dissertatione 1. Proëmiali c.10, præfixa tomo 3. Scholiorum in Canones: "Etenim „(ait) Matrimonium quod, non solùm Christia„num Sacramentum; sed & civilis contractus di„rimentia impedimenta statuere *dudum* sibi ar„rogârunt ac reservârunt Christiani Romano„rum Augusti: posterioribus duntaxat sæculis „Ecclesia fuit nacta istam potestatem: hinc anti„qui Patres & Canones rarò istorum impedi„mentorum, utpote ad suam potestatem non „spectantium, ex professo meminerunt.

Itaque ex sententia hujus Authoris, primaria authoritas inducendi impedimenta dirimentia Matrimonium residet penes ipsos Principes sæculares, utpote ad quorum jurisdictionem ipsum Matrimonium tanquam contractus civilis præcipuè pertineat; ita nonnisi (si huic Authori credimus) authoritatem inducendi similia impedimenta Ecclesiastica posterioribus sæculis nacta videatur.

Quapropter, quod *n.* 17. probatum fuit, Ecclesiam à *primis* sæculis posuisse impedimenta Matrimonii, ex sententia hujus Authoris intelligi debet, de impedimentis duntaxat *impedientibus*, non autem dirimentibus Matrimonium.

Et sanè aliud est, Regulas præscribere fidelibus, juxta quas ipsum Matrimonium oporteat à Christianis honestè & juxta Legem Evangelicam contrahi & aliud est, ipsum contractum civilem *irritum* reddere: vel ea præscribere, quæ eum etiam in foro externo invalidum & sine effectu redderent.

Quis enim ambigat, quin Ecclesia, ejusque Episcopi & Pastores potuerint fidelibus præscribere, eosque instruere, quomodo de rebus suis temporalibus juxta legem justitiæ & charitatis disponere debeant; vel quid justitia & charitas Christiana ab ipsis in hac dispositione requirat, licèt contractus ipsos civiles irritos reddere, aut legem eos dirimentem præscribere nunquam sibi asseruerint Pastores Ecclesiæ; sed id Principibus sæcularibus reliquerint, ad quorum jurisdictionem has rerum temporalium dispositiones propriè spectare sciebant.

In Gallia ministri regii authoritatem inducendi impedimenta *dirimentia* penes Reges semper fuisse, etiamnum hodie esse, acerrimè propugnant tanquam jus coronæ Principis indultè annexum.

Unde cùm quidam Theologus Parisiensis in thesibus vesperiarum, hanc authoritatem negâsse videretur; inserendo hanc propositionem: *Non audiendus quisquis hanc potestatem Ecclesiæ eripit, ut Principibus sæcularibus eam attribuat.*

De hac thesi tanquam Authoritati Regiæ & doctrinæ Ecclesiæ Gallicanæ opposita, querelas ad Parlamentum detulit Procurator Regius; eâque occasione Advocatus Regius amplum discursum pro adstruenda hac Regia Authoritate, coram Regio Parlamento pronuntiavit."

Hic discursus integer unà cum discursu Præsidis Parlamenti insertus habetur in notis Gallicis super Concilio Trid. *pag.* 316. Editionis 1706.

Quidquid sit de hac Gallorum opinione, nequaquam dubitamus, quin Ecclesia habeat authoritatem similia impedimenta inducendi, prout per Concilium Tridentinum definitum est *Canone 4. de Sacramento Matrimonii.*

Sed & hoc fatendum est, Concilium non definivisse, utrum ex *Christi* institutione, vel utrum ex *Principum* indulgentia tacita vel expressa, hæc authoritas inducendi impedimenta dirimentia Ecclesiæ competat: quod postremum post Petrum Soto in textu num. 12. relatum credidisse videtur Christianus Lupus in verbis in nota præcedenti præscriptis.

CAPUT III.
Ad Numerum IX.

Error Gratiani invertit disciplinam circa impedimentum conditionis servilis.

IN textu notatum est, pluribus sæculis Ecclesiam, conformiter ad Leges civiles, Matrimonia *servi* cum ingenua, aut *ingenui* cum serva reputâsse irrita, licèt error *conditionis servilis* nullus intervenisset: at circa sæculum XII. impedimentum hoc cœpisse refundi in *errorem conditionis servilis.*

Huic mutationi disciplinæ occasionem dedit Apocryphum Decretum, quod sub nomine Lucii Papæ retulit Gratianus *causa* 29. *quæst.* 2. *can.* 1.

Hoc enim Decreto æquè indissolubile pronuntiatur Matrimonium servorum, ac ingenuorum: quod Decretum conciliare volens Gratianus cum aliis, quæ ejusmodi Matrimonia irrita supponebant, distinctionem adhibuit inter *scienter & ignoranter* cum personis servilis conditionis contrahentes.

Hac Gratiani Authoritate permoti Pontifices, eâ distinctione in suis responsis passim usi fuêre: quæ postmodum in Decretales Gregorii IX. relata, Canonistas, necnon Theologos Scholasticos permoverunt eâdem distinctione uti atque ita sensim hæc distinctio recepta fuit.

Ex hoc intelligitur, quantæ authoritatis fuerit decretum Gratiani; ut per distinctionem ab ipso primùm propositam, tandem impedimentum dirimens inter personas conditionis servilis, etiam *invitis* dominis per leges civiles primitùs inductum, & tandem etiam ab Ecclesia probatum & receptum fuerit restrictum ad casum, quo circa conditionem servilem *error* intervenisse probatur.

CAPUT IV.
Ad Numerum VII.

Distinctio inter votum solemne & simplex quoad effectum dirimendi matrimonium occasione Decreti Gratiani videtur recepta.

IN textu observatum est, primitùs non fuisse reputata *irrita* Matrimonia contracta post emissum votum castitatis, etiam à Monachis; creditque non sine fundamento Basilius Pontius de Matrimonio *lib* 7. *c.* 17. nullum Canonem declarâsse Matrimonium *irritum* à Monacho aut Moniali initum post votum Religionis emissum ante Canonem 7. Concilii Romani sub Innocentio II. anno 1139. relatum apud Gratianum *causa* 27. *quæst.* 1. *can.* 40. in quo decernitur: "Quatenus Canonici Regulares, Monachi, atque con„versi professi, qui sanctum transgredientes pro„positum, uxores sibi copulare præsumpserint, „separentur hujusmodi namque copulationem, „quam contra Ecclesiasticam regulam constat „esse contractam, *matrimonium* non esse cense„mus: qui etiam ab invicem separati, pro tan„tis excessibus condignam pœnitentiam agant. „Id ipsum quoque sanctimonialibus fœminis, si „(quod absit) nubere attentârint, observari de„cernimus.

Porrò, quia præsens Canon nullitatê matrimonii nequaquam refundit in voti *solemnitatem*, sed in hoc, quod hujusmodi copulationem, sive conjunctionem contra *Ecclesiasticam regulam* con

stat

constat esse contractum, dubitari posset, num eo adhuc tempore ab Ecclesia Romana distinctio inter votum *solemne*, & *simplex* castitatis ad effectum dirimendi matrimonium recepta fuerit.

Hoc interim constat, quod Gratianus, qui aliquot annis post hunc editum Canonem, Decretum suum compilavit, eam inter votum *solemne* & votum *simplex*, quoad effectum dirimendi matrimonium adhibuerit; idque ut textum sancti Augustini desumptum ex libro de *Bono viduitatis*, qui matrimonia à voventibus contracta valida esse declarat, cum præsente Canone Concilii Romani conciliaret.

Relato enim hoc Canone & textu sancti Augustini, pro utriusque conciliatione remittit Lectorem *ad distinctionem* 27. sui decreti, ubi ad calcem *Canonis* 8. hanc inter solemniter & simpliciter voventes differentiam adhibendam esse monuerat.

CAPUT V.

Ad Numerum XII.

Utrum Epistola S. Gregorii ad Augustinum sit genuinus ejus fœtus?

MOnuimus in textu Petrum Gussanvilleum in notis ad Epistolam sancti Gregorii, de qua in textu, notasse, eam videri sancto Gregorio indignam, at postmodum deprehendi, quod eruditi Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri in accurata Editione Operum sancti Gregorii, hanc Epistolam sancto Gregorio vindicent, creduntque rationes à Gussanvilleo in contrarium adductas, leviores esse, quàm ut vel dubiam reddant Epistolam sancti Gregorii ad Augustinum. Lector rationes utrimque adductas poterit expendere.

CAPUT VI.

Ad Numerum XVII.

Summa cura conservandi sunt Libri Baptismales.

IN textu notatum est, plures quotidie occurrere difficultates & dubia circa consanguinitatem inter baptizatos, & susceptores, vel baptizatorum parentes contractam; nec non super natalibus vel ætate baptizatorum, quorum probatio & certitudo vix aliunde, quàm ex Libris seu Registris, quæ dicuntur *Baptismalia* haberi potest: meritò proinde tam Ecclesiasticis quam civilibus decretis & sanctionibus injunctum fuit Parochis, ut diligenter singulorum baptizatorum, necnon parentum & patrinorum & matrinarum nomina, diemque baptismi in libro annotent. Insuper injungitur Parochis, ut si qui fortè ex illicito concubitu nati sint, etiam eos ut tales in ipso, sive Registro baptismali designent.

Ulterius ut hæc Registra fideliùs conserventur, & ad illa facilior pateat accessus, Principes nostri signanter in Edicto perpetuo de anno 1611. *art.* 20. Ordinarunt, ut Magistratus quorumcumque locorum, quotannis exemplum desumant ex Registris Parochialibus, in quibus notanter baptismata, & in Archiva sua referant: alterumque ad superiorem territorii judicem transmittant.

Hæc si sedulò observarentur, quantæ evitarentur difficultates, & lites, aliaque incommoda!

TITULUS XIV.

De Dispensationibus matrimonii.

CAPUT PRIMUM.

Ad Numerum IV.

Quo tempore per dispensationes cœperit à præscripto Canonum recedi?

REgula, quam in Responso ad Bonifacium Moguntinum expressit Zacharias Papa, uti in textu ex Christiano Lupo retulimus, scilicet: "Multa à sede illa diriguntur, quæ Patrum, sive „Canonum Constitutis contraria reperiuntur; erat „Romanis Pontificibus pristinis sæculis adeò infixa, ut scribere non dubitaret Zozimus Papa: „contra Statuta Patrum condere aliquid vel mutare, nec hujus quidem Sedis potest Authoritas: „apud nos enim inconvulsis radicibus vivit Antiquitas, cui Decreta Patrum sanxêre reverentiam. „Apud Gratianum 25. *quæst.* 1. *can.* 6

Et Hormisdas ibidem relatus *can.* 9. "Prima „salus est, rectam fidei regulam custodire, & à „Constitutis Patrum nullatenùs deviare.

Et sicuti Romana Ecclesia prima est aliarum Ecclesiarum, ita & præ cæteris Canonum executricem & custodem se esse jam pridem gloriatur.

" Confidimus (ait Gelasius ibidem can. 1.) „quod nullus jam veraciter Christianus ignoret „uniuscujusque Synodi Constitutum, quod Universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis „exequi Sedem præ cæteris oportere, quam Primam, quæ unamquamque Synodum sua „authoritate confirmat, & continuâ moderatione custodit.

Huic Canoni hoc summarium præposuit Gratianus: *Constitutum Synodi, quod Universalis Ecclesiæ probavit assensus, Romanam Sedem servare oportet.*

Proinde nec tunc temporis Pontifices, neque sæculo XII. Gratianus dubitarunt, quin & ipsi Romani Pontifices Constitutum Synodi, quod Universalis Ecclesiæ probavit assensus, Romanam Sedem servare oporteret.

Quare nec Gratianus asserere dubitavit, quod *Ministri sacrorum Canonum & Decretorum Pontificum, sint summi Pontifices.*

Quamdiu hæc fuit Romanorum Pontificum persuasio, illibata permansit sacrorum Canonum custodia, & vix quoque fuit circa excessum dispensationum audita querela.

At postquam sæculis posterioribus invaluit quorundam Jurisperitorum opinio Romanum Pontificem, Canonibus aut Decretis Ecclesiasticis etiam Conciliorum Generalium, non ligari, nec constringi posse; hacque tandem opinione à Romanis Pontificibus probatâ & receptâ, mirum quantâ facilitate cœptum sit, à præscripto Canonum recedi, & contra eos dispensationes à Romanis Pontificibus impetrari, quemadmodum ex querelis contra hunc excessum virorum piorum hisce posterioribus sæculis depositis, abundè con-

ſtat; & etiam hodierna praxis, ſeu potiùs abuſus nimium evincit.

Ad Numerum VII.

Regulæ à Synodo Tridentina præſcriptæ ad Pontificem Romanum præcipuè diriguntur.

Quandoquidem tempore Concilii Tridentini diſpenſandi authoritas in pluribus materiis, ac ſignanter ſuper impedimentis dirimentibus matrimonium, eſſet ad Sedem Apoſtolicam devoluta, ſive Sedi Apoſtolicæ reſervata, non ſine fundamento aſſerit, multiſque probat Dominus Ducaſſe in ſuo Tractatu de Juriſdictione Eccleſiaſtica *tom.* 1. *cap.* 10. §. 5. poſt Thomam Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio diſp.* 45. *n.* 3. Synodum Tridentinam, regulas in materia diſpenſationis, ac notanter ſuper impedimentis matrimonii præſcriptas, ad Romanum Pontificem præcipuè direxiſſe; ut ipſe tanquam fidelis diſpenſator conformiter ad has regulas, ſua in diſpenſando authoritate uteretur.

Unde non ſine fundamento aſſerit Vir clariſſimus Ludovicus Dupin, de antiqua Eccleſiæ diſciplina in Præloquio Diſſertationis 6. " Se non ſatis mirari poſſe Petrum de Marca Pariſienſem Archiepiſcopum, virum alioquin acerrimi judicii, pronuntiaſſe controverſiam hanc (de ſuperioritate Concilii Generalis ſupra Pontificem) nullius eſſe ad diſciplinam Eccleſiaſticam, libertateſque Eccleſiæ Gallicanæ vindicandas momenti; nam, (ut hic Author reflectit) ſi Romanus Pontifex Conciliis etiam Generalibus Superior ſtatuatur, *Concilia ſua authoritate ſpoliantur*, Canones in irritum mittuntur, & omnia ad unius Pontificis nutum & arbitrium revocantur.

" Ulteriùs (ait) ſi Papa ſit ſupra Concilium, ſequitur eum Summum eſſe Monarcham & Dominum, ipſumque ex animi ſui arbitrio poſſe Canones abrogare.

Ad Numerum XIII.

Quandonam reſervatio diſpenſandi dicenda ſit ceſſare?

In textu notatum eſt, quòd ex communi Canoniſtarum opinione, Epiſcopus diſpenſare queat ſuper impedimento dirimente, ſi hoc, demùm contracto in facie Eccleſiæ matrimonio, innoteſcat nec ſine ſcandalo matrimonium quoad thorum diſſolvi queat faciliſque ad Romanum Pontificem recurſus non pateat.

Hæc indubiè opinio huic innititur fundamento, quod credatur ceſſare reſervatio jure duntaxat merè poſitivo inducta, dum charitas, aut neceſſitas proximi id exigit: quemadmodum omnem caſuum & cenſurarum reſervationem, ſive Epiſcopalem, ſive Papalem ceſſare non ambigitur, ſi charitas, vel neceſſitas proximi, ſeu ſalus animarum, quæ ſuprema lex eſt, id exigat.

Quidni igitur dicamus generaliter, & hanc reſervationem ceſſare atque Epiſcopis liberam eſſe diſpenſandi authoritatem, ſi ſalus animarum ſeu charitas aut neceſſitas proximi id requirat.

CAPUT II.

Ad Numerum I.

Quare reſervationes diſpenſandi viſæ ſint jampridem odioſæ?

QUandoquidem, etiam fatentibus Curiæ Romanæ miniſtris (uti in textu ex Pyrrho Corrado notatum eſt,) difficile admodum ſit, de negotiis in diſſitis Provinciis occurrentibus Romanam Curiam, Summoſque pontifices rite informari, & plenam ac ſufficientem accipere negotiorum illorum notitiam, ut propterea viſum ſit, diſpenſationes potiùs in forma *commiſſoria* quàm *gratioſa* expedire: facile intelligitur, meritò reſervationes cauſarum & diſpenſationum, quas recentior ætas, contra priſtinas Eccleſiæ regulas induxit, ſemper reputatas fuiſſe odioſas, & è contrario, æquam ſemper viſam eſſe patrum regulam, quæ ſingula negotia in ſuis reſpectivè provinciis, ubi orta ſunt, terminari voluit & ſingulis Epiſcopis authoritatem integram permiſit gubernandi Eccleſiam ſibi commiſſam, & incidentia negotia Eccleſiaſtica, in ædificationem populi ſibi commiſſi dijudicandi & terminandi.

Unde nec priſtinis Eccleſiæ ſæculis nota fuit formula *commiſſoria*, qua cauſarum diſcuſſio, aut examen factorum pro obtinenda diſpenſatione allegatorum, è Curia Romana Ordinariis locorum committeretur, quaſi tota authoritas penes unum Romanum pontificem reſideret: Epiſcopi verò & Ordinarii nonniſi tanquam pontificis delegati & Vicarii, hujuſmodi negotia, & quidem juxta tenorem commiſſionis, & authoritate pontificiâ abſolvere aut diſpenſare poſſent.

Ad Numerum II.

Diſpenſatio in forma commiſſoria cur inducta & quibus incommodis obnoxia?

Cùm tempore Concilii Tridentini omnem penè diſpenſandi authoritatem aſſereret Curia Romana, intelligerentque patres Tridentini in prædicta Curia ſine ulla penè narratorum notitia, ſeu verificatione, diſpenſationes relaxari, huic abuſui, quantum temporis conditio, & Romanæ Curiæ pro tuenda ſua authoritate & recepta praxi zelus patiebatur, occurrere volentes, præſcribendum cenſuerunt, ut diſpenſationes *extra* Curiam Romanam concedendæ, ſuum ſaltem ultimum complementum non eſſent habituræ, niſi priùs Ordinarii locorum narrata eſſe vera cognoſcerent: prout in Decreto in textu relato expreſſum eſt.

Cùm itaque Ordinarii, ſive eorum Officiales jubeantur examinare, & diſcutere veritatem narratorum, atque judicare, num cauſæ, ſeu rationes diſpenſandi in literis expreſſæ, revera ſubſint indubiè ſatiùs eſſet; ut conformiter ad avitam patrum diſciplinam, integra authoritas diſpenſandi Epiſcopis (prout in nota præcedenti obſervatum fuit,) ad ædificationem Eccleſiæ, & ſalutem fidelium permitteretur: & ita quoque fideles ſumptibus & difficultatibus ſublevarentur, quibus per recurſum ad Curiam Romanam pro obtinendis hiſce literis commiſſionis non parum gravantur.

Ad Numerum VIII.

Stylus Curiæ Romanæ reputat Epiſcopos ut ſimplices vicarios Pontificis in exequenda diſpenſatione.

Stylus Curiæ Romanæ, de quo in textu, quod nullus poſſit diſpenſare, niſi is cui *nominatim* commiſſio eſt directa, ut nec Epiſcopo liceat diſpenſare ſi ejus Vicario ſive Officiali ſit directa, indubiè profluit ex perſuaſione Curialium Romanorum, quod totalis diſpenſandi authoritas ita ſit in perſona Romani pontificis, ut Epiſcopi, dum ipſis hæ literæ diriguntur, reputandi ſint ſimplices Romani pontificis Mandatarii, aut Vicarii, ſeu delegati, nullâ habitâ ratione primigeniæ authoritatis diſpenſandi in Epiſcopo ſemper remanentis; & ratione cujus non dubium, quin Synodus Tridentina ad Ordinarios voluerit diſpenſationes extra Curiam Romanam exequendas dirigi utpote quibus præveniendo poſitivam reſervationem,

nem, authoritas dispensandi quodam modo naturaliter competit.

CAPUT III.

Ad Numerum III.

Quomodo contingat Commissarios facilius quàm oportet dispensare?

NOtatum fuit in textu, Commissarium, cui literæ dispensationis in forma commissoria inscribuntur ad dispensationem procedere non posse, nisi prævia exactâ & fideli informatione deprehenderit, quod preces juxta tenorem literarum veritate nitantur.

Porrò Commissarius ad hanc informationem vel executionem literarum procedere nequit, nisi priùs literis commissionis in Curia Romana, solutis taxis pecuniariis, fuerint levatæ, & Commissario exhibitæ.

Hinc est, quod Ministris hujus Curiæ nihil de taxis istis decedat tametsi narrata & contenta literarum coram Commissario verificari nequeant: & consequenter nec ob defectum hujus verificationis, commissarius dispensare queat, ipsæque literæ dispensationis sic obtentæ suo careant effectu: nihil tamen de juribus seu *taxis* in Curia solutis restituitur imò nec novæ literæ dispensationis, quibus vitium priorum tollatur, expediuntur vel relaxantur, nisi rursus juribus & taxis solutis.

Hinc & notum est contingere, ut Commissarii importunitate Oratorum, ob factas expensas, & novas faciendas, victi, ad dispensationem nonnunquam procedant, licet preces veritate nisi juxta tenorem Bullæ commissionis non sint sufficienter probatæ.

CAPUT VI.

Ad Numerum XIV.

IN textu ex Pyrrho Corrado notatum fuit, quod si detur dispensatio in *forma pauperum*, injungatur Commissario, ut Oratori ob admissum crimen incestûs imponenda sit pœnitentia *corporis afflictiva* nullo pretio redimenda.

Speciales clausulæ dispensationis in forma pauperum.

Verum illud mirum, quod hæc crimina incestûs, quæ in divitibus non sunt minora, quàm in pauperibus; imò ab illis nonnunquam majori cum scandalo perpetrantur, Curia Romana, nullâ impositâ *corporis afflictivâ* pœnitentiâ ab omnibus divitibus pretio statuto redimi permittat: neque injungatur Commissario, ut Oratori ob prævium incestum pœnitentia corporis afflictiva nullo pretio redimenda imponatur.

Similiter si, teste Pyrrho Corrado, Pontifex clausulam hanc *nec scandalum sit ex eo oriturum*, in literis dispensationis in *forma pauperum*, expressam velit, ut ostendat enixam suam esse voluntatem, dispensationem non esse concedendam, si prævidetur ex ea dispensatione scandalum *oriturum*, uti in textu num. 16. est observatum, mirum videri debet, cur eandem clausulam exprimendam non censuerit Curia Romana in ordinaria formula dispensationis: quandoquidem non magis ex dispensatione; in *forma pauperum*, scandalum sit timendum, quàm ex dispensatione expedita in forma ordinaria; neque minus scandalum ex hac, quàm ex illa dispensatione prævisum, præcavendum sit.

TITULUS XVI.

De ædificandis & reparandis Ecclesiis.

CAPUT I.

Ad Numerum XV.

Quæ fuerit circa sanctas imagines jam pridem Ecclesiæ disciplina, & quid potissimum hodie in earum cultu præcavendum?

IN textu notatum est, Synodum Tridentinam seriò monuisse Episcopos, ut diligenter populum instruant de sanctarum imaginum cultu; ne aliàs populus in superstitiosum aut idololatricum cultum incidat.

Et sanè jam pridem experientia docuit, quàm difficulter omnis planè cultus irreligiosus sive superstitionem aut idololatriam aliquam redolens in hac imaginum & statuarum publica & externa veneratione præcaveatur, præsertim dum Sacerdotum turpis quæstus se immiscet, & vulgi ignorantia, aut nimia credulitas accedit.

Unde & scimus, varias in imaginum externo cultu jam pridem adhibitas cautiones; neque eandem omnium Ecclesiarum fuisse circa hunc cultum disciplinam; sed pro temporum & populi conditione variam.

Et quidem tribus ut minus sæculis, nullum aut ratum fuisse in Ecclesiis Christianorum sacratum imaginum usum aut externum cultum fatendum est.

Id autem eo credi tur contigisse consilio, ne Gentilibus, aut etiam Judæis, occasio daretur suspicandi, Christianos idola, sive idololatriam, non tam deseruisse, quàm immutasse,

Id jam pridem annotavit sanctus Agobardus Archiepiscopus Ludunensis in Libro de Imaginibus num. 19. scribens. "Si enim Sanctorum imagines, si qui dæmonum cultum dereliquerant, venerari juberentur, puto quod videretur iis, *non tam idola reliquisse, quàm simulacra mutasse.*

Accedebat, quod per externum imaginum, & notanter *statuarum* cultum, recenter ad fidem christianam è Gentilismo conversis occasio daretur, rursus in assuetum idololatricum cultum incidendi, sive ad eum revertendi.

Hanc in rem observatu dignum est quod narrat D. Fleury *lib. 7. suæ Historiæ num.* 54. quod Russii primò conversi à Gentilismo ad Christianismum per Monachos Corbienses in Saxonia, rursus in Idololatriam & Gentilismum relapsi fuerint occasione cultûs *sancti Viti*, ejusque *imaginis*, eamque vertisse in suum idolum, quod vocatum *Suantovis*.

Occasione hujus eventûs monet Vir Clarissimus: "Ita periculosum est idololatris recenter versis proponere cultum Sanctorum, eorumque imaginum, priusquam plenè fuerint instructi & radicati in notitia veri Dei.

Vix dubium, quin ad eam primis sæculis penè necessariam disciplinam & cautionem reflexerit Synodus Eliberitana statuens Canone 36 *picturas in Ecclesiis esse non debere; nec quod colitur, aut adoratur in parietibus depingi.*

Verùm postquam sub Constantino Magno, ac sequentibus Christianis Imperatoribus Gentilismus suas amittere cœpit vires; ipsique Christiani adversus idololatriam sat instructi & roborati viderentur, sensim quoque sacrarum imaginum usus, earumque cultus apud Christianos admitti & recipi cœpit: nec tamen ubique eodem tempore nec pari ritu hic usus & cultus admissus, vel probatus fuisse scitur.

Et quidem scitur, apud Græcos saltem sæculo VI. aut VII. usum & cultum sacrarum imaginum receptum fuisse; atque sæculo VIII. ita fuisse probatum & stabilitum; ut & illarum partium sanctissimi Episcopi, cum adversus Iconoclastas, sive confractores imaginum, etiam cum profusione sanguinis asserere, & propugnare nō dubitaverint.

Sed & illud constat, quod hi acerrimi sacrarum imaginum propugnatores omnem etiam studuerint adhibere cautionem, ne occasione usûs aut cultûs imaginum populus in cultum idololatricum incideret.

Hac de causa noluerunt admittere usum aut cultum *statuarum*, uti habetur ex Epistola sancti Germani Patriarchæ Constantinopolitani ad Thomam Episcopum Claudiopolitanum: eò quod *statuæ* nimiam cum idolorum simulacris similitudinem habere viderentur; & quasi ideam simulacrorum oculis intuentium objicerent: asseritque Molanus in Historia sacrarum imaginum etiamnum hodie statuarum usum vel cultum apud Græcos non admitti.

Hoc exemplo docemur, subinde certarum imaginum, aut statuarum usum è templis esse amovendum, tametsi earum usus aut cultus in se non esset illicitus; si prævideatur ex earum usu & cultu periculum superstitiosi & idololatrici cultûs populo imminere.

Quo verò tempore usus sacrarum imaginum in Ecclesia Romana, cæterisque Latinæ communionis Ecclesiis fuerit receptus, non satis constat. Hoc scitur, eum fuisse admissum ætate sancti Gregorii, uti patet ex binis ejus Epistolis ad Serenum Episcopum Massiliensem: è quibus quoque intelligitur, quæ fuerit eo tempore earum Ecclesiarum circa hunc usum disciplina.

In priore Epistola (quæ est 105. *libro* 9. Editionis Benedictinorum) scribit sanctus Gregorius: „Præterea indico dudum ad nos pervenisse, quod „fraternitas vestra, quosdam *imaginum Adoratores* aspiciens, easdem in Ecclesiis imagines „confregit, atque projecit. Post hæc subjungit: „Et quidem zelum vos, ne quid manu factum adorari posset, habuisse laudavimus; sed frangere „easdem imagines non debuisse judicamus.

Rationem cur eas frangi, aut projici non judicarent, subjicit Gregorius: „Idcircò enim *pictura* in Ecclesiis adhibetur, ut, si qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ „legere in codicibus non valent.„

„Tua ergo fraternitas & illas servare & ab earum *adoratu* populum prohibere debuit, quatenus & litterarum nescii haberent, unde scientiam Historiæ colligerent, & populus in picturæ „adoratione minimè peccaret.

Intelligens autem sanctus Gregorius, hunc Episcopum nequaquam ejus monitis acquiescere; sed in confractione & amotione imaginum pergere; in tantum, ut maxima populi pars ob eam agendi rationem ab ejus se communione abstineret, alteram ad eum Epistolam dedit, (quæ est 13. *lib.* XI. ex Editione Benedictinorum) in qua acrioribus eum verbis ob hanc confractionem & amotionem imaginum redarguit, ipsum hortando ut usum imaginum tanquam populo utilem restituat, & ab *adoratu* earum ipsum abstrahat.

Rursus in hac Epistola sanctus Gregorius Episcopum quidem laudat, quod imagines Sanctorum *adorare* vetuisset; sed quod *confregerit*, reprehendit; ac deinde subjicit: „Dic Frater, à quo „factum Sacerdote, aliquando auditum est quod „fecisti? Si non aliud, vel illud te non debuit revocare, ut despectis aliis fratribus, solum te sanctum & esse crederes sapientem? Aliud est enim „(pergit Gregorius) picturam adorare, aliud per „picturæ historiam, quid sit adorandum ad„discere: frangi ergo non debuit, quod *non* „*ad adorandum* in Ecclesiis; sed ad instruendas solummodò mentes nescientium fuit col„locatum.

Quandoquidem sanctus Gregorius huic Episcopo exprobret, quod nullus Episcopus hactenus imagines confringendas aut ejiciendas de Ecclesiis crediderit, nequaquam obscurum est, ætate sancti Gregorii in omnibus Ecclesiis Gallicanis usum sacrum imaginum fuisse receptum.

Post hæc hortatur Episcopum sanctus Gregorius, ut dispersum populum ad unitatem revocare omni studio satagat: eumque in finem populo diceret: „Si ad hanc *instructionem*, ad „quam imagines *antiquitùs* factæ sunt, habere „vultis in Ecclesia, eas modis omnibus & fieri & „haberi permitto.

„Atque indica (pergit Gregorius) quod non „tibi ipsa visio Historiæ, quæ, picturâ teste, „pandebatur, displicuerit: sed illa *adoratio*, quæ „picturis fuerat incompetenter exhibita; atque in „his verbis, eorum mentes demulcens, eos ad „concordiam revoca: & si quis imagines facere voluerit, minimè prohibe, *adorari* verò „imagines modis omnibus veta. Sed hoc sollicitè fraternitas tua admoneat, ut *ex visione* rei „gestæ ardorem compunctionis percipiant, & „in adoratione solius Omnipotentis sanctissimæ „Trinitatis humiliter prosternantur.

Hanc à sanctissimo Pontifice circa imaginum usum & cultum expressam & probatam disciplinam, summo cum applausu amplexæ fuêre Gallicana, aliæque Occidentales Ecclesiæ: atque per duo ut minus sæcula tenacissimè retinuerunt; ut nimirum usum sacrarum imaginum ad instructionem fidelium retinendum censuerint; sed ab earum *adoratu*, sive cultu omninò abstinendum existimarint.

Et quidem huic disciplinæ circa usum sacrarum imaginum citra exteriorem adoratum, sive cultum, adeò constanter inhærendum existimarunt Galli, aliique Latinæ Communionis Episcopi, ut nec authoritate Synodi apud Nicæam, anno 787, celebratæ, nec authoritate Romanæ Ecclesiæ, quæ conformiter ad Decretum hujus Synodi exteriorem cultum, & adorationem sacrarum imaginum admiserat adduci potuerint, ut à sua disciplina recederent, & cultum, seu adorationem sacrarum imaginum probarent vel admitterent.

Cùm enim circa annum 790. Adrianus I. Papa acta hujus Synodi, adjunctis literis suis misisset ad Carolum Magnum, Carolus has literas Adriani, necnon acta Synodi hisce annexa communicanda censuit Episcopis.

Episcopi literis & actis examinatis & discussis, rescripserunt Imperatori, Synodum hanc nullatenùs recipiendam, vel recipi posse, eâ potissimum ratione, quod in hac Synodo statutum legerent; *Sacras imagines Christi, & Sanctorum, non secùs atque ipsum pretiosæ Crucis typum & sanctorum Evange-*

Evangeliorum codicem esse adorandas & colendas.

Quin & per Episcopos adversus hanc Synodum ejusque acta exaratum fuit Opusculum in 4. Libros divisum, in quo singulatim acta hujus Synodi refutare conantur, ipsamque Synodum tanquam erroneam, non minùs quàm Synodum Iconoclastarum *anno* 745. sub Constantino Copronymo celebratam, rejiciunt & execrantur.

Hoc Opusculum sub nomine Caroli Magni missum fuit ad Adrianum; ut ex eo intelligeret, quibus ex causis acta hujus Synodi, quantum spectat ad cultum & adorationem imaginum, recipi & probari non possent: utràque significant, se hanc Synodum nullatenus pro Synodo *Oecumenica* reputare, utpote cui nulli, præter Legatos Adriani, Occidentales Episcopi interfuerant.

Hinc evidens est, Gallos eo tempore credidisse, Authoritatem solius Papæ non esse sufficientem, ut juberetur aliquod Concilium sine consensu principalium Ecclesiarum recipi, uti notat D. Fleury in sua Historia Eccles. lib. 44. n. 58. *Le mêpris „de ce Concile* (inquit) ... *faisoit voir clairement „que les Francois étoient persuadez que la seule „autorité du Pape ne suffisoit pas pour faire recevoir un Concile sans le consentement des principales Eglises.*

Huic scripto respondit Adrianus per Epistolam Carolo Magno inscriptam, in qua Decretum Synodi Nicænæ adversus opposita Gallorum propugnat, ac singulatim argumentis ipsorum respondet.

Neque tamen hæc Epistola inclinare potuit Gallicanos, aliosque Episcopos, ut à recepta disciplina, de non adorandis imaginibus recederent: quin & anno 794. jussu Caroli Magni Francofurti convenientes trecenti circiter Episcopi, unà cum Legatis Adriani Papæ, rursus ipsam Synodum Nicænam de adorandis imaginibus, *Canone* 2. reprobârunt: verba Canonis sunt: "Allata est in medium quæstio de nova Græcorum „Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut, qui imaginibus Sanctorum ita ut Deificæ Trinitati servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra „Sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes contempserunt, „atque consentientes condemnaverunt.

Hoc Canone Patres Francofordienses indicare voluisse Acta sive Decretum de adorandis imaginibus Synodi Nicænæ II. indubitatum est: tametsi loqui videantur de Synodo, quam Græci *Constantinopoli* fecerunt.

Uti enim rectè notavit Sirmundus: *Constantinopoli factam, sic intelligendum hoc loco, non quod in ea urbe, sed quod ab Imperatoribus Constantinopolitanis.*

Post hoc Synodi Francofordiensis Decretum nihil ulteriùs circa cultum sacrarum imaginum actum reperitur, regnante Carolo Magno aut sedente Adriano I.

Verùm sub Ludovico Caroli Filio, & sedente in Cathedra Petri Eugenio II. quæstio hæc rursus revixit, idque, ut apparet, occasione Legatorum, quos Imperatores Græci Michaël & Theophilus miserunt, & eorundem Imperatorum ad ipsum Ludovicum scriptæ Epistolæ.

Cùm enim dicti Imperatores instanter postularent, ut Ludovicus eorum Legatis, quos ad Eugenium II. Papam destinabant, suos Legatos adjungeret, qui communi consilio & operâ apud Pontificem de usu & cultu imaginum, (super quo apud Græcos non mediocris erat excitata contentio) tractarent: jussu Ludovici Pii, & de licentia Eugenii II. Papæ Conventus Episcoporum Parisiis super cultu imaginum habitus est.

Porrò in hoc Conventu rursus Decretum Synodi Nicænæ, de adorandis imaginibus rejectum fuit, multaque à Patribus collecta fuerunt adversus adorationem & cultum imaginum, è quibus jussu ejusdem Ludovici Pii quædam excerpta fuêre & ad præfatum Eugenium II. tunc Pontificem Romanum transmissa.

His significabant Gallicani Episcopi, se quidem sacras imagines recipere, & in Ecclesiis etiam admittere, sed earum *adorationem* nequaquam probare posse: imò tum ex Epistola Synodica ad Ludovicum, tum ex Synodalibus gestis, non obscurum est in hoc Conventu duriùs contra cultum & adorationem imaginum actum & declamatum fuisse, quàm sub Carolo Magno.

Admodum verisimile est, quòd zelum Episcoporum Gallicanorum pro retinenda disciplina circa imaginum usum in literis S. Gregorii ad Serenum Massiliensem Episcopum expressâ, scilicet retinendas esse imagines in Ecclesiis, sed eas non adorandas, vehementer accenderit prædicta Epistola Michaëlis & Theophili Græcorum Imperatorum ad Ludovicum, quæ indictioni Conventûs Parisiensis occasionem dederat.

In hac enim Epistola exponebant Imperatores, in quas impias superstitiones occasione cultûs & adorationis imaginum tandem populi prolapsi essent: "Multi (inquiunt) de Ecclesiasticis & Laicis viris, alieni de Apostolicis Traditionibus facti, & neque paternos terminos custodientes, facti sunt inventores malarum rerum. Primum „quidem, honorificas & vivificas Cruces de sacris templis expellebant & in eadem loca imagines statuebant ponebantque lucernas coram „eis, simul & incensum adolebant, atque eas in „tali honore habebant, sicut honorificum & vivificum lignum, in quo Christus verus Deus noster crucifigi dignatus est propter nostram salutem.

„ Psallebant & adorabant, atque ab eisdem imaginibus auxilium petebant; pleriq; autem linteaminibus easdem imagines circumdabant, & filiorum suorum de Baptismatis fonte *susceptrices* „faciebant; alii religiosum habitum monasticum „sumere volentes, religiosiores personas postponebant, qui priùs comam capitis eorum suscipere solebant, adhibitis imaginibus, quasi in sinum earum decidere capillos illorum sinebant.

„ Quidam verò Sacerdotum & Clericorum, colores de imaginibus radentes immiscuerunt „oblationibus & vino, & ex hac oblatione post „Missarum celebrationem, dabant communicare „volentibus; alii autem Corpus Domini in manus „imaginum ponebant, unde communicare volentes accipere fecerunt. Nonnulli verò spretâ Ecclesiâ, in communibus domibus tabulis imaginum „pro Altariis utebantur & super eas sacrum ministerium celebrabant & alia multa his similia „illicita, & Religioni nostræ contraria in Ecclesiis „fiebant, quæ à Doctoribus & sapientioribus viris satis indigna esse videbantur.

„ Post hæc subjungitur in Epistola: Propterea „statuerunt Orthodoxi Imperatores & doctissimi Sacerdotes locale adunare Concilium, ad inquisitionem super his habendam; qui in idipsum „convenerunt S. Spiritu inspirante: talia ubique communi consilio fieri prohibuerunt, & *imagines de humilioribus locis efferri fecerunt, & eas, quæ in sublimioribus locis posita*

"*posita erant, ut ipsa pictura pro Scriptura haberetur, in suis locis consistere permiserunt, ne ab indoctioribus & infirmioribus adorarentur: sed neque eis lucernas accenderent, neque incensum adolerent, prohibuerunt:* quemadmodum & nos nunc sentimus, & tenemus abjicientes de Ecclesia Christi eos, qui hujusmodi malignis adinventionibus student.

Ex toto contextu hujus Epistolæ evidens est, Græcos Imperatores, & Episcopos hujus Epistolæ Authores nequaquam existimâsse, omnem honorariam adorationem & exteriorem sanctarum Imaginum cultum *per se* esse superstitiosum aut idololatricum, aut existimâsse eos, qui Imagines eâ adoratione *honorariâ*, sive cultu exteriori colunt, & venerantur, censendos esse idololatras; sed duntaxat reputâsse, eam sanctarum Imaginum adorationem & cultum, prædictis superstitionibus occasionem præbuisse & imperito vulgo occasionem dare posse in superstitiosum & idololatricum cultum incidendi.

Ut igitur fidelibus superstitiosi hujus cultûs occasionem subtraherent, satiùs duxerunt, Imagines ex humilioribus locis efferendas, & eas, quæ in sublimioribus locis positæ erant, permittendas, ut *ipsa pictura pro Scriptura haberetur, ne* (inquiunt) *ab indoctioribus & infirmioribus adorarentur*.

Gallicani Episcopi probè intellexerunt, hanc Græcorum circa usum, & cultum sanctarum Imaginum disciplinam in literis Imperatorum expressam, eandem esse, quem S. Gregorius in literis ad Serenum Episcopum Massiliensem, dixerat observandam, quamque in suis Ecclesiis hactenus conservabant.

Si attendantur, Episcopi Gallicani dixerunt, circa adorationem & cultum SS. Imaginum in Libris vulgò Carolinis, & in Epistola Synodica ad Ludovicum, nequaquam obscurum erit, ipsos eodem fundamento permotos fuisse ad tuendam suam hactenus conservatam disciplinam, quo se permotos fuisse ad abolendam adorationem Imaginum Græci asserebant, scilicet ad præcavendum scandalum pusillorum, & imperitorum sive superstitiosum & idololatricum cultum.

Certum enim est, quod, tametsi Gallicani, aliique Latinæ Communionis Episcopi, honorariam adorationem, exterioremque cultum SS. Imaginibus impendendum non judicarent, nequaquam tamen omnes eam adorationem, exterioremque cultum SS. Imaginibus impendendum non judicarent, nequaquam tamen omnem eam adorationem, aut cultum *per se* esse superstitiosum, aut idololatricum crederent; sed scandalum pusillorum, & imperiti vulgi duntaxat præcavere intenderent.

Et quidem Author Opusculi Carolini *lib. 3. c. 16.* postquam adstruere studuit, nec eam adorationem, *quæ in honorem transire dicitur illius, quem repræsentat Imago,* Imaginibus Christi aut Sanctorum impendendam, eò quòd per similem adorationem, adoratores Imaginum, *omnem suæ credulitatis spem* in ipsis imaginibus, & picturis collocent, immediatè subjungit: "Nam, etsi à doctis quibusque vitari possit hoc, quod illi in adorandis imaginibus exercent, qui videlicet non quid sint, sed quid innuant, venerantur; indoctis tamen *quibusque scandalum* generant, qui nihil alind in his, præter quod vident, venerantur & adorant.

" Post hæc subjungitur: Unde cavendum est, ne Evangelicam sententiam subeant, qui tot pusillos ad scandalizandum impellunt: quoniam si is, qui unum de pusillis scandalizaverit, formidolosissimæ sententiæ subjacet, multò magis exitiabili ille ferietur severitate, qui penè omnem Christi Ecclesiam, aut ad adorandas Imagines impellit, aut Imaginum adorationem spernentes anathemati submittit.

" Et rursus lib. 4. cap. 18. Non enim nos Imagines in Basilicis positas *idola* nuncupamus, sed, ne idola nuncupentur, adorare eas, & colere, eisque servitium impendere recusamus: quoniam plerumque non res, sed causa rei pro scelere reputantur; dum videlicet multa, quibus benè potest uti, malè usa in flagitium convertuntur, sicque una eademque res benè utentibus est causa periculi.

Similiter Author Libelli, quem Ludovicus Pius misit ad Eugenium II. Papam, apertè significat honorariam adorationem, & exteriorem cultum SS Imaginibus impendi, *per se* non esse superstitiosum, aut idololatricum, nequaquam tamen ad evitandum scandalum esse admittendum.

Hinc *c.* 7. fusè ostendit, quòd juxta Apostolum, etiam à licitis nonnunquam sit abstinendum *propter scandalum infirmorum:* eamque in rem, utpote ad præsentem materiam proximè accedens adducit factum Ezechiæ Regis: "Legimus (ait) serpentem morsus mortiferos pœnam justissimam peccatorum in ligno exaltato, atque prospecto æneo serpente sanatos, ut & populo subveniretur afflicto, & mors morte destructâ, velut crucifixæ mortis similitudine signaretur; quem sanè serpentem propter facti memoriam reservatum, cùm postea populus errans tanquam *idolum* colere cœpisset, Ezechias Rex, Religiosâ potestate Deo serviens, cum magna pietatis laude contrivit.

Ex his evidens est, Episcopos Gallicanos, aliosque, adorationem honorariam & externum cultum SS. Imaginibus non recusâsse, quasi eum *per se* illicitum aut superstitiosum, seu idololatricum arbitrarentur: sed qui hic cultus rudioribus & imperitis perniciosi erroris, & cultûs idololatrici, vel superstitiosi occasio esse posset, eam adorationem, sive cultum nequaquam recipiendam arbitrabantur, neque à disciplina hactenus in suis Ecclesiis conservata, & à S. Gregorio jam pridem probata, recedendum.

Itaque varietas circa usum, & cultum SS. Imaginum, quæ eo tempore inter Ecclesias intercedebat, Ecclesiarum illarum Communionem scidisse non legitur.

Neque enim ignorabant Romani Pontifices, & Episcopi, circa usum & cultum Imaginum, variam posse esse, salvâ fide, Ecclesiarum disciplinam: "Nam, uti rectè notavit Dionysius Petavius lib. 15. Theolog. Dogmat. *c.* 13. Imagines ex earum rerum genere sunt, quæ indifferentes nominantur, hoc est, quæ ad salutem omninò necessariæ non sunt, nec ad substantiam ipsam Religionis attinent, sed in potestate sunt Ecclesiæ, ut eas vel adhibeat, vel ableget; pro eo atque satius esse decrevit.

Quo verò tempore Gallicana, cæteræque Occidentales Ecclesiæ honorariam adorationem & exteriorem cultum SS. Imaginum, conformiter ad Decretum 7. Synodi; necnon praxim Ecclesiæ Romanæ receperint, non æquè certum est.

Hoc constat, quòd circa medium sæculi IX. quo tempore Anastasius Bibliothecarius Constantinopoli pro Conc. VIII. ageret, & ibidem Synodum VII. è Græco in Latinum verteret, apud Gallos nondum

Decretum VII. Synodi de adorandis Imaginibus fuisse receptum, uti ipse Anastasius in Præfatione suæ versioni Latinæ præfixa testatur.

Ex hac Præfatione insuper habetur, quòd Galli honorariam adorationem, & exteriorem cultum *Cruci*; necnon *Codici Evangelicorum* exhiberi permitterent; quem tamen nec Christi aut Sanctorum Imaginibus impendendum esse judicabant.

Hinc ulteriùs non obscurum est, Canonem III. Concilii VIII. quòd sub finem sæculi XI. sub Adriano II. ejusque Legatis præsidentibus habitum est, dirigi adversus Gallicanos, aliosque Episcopos, qui adorationem honorariam vivificæ Crucis typo, & codici Evangelicorum impendendam censebant, imaginibus tamen & picturis Sanctorum impendi non sinebant.

Hoc enim Canone nominatim anathemate feriuntur, qui nolebant icones Christi & imagines Sanctorum æquo honore colere, ac adorare, ac ipsum salutiferæ *Crucis typum*, & sanctorum Evangeliorum codicem.

Id sat intelligens Annalista Bertinianorum, atque exstimans justo acriùs hìc carpi Episcopos Gallicanos ad annum 872. ubi sermo de VIII. Synodo incidit, scribere non dubitavit: "In qua Synodo de Imaginibus adorandis, aliter, quàm orthodoxi Doctores ante definierant, & pro favore Romani Pontificis, qui eorum votis, de adorandis imaginibus annuit, & quædam contra antiquos Canones, sed & contra suam ipsam Synodum constituerunt, sicuti, qui eandem Synodum legerit, patenter inveniet.

Ad verba hujus Annalistæ reflectens Vir eruditissimus Joannes Mabilonius in Præfatione ad partem I. sæculi IV. Benedictinorum *numero* 47. observat, quòd licet hæc paulò diutiùs scribat Bertinianus Annalista: *sed tamen unde* (ait) *intelligamus Gallos nondum colendis Græcanico ritu imaginibus adsuevisse.*

Quin tamen circa ea tempora ritus colendi & adorandi imagines, & picturas Christiani & Sanctorum, conformiter ad Decretum VII. Synodi, & disciplinam Ecclesiæ Romanæ pedetentim in Ecclesiis Gallicanis, aliisque Latinæ Communionis invaluerit, verisimile est: idque authoritate hujus VII. Synodi, quam Anastasius Bibliothecarius Latinè verterat, & in cujus Præfatione Gallos ad recipiendum cultum sanctarum Imaginum vehementius hortatur, eosque potissimum hoc argumento urgens, & quòd cultus & adoratio honoraria sanctarum Imaginum non videretur magis idololatrica, quàm vivificæ Crucis typo, aut Evangeliorum codici impensa.

Non dubium autem, quin ad inducendum hunc Ecclesiæ Romanæ ritum, qui in Gallia & in toto Occidente cœperat esse in usu, præcipuè valuerit Romani Pontificis authoritas. Scitur enim à tempore Caroli Magni, post translatum imperium à Græcis in Francos, authoritatem Romani Pontificis apud Principes illos plurimum invaluisse, atque sub idem tempus Romanos Pontifices multum allaborâsse, ut Ritus Ecclesiastici, qui hactenus fuerant Romanæ Ecclesiæ proprii, in cæteris quoque Ecclesiis reciperentur.

Et quidem, uti rectò monet Mabilonius *num.* 47. tanto cum fervore Galli in cultum imaginum effusi sunt, ut *magis retinaculo, quàm incitamento opus habeat vulgi Religio.*

Et sanè non obstantibus multiplicibus Synodorum Decretis, ac notanter novissimi Concilii Tridentini saluberrimâ sanctione, tantus tamque multiplex hodie visitur vulgi & imperiti populi superstitiosus, & quasi idololatricus imaginum ac statuarum cultus, ut non videantur Episcopi Gallicani sine fundamento veriti fuisse, ne admissâ adoratione incompetenti abstraheretur: ut propterea in disciplina à sancto Gregorio probata, & in suis Ecclesiis hactenus conservata persistentium satiùs esse judicarent, ad præcavendum, & præveniendum fidelium scandalum, & superstitiosum sanctarum Imaginum cultum.

Quid circa usum & cultum imaginum & picturarum, ac Statuarum Christi, & Sanctorum Statui, & observari conveniat, ad præveniendum pusillorum & imperiti vulgi scandalum, & præcavendum earum superstitiosum, & idololatriam sapientem cultum, Romani Pontifices & Episcopi, quibus id Synodus Tridentina enixè commendavit, expendere poterunt: & interim Parochorum & Concionatorum est, populum de certo usu & cultu Imaginum ritè instruere.

Ad Numerum XVII.

In textu notavimus Synodum Coloniensem, necnon Moguntinam injunxisse locorum Ordinariis, ut si in visitatione deprehenderint, concursum ad certam imaginē spem suam collocare, eam amoveant, aut alio modo provideant, quo huic abusui occurratur.

Non absimile Decretum ad præcavendum superstitiosum sanctarum Imaginum cultum legitur in Concilio Rothomagensi *anno* 1445. can. 7. his verbis conceptum: "Item damnat modos illos, qui videntur introduci *gratiâ quæstûs*, denominando imagines, utpote *Notre-Dame de Recouvrance, Notre-Dame de Pitié, de Consolation, de Grace, &c.* Nam talia sunt occasio superstitionis in multis, quasi sit plus in una imagine, quàm in altera, abusores pœnâ arbitrariâ compescantur. Sapienter notârunt hi Patres hanc sub variis nominibus sanctarum Imaginum appellationem, multis superstitionis occasionem esse posse, quasi sit plus in una imagine, quàm in alia, ad certum effectum obtinendum.

Quis enim ambigat, quin proclive sit, ut imperitus populus credat, speciale nomen huic imagini inditum esse, ut significetur plus aliud virtutis inesse huic imagini ad obtinendum effectum, quem inditum nomen præfert.

Præterea verissimè adverterunt hi Patres, similes modos certas imagines suis specialibus nominibus appellandi videri introduci *quæstûs causâ.*

Certum quippe est, quòd multiplex ille superstitiosus sanctarum Imaginum cultus pro maxima parte, si non in totum, originem suam suumque progressum, & stabilitatem debeat turpi quæstui Sacerdotum, seu Sæcularium, seu Regularium, quem ex populari concursu & indiscreto populi ad certas imagines affectu venerantur.

Imò nec dubium, quin extirpandis superstitionibus & abusibus circa Imaginum venerationem, medium efficacissimum, & penè necessarium sit, omnem ex earum veneratione provenientem quæstum eliminare, qui directè, vel indirectè cedit in emolumentum Sacerdotum.

Ad Numerum XXIII.

In textu notatum est, quòd pluribus sæculis, etiam post amissum usum imaginum Christi & Sanctorum, Ecclesia usum imaginum *sanctissimæ* *Trini-*

An imagines sanctissimæ Trinitatis in Ecclesiis sint admittendæ?

Trinitatis, in quibus Deus Pater, & Spiritus sanctus corporali specie exprimerentur, ignoraverit: quòd nec Synodus Tridentina positivè & simpliciter earum usum probaverit; quod & notavit Joannes Molanus *libro 2. Historiæ sanctarum Imaginum, cap. 3.* qui & ibidem monet, plures etiam è recentioribus Theologis sustinuisse, rudi populo nequaquam expedire, similes imagines sanctissimæ Trinitatis in Ecclesiis publicè exponere.

Similiter Cardinalis Bellarminus in controversia de cultu Imaginum fatetur, nonnullos etiam inter Catholicos, puta Tostatum Episcopum Abulensem, Durandum, Pererium, admisisse cum Calvino, imagines Dei in templis non esse collocandas,

Unde & concludit, *non esse tam certum in Ecclesia, an sint facienda imagines Dei, sive Trinitatis, quàm Christi & Sanctorum: hoc enim docent omnes Catholici, & ad fidem pertinet, illud est in opinione.*

Et doctissimi illi Fratres Walenburgici fatentur, Synodum Tridentinam nihil decipere super *imaginibus Dei, & sanctissimæ Trinitatis*, eò quòd super hoc puncto Doctores Catholici inter se essent divisi.

Hinc ulterius concludit, quòd permissio conficiendi has imagines, non sit pars doctrinæ Catholicæ ab omnibus receptæ vel recipiendæ.

Perspicere poterunt Episcopi, quid circa hasce sanctissimæ Trinitatis imagines imperitæ plebi conveniat, & quousque earum usus sit tolerandus.

CAPUT II.

Ad Numerum XII.

Episcopus ex mente Concilii Tridentini potest exigere novam Parochiam quando salus populi id exigit.

IN textu notatum est, quòd Synodus Tridentina aliquas causas expresserit, ob quas nova Parochia esset erigenda; nihilominus cùm ex pluribus circumstantiis dependeat, quæ sit necessitas exigens erectionem novæ Parochiæ, non immeritò arguit Cardinalis de Luca *Discursu 16. in Concil. Trident.* manifestum errorem illorum, qui cum aliquibus sanctæ Congregationis declarationibus, vel cum Rotæ decisionibus, aut aliquorum Doctorum traditionibus pro nova Parochiæ erectione facienda, "vel neganda, in sola litera procedunt: cùm sit (ait) potiùs *quæstio nudi facti*, ex „singulorum casuum particulari qualitate, ac in„dividuis circumstantiis decidenda.

Et sanè unicus scopus Concilii Tridentini fuit in hoc Decreto de erigendis novis Parochiis, ut meliori modo saluti & necessitati populi succurreretur. Ut proinde id unum inspiciendum sit, an salus populi novæ Parochiæ erectionem requirat.

Ad Numerum XVI.

Rescriptum Romanum pro erectione novæ Parochiæ in forma gratiosa hic non recipitur.

Quandoquidem indubitatum sit, uti in textu notatum est, plures per erectionem novæ Parochiæ posse dari interesse, puta Rectorem veteris Parochiæ, ejusque Ecclesiæ Parochialis patronos & incolas, nulla hisce in partibus novæ Parochiæ admitteretur constructio, etiam ex *Rescripto Romani Pontificis*, nisi ejusmodi Rescriptum dirigatur in *forma commissoria*, quemadmodum (ut infra notabitur) nulla unio Beneficiorum, nisi in simili forma hîc admittitur: eò quòd interesse habentes, aut prætendentes, in partibus, sive in sua Provincia audiri debeant: nec Romam ea de causa citari possint, ob notorium Privilegium *de non evocando.*

Ad Numerum XVIII.

Unde Sacerdoti novæ Parochiæ providendum!

Synodus Tridentina agens de novæ Parochiæ erectione, unà præcipit, ut Sacerdotibus huic novæ Parochiæ præficiendis, provideatur ex proventibus veteris Ecclesiæ, ut in textu dictum est.

Imprimis æquum, & justum apparet Presbytero hujus novæ Parochiæ relinqui, sive assignari oblationes, & quæ tum inter Missarum solemnia, tum in administratione Sacramentorum, aut in funeribus defunctorum fieri solent.

Cùm enim hæc à Parochianis offerantur Presbyteris tanquam Sacramentorum & Sacrorum Ministris, nihil justiùs, quàm ut hæc cedant Presbyteris novæ Parochiæ, à quibus Parochiani Sacramenta, aliaque spiritualia percipiunt; quique sunt in hac nova Parochia horum Ordinarii Ministri.

Et cùm Parochus Matricis Ecclesiæ absolvatur à cura hujus populi, æquum etiam non est, ut de oblationibus hujus populi participet.

Insuper notandum, quòd dum de proventibus Ecclesiæ Matris agitur, è quibus dos novæ Ecclesiæ dicitur desumenda, non tantùm debent attendi, decimæ & proventus, qui *de facto* in sustentationem Parochi, & Ministrorum Ecclesiæ Matricis cedunt; sed & reliquæ decimæ intra limites Matricis Ecclesiæ excrescentes; quantumvis hoc titulo incorporationis ipsius Ecclesiæ Parochialis, sive præscriptionis aliove titulo ad Monasteria vel Capitula transierint.

Scitur enim Decimas ad Capitula & Monasteria translatas titulo Donationis vel incorporationis sub ea restrictione, ut ex illis priùs esset detrahendum, quod sufficiat spirituali populo necessitati.

Si igitur necessitas spiritualis exigat novæ Parochiæ erectionem, non dubium quin vigore hujus restrictionis Decimæ intra districtum Parochiæ excrescentes ad hujus Parochiæ expensas concurrere debeant.

Unde Fagnanus *ad capite ad Audientiam de ædificand. Eccles.* describens modum, quo in dotatione novæ Ecclesiæ Parochialis sit procedendum, monet *numero* 37, quòd, dum proventus proprii Matricis Ecclesiæ non sufficiunt, nec sit aliquis, qui velit illos augere, *cogendus erit Abbas, vel Præpositus, cui Parochialis illa subest in temporalibus;* id est, cui Ecclesia est incorporata quo ad temporalia, quique vi hujus incorporationis decimas illius percipit.

Quantumvis populus novæ Parochiæ videatur omninò desinere esse de veteri Parochia, nihilominus vetus Parochia, à qua populus novæ Parochiæ subtrahitur, remanet quasi Ecclesia *Matrix*; atque hoc titulo in Decretali Alexandri III. quæ incipit; *Ad Audientiam*, per Concilium Tridentinum innovata, expressè mandatur provideri, ut *competens* in ea *honor* pro facultate loci Matrici servetur: scilicet ut aliquid (ait Glossa) *annuatim* in signum subjectionis præstetur, moderandum tamen ad arbitrium Episcopi.

Interpretationem hanc probans Joannes Andreas addit: "Interdum *in honorem Matris Ec„clesia* præscribitur, ut novæ Ecclesiæ incolæ, vel mini-

„ministri veniant ad Scrutinium, vel Baptisma, & „Capitulum, vel reservabitur illi sepultura.

b Conformiter ad hanc Doctorum interpretationem, videmus passim quædam jura in ædificatione, aut erectione novæ Parochiæ, reservata Ecclesiæ Matrici, quæ eidem juxta formam erectionis, exhibenda sunt.

Præter jura, in erectione specialiter reservata, nulla sibi Ecclesia Matrix jura subjectionis à nova Ecclesia Parochiali prætendere potest, uti post Abbatem probat Fagnanus ad citatum cap. *ad Audientiam*, concludens, jura subjectionis non deberi Ecclesiæ Matrici, nisi in quantum prædicta jura sibi reservavit in limine erectionis: Episcopus enim erigens novam Parochiam, & eam à priori separans, illam partem populi, quæ novæ Ecclesiæ supponitur, à jure prioris Ecclesiæ absolvit, nisi specialiter absolutionem restringat, & declaret in quibusdam manere subjectam.

CAPUT III.

Ad Numerum X.

Ad Ordinarium loci privativè spectat consecratio Ecclesiæ.

Consecrationem Ecclesiæ pertinere privatè ad Episcopum, in cujus Diœcesi nova Ecclesia consistit, in textu notavimus.

Imò hic ritus Consecrationis Ecclesiarum adeò proprius reputabatur singulis Episcopis per suas respectivè Diœceses sæculo XI. ut Episcopi Gallicani ægerrimè tulerint, quod quidam Cardinalis, tametsi Authoritate Romani Pontificis specialiter munitus Ecclesiam à quodam Fulcone in Diœcesi Turonensi magnificè constructam, sine consensu Archiepiscopi Turonensis, in cujus Diœcesi hæc nova constructa Basilica erat, consecrare attentâsset, uti narrat Glaber Rodolphus Monachus, qui, teste Bellarm. de Scriptoribus Ecclesiasticis, scripsit Historias sui temporis libris quinque *satis acutè*.

„ Hic Author *lib. 2. cap. 4.* scribit, quòd quidam Fulco ædificaverit Ecclesiam admodum pulcherrimam, in pago scilicet Turonico milliario „interposito Alvecensi Castro.

„ Post hæc subjungit Historicus; expleto denique quantocius Basilicæ opere, protinus misit ad „Hugonem Turonicum Archipræsulem, in cujus „scilicet constituta erat Diœcesi, ut illam sacraturus, quemadmodum decreverat, adveniret. „Qui venire distulit, dicens se minimè posse illius „votum dicando Domino committere, qui videlicet Matri Ecclesiæ Sedis sibi commissæ prædia „& mancipia surripuerat non pauca: hocque potiùs illi videbatur competere, ut primitùs, si „quid injustè diripuerat, alicui restitueret; sicque „deinceps justo judici Deo propria, quæ voverat, „offerre deberet.

„ Cùmque ista (prosequitur Historicus) Fulconi à suis perlata fuissent diutinâ feritate resumptâ, nimium indignè ferens Episcopi responsa, insuper comminatus illum valdè, ac sublimis inde „quod valuit, adegit consilium: mox denique copiosâ argenti & auri assumptâ pecuniâ, Romam „pergens, ac Joanni Papæ causam suæ profectionis exposuit: ac deinde poscens, quòd ab illo optaverat, plurima ei munerum dona obtulit. Qui „protinus misit cum eadem Fulcone ad prædictam „Basilicam sacrandam unum ex illis, quos in beati „Petri Apostolorum Principis Ecclesia *Cardinales* „vocant, nomine Petrum; cui etiam præcepit, „veluti Romani Pontificis Authoritate assumptâ, „quidquid agendum Fulconi videbatur, intrepidus expleret."

„ Quod utique audientes Galliarum quique Præsules (pergit Historicus) præsumptionem sacrilegam cognoverunt ex cæca cupiditate processisse, „dum videlicet unus rapiens, alter raptum suscipiens, recens in Romana Ecclesia schisma creavissent: universi etiam pariter detestantes, quoniam „nimium indecens videbatur, ut is, qui Apostolicam regebat Sedem, *Apostolicum primitus ac* „*Canonicum transgrediebatur tenorem, cùm insuper multiplici sit antiquitus authoritate roboratum, ut non quispiam Episcoporum alterius Diœcesis istud præsumat exercere, nisi Præsule, cujus* „*fuerit, compellente; seu permittente.*

Post hæc exponit, quòd eodem die, quo hujus Ecclesiæ per Legatum Pontificium, consecratio peracta fuisset, subitò, ab inopinato validissimo exorto vento, hujus Ecclesiæ Fabrica totaliter corruerit & versa fuerit. "Quòd cùm multi (ait) per „regionem comperissent, nulli venit in dubium, „quoniam insolens præsumptionis audacia irritum constituisset votum, simulque præsentibus „ac futuris quibusque, ne huic simile agerent, evidens judicium fuit. Licet enim (subjungit idem „Historicus) Pontifex Romanæ Ecclesiæ ob dignitatem Apostolicæ Sedis, cæteris in orbe constitutis reverentior habeatur, non tamen ei licet transgredi in aliquo canonici moderaminis tenorem. „ Sicut enim unusquisque orthodoxæ Ecclesiæ „Pontifex, ac Sponsus propriæ Sedis uniformiter „speciem gerit Salvatoris; ita generaliter nulli „convenit, quippiam in *alterius* procaciter patrare Episcopi Diœcesi.

Ex his imprimis habemus, eo tempore Gallicanis Episcopis persuasum fuisse: Romano Episcopo non secùs ac aliis Episcopis, suam esse particularem Ecclesiam, uti supra *parte 1. tit. 16. cap. 3. ad num. 5.* fusiùs ostendimus.

Insuper habemus, eo etiam tempore præfatos gallicanos Episcopos nullatenus dubitâsse quin Romanus Pontifex ob dignitatem Apostolicæ Sedis, cæteris in orbe constitutis reverentior habeatur; nequaquam tamen ei ob id licitum esse transgredi in aliquo *canonici moderaminis tenorem*, quo constitutum est, nulli Episcopo in alterius Episcopi Diœcesi procaciter quidpiam patrare, nisi Præsule, cujus fuerit, compellente, seu permittente.

CAPUT V.

Ad Numerum IV.

Quid de proventibus Fabricæ in reparationem Ecclesiæ impendendis statuat Edictum Principum nostrorum.

Edictum Principum nostrorum de *anno* 1613. de quo in textu, non tantùm præcipit proventus Fabricæ in reparationem Ecclesiæ impendi, sed insuper, ut in augmentum proventuum fabricæ colligi deberent, signanter in Ecclesiis Ruralibus, eleemosynæ fidelium, easque per Parochos, & Concionatores esse commendandas in sacris concionibus, figendumque truncum, in quem intrantium & exeuntium Ecclesiam piæ & liberales oblationes recipiantur.

Insuper & hoc notandum, si forsitan à Pastoribus primitivis, & percipientibus Decimas vigore Concordati, vel antiquæ consuetudinis, aliquid annuè pro intertentione, seu conservatione Fabricæ contribuatur, illud solere cum reliquis Fabricæ proventibus confundi, & adinstar aliorum Fabricæ proventuum in ordinarias reparationes expendi, nullo ordine servato.

Quandoquidem igitur proventus Fabricæ in reparationem Ecclesiæ, nec non ornamentorum & utensilium, aliaque ad divinum cultum celebrandum necessaria impendi debeant, priusquam Decimatores, aut Beneficiati, in reparationem, aut subministrationem illorum contribuere debeant, non dubium quin ipsi Decimatores & Beneficiati, aliique, quibus onus reficiendi Ecclesias, aut subministrandi ornamenta, in defectum proventuum Fabricæ incumbit; pro suo interesse intendere possint, ut hi proventus in consecrationem Fabricæ & ornamentorum ritè impendantur, neque in alios usus convertantur.

Quin si ad reparationis expensas urgeantur, poterunt petere computus Fabricæ sibi exhiberi, ut videant, num proventus Fabricæ sufficientes non sint, vel utrum aliis usibus in eorum præjudicium non impendantur, prout & allegato Edicto Decimatoribus aliisque interesse habentibus permittitur.

Ad Numerum XI.

Decimatores morantes extra Parochiam qua via ad expensas reparationis cogi possint?

In textu observatum est, possessores decimarum ad reparationem Ecclesiarum vocari, tametsi non sint earum Ecclesiarum Beneficiati.

Imò rectè observat Zypæus in notitia Juris Belgici tit. de sanctis Ecclesiis *num.* 11. quòd Concilium Tridentinum obliget decimarum possessores ante Parochianos, etsi apud aliam Ecclesiam, cui assignatæ sunt, resideant.

Jure enim Parochiali (ait) proveniunt, etsi per uniones, seu incorporationes aliis fuerint assignatæ: notatque ibidem *nu.* 10. quòd in Diœcesi Leodiensi soleat Episcopus vel Archidiaconus visitans, & Ecclesiam reparatione indigere reperiens, ordinare eam faciendam sumptu hujus illiusve decimarũ possessoris: "Quod (ait Zypæus) videri po„test facere, sicut Prætores visitantes vias, mox re„parari jubent per possessores viciniorum agrorũ.

Cùm verò eo modo procedendo, inchoari videatur ab ipsa executione, monet Zypæus: vix in his partibus eum procedendi modum recipiendum, sed solere hìc procedi viâ Arresti, injiciendo Arrestum in Decimas, aliave bona huic oneri subjecta, quorum possessores extra has ditiones degunt: idque ad fundandam contra eos jurisdictionem, illudque valdè convenire menti Concilii Tridentini *Sessione* 21. *cap.* 7. Credit Zypæus, dum primum cupit Ecclesias reparari per Laicos Patronos, & quoscunque proventus Ecclesiasticos possidentes, quâcunque (inquit) *appellatione, exemptione & contradictione remotâ.*

Cæterum indubitatum est, quòd si Episcopi, eorumve Archidiaconi, vel Archipresbyteri, Ecclesias Parochiales, vel etiam domos Pastorales visitantes, reparationibus ordinariis & minutioribus faciendis solicitè intenderent, frequenter contingeret exiguis sumptibus Ecclesias domosque Pastorales sartas tectas conservandas, quæ aliàs defectu similium reparationum postmodum in notabilem ruinam decidunt; occasione cujus plures postmodum difficultates super earum reparatione, aut instauratione oriuntur.

Ad Numerum XIV. & XVI.

Quomodo & quando decimæ reparationem Fabricæ cedere debeant?

Trientem decimarum, de quo in Edicto *anni* 1613. computandum esse detractis oneribus, decimæ sunt obnoxiæ, in textu notatum est; & ita sæpiùs judicatum refert Laury in sua Arrestorum collectione, *Arresto* 40.

Notat etiam ibidem, Decimatores non defunctos abdicatione decimarum factâ conformiter ad præscriptum Edicti, in reparationem Ecclesiæ, de eam *post factam reparationem* rursus in ruinam cadere contigerit; sed Decimatores iterato teneri cedere trientem decimarum conformiter ad præscriptum Edicti in hanc novam restaurationem.

Verùm si Decimatores in restaurationem Ecclesiæ duorum annorum decimas, juxta tenorem Edicti, contulissent; sed Parochiani partem duntaxat Ecclesiæ restaurâssent, atque integram eam decimarum portionem in hujus partis instaurationem impendissent, ut se interim ab impensis restaurationis eximerent, non possent postmodum Decimatores obligare iteratam abdicationem in restaurationem partis Ecclesiæ, quam ipsi irreparatam permiserunt: eò quòd Edictum obligare non videatur Decimatores, nisi ad unicam decimarum abdicationem in restaurationem *totius* Ecclesiæ, sive Fabricæ collapsæ, & ita judicatum in Parlamento Mechliniensi 23. Februarii 1685. ibidem refertur.

Ad Numerum XVIII.

Quæ in Brabantia sit authoritas Recordiarum Leodiensium & Statutorum Archidiaconalium, signanter quoad onus reparandæ turris?

Circa reparationem turris, de qua in textu, illud imprimis notandum, quòd ubi ex consuetudine, quemadmodum in patria Leodiensi passim obtinuit, Decimatores tenentur ad reparationem navis, etiam teneantur ad reparationem turris, si hæc sit pars ipsius navis, sive incumbat parietibus ipsius navis; quemadmodum in *Recordiis* Leodiensibus passim notatur: modò tamen non agatur de turri elatiori, quæ magis ad venustatem, quàm ad necessitatem spectat.

Simili ratione, alibi obtinet, ut reparationem turris, quæ ipsi choro Ecclesiæ adhæret, vocentur, qui ad ipsius chori reparationem obligantur.

Denique juri communi conforme est, Decimatores, qui campanam subministrare tenentur, cujus sonitu Parochiani ad Divinum Officium vocari debent, etiam obligentur eatenus ad exstructionem, restaurationem turris in quantum hæc necessaria est, ut campana per totum Parochiæ districtum audiri queat.

Cæterum sciendum *Recordias* Leodienses, de quibus loquitur Peckius in Opusculo *de ædificandis & reparandis Ecclesiis*, & quarum meminimus hìc *num.* 27. quæque ad Parochianos restaurationem turris rejicere videntur, esse privatas Decani, sive Archipresbyteri Ruralis, & Pastorum sui Decanatûs sive districtûs simul Congregatorum attestationes: *quod recordentur* hoc vel illud in suo Decanatu fuisse semper observatum.

Unde & hìc in judiciis, non nisi pro privatis instrumentis, & probationibus reputantur, uti de his Recordiis, prout & de Statutis Archidiaconatûs Hasbaniæ & Condrusii, occasione cujusdam litis, super restauratione turris inter incolas, & Decimatores in Supremo Brabantiæ Concilio motæ, se observâsse, mihi indicavit Amplissimus quidam ejusdem Concilii Assessor, ita ad me scribens: „Sanè vix est, ut quoad restaurationem turrium, „certi quid hisce in partibus definiri queat; sive „agatur de Ecclesiis quondam Episcopatui Leo„diensi, sive de iis, quæ Cameracensi Diœcesi fue„runt subjectæ.

„ Circumferuntur quidem Statuta Archidiaco„nalia Hasbaniæ & Condrusii; item *Recordia* plu„ra Decanatuum Geldoniæ, Fleurnacensia, Gem„blacensia, aliaque; sed nec illa, prout jacent, apud nos

"nos admitti in judiciis simpliciter, adverti & "observavi, licèt iis majorem, quam habent, habere possunt, aut debent, errans Peckius reparandis & restaurandis Ecclesiis authoritatem attribuere videatur.

" Nisi enim usus aut rerum judicatarum authoritas, Statutis aut Recordiis conformis sit, minoris Ordinis apud nos habentur.

" Statuta enim Archidiaconalia, cùm exteræ authoritatis & Judicis sint, subditos nostros ligare nequeunt; & ut possint, *Placetum* Senatûs Principem repræsentantis omninò necessarium est secundùm Edictum Philippi II. anni 157. citatum per Stockmans in libello, quem super Jure Placeti conscripsit.

" Recordiæ verò, cùm tantùm sint declarationes extrajudiciales Curatorum & Pastorum, nullâ publicâ Principis authoritate ad legem condendam munitorum, nec ad hoc qualificatorum, ut circa facti quæstiones, declarationes conficiant, quæ fidem in Judiciis faciant, pro privatis scriptis reputanda sunt.

" Quin nec alio Jure à Principibus nostris Alberto & Isabella in Edicto suo de anno 1613. super restaurationibus reparationibusque Ecclesiarum, Principumque nostrorum Commissario, & ab iis, quos Ecclesiastica authoritas pro conferentia nominaverat, habita fuerunt, ut Edictum illud apertè manifestat.

" Si enim per dispositionem Statutorum Archidiaconalium, ut & per *Recordias* difficultates in hac materia se offerentes sopiri & decidi debuissent: si ea vim authoritatemque legis habere debuissent, illud ipsum in dicto Edicto specialiter expressum notatùmque fuisset, dixissentque Principes optimi; primò more antiquo, & concordiis specialibus, postea, Statutis Archidiaconalibus, utriusque deficientibus, *Recordiis*, locorum lites & jurgia decidenda & componenda.

" Posteà verò quarto loco, ex Reditibus Fabricarum, & per alia media dicto Edicto proposita, restaurationes ac reparationes fieri debere.

" Cùm verò nec de *Statutis* istis, nec de *Recordiis* ibidem mentio fiat, nec iis authoritas ulla tribuatur, manifestum evadit, Principes ad ea, nec attendisse, nec per Judices attendi voluisse, nisi quatenus more antiquo, aut concordiis approbata, & ad vim alligandi elevata forent.

Hæc hîc apponenda judicavi, ut, incidente in hac materia, quæstione, intelligeretur, non nimiũ vel Statutis dictorum Archidiaconatuum, aut *Recordiis* esse fidendum, aut inhærendum, in locis in Ducatu Brabantiæ consistentibus, licèt ea ante erectionem novorum Episcopatuum fuerit de Diœcesi Leodiensi, vel etiam de eadem Diœcesi in spiritualibus remanserint, sed potiùs attendendum sit ad Edicta Principum nostrorum, vel receptam in hoc Ducatu consuetudinem.

TITULUS XVII.

De Celebratione Festorum.

CAPUT VI.

Ad Numerum XIII.

Utrum Episcopi sine regio placito queant publicare Ordinationes super observatione Festorum?

EPiscopus Gandensis pro observatione diei Dominicæ & Festorum anno 1622. Ordinationem conceperat constantem triginta articulis, eamque communicandam censuit Principi in suo Concilio privato ob difficultatem, quam Episcopo movebat Concilium Flandriæ, prætendens fas non esse Episcopo similes Ordinationes & Leges promulgare, iisque populum adstringere sine prævio consensu Regis: Plura quoque per Concilium Flandriæ huic Ordinationi tanquam tempori & receptis moribus minimè convenientia opponebantur. Postquam verò hæc in Concilio privato fuère examinata, Ordinatio Episcopi probata fuit, exiguâ in ea factâ moderatione, nihil tamen decidit Consilium privatum super primaria difficultate, quam moverat Consilium Flandriæ; utrum scilicet fas esset Episcopo sine prævio Regis consensu similes Ordinationes publicare; sed ut ab hac controversia abstraheret, hanc Episcopi Ordinationem, quoad omnes suos articulos probavit, & sub nomine Regis in suo Consilio privato prodiit per modum Edicti, adhibitâ quâdam moderatione, ac signanter circa articulum 28. Ordinationis, per quem volentes obtinere facultatem operandi die Dominico aut Festo remittebantur pro ea obtinenda ad Episcopum, ejusve Vicarium vel Officialem, aut etiam Archipresbyterum Ruralem, aut Pastorem loci, nullâ factâ mentione Magistratûs civilis; at verò Edictum declarat, quòd, qui ex causa necessitatis obtinuerint veniam operandi die Festo ab Episcopo, vel ejus Vicario, vel Officiali, Archipresbytero vel Pastore, aut etiam ab *Officiario vel Magistratu loci*, prævio advisamento, vel interventu Archipresbyteri, vel Pastoris, conformiter ad Edictum de anno 1607. erant immunes ab omni mulctâ. Hæc Ordinatio Episcopi unà cum Regio Edicto habetur Parte III. Edictorum Flandriæ Lib. 1. Rub. 1.

TITULUS XVIII.

De Origine, Definitione, & Divisione Beneficiorum.

CAPUT II.

Ad Numerum II.

Per erectionem Beneficiorum & dignitatum Ordines sacri quasi vilescere cœperunt.

POstquam Beneficiorum tituli exorti sunt, & separatim à collatione Ordinum conferri cœperunt; atque *Officia*, quæ inter Canonicos *in communi* viventes erant simplicia ministeria, qualia & hodie apud Canonicos Regulares plura reperiuntur, in *dignitates* degenerârunt, vix dici potest, quantum inde vilipendium, & contemptus sacrorum Ordinum provenerit; nec jam ipsi Ordines, sed Beneficia & Dignitates æstimari, & pretio vulgò haberi cœperunt.

V. Espen Suppl. in Jus Eccl.

Ad Numerum VI.

Personatus pluribus sæculis ignotus.

Ante sæculum x . nihil legitur de Clericis Personatis, quos hodie personas dicimus, de quibus in textu: ut proinde vix dubium sit, hos *personatos* Clericos, sive *Personatus*, demum invaluisse, postquam tituli Beneficiorum cum jure ad temporalia, separatim à collatione Ordinum conferri cœperunt: cui originem, in hoc opere non semel observatum est

---

CAPUT III.

Ad Numerum XX.

Quæ potissimùm attendenda circa Regulares Parochialibus Ecclesiis & Monialibus præficiendos?

REflectens Petrus Peckius ad dispositionem Concilii Lateranensis in *cap. 2. x. de Statu Monachorum*, quâ decernitur, " ne Monachi per „villas & oppida , per quascunque Parochiales „ponantur Ecclesias, sed in majori Conventu, aut „cum aliquibus Fratribus maneant, nec soli inter „sæculares homines spiritualium hostium conflictum expectent (de quo in textu) hoc monitum „subjungit: ideoque velim prudentes esse Prælatos, ut Sæcularis Ecclesiæ regimen, quod vel ex „dispensatione Pontificis Maximi, vel ex longi „temporis præscriptione habent, non eos protrudant, quorum adolescentiæ multas vias lubricas „ostendit natura, in quibus sine prolapsione aliqua consistere vix possint, nec eos, quos propter „morum inelegantiam & asperitatem domi ferre „ipsi nolunt , sed eos, qui sic cœlestium deliciarum copiâ exuberant, ut in verbo Dei abundent, „familiæ Christi fideliter inserviant, & de quibus „certior spes est , quod iniquam cogitationem „cohibere, lumbos & concupiscentiam comprimere, libidini resistere, lasciviæ effectum denegare , avaritiam atque rapinam contemnere, „proximi læsionem devitare, superbiam vincere, invidiam & iram superare poterunt.

Utinam & id attenderent eorum Monasteriorum Prælati, in quibus non sine magno abusu, ad Beneficia Parochialia , necnon directionem Monialium, quasi ex *ordine prioritatis* emissæ professionis potiùs, quàm ex meritorum & qualitatum consideratione, Religiosi promoveri consueverunt.

Ad Numerum XXI.

Utrum olim Monachi Ecclesiis Parochialibus fuerint præfecti?

Quòd Innocentius III. *in cap. quod Dei timorem. de Statu Monachorum* (de quo in textu) dicat, Monachos, per *antiquos Canones* potuisse ad Ecclesiarum Parochialium regimen in Presbyteros ordinari; indubiè more suo asseruit authoritate Canonum , quos sub nomine S. Ambrosii & Bonifacii Papæ legerat , apud Gratianum 16. *quæst.* 1. *can.* 21. & 25. quos Apocryphos, & Authoribus illis falsò adscriptos hodie agnoscunt eruditi.

Nec enim legitur primis septem aut octo sæculis, Monachos in Monachatu manentes , ad Ecclesiarum Parochialium regimen fuisse assumptos, si ad simile regimen assumebantur, Monachi esse desinebant, & à vita Monachali, sive contemplativa & solitaria, ad Clericalem & activam transire censebantur, uti in hoc opere non semper notatum est.

Ad Numerum XXVII.

De subjectione Regularium in regimine Ecclesiarum Parochialium Episcopis, & eorum revocabilitate.

Qualiter Regulares per Abbates ad Ecclesias Parochiales eorum Monasteriis incorporatas, præsentati & instituti debeant ab Episcopis accipere curam animarum; necnon in iis, quæ eam curam concernunt, Episcopis subjiciantur, & eorum Ordinationibus obedire teneantur, & casu, quo in ea cura deliquerint, ab Episcopis puniri queant, neque possint per Abbates sine licentia Episcopi ab ea cura absolvi & revocari, declaravit Concilium Provinciale Cameracense sub Maximiliano de Berghes anno 1565. tit. *De Ministeriis Ecclesiæ* c. 6. in verbis: " Quotquot habent curata Beneficia unita suis Ecclesiis, ut Ca„pitula & Abbates, non priùs committant Pasto„res iisdem Beneficiis curatis, quàm præsentati „Ordinario fuerint, & accepti ab eo: quoniam „populus ejus curæ commendatus est , à quo iidem Rectores potestatem, quam curam anima„rum vocant, accipient, nec possunt aut Abbates, „aut Capitula admissos & approbatos ab Ordi„nario Rectores revocare, nisi consenserit Epis„copus: & iidem Rectores constituti mandatis „Episcoporum omninò pareant, ab iisque corri„gantur si quid deliquerint.

Rursus in altera Synodo anni 1586. tit. de *Regularibus & Monialibus c.* 5. legitur: " Quam„vis Religiosi, qui à suis Prælatis destinantur ad „Pastoratus suis Monasteriis subjectos, seu in„corporatos (quorum institutio ad Episcopos , „aut Archidiaconos pertinet) administrandos, „ob id non eximantur ab obedientia eorundem „Prælatorum: tamen quia & Episcoporum , à „quibus dicti Religiosi curam animarum acci„piunt, & Parochianorum interest , ut non te„merè & sine causa revocentur, Decreto primi „Concilii Cameracensis *cap. 6. de Ministeriis* „*Ecclesiasticis* inhærens, hæc Synodus statuit & „decrevit, nonnisi ex causa legitima , quam ipse „Prælatus Episcopo exponere debeat, ad Mona„steria possint revocari: causâ autem expositâ, „Episcopus. & revocatum dimittere, & in ejus „locum præsentatum , si idoneus sit, admittere „teneatur.

Ex contextu prædictorum Decretorum non obscurum est , unicum eorum scopum fuisse , præcavere, ne per nimiam frequentem & præcipitem Pastorum revocationem, spirituale Parochiarum regimen dispendium pateretur: unde causam revocationis non ipsis Regularibus, sed Episcopis aperiendam decernunt: utpote quibus incumbit attendere, ne populi regimen spirituale ex hac mutatione seu revocatione dispendium patiatur.

Et ne ipsi Regulares prætenderent, quòd Pastoratibus Præpositi à promissa obedientia censerentur exempti, expressè declaravit posterior, eos per hanc in Pastoratibus ab Episcopis acceptam institutionem non esse exemptos.

Quod prætere a in priori Synodo declaratur, similes Religiosos Ecclesiis Parochialibus Præfectos , jurisdictioni & correctioni Episcoporum subjici , juri communi conforme esse solidissimè coram Parlamento Parisiensi , probavit nominatissimus Advocatus Regius Talonius, atque conformiter ad ejus conclusionem pronuntiavit Parlamentum, Episcopum manu tenendum in authoritate puniendi Regulares , quantumvis *exemptos* , Parochialibus Ecclesiis

Præfectos,

Præfectos, in regimine suarum Ecclesiarum delinquentes. Integer discursus Advocati Regii & sententia Parlamenti referuntur *in Supplemento Annotationum marginalium Sanctionis Pragmatica Regis Francia* Editionis Francisci Pinosnii anni 1666. pag. 1081.

TITULUS XIX.

De Ætate, & Qualitate Beneficiandorum.

CAPUT PRIMUM.

Ad Numerum XIX.

Cur hodie non æque ac olim pueri ad Beneficia promovendi?

Circa id, quod ex Thomassino notatum est etiam juxta veterem Ecclesiæ disciplinam, pueros per tonsuram vel Minores Ordines quodammodo fuisse Beneficiis applicatos. observandum, hanc inter pristinam & modernam disciplinam intercessisse differentiam, quod dum Minores Clerici per Ordinum illorum collationem Ecclesiis applicabantur. demum de proventibus Ecclesiasticis participarent, ubi functionibus Ordinum reipsa occuparentur: at hodie hujusmodi Beneficia simplicia possidentes Minores Clerici, solent Beneficiorum fructibus gaudere, tametsi Beneficiorum illorum onera nulla per se exsolvant, neque Ecclesiis deserviant.

Quapropter abusus conferendi Beneficia pueris tonsuratis, onera Beneficiis annexa obire non valentibus, nullatenus justificari potest per laudatam pristinam Patrum disciplinam, qui Minores Clericos functionibus Minorum Ordinum applicabant, atque eatenus eosdem tanquam Ecclesiæ veros Ministros de proventibus Ecclesiasticis participare sinebant.

Ad Numerum XXIV.

De reservatâ dispensatione super ætate, & praxi eam in Curia Romana expediendi.

Quo tempore, aut quo titulo dispensatio super ætate ad Beneficia fuerit Papæ reservata, nec apud Barbosam, nec apud alios, qui de hac reservatione & praxi testantur, legitur.

Hoc certum est, primis ut minis decem sæculis notam haud fuisse eam reservationem, neque ullum extat in Historiis, aut Canonibus recursûs ad Romanum Pontificem pro obtinenda hac dispensatione exemplum, neque ullum alicujus Generalis Concilii, aut Ecclesiæ Decretum legitur, quo hæc dispensatio ad Pontificem fuerit delata; ut vix dubium sit, quin labentibus sæculis, hæc reservatio, prout pleræque similes reservationes, invaluerit, postquam invaluit opinio quorundam Canonistarum, Episcopos quidem Decretis Pontificum & Conciliorum, necnon omnibus, quæ in Decretalibus continentur, & jus commune constituunt; ita constringi, & ligari, ut à præscripto eorum ipsis nefas esset recedere, nisi hæc dispensandi authoritas ipsis speciali titulo indulta probetur: at Romanum Pontificem, hisce Decretis nequaquam ligari; sed ei plenam esse super iis dispensandi authoritatem, uti in decursu hujus operis sæpius notatum fuit.

Si vera & sincera sit relatio Pyrrhi Corradi de praxi Curiæ Romanæ in expedienda dispensatione super ætate, ut scilicet hæc non soleat expediri, nisi una petatur Beneficii vacantis *provisio* à Papa: quodque hæc per Papam simul cum dispensatione super ætate concedatur, ac si Beneficii Provisio ad Papam spectaret, uti in textu refertur, non videtur in alium finem à Curialibus inducta hæc praxis, quam ut annatas, aliaque jura in provisione Beneficiorum solvi consueta, postulantes hanc dispensationem solvere cogantur.

Si enim justa sit causa dispensandi super ætate, quidni Provisio ab Ordinario Collatore obtenta sufficiat? Quandoquidem ipse Orator post impetratam dispensationem super defectu ætatis capax sit, ut sibi ab Ordinario Beneficium conferatur: supponitur enim nullum ei præter defectum ætatis, canonicum impedimentum obstitisse, quominus Beneficii obtinendi esset capax.

Et revera hunc esse Curiæ Romanæ in hac praxi præcipuum scopum, non obscurè innuit Pyrrhus Corradus, speciatim annotans, quod in hac Provisione solvantur jura *Cameræ Apostolicæ*, ac si Provisio Beneficii spectaret simpliciter ad Pontificem.

CAPUT II.

Ad Numerum XVIII.

Utrum possessor simplicis Beneficii onus annexum per se non adimplens possit recipere partem proventuum?

Cum ea soleat esse Fundatorum intentio, ut proventus in fundatione assignati cedant ei qui officium à Fundatore præscriptum adimplet; juxta illud: *Beneficium datur propter Officium*, non apparet sat conforme menti Fundatoris, ut hi qui nullum planè officium præstant, proventibus & quidem plerumque pro majore parte fundationis gaudeant.

Si appareant proventus abundantiores quàm requirunt onera in fundatione expressa, conformius videretur & menti Ecclesiæ & Fundatorum, ut his Beneficiis aliqua onera per Beneficiatos ad utilitatem Ecclesiæ exsolvenda imponerentur, quàm quod major proventuum pars cedat nullum officium præstanti.

CAPUT IV.

Ad Numerum XIII. & XIV.

Exteri Beneficiorum in Gallia sunt incapaces.

In textu notatum fuit, esse constantem Regni Galliæ usum, quod nullus in hoc regno queat quodcumque Beneficium possidere, nisi sit Regni incola, aut literas naturalitatis à Rege obtinuerit.

Observat autem Antonius le Vaillant, Advocatus in Parlamento Parisiensi in Notis marginalibus ad Observationes Georgii Louetii in Molineum, ad regulam Cancellariæ *de infirmis resignantibus n.* 44. quod sufficiat, „ literas, quas vocant *de naturalitate* obtinere pendente lite, & „modò sint ante decisionem in Curia Computo- „rum registratæ, Provisio invalescit, quia (ait) „est impedimentum politicum & non cano- „nicum, & ideò Rex illud potest tollere.

TITULUS XX.

De Pluralitate Beneficiorum.

CAPUT II.

Ad Numerum VIII.

Quantus jam pridem abusus circa pluralitatem Beneficiorum?

ABusum pluralitatis beneficiorum, de quo in textu, in Ecclesiis Gallicanis, etiam sæculo XIII. admodum fuisse frequentem, & radicatum, evincit disputatio acerrima eo sæculo super hac materia pluralitatis beneficiorum inter Theologos Parisienses excitata, & per plures annos continuata, de qua scribit Thomas Cantipratanus in Tractatu *de Apibus pag.* 70. inter alia, quod circa annum 1235. habita fuerit *longa valdè, & multò solemnis disputatio; an uni eidemque personæ liceret habere plura Beneficia:* ac tandem determinasse *omnes pariter Doctores, exceptis duobus, nemini licere tenere duo Beneficia sine dispendio animæ, dummodo unum valeret quindecim libras Parisienses.*

Indubiè hæc summa *quindecim librarum* Parisiensium eo tempore ad honestam beneficiati sustentationem sufficere credebatur.

Exponit etiam ibidem Cantipratanus, quàm infaustus fuerit exitus *duorum* illorum Doctorum, qui pluralitati beneficiorum renuntiare nolentes, eam mordicùs frivolis quibusdam ratiunculis justificare nitebantur.

Post hæc refert, quod triennio elapso rursus super eadem quæstione disputatio habita fuerit præsidente Guillelmo Parisiensi Episcopo; atque rursus ex *omnium* Theologorum resolutione per Episcopum conclusum & probatum esse, *duo Beneficia teneri cum salute animæ non posse, dummodò unum valeret quindecim libras Parisienses.*

Citat ibidem plures illius ætatis magni nominis Doctores, qui pluralitatem beneficiorum in suis scriptis reprobarunt. Addit prætereà, quod narrante fratre Bernardo quondam Pœnitentiario Domini Papæ, & Fratre Ordinis Prædicatorum, dixerit beatissimæ memoriæ Papa Gregorius IX. interrogatus si posset *de plenitudine potestatis cum plurium Beneficiorum detentoribus dispensare,* responderit: *Non possum nisi tantùm super vexatione detinentium dispensare.*

Hisce relatis, subdit hic Scriptor, hoc notandum monitum: "Quis ergo sapiens erit, quis fallat se, & sibi super dispensatione aliqua blandiatur? Esto quod multi Magistrorum dicant: hoc & multi alii opinentur in contrarium: *hoc solum mortale ab Augustino, omnium Doctorum maximo, judicatur, quod quis incertitudinis periculo, aut mortalis peccati discrimini se committit.*

Hujus disputationis necnon resolutionis Theologorum & Episcopi Parisiensis meminit quoque eruditus & Scriptor vitæ sancti Ludovici Regis Francorum *lib.* 4. *num.* 16. rectè ibidem reflectens, hanc disputationem nonnisi cum fine sæculi finituram: eò quòd ab una parte loquatur *veritas*, & ab altera parte corruptio cordis: *parce que d'un côté c'est la verité qui parle, & de l'autre la corruption du cœur.*

Monet prætereà, quod tametsi Rex Ludovicus impendere non posset Censuras Ecclesiasticas ad comprimendum hunc abusum, ipse tamen efficaciùs impenderit, scilicet nulli habenti beneficium, alterum conferendo, nisi priori dimisso.

Si Principes sanctum hunc Regem æmularentur, vix dubium quin in suis ditionibus magna ex parte hunc abusum eliminarent: præsertim si super literis dispensationum in Curia Romana obtentis, literas Placiti concedi vetarent, saltem super pluralitate majorum beneficiorum: vel nisi manifesta esset, aut ritè probaretur sufficiens ratio dispensationis.

Ad Numerum XIII.

Dispensandi authoritas super pluralitate Beneficiorum, quandonam Pontifici reservata?

In textu notatum est, in Decreto, quod extat *in cap. de multa* x. de Præb. reservari Pontifici facultatem dispensandi super pluralitate beneficiorum cum personis ibidem expressis.

Porrò notandum, quod in nullo hactenus celebrato Concilio similis clausula reservans & indulgens Apostolicæ Sedi dispensandi facultatem expressa reperiebatur: ut vel hinc non leve sumatur argumentum, Decreta, seu Canones hujus Concilii esse attribuenda potiùs Pontifici Innocentio III. amplificandæ authoritati Pontificiæ intentissimo, quam ipsi Concilio, quod & plures viri eruditi annotarunt.

Unde nec hæc Decreta per Decretales Gregorii IX. sub diversis titulis dispersa adscribuntur simpliciter Concilio Lateranensi; sed *Innocentio III. in Concilio Lateranensi.*

Observat autem Dandinus Alteserra in Commentario ad hanc Decretalem Innocentii III. quod primus hic Pontifex per hanc Decretalem dispensandi authoritatem super pluralitate beneficiorum Sedi Apostolicæ reservaverit: quodque hoc Decretum effugere non potuerit sinistram interpretationem Scriptorum istius sæculi, præsertim Matthæi Parisiensis *ad annum* 1235. ubi de collectione Decretalium loquens, quæ facta est Authore Gregorio IX. "in quibus (inquit) quædam innovavit, nescilicet illegitimi in Prælatias, vel Ecclesiastica beneficia, nisi adeptâ à Sede Romanâ legitimationis dispensatione obtineant, sciens inde Curiæ Romanæ pro impetratione tali multa emolumenta provenire: *sicut ex Statuto Innocentii pro dispensatione plurium Beneficiorum obtinendorum*

CAPUT III.

Ad Numerum IV.

De postulata in Concilio Tridentino omnimoda pluralitatis Beneficiorum abolitione.

IN textu notatum est, plures è Patribus Tridentinis optasse tollionmem beneficiorum pluralitatem; omnemque inter compatibilium & incompatibilium pristinis sæculis incognitam distinctionē.

Optandum sanè fuisset, ut conformiter ad postulata horum Patrum omnis beneficiorum pluralitas, necnon distinctio compatibilium & incompatibilium fuisset penitùs sublata, quemadmodum & nomine Caroli IX. Regis Galliarum postulatum fuisse legitur, uti supra *cap.* 1. *n.* 7. notatum est.

Lice-

Licet enim aliquibus casibus possit esse licita, quin & conveniens Beneficiorum pluralitas; non dubium tamen, quin multò majora incommoda, & scandala orta sint in Ecclesia & continuò oriantur per toleratam Beneficiorum pluralitatem, & distinctionem inter compatibilia & incompatibilia quam sint timenda, aut unquam timeri potuerunt ex generali abolitione pluralitatis Beneficiorum.

Ad Numerum XIV.

Distinctio inter residentiam præcisam & causativam multis sæculis incognita.

Distinctio hæc, de qua in textu, inter residentiam *præcisam & simplicem*, & residentiam *causativam*, contra Canones; necnon contra mentem Fundatorum invaluisse apparet: juxta intentionem enim Ecclesiæ & Fundatorum, Beneficia debent per ipsos Beneficiatos deserviri; & consequenter omnino contrarium esse videtur intentioni Ecclesiæ & Fundatorum, ut Beneficium retineatur per eum, qui illi deservire non intendit, tametsi proventibus ipsius Beneficii careat; quia interim verum manet, per ipsum Beneficiatum oneribus Beneficii non satisfieri; nisi tamen absens, nec personaliter exhibens officium alibi adeò utiliter Ecclesiæ inserviret; ut meritò existimetur, quod etiam absens, Ecclesiæ & Fundatorum intentioni satisfaciat.

CAPUT IV.

Ad Numerum III.

Plures difficultates exortæ ob toleratam pluralitatem Beneficiorum.

Beneficiorum incompatibilium primi & secundi generis distinctio (de qua in textu) pluraque alia, quæ innumeras quæstiones & litigia pariunt; priscis Patribus erant ignota, & feliciter sopita fuissent, si authoritate concilii Tridentini omnis omninò beneficiorum pluralitas fuisset simpliciter & indistinctè proscripta, & avita Patrum disciplina restituta fuisset, quemadmodum plures zelosiores Episcopi desiderabant, uti *cap.* 3, observatum est.

Ad Numerum VIII.

Utrum incompatibilitas primi & secundi generis per Concilium Tridentinum sit sublata?

Licet juxta dicta in textu, communior opinio habeat, distinctionem inter compatibilia *primi* & *secundi* generis per Synodum Tridentinam omninò non esse sublatam, fatendum tamen est quod, teste Garcia de Beneficiis *parte* 1. *c.* 5. *num.* 84. sæpius à Congregatione Cardinalium super interpretatione Concilii Tridentini responsum fuerit, Decretum Concilii Tridentini *Sess.* 7. *cap.* 4. *de Reform.* spectare ad omnia Beneficia alias quâcumque ratione incompatibilia.

Neque diffiteri posse videtur, quin inspectis verbis Decreti, videri possit Concilium loqui in hoc Decreto generaliter de omnibus Beneficiis quâcumque ratione incompatibilibus; quantumvis & hoc fatendum sit, propter obscuram Decreti expressionem, in pluribus regionibus eo modo intellectum, & receptum videri hoc Decretum, ut distinctio inter incompatibilia *primi* & *secundi* generis nequaquam censeatur per hoc Decretum sublata; ita ut Concilium salvam reliquerit distinctionem horum Beneficiorum ad eum effectum, ut incompatibilia *primi* generis vacent *ipso jure*; non autem *secundi* generis: sed quod primum Beneficium per adeptam possessionem pacificam secundi non vacet ipso jure, sed duntaxat per sententiam Judicis posse eo privari.

Ad Numerum IX.

Ante captam secundi Beneficii possessionem non vacat primum ipso jure.

Quandoquidem nullum tempus in jure determinatum sit, intra quod Beneficiatus teneatur realem & corporalem Beneficii possessionem accipere idcirco & communi Doctorum opinione & praxi receptum est, ut ob acceptum Beneficium secundum non inducatur vacatio *primi*, ante adeptam corporalem possessionem secundi: ita ut si per ipsum Beneficiatum stetisset, possessionem corporalem *secundi* accipere.

Unde quod in textu conformiter ad *Extravagantem* Joannis XXII. dictum est, primum Beneficium vacare, si per Beneficiatum steterit, *quominus pacificam possessionem habeat*, referendum est non ad possessionem; sed ad vocem pacificam, & per eum stet, quominus *hæc* possessio sit *pacifica*.

Voluit enim per hanc declarationem Pontifex præcavere, ne prætextu alicujus suscitatæ controversiæ, sive litis, fraus fieret Canonibus, pluralitatem Beneficiorum vetantibus.

Contingebat enim non rarò, ut qui plurium Beneficiorum proventibus gaudere cuperet, possessionem quidem realem *secundi* Beneficii acciperet, ut ea mediante proventus illius sibi cederent: sed ne per hanc adeptam possessionem, *primum* Beneficium amitteret, cum ficto aliquo adversario colludens, litem sibi suscitari procurabat; ut ita possessio appareret *non pacifica*.

Itaque ut hisce fraudibus occurratur declaravit Pontifex in citata Extravagante, quod per possessionem *secundi* Beneficii, vacet priùs si probari queat, quod per ipsum Beneficiatum steterit, quominus hæc jam capta possessio fuerit *pacifica*.

Et sanè cùm ante captam possessionem, Beneficiatus nullos proventus ipsius Beneficii queat obtinere; & consequenter non videatur ante captam possessionem Beneficium perfectè habere: sed demum à capta possessione jus percipiendi proventus Beneficii acquirat, mirum non est, quod ante acceptam possessionem, nulla prioris Beneficii inducta sit vacatio, eò quòd hactenus nonnisi unius beneficii, in cujus possessione est, proventibus gaudeat.

CAPUT V.

Ad Numerum XVIII.

Per triennalem possessionem non tollitur abusus incompatibilitatis.

Observatum est in textu ex Stephano Weymsio, quod is qui ex dispensatione Pontificia plura retinet beneficia, teneatur literas dispensationis exhibere Ordinario, neque eam exhibitionem negare queat titulo triennalis pacificæ possessionis.

Quin & monet Author Gallicus notatum in Concilium Trident. Edit. 1706. pag. 118. quod triennalis possessio non suffragetur incompatibilitati, vel pluralitati beneficiorum, eò quod hæc possessio abusum non abstergat, & ita judicatum in Parlamento Parisiensi anno 1611.

Ad Numerum XX.

Literæ dispensationis super pluralitate Benefi-

Juxta receptam hîc in Belgio, aliisque passim provinciis praxim, literæ dispensationis super pluralitate beneficiorũ executionẽ habere nequeunt nisi præhabito Principis *Placito*; non solent enim

ciorum hic in Belgio literis **placet** *indigent.*

similes dispensationes è Curia Romana emanantes executionem habere, si appareat, illas sine scandalo, aliisque incommodis executioni mandari non posse.

Neque enim literæ *Placiti* super simili dispensatione dari solent, nisi priùs auditis Ordinariis, è quibus si intelligant, eam dispensationem sine scandalo, alilsque incommodis executioni mandari non posse, aut id aliunde Consiliis Regiis notum sit, Placitum haud facilè annuetur: solum enim scandalum, quod prævidetur exoriturum ex literarum Apostolicarum executione esse justam & sufficientem causam negandi Placitum, certum est, uti probavi in Tractatu de Publicatione Legum & Placito Regio.

TITULUS XXI.

De Ordinaria Beneficii Provisione.

CAPUT I.

Ad Numerum III.

Pristinis sæculis omnium Beneficiorum Provisio censebatur Ordinaria.

QUandoquidem ante sæculum XI. vix sciatur, Beneficia à collatione Ordinum fuisse separatim collata; sed ad illud usque tempus, ipsam Ordinationem vicem subiisse collationis Beneficiorum, sive per ipsam Ordinationem Clericos fuisse singulis Ecclesiis, tanquam earum Ministros, adscriptos, atque per eam adscriptionem consecutos jus participandi de proventibus Ecclesiæ in alimentationem Ministrorum primariò destinatis, etiam ad eam usque ætatem ad solum Episcopum Beneficiorum, ut hodie loquimur, Provisio pertinuisse creditur, neque ante eam ætatem, de aliis Collatoribus Ordinariis Beneficiorum ab ipsa Ordinatione distincta, quidquam legitur; omnesque illæ innumeræ ferè, ac quotidie incidentes difficultates, & quæstiones circa Beneficiorum distinctionem, jura Collatorum, modum & formam collationis ætatem & qualitates Beneficiandorum, aliaque similia demum post erectos titulos Beneficiales & separatam eorum ab Ordinatione collationem, sive Provisionem emserserunt, & Ecclesiam turbare cœperunt.

Quin neque ante hanc inductam separationem, quidquam de provisione Apostolica, sive Romani Pontificis, sive vigore Reservationis, sive Gratiæ Expectativæ, vel Præventionis, vel Devolutionis legitur: nec mirum; Pontifices enim Romani singulis Episcopis juxta Canonicas sanctiones liberas Clericorum suorum Ordinationes permittebant.

Hæc & notavit Franciscus Duarenus *de sacris Ministeriis lib. 2. cap. 3.* observans, quod ante erectionem titulorum solerent disputare antiquiores, ut quærerent, quis Ecclesiæ ministrum *ordinare*, & quis *ordinari* deberet: *recentiorum* verò quæstiones (ait) hæ sunt vulgò usitatæ, *quis Beneficium conferre, cui conferri possit.*

Et rursus *lib. 3. cap. 1.* ubi quærens, quam in conferendis Beneficiis potestatem habeat Romanus Pontifex, respondet " eum *priscis* temporibus, nullum jus nullamque potestatem Ordinandorum Sacerdotum aut Clericorum extra propriam Diœcesim sibi vindicasse.

Ex his ulterius concludit: "Cùm ergo pontifex Romanus secundùm *antiquos Canones* in alienis Ecclesiis neminem *ordinare*, id est, ad Ministerium Ecclesiæ promovere possit, satis perspicuum est ex his, quæ secundi libri cap. 3. diximus Ecclesiastica Beneficia totius orbis ab eo conferri non posse, nec verò dubium est, quin vetustiores sanctioresque urbis Romanæ Episcopi, sede Ecclesiâque propriâ contenti, reliquis Episcopis Ecclesiarum ipsis commissarum, liberam administrationem reliquerint, quasi urbis hujus magis, quàm orbis Episcopi.

Ad Numerum XXX.

Beneficia Parochialia, Sede vacante per Capitulum conferri possunt, etiamsi ad solius Episcopi Provisionem spectent.

Quod de jure Capituli *Sede vacante* conferendi Beneficia Parochialia ad plenam Provisionem Episcopi spectantia, juxta receptam in Gallia praxim, in textu notatum est, refertur & in actis Cleri Gallicani *tom. 1. tit. 1. cap. 2. num. 30.* ita à Parlamento Parisiensi judicatum fuisse 6. Septembris 1642.

CAPUT II.

Ad Numerum XV.

Qui testes in instrumento Provisionis Beneficiariæ sint adhibendi?

TAmetsi in Belgio hactenus statutum non reperiatur, quod testes in literis collationis adscribendi, debeant esse *omni exceptione majores*, neque sciatur in qualitates similium testium scrupulosè inquiri; quia tamen fides litterarum aliquatenus dependet à fide testium, indubiè tutiùs est, hisce in literis, etiam testes *omni exceptione* majores adhibere, ne aliàs ob defectum integritatis testium, fides literarum in dubium vocetur.

Ad Numerum XXII.

In dubio Provisio Ordinaria in Regno Galliæ dicatur præcessisse Provisionem Apostolicam.

Decretalis Bonifacii VIII. præferens in dubio Pontificiam Provisionem Provisioni Ordinarii, in Gallia non recipitur; sed è contrario in hoc Regno Provisio Ordinarii præsumitur & judicatur ipsam Provisionem Pontificis præcessisse, etsi Provisio Ordinarii non probetur Provisionem Apostolicam præcessisse, uti infra *tit. 23. cap. 7. num. 32.* notatur.

CAPUT IV.

Ad Numerum II.

In quibus servanda sit forma Capituli: Quia

QUOD in textu notatur, formam præscriptam in cap. *Quia propter x. de Elect.* de jure duntaxat servandam in electione ad dignitates, per quarum vocationem Ecclesia dicitur *viduata*, in tantum procedere credit Molinæus ad regulam *de infirmis Resignantibus, num. 5. & 6.* " ut si dignitas

propter *sub pœna nullitatis.* "nitas non sit talis, per quam sit *viduata* Eccle-"sia, & licèt ex speciali Statuto, aut consuetudi-"ne debeat in hujus electione servari forma *Capi-*"*tuli Quia propter*, non propterea censetur pro-"priè dignitas electiva, & si forma omittatur, non "propterea fit electio nulla.

Nec mirum, exactiorem electionis formam in similibus dignitatibus, quarum vacatione Ecclesia dicitur *viduata*, præscriptam, & sub pœna nullitatis esse servandam, quàm in aliis dignitatibus: quia non solet per vacationem dignitatis Ecclesia dici *viduata*, nisi obtinens dignitatem, unà obtineat ipsum regimen spirituale Ecclesiæ, sive sit Pastor ipsius Ecclesiæ, & cura animarum ipsi incumbat.

Si tamen in limine fundationis cautum sit, in electione ad eam dignitatem, esse servandam formam in citato Capitulo præscriptam, crederem electionem factam contra tenorem fundationis, ut nullam fore declarandam.

CAPUT V.

Ad Numerum XII.

De jure devolutionis à Capitulo negligente ad Episcopum.

QUod hîc ex Garcia observatum fuit, ob neglectam collationem, jus conferendi, devolvi ad Metropolitanum, si Episcopus in suo turno solus conferat, procedit in casu, quo non obstante divisione *turni* in Episcopum & Capitulum, jus conferendi remanet *simultaneè* penes Episcopum & Capitulum; ita ut jus designandi personam potius, quàm ipsum jus collationis dici debeat divisum; quemadmodum contingere solet, ubi inter Canonicos jus conferendi *per turnum* Beneficia ad collationem vel electionem Capituli spectantia, est introductum: alias si jus collationis revera esset divisum inter Episcopum & Capitulum; ita ut in suo turno Capitulum, excluso Episcopo, integrum jus conferendi *in solidum* habeat non videtur, quòd Episcopus à jure devolutionis negligente Capitulo intra tempus conferre, esset excludendus; cùm eo casu non esset par cum Capitulo Collator.

TITULUS XXII.

De Concursu ad Parochiales Ecclesias.

CAPUT II.

Ad Numerum VIII.

Vicariæ perpetuæ concursui subjacent.

QUamvis fateatur Zypæus, Concilium Brabantiæ judicâsse Vicarias perpetuas subjacere concursui, uti in textu monuimus, ipse tamen super hac quæstione consultus respondit, verius esse, Parochiales Ecclesias, quoad titulum Capitulis, aut Monasteriis unitas & incorporatas, nequaquam subjectas esse concursui, tametsi etiam authoritate Episcoporum in *Vicarias perpetuas* postmodum fuerint erectæ.

Idque hoc unico, ut apparet, fundamento, quòd titulus Beneficii Parochialis, non obstante hac erectione, maneret extinctus, adeoque decedentibus Vicariis, non posset dici, Ecclesias illas verè vacare.

Verùm in hoc fallitur Zypæus: per erectionem enim *Vicariæ perpetuæ*, rursus novus ac verus titulus Parochialis per Episcopum erigitur, & vigore hujus sic erectæ *Vicariæ perpetuæ*, Vicarius *perpetuum verum titulum* Ecclesiasticum, & Beneficium Parochiale consequitur.

Ulteriùs vigore hujus tituli, per Canonicam institutionem & possessionem, assequitur jus ad omnes functiones ad curam animarum spectantes, sive verum jus Parochiale, unà cum jure ad competentiam pastoralem, aliaque jura Parochialia, ut & propterea Vicariæ perpetuæ à Canonistis *vera* Beneficia reputentur, ut in textu notatum est.

Verum quidem est, quòd non obstante hac in Vicariam perpetuam erectione nihilominus non totaliter annulletur ejusdem Ecclesiæ Parochialis incorporatio, sive unio, saltem quoad temporalia, & jura honorifica, aliave curam & regimen spirituale animarum non attingentia; sed hæc incorporatio manens salva post erectionem Vicariæ perpetuæ, non impedit erectionem *veri tituli* Parochialis, sed id unum operatur hæc remanens incorporatio, quòd Vicarius perpetuus vigore hujus tituli sive Vicariæ perpetuæ, non consequatur jus percipiendi omnes decimas & proventus de jure communi, ad Ecclesiam Parochialem pertinentes, sed ob factam unionem duntaxat jus ad competentiam pastoralem consequatur.

Verùm hæc decimarum, aut proventuum aliorumve jurium ad Monasteria aut Capitula translatio, non impedit veri tituli conditionem, non magis quàm si citra unionem, sive incorporationem à Beneficio Parochiali pars proventuum abstraheretur.

Igitur rectè judicavit Concilium Brabantiæ, Vicarias perpetuas, conformiter ad Decretum Concilii Tridentini, concursui esse subjectas.

Accedit, quòd, cùm Concilium Tridentinum per suum Decretum intenderit modum præscribere & formam, quâ salubriùs possit saluti animarum provideri, omninò à mente Concilii Tridentini videretur alienum, ejusmodi Vicarias perpetuas à concursu eximere: quandoquidem per has Vicarias Ecclesiis Parochialibus de Rectoribus non minùs provideatur, quàm per Beneficia Parochialia non incorporata.

Et sanè, si Ecclesiæ Parochiales Capitulis aut Monasteriis incorporatæ, & in quibus per Vicarios perpetuos cura animarum exercetur, à concursu eximerentur, vix ullæ Ecclesiæ Parochiales ex Præscripto Concilii Tridentini concursui subderentur; quandoquidem pleræque præsertim rurales Capitulis, aut Monasteriis reperiantur incorporatæ.

Ad Numerum XII.

In textu mentio incidit de Beneficiis *Patrimonali-*

Beneficia Patrimonialia non facilè admittenda.

nialibus; quodque, si Parochialia sint, hæc etiam juxta Decretum Concilii Tridentini esse concursui exponenda. Verùm, quia Beneficia notanter curata non sunt Jure hæreditario deferenda, omnisque carnis & sanguinis affectus, præsertim in horum provisione abesse debet, optandum esset, ut hæc Beneficia penitùs fuissent abolita, nullaque saltem de novo admittantur per Episcopos.

CAPUT III.

Ad Numerum VI.

Non nimium scrupulosè circa formam concursûs statuendum.

IN textu notavimus ex Zypæo *Consult.* 1. *de Elect. num.* 6. quòd nonnulli nimiùm rigorosè cortici verborum Decreti Concilii Tridentini inhærentes, ob leviores formalitates prætermissas, reddant concursum ad Parochiales Ecclesias invalidum; imò in pluribus Diœcesibus quodammodo impossibilem.

Porrò rectè monet Zypæus *num.* 9. quòd mens Concilii Tridentini fuerit saluti animarum permaximè idoneos Parochos providere. "Quod „& Synodus 1. Provincialis Mechliniensis con„siderans, literam occidere, rationemque legis „vivificare, commiserit prudentiæ Episcopo„rum, omnia ad examen hujusmodi necessaria, „& provisiones post examen ipsorum judicio ne„cessarium factas, validas declaraverit: profectò „(ait) salubrius quàm Romanistæ quidam Curia„les, qui omnes consectantur subtilitates, ut „hujusmodi concursus subvertant, quo via ape„riatur Romipetis, qui annatus augeant.

Ad Numerum XIX.

Quid maximè ab Examinatoribus Synodalibus in examine sit attendendum?

Quandoquidem Concilium Tridentinum velit, ut Examinatores inquirant, utrum concurrentes sint idonei ad regendam *vacantem* Ecclesiam, indubiè magis consonum esset menti Concilii, ut vacante aliquâ Ecclesiâ Parochiali, non exspectaretur plurimùm aliarum Ecclesiarum vacatio, ut unico instituto concursu omnibus vacantibus provideretur, sed & unâ vacante, pro hac particularis haberetur concursus; ut ita examen cum respectu ad hanc Ecclesiam vacantem institueretur, qui respectus non ita commodè haberi potest, quando instituitur concursus & examen super pluribus simul vacantibus Ecclesiis, prout hodie in pluribus Diœcesibus fieri solet.

Quin & in aliquibus Diœcesibus id consuetum est fieri, ut, examine peracto, idonei aut magis idonei renuncientur ad vacantes Ecclesias, qui quæstionibus propositis meliùs satisfecisse judicantur; sæpè nullo, aut modico habito respectu ad cæteras qualitates, quæ pro singularum Ecclesiarum Parochialium vacantium conditione essent requirendæ.

Quis enim nescit, pro diversitate Parochiarum, & variâ populi conditione & genio, varias quoque in Pastore & Rectore qualitates requiri, non tantùm in doctrina & scientia, sed & in modo conversandi & agendi.

Aliter agendum cum populo moribus agrestibus & planè incultis addicto, aliter cum populo genii cultioris & nobilioris.

Quod autem in quibusdam Diœcesibus invaluit, ut concurrentes declarare jubeantur, ad quam vacantem Ecclesiam concurrant, meritò expenderint Episcopi, utrum menti Ecclesiæ & Concilii Tridentini, necnon vocationi ad regimen animarum sat sit conforme.

TITULUS XXIII.

De Mandatis & Reservationibus Apostolicis.

CAPUT I.

Ad Numerum XVIII.

De postulata per Legatum Apostolicum Reservatione duarum Præbendarum in Ecclesiis Gallicanis.

IN textu notavimus, quòd Legatus Honorii III. postulaverit à Prælatis Regni Galliæ reservationem duarum Præbendarum ad usum Sedis Apostolicæ: sed notandum, quod refertur *tom.* XI. *Concil. General. col* 303. ex Matthæo Parisiensi, quo motivo hæc nomine Pontificis se postulare diceret Legatus, & quæ Prælati opponerent, & quanta pecuniarum moles ex hac reservatione ad Curiam Romanam obventura diceretur.

„ Allegat Legatus (ait Historicus) scandalum „sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & opprobrium vetu„stissimum, notam scilicet concupiscentiæ, quæ „radix dicitur omnium malorum, & in hoc præ„cipuè, quod nullus potest aliquod negotium in „Romana Curia expedire, nisi cum magna effu„sione pecuniæ, & donorum exhibitione: sed „quoniam scandali hujus & infamiæ, Romana „*paupertas* causa est, debent Matris inopiam „sublevare, ut filii naturales; quia, nisi à vobis & „aliis viris bonis & honestis dona reciperemus, „deficerent nobis necessaria vitæ, quod esset „omninò Romanæ incongruum dignitati.

„Ad istud itaque scandalum penitùs eradi„candum (pergit Legatus nomine Pontificis) „per Consilium Fratrum nostrorum sanctæ „Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, quandam „providimus formam, cui si volueritis consen„tire, à scandalo matrem vestram poteritis li„berare, & in Curia Romana sine donorum „obsequio exhibitionem Justitiæ obtinere.

Respondebant autem Episcopi Gallicani, „scandala, quæ Legatus Pontificis pro motivo „postulatæ Reservationis allegabat, nequa„quam removenda per similes Reservationes; „sed è contrario majora timenda è divitiis ex „hujusmodi Reservationibus ad Curiam Ro„manam devolvendis.

Atque imprimis observabant, "quòd, si hu„jusmodi reservationes & bonorum distributio „fierent, proportionaliter omnes in Curia Ro„mana fierent divites, cùm multò plus essent „recepturi quàm *Rex proprius*: & sic majores „non solùm divites, sed & ditissimi fierent.

„Cùm igitur [subjungunt] vermis divitiarum „sit superbia, majores vix causas audiret, sed eas in

immen

„immensum differrent, & minores scriberent in„viti, cujus rei experimentum in evidenti est, quia „& modò negotia protrahunt, etiam post perce„pta obsequia, & securitatem percipiendi: & sic „periclitaretur justitia, & oporteret conquerentes „mori in januis Romanorum tunc plenissimè do„minantium. Item cùm vix possibile sit, fontem „cupiditatis desiccari, quod nunc faciunt per se, „facerent per alios, & suis multò majora quàm „nunc dari munera procurarent: modica enim „nulla sunt in conspectu divitum cupidorum. „Item multæ divitiæ facerent Romanos insanire, „& sic inter diversas parentelas tantæ orirentur „seditiones, quod possit timeri potiùs excidium „civitatis, cujus etiam modò penitus expers non „est.

Plura alia Regno Galliæ ex hac postulata reservatione imminere incommoda præsagiebant, ob quæ vehementer hanc postulationem aversabantur; adeò quidem, ut Prælati in Conventu præsentes Legato Apostolico dicere non vererentur, se scire, quod sine maximo scandalo postulata ad effectum deduci non possent.

„Quia esto (inquiunt) quòd aliquis assentiret, „nullus esset ejus assensus in rebus, quæ omnes tan„gunt, cùm ferè omnes majores, & generaliter „omnes subditi, necnon & ipse Rex, & omnes „Principes parati sint contradicere, & resistere „usque ad capitis expositionem, & omnis honoris „privationem, præsertim cùm videatur immine„re propter hoc scandalum subversio Regni & „Ecclesiæ Generalis. Hæc fusius narrat Mattheus „Parisiensis ad annum 1226.

Ad Numerum XXVII.

Quandonam & quâ occasione invaluerit reservatio Episcopatuum?

Notatum fuit *parte* 1. *tit.* 13. *cap.* 2. *num.* 4. ex Barbosa, quòd primus Pontificum fuerit Clemens V. qui dispositioni Sedis Apostolicæ reservavit Episcopatus *in partibus infidelium* populo cleroque carentibus per Clement. *In plerisque de Elect.* quod argumento est, ante hanc reservationem Clementis V. etiam cæteris Episcopis licuisse, aliquos ordinare Episcopos ad similes Ecclesias Cathedrales, adeoque modernam disciplinam, quâ soli Pontifici Romano autoritas esse creditur, Episcopos ad similes Ecclesias ordinandi, nonnisi ætate Clementis V. id est sub initium sæculi XV. ortum habuisse.

Porrò ex hujus Clementinæ Contextu intelligitur, occasionem hujus reservationis fuisse abusum, qui ex frequentiore similium Episcoporum ordinatione proveniebat.

Ad hujusmodi enim Ecclesias populo & clero Christiano carentes, passim ordinabantur Religiosi, præsertim ex Ordine Mendicantium, qui ad similes Ecclesias assumpti, & in Episcopos consecrati, cum notabili Pontificalis Officii dedecore vagabantur, & quæstum ex Episcopalis Officii functionibus faciebant: „Qui Religiosi tales (ut ait Glos„sa) per totam vitam instant vagando & discur„rendo per Diœceses, quærendo vicariatus ab Epi„scopis habentibus latas Diœceses; & ut ipsi sint „Episcopi *portativi*, sicut videmus in multis civi„tatibus, in quibus non resident Episcopi, & isti „Episcopi non residentes, dant Vicariatum suum „cuidam Religioso Episcopo, qui vulgariter ap„pellatur Episcopus *portativus*, qui confert Ordi„nes Episcopi: vel dic *instabilitate vagationis*, „quia isti vadunt ad Curias Principum, & quærunt „habere pensionem, & multoties Principes eos „habent tanquam familiares, & tanquam Ca„pellanos.

Optandum esset, ut id, quod in hac Clementina interdicitur Prælatis, non frequentaretur in Curia Romana: atque per hanc reservationem ipsis abusibus remedium fuisset allatum.

Quid enim distant multi, qui hodie, tum Regulares tum Sæculares ordinantur ad Ecclesias Cathedrales *in partibus infidelium* sitas, Clero ac populo Christiano, omnique reditu temporali destitutas, quique vulgò dicuntur *Titulares*, ab his, quos in hac Clementina describit Pontifex, quosque Glossographus vocat Episcopos *portativos*; quique non in alium finem videntur ordinati Episcopi, nisi ut in Principum aulis, Pontificali charactere insigniti, tanquam Legati seu Nuntii Pontificis resideant; vel Episcopis opulentioribus, & illustriores Ecclesias obtinentibus, Vicarios in Officii Pontificalis exercitio agant, aut certè in ipsa Curia Romana officia nullatenus ad Pontificale officium pertinentia, obeuntes, Ministri aulæ Romanæ cum Pontificalis Officii depressione habeantur,

Et sicuti observat Glossographus, quòd Episcopi illi *portativi* irent ad Curias Principum, & quærerent habere pensionem, & multoties Principes eos haberent tanquam familiares & tanquam Capellanos; ita & hodie conspiciuntur Episcopi ad similes Ecclesias ordinati, in Curia Romana quærere à Pontifice pensiones, & in familiares Capellanos Pontificis assumi.

Itaque per hanc Clementis Constitutionem id unum effectum videtur, quòd authoritas ordinandi Episcopos ad similes Ecclesias Episcopis fuerit adempta, & Romano Pontifici reservata.

Cæterum de origine & abusibus horum Episcoporum Titularium latius actum est in notis ad part. 1. tit. 15. cap. 4. n. 27.

Quòd ulterius *part.* 1. *tit.* 13. *cap.* 2. *num.* 4. ex Barbosa aliisque observatum est, reservationes Episcopatuum circa tempus Clementis V. invaluisse, majusque sensim incrementum sumpsisse, mirum videri non debet.

Scitur enim circa ea tempora invaluisse, quin & à Canonistis receptam esse opinionem, quòd ad Romanum Pontificem pertineret libera omnium Beneficiorum & Dignitatum per totam Ecclesiam Catholicam dispositio; atque hæc opinio etiam ipsos Principes, eorumque Ministros occupâsset.

Quare & videmus, quòd & Principes non tantùm eam in Pontifice reservandi authoritatem recognoscerent; sed & subinde apud Pontificem instarent, ut vacantem Ecclesiam suæ provisioni reservaret; præsertim dum videbant favore Pontificis ad vacantem Ecclesiam promovendam esse personam sibi gratam.

Ita legimus Philippum pulchrum Regem Galliæ institisse apud Clementem V. ut vacantem Senonensem Ecclesiam suæ dispositioni reservaret, atque mediante hâc reservatione, & favente Pontifice, Episcopus Cameracensis ad Ecclesiam Senonensem transferretur.

Literas Clementis V. ad Philippum Regem exhibet Stephanus Baluzius *tomo* 2. *Vitarum Paparum Avenionensium pag.* 144. ex quibus habetur, quòd Rex institerit, ut vacanti Ecclesiæ Senonensi per Pontificem provideretur de persona *quæ suis desideriis grata foret*, & de qua *fiduciam gereret pleniorem*; atque nominatim institerit, ut Philippum Cameracensem Episcopum ad Metropolitanam

tanam Senonensem vacantem transferret. Respondit Pontifex, cum desiderio Regis super hac translatione aliter satisfieri non possit, provisionem Ecclesiæ Senonensis *hâc vice dispositioni nostræ & Sedis Apostolicæ duximus reservandam.*

Literas, quibus Pontifex Senonensem Ecclesiam suæ dispositioni reservavit, exhibet ibidem Stephanus Baluzius *pag.* 142.

Porrò in his literis præmittit Pontifex, quòd „imminente sibi Ecclesiarum omnium solicitudi-„ne generali circa illas salutaris providentiæ stu-„dium adhibere ipsum conveniat.

Quibus præmissis subjungit, sibi incumbere, ut de idoneis Pastoribus provideatur vacantibus Ecclesiis: ac descendens nominatim ad vacantem Ecclesiam Senonensem, dicit: " quòd intendens „huic Ecclesiæ vacanti *de persona secundùm cor* „*suum idonea, quæ tanto oneri & honori congruat,* „*providere, provisionem ipsius Ecclesiæ hâc vice* „*dispositioni & ordinationi suæ, & Apostolicæ Se-dis, ex certis, & magnis rationibus, & causis, quæ* „(ait) *nostrum ad hoc animum moverunt, cum* „*Fratribus nostris super hoc deliberatione præha-„bitâ diligenti, de ipsorum Fratrum Consilio spe-„cialiter reservet.*

Ex his nequaquam obscurum est, eam tunc fuisse Pontificum opinionem, quòd omnium Ecclesiarum sollicitudo, & provisio quodammodo ad Romanum Pontificem pertineret, ut, si expedire videretur, posset ipse de Pastore vacanti Ecclesiæ providere.

Insuper cùm & ipsi Principes hanc in Pontifice authoritatem agnoscerent, & in suis ditionibus admitterent, non mirum, si Pontifices, instigantibus Curialibus, omnes sensim Ecclesias Cathedrales, & Metropolitanas dispositioni Sedis Apostolicæ reservârint, uti in textu notatum est.

Quàm parum autem hujusmodi reservationes placuissent sancto Gregorio, cognoscitur ex Epistola ad Presbyteros, Diaconos, & Clerum Mediolanensis Ecclesiæ; significaverat quippe Clerus Mediolanensis sancto Gregorio, omnium eligentium in Constantium Ecclesiæ Mediolanesis Diaconum convenisse consensum, ut vacanti Ecclesiæ Episcopus præficeretur, super qua electione sententiam ipsius sancti Gregorii expetebat.

Respondit autem Gregorius per hanc Epistolam, dictum Constantium "*dudum sibi bene cogni-„tum fuisse*, sibique cùm in urbe Regia responsa „Sedis Apostolicæ faceret, longo tempore adhæ-„sisse, ac nihil unquam in illo, quod reprehendi „passim potuisset, invenisse.

„Verùm tamen (ait) quia antiquæ deliberatio-„nis meæ intentio est, ad suscipienda Pastoralis „curæ onera, pro nullius unquam misceri perso-„na, orationibus prosequor electionem vestram, „ut omnipotens Deus, qui futurorum actuum no-„strorum semper est præscius, talem vobis Pasto-„rem præbeat, in cujus lingua & moribus exhor-„tationis divinæ pascua valeatis invenire.

Sic metuebat sanctissimus & illuminatissimus Pontifex se immiscere electioni Episcopi, ut nec de capacitate personæ sibi notæ judicium ferret: quantò minus sibi, ablato aliis jure, eligendi provisionem vindicare, seu reservare voluisset.

Ad Numerum XXXVIII.

Reservationes in Belgio etiam post

In textu notatum est, Reservationes & Expectativas in hisce provinciis etiam post Decretum Concilii Basileensis amplius quàm in cæteris provinciis fuisse admissas, quod mirum videri non debet, si attendatur, quòd Philippus Dux Burgundiæ & Comes Flandriæ omni studio fovebat partes Eugenii IV. contra Concilium Basileense, uti habetur ex Historicis illis temporis.

Concilii Basileense admissa, & quare?

Atque inter alios Odericus Raynaldus ad annum 1439. *num.* 27. recitat Epistolam Eugenii IV. ad Carolum VII, Regem Galliæ, in qua Eugenius significat Regi Galliæ, " quòd rem dignam „magnâ laude peregerit dilectus filius *Dux Bur-„gundiæ*, qui (inquit) per suas patentes literas „præcepit sub gravibus pœnis in suis Dominiis, ne „ullis literis illius sceleratissimæ Conventiculæ „(Concilii Basileensis) aliquis obediret, aut ad sua „dominia illas auderet deferre.

Et in literis ad ipsum Ducem Burgundiæ eum instanter rogat, ut in hoc proposito perseveret: Perge, inquit, ut cœpisti, suscipiens „scutum unitatis Ecclesiæ, & defensionis no-„stræ.

Cùm igitur Decreta Concilii Basileensis hisce in provinciis non reciperentur; imò nec inferri sinerentur, mirum non est, si Reservationes & Expectativæ hisce in provinciis cum ordinaria sequela incommodorum, amplius quàm in aliis provinciis sensim invaluerint, uti coram Maximiliano & Philippo Principibus Belgii exposuit Procurator Regius, unà singulatim exponens, plurima incommoda, quæ ex his Reservationibus, & Expectativis, aliisque Romanæ Curiæ Provisionibus in Rempublicam, seu Politicam, seu Ecclesiasticam redundarent; quæ & dictos Principes promoverunt, ut publicis Edictis hisce Reservationibus & Expectativis, aliisque è Curia Romana emanantibus provisionibus limites posuerint: uti in textu expositum est.

CAPUT II.

Ad numerum X.

Plures fuisse contra Romanas Reservationes & Expectativas gravissimas querelas, tum ante Concilium Tridentinum, tum in ipso Concilio, in textu observatum est.

Querelæ contra nimias Reservationes & Expectativas Romanas.

Inter has querelas notanda occurrunt Principum Germaniæ gravamina, nomine Nationis Germanicæ circa annum 1510. cum remediis & advisamentis ad Cæsaream Majestatem missa, quorum gravaminum quartum his verbis exprimebatur: *Quòd Beneficia & Dignitates majores Cardinalibus & Protonotariis reservantur.* Quintum contra Expectativas hoc tenore erat conceptum: *Quòd expectativæ gratiæ absque numero conceduntur, & multæ interdum ad unum Collatorem unde surgunt quotidianæ lites, & pecuniæ dilapidantur, tum illæ, quæ pro litibus deducendis confirmantur. Inde apud quosdam ortum est proverbium: Quisquis gratiam Expectativam ab urbe extraxerit, centum aut ducentos aureos nummos in cistam simul ad ipsam gratiam reponat, quibus ad prosequendam litem opus habebit*: integra habentur apud Goldastum tomo 2. Constit. Imperial *pag.* 119.

Quemadmodum Principes Germaniæ notârunt, Expectativas similesque Curiæ Romanæ provisiones, multifarias & dispendiosas parere lites; similiter & Oratores Regis Galliæ monuerunt, nullum aptius esse remedium minuendis litigiis inter Ecclesiasticos, quàm si *Præventiones*

tiones & similes & Provisiones è medio tollerentur.

In reflexionibus enim suis ad articulos Reformationis per Legatos Sedis Apostolicæ sub Pio IV. in Concilio Tridentino propositos, & quorum unus erat de minuendis litigiis inter Ecclesiasticos, dixerunt, " se existimare, nullam „aliam esse rationem, aut viam præscindenda„rum hujusmodi litium, quàm, si tollantur om„ninò Præventiones, & alii illegitimi modi ac„quirendi beneficia, qui nuper in Christi Eccle„siam magno malo irrepserunt; uti refertur in li„bello, cui titulus: *Memoires sur le Concile de* „*Trente* Editionis 1654. *pag.* 574.

Ad Numerum XII.

Quæ restituunt jus commune, facilè recipiuntur.

In Gallia, uti & in hisce Provinciis, facilè recipiuntur Decreta Concilii Tridentini, vel etiam Pontificia, quibus jus commune, & Ordinariorum de providendo beneficiis authoritas contra reservationes aliásque Provisiones Curiæ Romanæ restituitur, aut integra conservatur.

Unde notat Molinæus ad Regulam de infirmis Resignantibus *num.* 260. " quòd Papa non pos„sit contravenire formæ in concordatis præscri„ptæ, in quantum derogaret *amplius* juri com„muni, aut Ordinariorum, sed si apponeret „clausulas, quibus *magis rediretur* ad jus com„mune, hæc valerent & reciperentur.

Eodem fundamento plures receptas, hîc & in Gallia Regulas Cancellariæ, earumque clausulas, in quantum juri Ordinariorum favere posse videntur, in decursu hujus operis annotatur.

Ad Numerum XIII.

Expedit ut potius singulis Episcopis in sua respectivè Ecclesia competat Provisio Beneficiorum, quàm soli Romano Pontifici.

Quantumvis beneficiorum Provisio ad solam externam Ecclesiæ disciplinam, mutationi obnoxiam, spectare dicatur, uti in textu, notatur, nihilominus illud indubitatum, quòd singulis Episcopis pro Ecclesiarum suarum regimine, jure quodammodo proprio competat electio Ministrorum, præsertim eorum, quibus cura animarum incumbit.

Illud prætereа sat constat, per decem circiter sæcula non legi Romanos Pontifices electionem aut Ordinationem Clericorum seu Ministrorum Ecclesiæ extra suam Diœcesim Romanam sibi attraxisse: ut propterea, nec per illa tempora quidquam de Reservationibus, aut Expectativis, aliisque similibus Provisionibus Apostolicis legatur.

Neque & illud negari potest, exactionem & certiorem notitiam de capacitate ac moribus Ordinandorum, & ad Ministeria Ecclesiastica assumendorum habere posse singulos Episcopos & Ordinarios in suis respectivè Diœcesibus, quam Romanum Pontificem de promovendis per dissitas Provincias.

Idipsum sat evidenter fatetur Curia Romana, dum ex solito stylo Provisio beneficii expediri non consuevit in forma *gratiosa*, nisi promovendus munitus sit testimonio sui Ordinarii; alias Provisio expediri solet in forma *dignum* sive *commissoria*, ut Provisio fiat in partibus Authoritate Apostolicâ, modò prævie constiterit de capacitate providendi, uti exposuimus infra *tit.* 24. *cap.* 1.

V. Espen Suppl. in Jus Eccl.

CAPUT III.

Ad Numerum III.

Quomodo sensim invaluerit jus Præventionis & Reservationis?

NOtat Molinæus ad Regulam Cancellariæ de infirmis Resignantibus *num.* 172. " quòd „Præventiones primum usurpatæ sint de vacanti„bus in *Curia Romana*, non jure Reservatio„nis, sed *Præventionis*; & hoc plausibiliter „ab Ordinariis toleratum ad vitandam *diu*„*turnam vacationem Ecclesiis damnosam*, & eo „quod vacatio in loco remoto non poterat nisi „tardè ad notitiam Ordinariorum pervenire. „Tum initio Pontifices Romani non solebant „personis, sed Ecclesiis providere, nullâ per„sonarum acceptione habitâ.

„Postquam autem [pergit hic Author] at„tentârunt etiam vacantia *in partibus* jure „Præventionis conferre, tum cœperunt va„cantia in Curia sibi jure Reservationis præ„sumere.

„Ostendit & ibidem, hanc reservationem „ante Clementem III. non fuisse notam, quan„tumvis Pontifex in suo Statuto relato in *cap.* 2. „*de Præb. in* 6. pro colore novi sui statuti anti„quam consuetudinem prætexerit.

„Quin & eodem loco probat, nequidem „Celestino III. Clementis successori, hanc re„servationem notam fuisse; neque ante evul„gatum per Bonifacium VIII. sextum Decre„talium, Statutum Clementis de hac reserva„tione fuisse. Pluribus idipsum prosequitur „Molinæus, & in notis ad *cap.* 2. *de Præb.* „*in* 6.

Apparet admodum verisimile, Authorem dicti *Capituli* 2. non fuisse Clementem III. sed Clementem IV. qui sedit circa annum 1265. ad marginem enim *Capituli* 1. *de Præb. in* 6. quod inscribitur Clementi III. notatur: *In vetustioribus codicibus constanter legitur Clemens IV.* & in Editione Antonii Contii anni 1570. hoc Capitulum hanc habet inscriptionem: Clemens III. *aliàs quartus*, similiter & in corpore glossato editionis anni 1572. ac dein in omnibus editionibus Decretalium subjicitur Capitulum 2. cum hac inscriptione *idem*: ut admodum verisimile sit, similiter & hoc Capitulum 2. non Clementi III. sed IV. esse adscribendum: quod & innuere videtur Gregorius X. in *cap.* 3. *eodem in* 6. ubi hanc Constitutionem adscribit suo *Prædecessori*, quod potius ad immediatum præcedentem, qui erat Clemens IV. quàm ad Clementem III., qui centum circiter annis Gregorium præcesserat, referendum apparet.

Itaque mirum non videbitur, quòd hujus reservationis nulla fiat mentio in Decretalibus Gregorii IX.

Neque etiam mirum videbitur, hanc reservationem primùm ab hoc Clemente IV. inductam, si attendatur, quòd hic inveniatur primus inter Romanos Pontifices, qui per suam Decretalem declaravit, " quòd Ecclesiarum, perso„natuum, Dignitatum, aliorumque Beneficio„rum Ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Ro„manum Pontificem noscatur pertinere, quodq;

„non

„non solum ipsa cum vacant, possit de jure conferre, verùm etiam jus in ipsis tribuere vacaturis.

Idem jus postmodum sequentes Pontifices sibi asseruerunt; atque inter alios Bonifacius VIII. asserere non dubitavit, quòd de jure communi omnes Ecclesiæ per orbem diffusæ ad Romanam Ecclesiam pertineant *cap. si Papa* 10. *de Privilegiis in 6.*

Clemens V. idem jus etiam in beneficiis ad collationem Ordinariorum spectantibus tanquam indubitatum Sedi Apostolicæ vindicat *in Clementina prima ut lite pendente:* postquam enim declarâsset beneficium extra Curiam vacans ad Provisionem Ordinarii spectare, addit hanc clausulam: "salvâ tamen in præmissis omnibus „Romani Pontificis potestate, ad quem Ecclesiarum, Personatuum, Dignitatum, aliorúmque beneficiorum Ecclesiasticorum, plena & „libera dispositio, ex suæ potestatis plenitudine „noscitur pertinere.

Posito autem hoc principio, & in Scholis à plerisque Canonistis, præsertim post evulgatum sextum librum Decretalium, & librum Clementinarum, probato, nemini mirum videri debet, & jus Præventionis subsequentes sibi vindicâsse Romanos Pontifices, ac tandem omnium penè beneficiorum, ac Dignitatum Provisionem Sedi Apostolicæ reservâsse.

Ad Numerum XIII.

Provisio Ordinarii de Beneficio vacante in Curia valida est, etiam facta intra mensem.

In textu notatum fuit ex Pinsonio, collationem Ordinarii de beneficio vacante in Curia Romana, validam esse, tametsi à vacatione, mensis needum esset elapsus: idipsum resolvit Molinæus ad Regulam *de infirmis num.* 175. "Non „enim [inquit] prævenit, sed jure Ordinario & „Primitivo utitur, semper enim remanet verus „& naturalis Collator habitu, utcunque beneficium sit pro hac vice reservatum in Curia: imò „etiam est Collator actu, si Papa non vult uti, „vel non utatur dictâ reservatione, quæ etiam „odiosa est, & de facili, etiam, cum extensione „[quæ hoc casu favorabilis est] & recursus ad jus „commune.

Observat præterea Molinæus *num.* 178. quòd, si Papa contulerit incapaci, aut nulliter *intra mensem*, possit Ordinarius *pleno* jure conferre; quam Molinæi sententiam laudat & probat Louetius ad dictum numerum Molinæi.

Ad Numerum XIV.

Reservatio Beneficiorum vacantium in Curia sub quo prætextu inducta?

Quod in textu notatur, hanc reservationem beneficiorum vacantium in Curia, præ cæteris à Canonistis reputari minus odiosam, in eo videtur fundatum, quia hæc reservatio eum habere prætextum videretur, quòd per eam Pontifices de his beneficiis in Curia vacantibus citiùs possent vacantibus Ecclesiis providere: quemadmodum eo titulo primùm horum beneficiorum Provisionem sibi attribuisse Pontifices supra ex Molinæo notatum est.

CAPUT IV.

Ad Numerum I.

Discutiuntur tituli in justificationem adduci soliti.

Ut reservationes illæ generales, de quibus in textu, & per quas pro majore parte Provisio beneficiorum, Episcopis aliisque Collatoribus Ordinariis, necnon Patronis Ecclesiasticis, & Electoribus jus eligendi, & præsentandi ac providendi adimitur, & ad Romanum Pontificem transfertur, minus odiosæ apparerent, & faciliùs reciperentur, variis titulis, quasi Ecclesiæ necessarias & utiles, eas justificare studuerunt Pontifices.

Et quidem inter alia, in sua Extravagante *ad regimen* Benedictus XII. non obscurè innuit, se has reservationes facere, ut de idoneis, & aptioribus personis provideretur Ecclesiis vacantibus, dicens: "quòd in desideriis gereret, quod „per suæ diligentiæ studium, ad quarumlibet „Ecclesiarum & Monasteriorum regimina, & „alia beneficia Ecclesiastica juxta *Divinum bene-„placitum*, & suæ intentionis effectum, viri as„sumantur idonei, quæ præsint & prosint com„mittendis eis Ecclesiis, Monasteriis & Benefi„ciis prælibatis.

Sed quis porrò nesciat, merita & qualitates promovendorum ad Beneficia & Dignitates vacantium Ecclesiarum multò faciliùs ipsis Episcopis, quàm Romano Pontifici posse esse perspecta?

Alter in justificationem harum reservationum titulus passim allegatur, quòd per beneficiorum provisionem Pontifex intendat *pauperibus* Clericis providere.

Verùm meritò dubitatur, num hic titulus ad justificandas has reservationes præ anteriori sit magis idoneus.

Cùm enim beneficia & bona Ecclesiastica cujusque particularis Ecclesiæ, tum ex intentione Fundatorum, tum Canonum præscripto sint instituta, & relicta, ut ministris, necnon pauperibus singularum illarum respectivè Ecclesiarum provideatur, quid justius aut rationabilius, quàm ut Episcopis & Ordinariis Collatoribus per Fundatores, aut sanctos Canones designatis, horum distributio & dispensatio integra conservetur: utpote quibus propius, & Clericorum paupertas & merita innotescunt, quidquid singulis hic & nunc conveniat ex bonis Ecclesiæ vel beneficii distribui.

Accedit, quòd ob expensas & sumptus in Curia Romana faciendos pauperibus Clericis vix ad beneficia notanter simplicia pateat accessus, ut ob id beneficia simplicia in quibusdam Ecclesiis & Provinciis à reservatione mensium manserint exempta, uti infra *cap.* 5. *num.* 29. notavimus.

Unde non mirum, Episcoporum, aliorúmque Prælatorum, quin & Principum contra has reservationes motas querelas non cessâsse; imò toties, quoties occasio se obtulit, earum abolitionem, & reformationem postulatam esse, & etiamnum ab omnibus ut odiosas reputari; eoque titulo ex communi omnium Doctorum sententia restringendas dici, tanquam sacris Canonibus contrarias, uti in decursu hujus tituli sæpiùs observavimus.

Ad

Ad Numerum XIX.

Qua ratione hæ Provinciæ Belgicæ dicantur Patriæ obedientiæ?

Quod in textu dicitur has Provincias Belgicas dici *patriæ obedientiæ*, restringendum est ad Regulas Cancellariæ, notanter de reservatione *octo mensium & alternativa*: nam de reliquo etiam hæ Provinciæ, non tam *patriæ obedientiæ*, quam *consuetudinariæ* dicendæ sunt.

CAPUT V.

Ad Numerum XIX.

Dignitates Electivæ à reservatione mensium in Belgio exemptæ.

IN textu notatum est, in Belgio, non obstante receptione Regulæ Cancellariæ, de reservatione octo mensium, nihilominus Dignitates electivas confirmativas ab hac reservatione esse exemptas.

Et quidem conformiter ad hunc usum Belgii judicavit Consilium Privatum, Capitulum Rothnacense posse eligere *Thesaurarium* in *omni* mense, uti refert Laury in Collectione Arrestorum, Arresto 138.

Ratio hujus exceptionis à reservatione deducta est in resolutione Doctorum Lovaniensium in causa Thesauriæ Ecclesiæ Insulensis: hic annexa sub lit. N.

Ad Numerum XXVI.

Quædam Ecclesiæ Belgicæ à reservatione mensium exemptæ.

Quod in textu dicitur, Beneficia juris Patronatûs Ecclesiastici à reservatione mensium esse exempta, intelligendum videtur, de jure Patronatûs Ecclesiastici, *ex fundatione & dotatione* primitùs orto, quod est verum jus Patronatûs, & qui jure illo gaudent, censentur esse *veri* Patroni, non secus ac Laïci simili titulo fundationis vel dotationis jus hoc assecuti, etsi dum competit titulo *dignitatis* aut *Officii Ecclesiastici* dicitur *Ecclesiasticum*; & ita definit jus Patronatûs Ecclesiasticum celebris Jurisconsultus Lovaniensis Vandevelde in suo manuscripto Tractatu de qualitatibus Beneficiorum *tit.* 2. " Jus „Patronatûs Ecclesiasticum (ait) est, quod quis „habet ratione suæ Ecclesiæ seu Beneficii; quia „nempe *fundatio* seu *dotatio* facta est ex bonis "Ecclesiæ, vel certè ex *bonis Laicis* jure Pa"tronatûs in Ecclesiam, seu personam Ecclesia„sticam, ab initio vel postmodum transcripto, „vel translato.

In eodem Tractatu notat citatus Vandevelde, quod à reservatione mensium exemptæ sint Ecclesiæ *per totam Arthesiam*; conferantque Collatores Ordinarii Beneficia in omnibus mensibus, uti & Patroni præsentant; creditque Arthesianos exemptionem illam habere ex antiquo jure Gallicano fundato in *Sanctione Pragmatica* Caroli VII. adeò ut, licet Arthesia à Regno Galliæ fuerit divulsa, illam tamen exemptionem, sive libertatem constanter retinuerint Ecclesiæ Arthesianæ.

Et revera hanc Arthesiæ à reservationibus Apostolicis exemptionem ex antiquo jure Gallicano & usu profluere evidenter probant literæ Caroli V. Imperatoris datæ Gandavi 12. Maii 1531. in quibus Carolus approbavit Privilegia, libertates, francisias, & exemptiones Episcopi Atrebatensis, & totius Cleri Arthesiæ ab omnibus reservationibus Apostolicis, expectativis, regressibus, accessibus, nominationibus & coadjutoriis, & in effectu ab omnibus aliis Provisionibus Apostolicis exorbitantibus, & tunc non usitatis in Arthesia & civitate Atrebatensi, ac nominatim potestate conferendi Beneficia in *omni* mense secundùm ordinem & dispositionem juris, eo modo & forma, quibus ante; *Ceux etant de sort de France, & avant qu'ils fussent sous notre Souverainete* fecerant, & gavisi fuerant.

Habentur hæ literæ in libello, cui titulus: *Privilegia Nominationum Lovaniensium*, &c. Editionis Leodiensis anno 1665. pag. 28.

Insuper ex his literis sat manifestum est Arthesianos hanc à reservatione mensium exemptionem, & plenam in provisione Beneficiorum libertatem, ex Concordatis inter Leonem X. & Franciscum I. Regem Galliæ prætendisse, sed ex *antiquo jure* Gallicano, & continuato usu (cujus in literis mentio fit) uti & citatus Vandevelde quoque notavit.

Habet & jus illud Ecclesia Collegiata sancti Amati in civitate Duacensi, eò quod hæc Ecclesia ex vico Arthesiæ, qui vocatur *Broylus* ad civitatem Duacensem fuerit translata; atque ita manserit in libertate, quâ gaudebat existens in Arthesia.

Eodem indubiè titulo Ecclesia Tornacensis hac libertate gaudet, nimirum quod se manutenuerit in jure Gallicano, quo aliquando gavisa fuerat Regi Galliæ subjecta.

Ad Numerum XXX.

Quæ reservatio significetur in Regulâ Cancellariæ de Reservatione mensium.

Per resignationem in hac regula non tantùm significari resignationem in *favorem*, vel ex causa permutationis; sed & puram simplicem, quæ fit per liberam dimissionem Beneficii ad manus Ordinarii, post Joannem Chocquier in Commentario ad hanc Regulam, multis probat Gonzales in expositione hujus Regulæ *Glossa* 14.

Quapropter si Beneficium vacet in mense reservato per *simplicem* dimissionem, Ordinarium posse providere sustinent prædicti Authores; hæcque interpretatio tanquam Ordinariis favorabilis, & provisiones Beneficiorum ad jus commune reducens, non difficulter usu recipitur.

CAPUT VI.

Ad Numerum XIII.

Quare Episcopis imposita necessitas postulandi Alternativam?

PEr hanc Episcopis injunctam necessitatem postulandi, sive acceptandi alternativam, non obscurè insinuat ipsa Curia Romana, quod Episcopi hanc gratiam tanquam à Sedis Apostolicæ beneplacito dependentem postulare & agnoscere debeant: cum tamen Episcopi jure proprio, sive jure dignitatis suæ Episcopalis sint omnium Beneficiorum intra limites suæ Diœcesis consistentium quasi naturales Collatores; ita ut dum eis *alternativa* mensium in collatione beneficiorum annuitur, nihil ipsis tam de novo dici debeat accedere, quam pars aliqua illius juris, quod ipsis titulo suæ dignitatis competebat, & per reservationes Pontificias erat subtractum, rursus restitui.

De hoc jure Ordinariorum in collatione be-

neficiorum, necnon de prætensione Curiæ Romanæ attribuentis Summo Pontifici omnium beneficiorum plenam provisionem queribundus scribebat è Concilio Tridentino 28. Novembris 1551. Franciscus de Vargas.

Cùm enim quibusdam Patribus videretur in Concilio discutiendam materiam beneficialem, scribit de Vargas, ejus se esse opinionis, ut in hac „materia tractanda ante omnia, deberet esse *plena* „libertas examinandi & decidendi: atque ante „omnia necessarium esse probare, quod jus Papa „prætendere queat providendi de Beneficiis, cu„juscumque sint conditionis; quod ubi fiet clarè „adstruam (ajebat) ex principiis, & fundamentis „juris naturalis divini & humani, necnon ex pri„stina Ecclesiæ praxi, ex varia mutatione quæ cir„ca Ecclesiæ disciplinam contingit, ex jure Cano„nico, pristino, & hodierno ex naturali ratione, „ac ex ea quam recta politia requirit, necessitate „per hæc omnia principia (ait) probaturus sum „Romanum Pontificem non habere tale jus dis„ponendi de Beneficiis, quali hodie utitur, quod „nullatenus minueret suam dignitatem aut au„thoritatis plenitudinem.

CAPUT VII.

Ad Numerum II.

Primitus nec jus præventionis, nec jus devolutionis ad Romanum Pontificem notum fuit.

Non dubium quin hoc jure Præventionis, de quo in textu, demum usi fuerint Pontifices postquam apud nonnullos Canonistas, ac notanter Ultramontanos invaluit opinio, Pontificem Romanum esse *Ordinarium Ordinariorum*; atque ita quodammodo authoritate ordinariâ Pontifici competere provisionem Beneficiorum, in quacumque Orbis Christiani Diœcesi; proinde in ea provisione posse cum Ordinariis concurrere.

Observat autem Georgius Louetius in notis ad Molinæum *in Regulam de infirmis Resignantibus* „Nec in Decretorum toto volumine legimus, Papam in conferendis beneficiis Ordinarium esse „Ordinariorum..... sed Sixti Decretalium no„vâ jurisprudentiâ Summi Pontifices Præventio„nibus quodam jure omnimodam in Collatores „Ordinarios potestatem sibi tribuerunt; eamque „qualitatem (Ordinariorum Ordinarii) non pro„pter Ordinariorum negligentiam ut antiquo „jure; sed *plenariè*, & ex supremæ potestatis ple„nitudine assumpserunt *in cap. Licet De Præbend. in 6. Clement. 1. ut lite pendente.*

Imò nec ante jus novum Decretalium facilè reperies, ob negligentiam Ordinariorum recursum patuisse ad Sedem Apostolicam pro collatione beneficii; sed si quæ difficultas oriebatur, terminabatur in Synodo Provinciali, ut observat Hieronymus à Costa in Tractatu de origine & progressu proventuum Ecclesiasticorum *pag.* 105.

Ad Numerum XVI.

Quæ notitia necessaria de morte Beneficiati, ut Præventio locum habeat?

In textu notatum fuit, collationem Papæ reputari nullam in vim Regulæ de *verisimili notitia*, tametsi inter obitum beneficiati, & datam provisionem tanti temporis fuerit intervallum, ut verisimilis notitia haberi potuerit de morte beneficiati; si Cursor *ante obitum* discesserit: id autem etiam procedit, tametsi esset rumor communis, beneficiatum mortuum esse; si tamen revera mortuus non fuerit, collatio facta nulla erit in vim hujus Regulæ; quia dum agitur duntaxat de invaliditate actûs non autem de pœna infligenda rumor communis aut probabilis ignorantia non excusat, nec actum validum reddit, uti in hoc articulo latiùs probat Gregorius Louetius in notis ad Regulã *n.* 16.

TITULUS XXIV.

De Provisione Apostolica.

CAPUT I.

Ad Numerum I. & VI.

Quâ authoritate Episcopi exequantur literas Apostolicæ Provisionis in forma dignum sibi directas?

In textu dictum fuit Provisionem beneficiorum, præsertim quibus cura animarum est annexa, in Curia Romana expediri in forma *dignum*: atque examen super capacitate providendi committi solere Ordinario.

Cum igitur hìc agatur de cura animarum committenda, quæ spectat propriè ad ipsum Ordinarium, non sine fundamento monet Melchior Pastor in suo Tractatu de beneficiis *lib.* 2. *tit.* 13. *n.* 3. " cognitionem hanc esse jurisdictionis *ordina*„*ria* & per mandata hujusmodi non tribui novam „jurisdictionem, sed jurisdictionem ordinariam „excitari.

" Hinc etiam sequitur Vicarios Generales Or„dinariorum, aut Capituli Sede vacante idem „munus posse exequi, tametsi de illis in Manda„to nulla mentio facta fuerit.

Ex his ulterius infert citatus Author eodem lib. tit. 15. num. 3. quod " si Ordinarius expresâ „causâ renuat provisum admittere, & si Provisus „causam esse insufficientem & injustam credat, „debeat appellare ad *Metropolitanum*: nam Or„dinarius (ait) in istis casibus procedit ut Ordi„narius, non ut *Delegatus*.

Quandoquidem Melchior Pastor supponat ex praxi Regni Galliæ, sive patriæ consuetudinariæ, quod Episcopus in executione Provisionis Apostolicæ in forma *dignum* sibi directæ, procedat ut Ordinarius, rectè concludit, authoritatem exequendi hujusmodi Provisionem Episcopo commissam transire in *Vicarium Capituli* Sede vacante, eò quòd in Capitulum, ejusque Vicarium, transeant omnia, quæ sunt jurisdictionis *ordinaria*, sive quæ Episcopus exequitur ut Ordinarius.

Insuper benè concludit, suppositâ hac opinione & praxi, appellandum esse ad Metropolitanum.

Interim certum est, praxim hanc & opinionem Regni Galliæ esse contrariam stylo & opinioni Curiæ Romanæ, cùm indubitatum sit, Curiam Romanam sustinere, Episcopum in executione similis Provisionis non procedere ut *Ordinarium*, sed ut *Delegatum* Sedis Apostolicæ, & in vim solius hujus delegationis.

Hinc

Hinc ex stylo & opinione Curiæ Romanæ, in pluribus partibus, saltem extra Regnum Galliæ invaluit, & etiam hodie receptum est, executionem similis Provisionis commissæ Episcopo, non posse fieri per Vicarium Capituli Sede vacante: imò nec solet ex stylo Romanæ Curiæ similis Provisio Sede Episcopali vacante, dirigi ad Vicarium aut Officialem Capituli; sed ad Episcopum viciniorem ejusve Vicarium, uti in notis ad citatum textum Pastoris observat quoque Joannes Solier *litera B.* qui & ibidem monet, quod in Senatu Tholosano inconcussè judicetur, commissa Episcopo vel ejus Vicario, nulliter & abusivè per Vicarium Capituli Sede Episcopali vacante expediri.

Quod quidem contrarium videtur opinioni & praxi, quam in Regno Galliæ receptam asserit Melchior Pastor: sed observandum quod Senatus Tholosanus procedat juxta praxim patriæ *obedientiæ*; quæ magis quàm cæteræ Provinciæ Regni Galliæ, quæ *consuetudinariæ* dicuntur, stylum Curiæ Romanæ amplectitur & sequitur.

Quantumvis praxis & opinio in Regno Galliæ, seu patria consuetudinaria recepta, & quam sequitur Melchior Pastor, sit sat conformis avitæ Patrum disciplinæ, nihilominus, quia in pluribus Provinciis non sat scitur hæc praxis & opinio stabilita, convenientius apparet, ut in executione similium commissionum procedatur juxta praxim in provinciis receptam & usitatam, ne alias in notabiles difficultates incidatur, notanter in executione dispensationum matrimonialium.

...æ noti- neces- ...ia de ...rte ...esi- ...i, ut ...even- locum ...eat?

CAPUT II.

Ad Numerum VII.

Plures defectus qui per Rescriptum per inde va*lere non tolluntur.*

NOtat post Rebuffum Melchior Pastor de Beneficiis *lib. 2. tit. 12. num. 4.* quod "ea impedimenta hoc Rescripto *perinde valere* (de quo in textu) tollantur, quæ pendent ex *nutu Papæ* aut *Legati*: nam (ait) si collatio sit nulla, defectu mandati ad resignandum, novo mandato opus est: si collatio sit contra bonos mores, publicam disciplinam, concordata, constitutiones regias, statuta, consuetudines Ecclesiarum solemniter approbatas, Senatus consultis firmatas, literæ *perinde valere* non admittuntur.

Neque in Belgio per simile Rescriptum, Provisiones Apostolicæ hujusmodi defectibus laborantes revalidarentur: eò quòd non magis in Belgio, quàm in Regno Galliæ, ejusmodi consuetudines, & statuta infringi citra Reipublicæ seu Politicæ, seu Ecclesiasticæ inversionem queant; ipsaque publica Ecclesiæ & Reipublicæ tranquillitas requirat, similia statuta Ecclesiarum & consuetudines integras servari: ut proinde crediderim, similia Rescripta haud facilè in Conciliis Regiis recipienda aut placetanda.

CAPUT III.

Ad Numerum XIV.

Literæ Provisionis licet à Pontifice sig- *natæ levari nequeunt nisi Bulla fuerit expedita; & taxæ solutæ.*

EX additione per Julium III. facta per verba, *etiam extra Curiam*, de qua in textu, manifestum est mentem Pontificum, & Curiæ Romanæ fuisse; ut nullæ provisiones Beneficiorum, quâcumque formâ in Curia Romana effectum suum habere queant, nisi postquam literæ per papam fuerint signatæ, & insuper expedita fuerit Bulla in Cancellaria vel Dataria, quæ relaxari non soleat, nisi taxis Cancellariæ aut Datariæ solutis.

V. Espen. Supplem. in jus Eccl.

CAPUT V.

Ad Numerum XX.

Annatarum exactio in Provisione Beneficiorum consistorialium utrum sine simonia fieri possit?

FOrmam exigendi, & solvendi *Annatas*, per Bonifacium IX ut creditur, primum inductam de qua in textu, scilicet ut certa pecuniæ summa à prælatis sit solvenda, aut de ea solvenda sufficiens cautio fuerit præstita, priusquam literæ provisionis relaxentur, in Curia Romana usitatam fuisse tempore Concilii Constantiensis constat ex responsione Nationis Gallicanæ contra Cardinales appellantes à deliberatione trium Nationum facta in Concilio Constantiensi circa usum Annatarum.

Ex hac enim responsione intelligitur, tempore hujus Concilii, conformiter ad dictam formam exigendi Annatas per Bonifacium IX. primum inductam, literas Provisionis non fuisse expeditas, & relaxatas, nisi prius per Provisos factâ promissione, ac præstitâ *omnimoda securitate & cautione* de solvenda Camerariis Sedis Apostolicæ summa taxata, sive descripta in libris Cameræ Apostolicæ, intra designatos terminos, prout hæc omnia latius ibidem describuntur.

Porrò, quia Provisus de Episcopatu, Abbatia, aliave Prælatura, hujus Provisionis nullum planè effectum habere posset sine literis provisionis, conclusit prædicta Natio Gallicana, hanc Annatam sive jura temporalia exigi, & solvi, vel promitti pro ipsa provisione & quod in effectu ipsa provisio non concedatur vel obtineatur nisi solutis, vel saltem promissis hisce juribus temporalibus.

Notat etiam Natio Gallicana *a. 9.* suæ Responsionis, quod literis in Cancellaria expeditis & deinde bullatis, ac etiâ registratis portentur ad Cancellariam, à qua haberi non possunt, nisi Provisus primò se obligaverit ad solvenda prædicta jura.

Imò jam notaverat Natio Gallicana *art. 8.* suæ Responsionis, "*violentari Provisos* ad solutionem vel promissionem horum jurium temporalium per retentionem & detentionem literarum; quia (ait) quantumcumque promoti, benedicti vel consecrati; & notum sit Monasteriis vel Ecclesiis, quibus præficiuntur, sine literis ejusmodi non possint intrare in possessionem, propter Constitutionem pœnalem factam in favorem hujusmodi indebitarum exactionum, quæ incipit: *Injuncta*.

Hinc conclusit Natio Gallicana, hæc jura temporalia exigi & solvi vel promitti pro ipsa provisione, sive ut Provisus suæ provisionis effectum habere queat.

Præterea ostenderat *art. 7.* "quod non petantur, neque exigantur hæ Annatæ per Cameram Apostolicam & DD. Cardinales, *ob vacantias Ecclesiarum*: *quia vacant*, sed quia *conferunt*, seu quia collationi & promotioni (quæ fit per Papam) assentiuntur.

Hanc assertionem suam duplici ibidem probant argumento: primò, quia ab eis qui promoventur ad Prælaturas hujusmodi extra curiam, & per alium quàm per Papam conferuntur, nihil habent vel exigunt.

Secundò, ex eo quod nihil percipiant in tali exactione nisi DD. Cardinales, qui *actu sunt præsentes*; & tamen de jure communi etiam absentes participarent; si quia *vacant*, deberentur, vel exigerentur.

Ex his ulterius deliberavit Natio Gallicana nullâ præscriptione aut consuetudine, privilegio vel statuto, hanc Annatarum exactionem justificari posse, " Quia (ait) nullo statuto, privilegio con„suetudine, præscriptione, aut alio titulo potest „induci, quod propter *conferre*, aut *consentire* „promotioni, aut electioni alicujus Monasterii „vel Ecclesiæ Cathedralis, sive ut præficiatur ad „ministrationi Prælaturæ, Beneficii, sive Ecclesiæ, „aliquid possit vel debeat peti vel exigi: eò quòd secundùm Apostolicas & Canonicas Traditiones clarissimè foret Simoniacum.

Et *art.* 8. postquam ostendit Provisos *violentari* ad solvendam vel promittendam Annatam, per retentionem, ac detentionem literarum pro visionis, inferre non dubitavit, *hoc esse simoniacum vel suspectum de simonia.*

Argumento in justificationem exactionis Annatarum, à præscriptione aut consuetudine petito, opposuit præterea Natio Gallicana, quod ad eas solvendas Prælati in Curia Romana provisi *violentur*; sive per violentiam ad earum solutionem adigantur per retentionem, sive non relaxationem Bullarum sive literarum provisionis: " tales enim „modi nunquam inducunt consuetudinem, ne„que præscriptionem, cùm sint *violenti.*

Cùm verò ex parte DD. Cardinalium appellantium, in justificationem Annatarum allegaretur, Papæ subveniendum esse ab inferioribus Ecclesiis: respondit Natio Gallicana *a.* 17. quod " qui„libet Episcopatus certos suos habet reditus pro „dotatione & sustentatione sua, sive Episcopi, sicut „habet Episcopus Romanus quæ suffic ere & suf„ficere possunt cum industria, & alia quæ ordina„riè superveniunt: nam Apostolus ex industria quæ „rebat sibi victum, ne quibus ministrabat esset ni„mium onerosus. Et sanè si non sufficiant reditus „Episcopi Romani de præsenti, primò habet re„quirere subsidium à Clero suæ civitatis & Diœ„cesis, deinde suæ provinciæ, & per modum subsi„dii charitativi temporalis, & non perpetui cen„sus: & postmodum ab aliis Ecclesiis immediate „subditis potest subsidium benignè implorare: quæ „(causâ necessariâ suppositâ expressâque & verâ) „honestè non possunt denegare ad tempus.

" Nec tunc forte exactio subventionis facienda „respectu datæ temporalitatis per Fundatores Ec„clesiarum, ut certum onus supportetur, aut ali„quid aliud fiat secundùm eorum ordinationem, „ne frustrentur ordinatione & intentione sua: sed „tantùm respectu eorum quæ proveniunt ratione „spiritualitatis, & dotis constitutæ à jure, ut sunt „decimæ, oblationes, portio canonica mortua„riorum & similia.

Igitur evidens est, Nationem Gallicanam, modum exigendi Annatas tum temporis usitatum, eo præcipuè titulo, ut simoniacum, vel saltem de simonia suspectum reputasse; quia Provisi ad promittendum descriptas in libris Cameræ Apostolicæ taxas *violentabantur* per retentionem literarum provisionis.

Insuper constat Nationem Gallicanam existimasse, exactionem Annatarum juxta prædictam formam, nec consuetudine, nec præscriptione purgari posse.

Sub idem tempus Joannes Gersonius, ejus ætatis Theologus piissimus ac doctissimus, atque Universitatis Parisiensius Cancellarius, qui & ipse Concilio Constantiensi interfuit, hanc formam exactionis Annatarum ut apertam, & perniciosam labem simoniæ palam pronuntiare non dubitavit.

Et quidem in Tractatu de potestatis Ecclesiæ *consideratione* 8. hæc habet: " Si judicia minora „reprobantur in Moyse, videamus in Summo „Pontifice & Curia sua, quid de tot profanissimis, „& indignissimis causarum & litigiorum conti„nuis & anxiis occupationibus? quid de Benefi„ciorum quorumcumque etiam minorum colla„tionibus, & signationibus manu Papæ? quid de „Annatarum exactionibus.

Et paucis interpositis: maximè (ait) dum rece„pit *Annatas*: quoniam ex hac copula, quam„diu perseveraverit orietur inevitabiliter leprosa „pestis simoniæ, inficiens sua contagione, nedum „caput sed penè singula Ecclesiæ membra.

Et in Tractatu de Simonia ex professo hanc materiam discutiens, eam format conclusionem (cui & probandæ integrum Tractatum impendit: „*Simoniaca labes contra jus divinum, vel simo„niacâ specie suspectum est* in conferente Benefi„cium Ecclesiasticum etiamsi sit Papa, exigere vel „extorquere à Beneficiando promptam pecuniam „sub titulo *primorum* fructuum, ac impedire pos„sessionem, & efficationem suam, quousque sol„verit illam pecuniam.

Post hæc ponit objectiones contra hanc conclusionem, atque inter cæteras quinto loco petitam ex communi & diuturna praxi his verbis: " Ampliùs, quia non est probabile, quod per tot „tempora tolerasset Ecclesia in promoventibus, & „promotis talem exactionem pecuniarum, si fuis„set simoniaca de jure divino: *quia non solum qui* „*faciunt mala, sed qui consentiunt facientibus* (se„cundùm Apostolum Rom. 1.) *digni sunt morte.*

Ad hanc, uti & ad secundam, tertiam & quartam objectiones petitas ex praxi inferiorum Prælatorum & Canonicorum exigentium temporalia ab admittendis ad possessionem vel ab admittendis ad Beneficia vel Religionem, respondet Gersonius: Quod valdè multa proh dolor! sint & fa„cta sunt, habentia malam speciem turpis quæ„stûs, & in multis simoniacam pravitatem; sicut „& alia vitia regnare videmus passim apud homi„nes, virtutes autem rarò; propterea dicit lex an„tiqua: *Non sequeris multitudinem ad faciendum* „*malum*; Exod. 23. 2. hæc enim est argumentatio „pessima, multitudo facit hoc igitur est licitum; „quoniam oppositum consequentis frequenter, „& quasi semper stat cum antecedente.

" Præterea respondet ad argumentum sive ob„jectionem petitam ex diuturna tolerantia Eccle„siæ; quod " apud bonos, conscientiosos & eru„ditos quos non excæcavit malitia, vel superbiæ, „vel adulationis, vel avaritiæ, talis simoniaca pe„stis reprobata est per prædicationes & doctrinas, „verbis & scriptis, & novissime per hoc sacrum „Concilium, scilicet Constantiense, judiciali se„veritate damnata fuit in capite.

Habetur hic Tractatus Gersonii tom. 2. operum ejus ultimæ Editionis.

Nec tantùm Gersonius de hac Annatarum exactione querelas deposuit, eamque ut simoniacam reputavit: sed etiam plures Universitates, ac signanter Facultas Theologica Parisiensis eam simoniacam esse respondit, uti intelligitur ex instructione anno 1561. data *Ferrerio* per Carolum IX. Regem Christianissimum, per quam injunctum fuit huic Regio Oratori, rogare Pontificem nomine Regis ut querelarum radicem contra has excindere dignaretur.

Quan-

"Quandoquidem (ait) Annatæ illæ prohibitæ fuerint variis Regum Prædecessorum Constitutionibus; veluti contrariæ libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ: & insuper *per ipsam facultatem Theologicam Parisiensem Sorbonicam, aliasque Regni Universitates deliberatum, & conclusum fuerit, Annatas exigi non posse citra enormem simoniam, tam per eum, qui pecuniam dat, quàm per eum qui pecuniam recipit*. Integra hæc Instructio exhibetur inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap. 22. num. 34*.

Scio ab Ultramontanis ac novissimè à Prospero Fagnano, plura adduci in justificationem modernæ praxis Curiæ Romanæ exigendi & recipiendi Annatas: sed si rationes per Fagnanum, aliosque in hujus praxis justificationem adductæ sine præventione seriò discutiantur, & cum argumentis per Nationem Gallicanam in Concilio Constantiensi, necnon per Gersonium, aliosque adductis conferantur, nescio num sufficientes videbuntur.

Ad Numerum XXVII.

Expressio valoris Beneficii prout hodie fieri solet, an probanda?

In textu notatum fuit, quod juxta modernum stylum Curiæ Romanæ expressio valoris Beneficii *de viginti quatuor ducatis auri de Camera*, eam acceperit interpretationem, ut per eam non significetur, proventus Beneficii *revera* hunc valorem non excedere: sed per hanc valoris expressionem id unum indicari Beneficium esse de genere illorum, quæ à solutione Annatarum sunt exempta: nemo tamen negaverit, quin dolendum sit, quod adigantur fideles & signanter Ecclesiæ ministri, ut æquivocis istis formulis & falsam præferentibus impressionem uti debeant, maximè in rebus sacris.

Ad Numerum XXXIII.

Provisio Apostolica primitus in communi & simplici forma expedita.

Primitus Romanas Beneficiorum Provisiones, in simplici illa forma & stylo expeditas fuisse, quibus Ordinariorum Provisiones expediebantur, & hodie expediuntur, admodum verisimile est: neque enim clausulæ illæ, aut conditiones, puta valoris, & Beneficiorum expressiones, derogationes absolutiones ad effectum, & similes, quibus literæ, sive Bullæ Provisionum juxta modernum Curiæ Romanæ stylum replentur, nec tempore Alexandri III. aut etiam Innocentii III adhuc notæ fuisse videntur: nulla enim earum clausularum, aut provisionis juxta modernum stylum expeditæ in Registris aut Actis Innocentii III. mentio occurrit: sed formula Provisionis, si quæ reperitur, simplex est.

Igitur verisimile est, eas clausulas, quibus hodiernæ Romanæ Curiæ Provisiones abundant, demum post tempora horum Pontificum invaluisse, nec omnes eodem tempore.

Quidquid sit de tempore, quo clausulæ hodie inseri solitæ sunt introductæ; quidquid etiam sit de occasione aut scopo hujus introductionis; hoc satis constat, multiplices illas clausulas (quas sub hoc titulo exposuimus) multiplicandis potius, quàm minuendis aut extinguendis litibus, occasionem subministrasse.

Præterea & illud constat, ob has multiplices insertas clausulas, necnon earum juxta stylum Curiæ solitas expressiones, eas Provisiones Apostolicas frequenter defectibus aut nullitatibus reddi obnoxias: atque hinc ulterius contingit, quod Provisi, si effectum Provisionis consequi velint, litesque & controversias evitare, cogantur rursus ad Curiam Romanam recurrere, ut hisce defectibus & nullitatibus, per novam provisionem medeatur, puta per Rescriptum *perinde valere*, vel per Rescriptum *perinde etiam valere*, aliasve similes novæ Provisionis formulas, quas hisce defectibus, & nullitatibus medendis Curiam Romanam postremâ ætate adinvenisse, & recepisse scitur, cùm nec harum formularum sive Rescriptorum ullum in Decretalibus Gregorii IX. vel vestigium occurrat.

Similiter nec dubium, quin cum hisce formulis & clausulis, necnon novis Rescriptis illa Cancellariæ & Datariæ ministrorum invaluerit numerosa turba, qui conficiendis, revidendis, plumbandis & registrandis, necnon describendis his literis Provisionis impenduntur, & de taxis & juribus harum literarum participant.

CAPUT V.

Ad Numerum I.

Clausula absolutionis à censuris recentioris styli est.

IN textu notatum est ex stylo Curiæ Romanæ in omnibus passim literis provisionis inseri clausulam absolutionis à censuris & pœnis, ut Provisus consequi queat effectum harum literarum.

Cùm autem hujus clausulæ nulla in Decretalibus Gregorii IX. mentio fiat, argumentum sat concludens est, eam demum Provisionibus Apostolicis fuisse insertam postremis sæculis, postquam Excommunicationes, aliæque Censuræ Ecclesiasticæ supra modum frequentes esse cœperunt ac notanter Censuræ *juris* & *latæ scientiæ*; idque levissimis ex causis.

Hinc & contingere poterat, ut nonnunquam Provisus aliqua simili *juris* censura esset, vel crederetur innodatus, eoque titulo effectum provisionis consequi non posset. Huic incommodo ut occurreretur, credidit Curia Romana addendam hanc clausulam, quæ hodie reputatur meri styli: unde non operatur ut ejus vigore Provisus reddatur capax obtinendi Beneficium non obstante censura ritè illatâ, aut pœnâ quam incurrisse posset: atque inter alios Georgius Louetius in notis ad Molinæum in Regulam *de infirmis num. 397.* monet, hanc clausulam non comprehendere graviora & majora delicta. Et ibidem in nota marginali notat Antonius Vaillant Advocatus Parlamenti Parisiensis, quod "hæc clausula non reddat ,,habilem, si aliunde sit inhabilis, & *rite excom-* ,,*municatus* vel crimen commiserit ante Provi- ,,sionem, quod suspensionem inducat.

Ad Numerum XVIII.

Dissensum Patronorum præsertim inter Laicos Papa supplere non potest.

Quod dicitur dissentientibus Patronis in præsentando, posse Papam pro ea vice derogare seu potiùs decidere, eò quod de jure cautum sit, quod dissentientibus Patronis *Ordinario* competat decisio: quod autem Ordinario competit, id & sibi licere Papa non ambigat.

Evidens est quod hæc ratiocinatio & jus Pontifici assertum supponat opinionem Ultramontanorum existimantium, Papam esse *Ordinarium Ordinariorum*, & posse in qualibet Diœcesi jura Ordinariorum exercere, & pro' Ordinario esse reputandum.

Verùm quia non ubique ea in Pontifice authoritas agnoscitur, uti in hoc opere notatum est,

etiam hæc clausula non recipitur, notanter quoad Patronos Laïcos, in quorum præjudicium etiam in Belgio nulla derogatio Papalis admittitur.

Ad Numerum XXVI.

Clausula derogatoria in literis Apostolicis apposita non derogat Statutis aut Consuetudinibus Ecclesiarum solemniter approbatis.

In textu notatum fuit, in Provisione Apostolica addi consuevisse clausulam derogatoriam *Statutorum*, quæ effectum Provisionis impedire possunt.

Verum ut notat Melchior Pastor in Tractatu de Beneficiis *lib.* 2. *tit. x. n.* 2. statutis, consuetudinibus, ac privilegiis Ecclesiarum solemniter approbatis, per similes clausulas derogatum non censetur, neque derogari potest: & si derogaretur, appellati posset ab executione Rescripti tanquam *ab abusu.*

Neque etiam in Belgio clausula derogatoria quoad hujusmodi statuta, consuetudines & privilegia facilè effectum sortiretur quandoquidem Principibus nostris etiam curæ sit, ut hujusmodi jura & statuta integrè conserventur, ut in hoc opere non semel notatum est.

TITULUS XXV.

De Jure Patronatûs.

CAPUT II.

Ad Numerum XI.

Jus Patronatus annexum feudo manet Laïcum, si cum feudo transierit ad Ecclesiam.

SI jus Patronatûs sit reale, sive adhærens alicui feudo; illudque cum *nexu feudali* transierit in Monasterium vel Capitulum jus Patronatûs huic feudo annexum manere, & reputari Laïcum notat Molinæus *ad Consuetudines Parisienses* §. 45. *n.* 24. & ad Regulam Cancellariæ de infirmis Resignantibus *num.* 46. & in notis ad hunc locum Molinæi Gregorius Louetius ita scribens: " Ecclesiastici (qui inter homines *manus mortua* in „Regno annumerantur) ex Regis privilegio, (ad„mortisamenta Pragmatici vocant) possunt in Re„gno immobilia possidere, feuda & alias feuda„les dignitates: & tales, privilegii virtute, feuda „integrè possident sine ulla diminutione cum om„ni jure, ut cæteri Regum homines, nec feudorum „jura in aliquo in eorum persona diminuuntur: „ideò si jura Patronatûs à feudis dependeant, na„turam, & qualitatem primam juris Patronatûs „*Laicorum* retinent, quæ non confunditur, nec „mutatur: Ecclesia enim alio jure immobilia pos„sidet, alio ea quæ sunt juris *spiritualis*, seu *Ec„clesiastici:* causæ sunt distinctæ, media separata, „extrema veluti inter sese opposita, quæ unionem „& confusionem impediunt: & cùm Ecclesiastici „Ordinis intersit, primam hanc juris Patronatûs „qualitatem retinere, ut libera, & absque ulla „Summi Pontificis præventione juris Patronatus „remaneat dispositio, iniquum esset, privilegia „concessa eis esse damnosa.

Hæc porrò procedunt & dicta sunt de illo jure Patronatûs ratione feudi competente, non de illo, quod ratione *personæ* tantùm competit: " Si enim „jus illud Patronatus *merè personale* ad Ecclesiam „quoque titulo pervenerit, erit Ecclesiasticum, „cum primum *Laici* subjectum amiserit, & aliud „Ecclesiasticum susceperit: ita intelligitur (ait „Author prædictus) *cap. Si Laicus de jure Patro„natus in* 6. non verò de Patronatu fundo vel feu„do inhærenti, ut imperiti nonnulli dixerunt.

CAPUT III.

Ad Numerum XXXIII.

Utrum Pontifex Beneficia liberæ collationis possit subjicere juri Patronatus?

QUod hìc dicitur, ex Privilegio Summi Pontificis, jus Patronatûs acquiri posse, *de jure* certum esse, id intelligi debet de jure Pontificio *recentiore*, sive *Decretalium*, quo jure Romanus Pontifex declaratur *Ordinarius Ordinariorum*, & in ea qualitate omnium Beneficiorum liberam dispositionem ipsi competere asseritur: quo jure recepto & admisso, rectè conclusêre ejus Comentatores, Romano Pontifici fas esse, concedere jus Patronatûs, sive jus præsentandi ad Beneficia liberæ ejus dispositioni (ut supponitur) subjecta.

Verùm hoc jus in Pontifice, quantumvis in Decretalibus expressum non ubique Catholici recognoscunt, nec consequenter admittendum arbitrantur privilegium, quo Romanus Pontifex Beneficia liberæ collationis, pro suo arbitrio, juri Patronatûs obnoxia redderet; atque ita quoad ista Beneficia tolleret aut enervaret liberam Provisionem Ordinariorum: & id quidem in Gallia non admitti colligitur ex verbis Pinsonii in textu relatis. Neque Belgium admitteret: quandoquidem & omnes novas reservationes eidem fundamento innixas non recipiat, ut in decursu notatum est.

CAPUT IV.

Ad Numerum XI.

Utrum jus Patronatus competens uxori transeat in maritum.

IN textu examinata est quæstio, num jus præsentandi transeat ad maritum, sive utrum maritus stante matrimonio præsentet ad Beneficium, tametsi illud primariò competat uxori.

Hanc quæstionem tractans Georgius Louetius in notis ad Molinæum in Reg. Cancellariæ de infirmis Resign. *num.* 45. distinguendum existimat de jure Patronatûs ratione fundi vel feudi uxoris pertinente, aut personali ratione sanguinis, puta familiæ competente. Primo casu præsentatum à marito præferendum existimat: cùm nihil prorsus habeat uxor in fructibus fundi dotalis. & ea est Molinæi opinio *in* §. 1. *Gloss.* 2. *num.* 2. *ad Consuet. Parisienses*: non idem in secundo casu (ait) cum jus Patronatûs uxoris *personæ* magis adhæreat, & inter rerum dotalium fructus non ita propriè annumeretur.

Licet hæc distinctio inter jus Patronatus *reale* & *personale* appareat non malè hìc applicata; illud tamen certum est, multum hac in re valere usum, & consuetudinem locorum, si quæ probari possit.

Ad Numerum XVI.

In textu notatum est, jus Patronatus *Laicale* in tantum reputari *temporale*, notanter quoad com-

competentiam judicis, ut quæstiones super eo exorientes, etiam in *Petitorio*, tam in Gallia, quam in Belgio coram Judicibus Regiis tractari & decidi soleant.

Imò incidente quæstione, cum jus Patronatûs esset *merè Laicale*, an verò *mixtum*, Parlamentum Mechliniense judicasse, cognitionem & decisionem hujus quæstionis spectare ad Judicem *Laicum* refert de Laury in sua Arrestorum Collectione Arresto 3.

CAPUT V.

Ad Numerum XXVI.

Provisio Ordinarii spreto Patrono valida esset, secùs Metropolitani, aut Pontificis facta ante tempus devolutionis expletum.

NOtatum est in textu, collationem sive provisionem Ordinarii esse validam, licet facta sit spreto Patrono etiam intra tempus Patrono ad præsentandum competens. at secùs est, si Archiepiscopus aut Pontifex contulerint jure devoluto; sed tempore devolutionis nondum elapso, licet postmodum fiat locus devolutioni, per lapsum temporis collatio Archiepiscopi, vel Pontificis non convalescet, nec valida erit eò quod ipsis nullum jus conferendi competat nisi ex jure *devoluto* ut post Molinæum notat Du Casle in sua Praxi jurisdictionis voluntariæ *capite* 5. *numero* 3.

Hæc praxis rursus evincit, Romanum Pontificem non reputari *Ordinarium Ordinariorum*, sive Romano Pontifici non competere jus aliquod providendi de Beneficiis jure *ordinario*, sed duntaxat illud ipsi acquiri jure devolutionis, quemadmodum acquiritur Metropolitanis per negligentiam Ordinariorum sibi subjectorum.

Ad Numerum XXVII.

Provisio Ordinarii spreto Patrono valida est, etiam ad excludendam præventionem Papæ, secùs Provisio Papæ spreto Patrono.

Collationem Ordinarii intra tempus Patronis ad præsentandum concessum factam, esse validam respectu *omnium*; nec resolubilem nisi respectu ipsius Patroni intra tempus præsentantis, multis ostendit Molinæus ad Regulam Cancellariæ de infirmis Resignantibus *n.* 55. ac signanter 68. & sequentibus ubi quoque notat, quod si Papa Patronum, sive Ecclesiasticum, sive Laïcum præveneriit, præventio illa sit nulla & invalida, si ipse Ordinarius Beneficium contulerit: quia licet ipsa collatio Ordinarii facta, *spreto Patrono* sit resolubilis respectu Patroni, si intra præfixum tempus præsentaverit, semper tamen fuit valida, quamdiu Patronus non præsentat, adeòque non potest habere locum præventio Papæ; eò quod hæc non obtineat nisi ubi beneficium est vacans.

Prætereà late ibidem probat, collationem Papæ aut ejus Legati, beneficii juris Patronatûs, spreto Patrono, in Regno Galliæ reputari omninò invalidam, quod & pluribus prosequitur Georgius Louetius in notis ad Molinæum *num.* 60. qui tamen ibidem sub finem existimat; Si „Papæ provisio eandem causam contineat, puta „sit per obitum, vel jure devoluto vel per resig„nationem. nullâ juris Patronatûs Laïcorum, nec „præventionis mentione factâ nec etiam deroga„tionis (pro hac vice) quæ sunt veræ nullitatis „causæ, contineant, *Patrono non conquerente* „validam, & existimo provisionem non abusi„vam: eoque casu Papam Ordinariorum Ordina„rium, eodem quo Ordinarii Collatores favore „amplectendum, posse, quæ possunt alii Collato„res: non enim eo casu liceret tanquam *ab abusu* „provocare.

Verùm in nota marginali ad hanc Louetii limitationem, monet vir eruditus Antonius Vaillant, „in Gallia Papam non esse *Ordinarium Ordina„riorum*, & non omnia posse, quæ possunt Or„dinarii: solo jure (inquit) præventionis gaudet, „& non potest prævenire Patronum Laïcum in„tra tempora ei ad præsentandum concessa.

CAPUT VII.

Ad Numerum XXX.

Quo titulo personis Ecclesiasticis jura honorifica competant. Et quibus?

QUod hoc numero dicitur, jura honorifica non solis Patronis *Laicis*; sed & *Ecclesiasticis* competere, & iis jam pridem delata fuisse, accipi debet de iis Ecclesiasticis, qui sunt *veri* Patroni ex fundatione vel dotatione; puta si Episcopus aut Prælatus ex proventibus Ecclesiasticis aut propriis fundaverit aut dotaverit Ecclesiam; atque jus Patronatûs titulo fundationis aut dotationis sibi delatum, annexuerit dignitati Episcopali aut Prælaturæ: vel si ex proventibus alicujus Ecclesiæ Matricis erecta fuerit alia Ecclesia Matrix tanquam Fundatrix meritò reputatur; eoque nomine Rectori hujus Ecclesiæ quædam jura honorifica, sive honoris deferuntur; quemadmodum in *cap.* 3. *x. de ædific. & reparand. Ecclesiis* respondet Alexander III. & ut in textu notatum fuit.

Similiter titulo fundationis Episcopo jam pridem delatum fuisse jus præsentationis in Ecclesia, quam ipse fundaverat; atque eo titulo verum jus Patronatûs ei datum fuisse supra hoc titulo *cap.* 1. *num.* 7. observavimus.

Igitur jura honorifica Ecclesiasticis non secùs ac Laïcis deferuntur in cognitionem munificentiæ & liberalitatis, quam in fundatione, aut dotatione Ecclesiis exhibuerunt: nam ut rectè advertit Franciscus de Hoye Antecessor Andegavensis in Tractatu suo de Juribus Honorificis lib. 2. cap. 3. Sacri Canones (ait) in deferendis hisce honoribus *nomen*, *qualitatem*, & dignitatem „Fundatoris inspiciunt, ut ex ea causa pietatis & „munificentiæ honorem deferant. & exhibeant, „& infrà *numero* 33. in textu notavimus.

Cùm igitur Capitula & Monasteria, quæ solo titulo incorporationis habent jus præsentandi, sive nominandi ad Ecclesias illas Parochiales, quas vigore incorporationis, sibi habent incorporatas, has Ecclesias non dotarint, aut fundaverint; sed è contrario decimas aliosque reditus earum Ecclesiarum titulo incorporationis in usus suos *sive ad mensam applicent*, nequaquam ut *veri* Patroni reputandi sunt; neque jura honorifica veris Patronis titulo fundationis vel dotationis competere solita, prætendere possunt: sed si quæ jura honorifica in his Ecclesiis incorporatis vindicare velint, ea speciali titulo sibi competere probare debent.

CAPUT IX.

Ad Numerum XVII.

Quo motivo subinde Pontifices concesserint indulta nominandi ad Beneficia?

IN textu dictum est, Pontifices Regi Franciæ dedisse *indulta* in favorem Cancellarii, & Consiliariorum Parlamenti Parisiensis.

Legitur

Quo motivo subinde Pontifices concesserint indulta nominandi ad Beneficia?

Legitur quod Sixtus IV. ad exemplum Pii II. sui prædecessoris intendens abrogationem Sanctionis Pragmaticæ, quam *anno* 1438. in conventu Bituricensi promulgaverat Carolus VII. Rex Franciæ, concordatum concluserit cum Ludovico XI. Rege Galliæ relatum in *Extravagante ad universalis de treuga & pace in communibus*: utque Parlamentum Parisiense ad receptionem hujus Concordati inclinaret, eodem Concordato concessit *duas Expectativas* ad *singulos* Collatores Regni Galliæ in favorem Consiliariorum Parlamenti, aut eorum, quos ipsi vice sua nominare voluerint.

Sed nec hoc Concordatum, nec indultum receptum fuit, resistente Procuratore Regio, uti notat Franciscus Pinsonius in Præfatione ad suum Tractatum de Indultis *pag.* 33. qui & ibidem monet Paulum III. indultum Parlamento dedisse, ut ipsum magis obfirmaret in observatione Concordati inter Leonem X. & Franciscum I. quo Sanctioni Pragmaticæ, saltem quoad *liberas* electiones non exiguum vulnus inflictum fuit.

TITULUS XXVI.

De Institutione & Possessione Beneficiorum.

CAPUT I.

Ad Numerum XIII.

Ordinarius prætextu examinis circa qualitatem provisi non potest cognoscere de titulo.

In textu dictum est, examen de qualitate & capacitate Provisi de Beneficio, priusquam instituatur, deferri solere Ordinario.

Sed notandum non posse Ordinarium prætextu hujus examinis cognoscere de jure & titulo ipsius Præsentati vel Electi, uti rectè observat Author Gallicus notarum in Concilium Tridentinum *pag.* 74. refertque, quod cùm Episcopus Matisconensis recusasset literas admissionis, quas Galli *visa* vocant, proviso de Canonicatu, ad oppositionem motam contra Provisum à Capitulo prætendente, Canonicatum hunc esse affectum Præceptoriæ; Provisum autem interjecisse ab ista recusatione appellationem *tanquam ab abusu* ad Parlamentum, hocque per Arrestum die 17. Julii 1601. declarasse malè & abusivè recusatum fuisse *visa*.

Ad Numerum XX.

Utrum Ordinarii recusare possint literas vulgò visa ob causas sibi privatim notas?

In textu notatum est, Provisum de Beneficio à recusatione institutionis, sive litterarum, quas Galli *visa* nominare solent, appellare posse: quin & Ordinarios cogi posse, ut rationes recusationis assignent: nealiàs in Ordinariorum arbitrio esset, frustrare Provisos jure sibi per præsentationem vel electionem acquisito.

Latè idipsum probat Du Casse in suo Tractatu de Jurisdictione Ecclesiastica *tom.* 1. *cap.* 5. *num.* 5. ostenditque ibidem, Ordinarium non posse recusare exhibitionem causæ recusationis, eo prætextu quod rationes recusationis *sibi soli nota essent*; nec eas probare posset, multisque ostendit, quàm perniciosum, quantisque incommodis obnoxium esset, si Ordinarii Provisos de Beneficiis possent rejicere ob rationes, quas sibi notas esse dicerent: rectèque ibidem applicat monitum datum Episcopis per Synodum Vasensem anno 442. can. 8." Si tantum Episcopus se alieni sceleris conscium novit, quamdiu probare non potest, nihil proferat, sed cum ipso ad compunctionem ejus secretis compunctionibus elaboret.

Indubiè aliud esset, si ageretur de his, quæ à libera Ordinariorum commissione & beneplacito dependent, uti supra tit. 5. cap. 2. in hoc Supplemento notavimus.

CAPUT II.

Ad Numerum VII.

Utrum habentes jus admittendi ad possessionem corporalem queant de jure provisi cognoscere?

Prælati vel Capitula, quibus competit jus admittendi & introducendi Beneficiatos in corporalem possessionem, vigore institutionis canonicæ à Collatoribus ordinariis eorumve Archidiaconis obtentæ non possunt sibi vindicare jus cognoscendi de validitate ipsius tituli, eoque prætextu possessionem recusare non magis, quàm Ordinarius, à quo provisus institutionem, vel *visa* petere debet, ut suprà dictum est.

Idipsum adstruit Renatus Choppinus de sacra Politia cap. 8. num. 2. prolatis eam in rem pluribus Parlamentorum Arrestis; testaturque Carolus Molinæus ad Regulam Cancellariæ de *infirmis resignantibus*, fuisse authoritate Parlamenti Parisiensis prohibitum Capitulo Carnotensi adhibere causæ cognitionem in Præbendarum collationibus.

Ad hunc textum Molinæi Gregorius Louetius *num.* 40. fatetur quidem, id pluribus Arrestis firmatum esse; addit tamen: "Ego verò (ait) semper existimavi, Capitula ad novorum Canonicorum receptionem non compellenda, quando aut corporis aut animi vitia *notoria* sunt: puta si le præ morbo laborant; si ex causa infamante condemnati fuerint, si illegitimi, si repugnant Capituli statuta: supplicationis enim viâ, superiorem aut summa Tribunalia adire possunt, ut vocato detentore illegitimo, super negotio statuatur, & *interea* nihil contra Ecclesiæ statuta & juris rationem moliatur.

Ad Numerum XXXI.

Utrum per Decretum Concilii Tridentini improbata sit exactio Annatarum?

Quandoquidem per Decretum Concilii Tridentini in textu relatum improbaretur consuetudo quidquam exigendi, aut ex fructibus deducendi in collatione Beneficiorum, aut admissione ad eorum possessionem, Decretum hoc Gallis perplacuisse scribit Historicus Concilii Tridentini *pag.* 689. Editionis Latinæ 1658. dicentibus, iis verbis tolli solutionem *Annatarum*: "Et sanè (ait Historicus) qui ea considerate examinat, alium iis sensum non temerè appinget, utcumque eventus ostenderit, Romæ caput illud longè aliter intellectum esse.

CAPUT IV.

Ad Numerum XV.

Quis effectus interruptæ possessionis quoad effectum Regulæ de triennali possessione?

TUrbationem civilem sive judicialem non interrumpere possessionem pacificam, nisi tantum respectu turbantis ex Rebuffo in textu notatum fuit: quod etiam probat Molinæus ad Regulam de publicandis resignationis *num.* 355. dum nimirum possessor, duntaxat *civiliter*, turbatus fuit: sed si *naturaliter* de sua possessione fuerit deturbatus, sustinet, hanc turbationem nocere quoad *omnes*. Quod & Gregorius Louetius in notis ad citatum locum Molinæi observavit: "Quia [ait] *naturalis* interruptio, quæ de „facto possidentem de possessione dejicit, omni-„bus prodest, impedit possidentis præscriptionis „continuationem: civilis autem, quæ possessio-„nis continuationem de facto non impedit, pro-„dest tantum interrumpenti ad juris conservatio-„nem.

Ad Numerum XXI.

Nulla reservatio præter eam, quæ clausa est in corpore juris, impedit effectum hujus Regulæ.

Cùm in Regula de triennali possessione duntaxat excipiatur reservatio clausa in *corpore juris*, quæ collationem obtentam ab Ordinario impedit, quominus obtineat vim tituli colorati, uti in textu notatum est, rectè concludit Melchior Pastor Tractatu *de Beneficiis lib.* 3. *tit. finali num.* 2. "Quòd licet beneficium concessum, sit re-„servatum generaliter aut specialiter in gratiam „alterius Collatoris, vel Mandatarii, aut Indul-„tarii, collatio facta ab Ordinario in gratiam al-„terius sit *colorata:* Nam in beneficiis reservatis, „Ordinarius retinet *habitu* jus conferendi, ini-„tio inspecto, reservationi censetur derogatum, „beneficio hujus Regulæ.

Hinc ulterius infert *num.* 12. "Hoc jure Pro-„visus ab Ordinario de beneficio familiaris aut „domestici alicujus Cardinalis, eidem reservato, „Indulto generali contra adversarium ab eodem „Cardinali postea provisum, uti potest hâc Re-„gulâ, si per triennium pacificè possederit.

„Idem de cæteris reservationibus, indultis, „& privilegiis generaliter aut specialiter conces-„sis Prælatis aut Capitulis, dici potest, non ob-„stantibus clausulis derogatoriis irritantibus in „privilegio vel Indulto contentis: nam per illas „clausulas exceptio hujus Regulæ non excluditur.

Subditque & *num.* 13. quòd "idem jus in „Gallia Principes sibi præscripserint: nam cùm „olim jus Regaliæ ab hac Regula esset liberum, ut „ab aliis Regulis Cancellariæ, & Constitutioni-„bus Pontificiis formam Provisionum beneficia-„lium præscribentibus, & reservatio beneficii „vacantis in Regalia duraret triginta annos, ut „Constitutione Ludovici XII. statutum fuerat, ut „notat Rebuffus ad eandem Regulam, & Papon „in sua Collectione Placitorum *lib.* 3. *num.* 1. „tandem placuit Henrico IV. felicis & immorta-„lis memoriæ, Edicto anni 1606. hanc Regulam „in Regalia admittere, & Provisum ab Ordina-„rio post triennium pacificæ possessionis contra „Regalistam fieri securum.

Ad Numerum XXI.

An possessor Beneficii teneatur probare colorem tituli?

Quæ in textu dicuntur de titulo *colorato*, ac signanter, quòd is, qui possidet, non debeat probare colorem tituli; sed qui defectum coloris opponit, debeat eum probare, intelligenda sunt, modò Provisus habeat titulum per provisionem Sedis Apostolicæ, aut Ordinarii, aut alterius, cui de jure jus conferendi competit, uti habetur in Regula.

Dum enim ex simili titulo aliquis est in possessione, non tenetur ipse probare *colorem* tituli; sed adversarius debet probare titulum non esse coloratum.

Si verò nullam provisionem vel titulum acceperit ab eo, cui de jure dandi provisionem vel titulum authoritas competit, non potest dici habere titulum *coloratum*, nec consequenter vigore possessionis *triennalis* juvari.

Ad Numerum XXIX.

Quandonam ob abusum, qui intervenit in Provisione impediatur effectus hujus Regulæ?

Quemadmodum hæc Regula non tuetur possessorem injustum adversus Ordinarium, quo minus de titulo inquirat, uti in textu latiùs fuit expositum; ita nec contra Officiarium Regium agentem pro interesse *publico*. Unde notat Molinæus ad Regulam *de infirmis Resignantibus*, *num.* 206. Decretum *de pacificis possessoribus*, nec hanc Regulam unquam habere locum, ubicunque potest appellari *tanquam ab abusu:* quoniam *abusus* non solùm reddit titulum discoloratum, sed etiam funditus nullum: quia hæc appellatio non interponitur, nisi quando *publicum* interesse vertitur: quare & in hac specie appellationis, pars principalis & formalis est procurator Regius, uti infrà *part.* 3. *tit.* 10. notatum est.

Idipsum observat Melchior Pastor in Tractatu de Beneficiis *lib.* 3. *tit. finali num.* 24. rectè unà distinguens: inter casus, in quibus per abusum *principaliter* utilitas *publica* Ecclesiæ ostenditur, in quibus, si damnum Ecclesiæ reparabile non sit, abusus semper durat, nullâ præscriptione obstante; & casus, in quibus primariò ostenditur utilitas *privatorum*, & *secundario* utilitas publica, in quibus abusus præscribitur: uti, si collatum sit beneficium spreto Patrono post semestre, si jus Patronatûs sit Ecclesiasticum, aut quadrimestre, si Laïcale sit, Patronus non auditur, nec alius quisquam, quoniam eo tempore querela Patroni præscribitur.

TITU-

TITULUS XXVII.

De Resignatione & Permutatione Beneficiorum.

CAPUT I.

Ad Numerum III.

Primitus incognita Resignatio Beneficiorum.

NOn mirum ante tempora Alexandri III. vix quidquam occurrere de renuntiatione & resignatione Beneficiorum, quia ante tempora hujus Pontificis, tituli Beneficiorum vix adhuc erant ab ipsa Ordinatione sejuncti.

Durante autem disciplinâ, quâ Clerici in sua ordinatione adscribebantur certæ Ecclesiæ, ipsa ordinatio erat quodammodo vice *Provisionis* Beneficii, quia per adscriptionem huic Ecclesiæ, adscriptus, sive ordinatus consequebatur jus participandi de temporalibus hujus Ecclesiæ tanquam ejus Minister: Clericus autem, qui dimittebat Ecclesiam, cui in ipsa ordinatione fuerat adscriptus, censebatur renuntiare juri ad temporalia istius Ecclesiæ, quæ ipsi tanquam ministro istius Ecclesiæ competebant. Itaque dimittere Ecclesiam, tunc idem in effectu erat, quod hodie renuntiare Beneficio.

Sed quia renuntianti, sive deserenti Ecclesiam, liberum non erat alium Clericum eidem Ecclesiæ in suum locum surrogare, idcircò nulla apud veteres resignationis Ecclesiarum, aut Beneficiorum mentio occurrit; sed solius dimissionis, sive simplicis renuntiationis.

Ad Numerum XVIII.

Resignatio in favorem multis abusibus obnoxia.

Resignationes *in favorem* frequenter de simonia esse suspectas, multisque aliis vitiis subjectas in textu notavimus. Hæc brevi verborum compendio expressit Michaël Rosellius in Historia Pontificiæ Jurisdictionis *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 11. Postquam enim ostendit *num.* 10. admissas; nec amplius attendi cœptum ad sex illas causas, quas *in cap.* 10. *x. de Renunt.* expressit Alexander III. subjungit num. 11. "Sic perierunt jura, nec de cætero attenduntur sex illæ causæ, propter quas solas exaudiri debere renuntiantem, ajebat idem Alexander III. grande procul dubio vulnus Ecclesiæ, cui nulla unquam manus medebitur, nisi ipsa Pontificia suprema, *resecans favorabiles illas, sed pestiferas resignationes*, quibus boni excluduntur, indigni admittuntur; fitque plurimum hæreditaria Beneficiorum successio, quam tantoperè disciplina Ecclesiastica abhorruit. Quod si resecârit, non fortè ditiorem Episcopatum suum posteris relinquet [quid enim prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ autem detrimentum faciat] at sanctiorem. Hæc ille. Utinam exaudiatur 1.

CAPUT II.

Ad Numerum V.

Resignatio in favorem unionis faciendæ fieri potest Authoritate Ordinarii.

IN textu notatum est, hodie communiter receptum esse, resignationem *in favorem certa persona* à solo Romano Pontifice admitti posse; idque ex falso fundamento, quasi ad Romanum Pontificem recurrendum esset, ut hic purgaret simoniam in hac resignatione intervenientem.

Si autem resignatio, seu renuntiatio non fiat in favorem certæ personæ, sed in favorem *unionis faciendæ* cum clausula, *non aliter, nec aliàs*, Ordinarium admittere posse; & eo casu, si unio non sequatur, resignans sine novâ collatione ad suum Beneficium redit, uti monet Louetius in notis ad Molinæum in Regulam de publicandis resignationibus *num.* 175.

Hæc enim resignatio in favorem *unionis*, cùm non fiat in favorem certæ personæ, etiam dici nequit propriè dicta resignatio *in favorem*, prout hæc hodie accipitur, quæque speciem aliquam simoniæ, aut saltem hæreditariæ successionis in Beneficia præfert; sed unicè fit in favorem Ecclesiæ, quæ, ut supponitur, unionem illam requirit; nec eatenus sacris Canonibus, quemadmodum resignatio in *favorem certa persona* adversatur.

Ad Numerum V.

Etiam Legatis Apostolicis non est facultas admittendi resignationes in favorem.

Collatoribus ordinariis etiam Episcopis fas non esse juxta stylum & praxim modernam admittere & probare resignationes in *favorem*, in textu notavimus; quin & id observat Molinæus ad Regulam Cancellariæ *de infirmis Resignant. num.* 184. additque nec id licere Legatis Apostolicis, etiam *à latere* in vim generalis clausulæ sive facultatis admittendi *quascunque resignationes*: "Sed [ait] requiritur, ut specialiter & nominatim id concessum fuerit.

Rationem addit: "Hæc enim simoniaca est & prohibita, & novum genus dispensationis exigens, igitur gratiâ & facultate *speciali* opus nec transit cum clausulis quantumvis generalibus, & ita practicatur.

Quin & addit: quòd, tametsi interdum inter *facultates* Legati *à latere* specialiter & nominatim expressa fuerit licentia admittendi hujusmodi resignationes, tamen Senatum Regium facultatem Legatorum nunquam voluisse admittere, nisi sub hac conditione, *ne possent in favorem admittere*.

Cùm verò nec Ordinariis, nec Legatis Apostolicis fas sit approbare resignationes *in favorem*, rectè ibidem observavit Molinæus, nec simplices resignationes coram Ordinariis vel Legatis Apostolicis admissas recipi, si ex clausulis vel circumstantiis sufficienter patescat, eas reverâ fuisse *in favorem*, prout ibidem in casu quodam occurrente ostendit, resignationem quandam *simpliciter* factam coram Legato fuisse reverà resignationem *in favorem*, ob clausulas ab ipso resignante in procuratorio expressas.

Ad Numerum I. & XII.

Pactiones in spiritualibus & provisionibus Bene-

Per Pontificem resignatio in favorem à labe simoniæ non purgatur.

Beneficiorum continere simoniam, non tantùm juris humani, sive positivi; sed juris *Divini* nullâ humanâ authoritate purgandam, probatum est in textu: atque hinc ulteriùs conclusum, quòd, si resignatio *in favorem* censeatur simoniaca ob clausulas, *non aliter nec aliàs*, hæc per Pontificem abstergi, sive purgari nequeat, ideoque nec dici posse, approbationem sive admissionem hujus resignationis esse Pontifici reservatam; quasi solus Pontifex resignationem hanc à simonia purgare queat.

Illud fatendum est, admodum esse verisimile ad inducendam hanc reservationem, plurimum contribuisse, Scholasticorum & Canonistarum aliquorum opinionem, qui similes resignationes *in favorem* ob interpositam clausulam, *non aliter, nec aliàs*, esse simoniacas dicebant; eásque Authoritate Pontificiâ ab hac labe esse purgandas.

Certum enim est, quòd tum temporis reperirentur Doctores non pauci, præsertim inter Canonistas, qui asserere non vererentur, eam esse Pontificis authoritatem, ut non tantum similes pactiones à simonia purgare; sed quòd & ipse Pontifex sine simonia beneficia liberè *vendere* posset, uti de quibusdam Canonistis altè deploravit celeberrimus ille Prælatorum Conventus sub Paulo III. ad indicandos abusus in Concilio Tridentino reformandos, uti in hoc opere non semel notavimus.

Et quidem Molinæum in ea fuisse opinione, quòd authoritas admittendi resignationes *in favorem* Romano Pontifici fuerit reservata; ita, ut neque Legatis *à latere* hujus resignationis admissio concedatur ob simoniam, quæ huic resignationi in esse credebatur, patescit ex ejus verbis in in nota præcedente relatis.

Hoc sanè negari nequit, quin hodiernæ Beneficiorum resignationes *in favorem* frequenter sordidis ac illicitis, quin & simoniacis pactionibus sint infectæ; sed has Authoritate Pontificiâ ab omni labe expurgari, nescio, quo fundamento asseri queat.

Ad Numerum XXXI.

Cur non admissa Constitutio Pii V inhibens Ordinariis admittere resignationes in favorem consanguineorum aut affinium resignantis?

In textu notatum est Pium V. per suam Constitutionem interdixisse Episcopis & Ordinariis, conferre ulla Beneficia consanguineis aut affinibus resignantium; ac unà notatum, hanc Constitutionem, in quantum restringit authoritatem Ordinariorum, in plerisque Regnis non esse receptam atque Episcopos, non obstante hâc Constitutione admittere resignationes ex *causa permutationis in favorem* consanguineorum & affinium Resignantium conferre.

Probè quippe intelligebant Episcopi, per hanc Constitutionem nequaquam resignationibus simoniacis, vel carnem & sanguinem ac hæreditariam successionem præferentibus finem imponendum, aut moderationem adferendam; sed duntaxat authoritati Episcoporum limites figendos, dum hæc Constitutio hasce Beneficiorum resignationes & provisiones in favorem consanguineorum & affinium Resignantium in Curia Romana admitti non interdicit; sed eas admittendi Romano Pontifici authoritas integra relinquitur.

Et sanè, si attendantur hodiernæ & frequentes Beneficiorum resignationes *in favorem*, vix ullæ reperientur, quæ non fiant *in favorem* consanguineorum aut affinium ipsorum Resignantium, quæ tamen in Curia Romana indifferenter admittuntur: ut vel hinc patescat in Curia illa ad prædictam Pii V. Constitutionem fieri reflexionem exiguam.

CAPUT IV.

Ad Numerum I.

De clausula in Curia Romana usitata nihil transeat.

Non dubium, quin ea, quæ ex Flaminio Parisio in textu notata sunt; scilicet de libertate resignandi Beneficia, profanam de Beneficiis Ecclesiasticis sint nata imprimere ideam; quasi Beneficia Ecclesiastica per Beneficiatos Jure proprietario, quasi res profanæ possiderentur; de quibus tanquam sibi propriis disponere possent.

Et quamvis similis hodie de beneficiis passim idea habeatur, præsertim de beneficiis nullam curam animarum habentibus, nihilominus indubitatum est beneficia Ecclesiastica semper consideranda & reputanda esse, ut ministeria Ecclesiæ; & tanquam talia à Clericis possidenda, neque de illis, sive ex causa permutationis, sive resignationis, vel quocunque alio titulo disponi posse, nisi in utilitatem, ædificationem, ac profectum Ecclesiæ.

Quantumvis autem, non obstante quâcunque consuetudine, hæc à permutationibus aut resignationibus beneficia sint servanda, nihilominus observat post Molinæum ad Regulam de publicandis resignat. *num.* 243. Georgius Louetius sæpiùs in supremis Franciæ Tribunalibus judicatum contra Collatores, seu Patronos Ecclesiasticos, qui Romæ suâ authoritate beneficiorum resignationem admitti impediebant, per verbum in Registris Datariæ appositum *nihil transeat*, rationem horum Arrestorum subjungens ait: « Hæc inconsulto Summo Pontifice „*turpis lucri* causâ committuntur: ideo per Arresta Curiæ & magni Consilii Sacerdotes indignitate constituti delegantur, qui à die denegatæ resignationis provisiones concedunt cum „clausulis ex stylo Cancellariæ Apostolicæ apponi solitis.

« Hoc judicatum pro præpositura Andegavensi in Ecclesia S. Martini pro Præbendis Ecclesiæ Cenomanensis vivente Cardinali de *Rambouillet* Cenomanensi Episcopo: pro Prioratu „de *Lyons* Ordinis Cluniacensis, iis omnibus Senatusconsultis judicatum hæc verba *nihil transeat* extraordinaria contra *publicam* Regnicolarum libertatem. Idem dicendum, cùm illicitis artibus provisionum publicationes & possessionum impediuntur, ut hic docet Molinæus.

« Monet autem ad hunc textum Louetii Antonius Vaillant in nota marginali, à Parlamentis „Regis pro approbanda resignatione, quæ in „Curia Romana impeditur per verba *nihil transeat*, vix hodie committi simplices Sacerdotes; „sed provisionem delegari Episcopo loci Ordinario.

Præterea observat, « non licere Officiariis Curiæ Romanæ denegare provisionem, & cognoscere de validitate tituli & oppositionibus factis. Nec mirum, quia si de his liceret Officiariis Curiæ Romanæ cognoscere & judicare, Regnicolæ cogerentur super beneficiis, seu causis beneficialibus extra Regnum in Curia Romana litigare contra manifesta Regni illius privilegia & consuetudines.

Quandoquidem non minus manifesta sint hanc

in rem privilegia Belgii, quæ non permittunt Belgas coram exteris judicibus etiam in Curia Romana litigare, eodem fundamento non liceret Officiariis Curiæ Romanæ denegare provisionem Belgis, & cognoscere de validitate tituli, & oppositionibus factis à parte adversa.

Ex hactenus dictis sat intelligitur Parlamenta Regia per hunc procedendi modum nequaquam intendere, omnes beneficiorum resignationes sine examine esse admittendas, sed præcipuum scopum esse, solicitè præcavere, ne hoc prætextu Curia Romana quæstiones super beneficiis ad suum Tribunal trahat, & Regnicolas in Curia litigare cogat.

Ad Numerum VI.

Reservatio Beneficii vacantis per promotionem ad aliud.

Insinuat Joannes Choquier in Commentario ad hanc Regulam *num.* 25. quoad reservationem beneficiorum, quæ promovendi in Curia Romana obtinent (de qua in textu) hanc Regulam hodie ex olevisse, & quantum ad Belgium, nullus apparet hujus reservationis usus.

CAPUT V.

Ad Numerum I.

Interpretatio Regulæ de infirmis, seu viginti diebus in favorem Cardinalium.

Observat Joannes Solier in notis ad Melchiorem Pastorem Tractatu de Beneficiis *lib.* 3. *tit.* 7. *littera B.* quòd ante Bonifacium VIII. Regula *de infirmitate* mentionem non haberet: ideoque de *viginti diebus*, non autem *de infirmis Resignantibus* denominaretur: sed additis à Bonifacio VIII. *infirmitatis* verbis cœperit promiscuè de *viginti diebus*, *seu infirmis Resignantibus* nuncupari.

Observat prætereà, quòd etiamnum hodie Regula habeat locum quoad beneficia spectantia ad collationem *Cardinalium*, tametsi nulla *infirmitas* præcesserit, modò ipse Resignans intra *viginti dies* ab admissa resignatione decesserit: "Quia „[ait] indultum Cardinalium Regulam vocat *de* „*viginti diebus*, non autem *de infirmis* Resignan„tibus, intelligitur de antiqua illa, cui aliàs lo„cus erat, etiam extra casum *infirmitatis*, ut & „hodie sit ei locus ad *favorem* Cardinalium.

"Si hæc fiat & permittatur Regulæ interpretatio in favorem *Cardinalium*, ut ipsis integra, & libera maneat beneficiorum provisio; nonne potiori jure hæc esset facienda & retinenda Regulæ interpretatio in favorem *Episcoporum*, quibus non ex speciali *indulto*; sed *jure proprio* beneficiorum provisio per suas respectivè Diœceses competere censetur?

Ad Numerum VIII.

Quo tempore requiratur infirmitas, ut sit locus huic Regulæ?

Quod in textu observatum est ex Molinæo, sive Authore Analysis in Regulam Cancellariæ de *infirmis Resignantibus num.* 115. infirmitatem requiri tempore factæ resignationis, idipsum probat hic Author ibid. *num.* 16. *& seqq.* notátque, quòd ad obviandum fraudibus, Regula "pro „principio morbi non ponderet, nec requirat „aliud initium quam tempus, vel datam ipsius re„signationis ergo admissionis.

Hinc ulterius concludit, monétque admodum notandum in praxi, quòd sufficiat ad effectum hujus Regulæ, Resignantem esse infirmum tempore resignationis admissæ, vel etiam tempore collationis, si diu post sequatur, vel etiam tempore *præstiti consensûs*, si postea præstitus fuerit, sed & sine suspicione infirmitatis.

Meminit & ibidem additionis factæ per Clementem VII. & Paulum III. quæ hodie legitur in textu Regulæ, quâ declaratum est statutum sufficere Resignantem esse *infirmum* tempore *dati consensûs*, quantumvis primi, etiamsi tempore admissæ resignationis *sanus* fuerit, ut si de illa infirmitate infra vigesimum diem obierit, vacet per obitum.

Addit deinde: quòd, cùm sit libertati Ordinariorum favorabile, & ad fraudes *pravarum datarum* restringendas; utque veteres sacri Canones minus corrigantur & fraudentur, minúsque pateat via successionis carnalis in beneficiis Ecclesiasticis, utiliter statutum, omninò tenendum & practicandum est.

Ad Numerum XXVI.

Utrum Regula locum habeat in resignatione coram Ordinario?

In textu observatum est, quòd post addita per Paulum III. hæc verba *quâvis etiam authoritate* huic Regulæ, dubium non esse, quin hæc Regula etiam obtinere debeat in resignationibus ex causa permutationis *coram Ordinario*; atque Regulam cum hac additione videri in Belgio receptam.

Verum, quo ad hanc in Belgio receptionem, nuper in quadam causa dubitatum fuisse; quin & plures è Parlamento Mechliniensi in eam incidisse opinionem hanc Regulam cum prædicta clausula hactenus non fuisse receptam, intelligitur ex iis, quæ referuntur in Collectione Arrestorum Parlamenti Mechliniensis ad ornata Dominum Laury ejusdem Parlamenti Consiliarium *Arresto* 123. ibidem enim narrat, quòd, cum *anno* 1713. incidisset quæstio occasione controversiæ possessorio de Præbenda secundæ fundationis vulgo *zellard* in Ecclesia Metropolitana Mechliniæ, quam quidam Joannes de Munnck viâ permutationis coram Ordinario acceperat ab Antonio de Munnck fratre suo, qui infirmitate constitutus eam viâ permutationis resignaverat.

Cùm autem Resignans infra viginti dies à facta resignatione obiisset, quidam Joannes Franciscus Bosselaer eandem Præbendam tanquam vacantem per obitum vigore hujus Regulæ impetravit à Romano Pontifice, eò quòd vacatio contigisset in mense reservato.

Porrò inter partes conveniebatur, Resignantem nondum elapsis viginti diebus à facta resignatione ex ipsa infirmitate decessisse, atque obiisse in mense reservato; & per consequens, unica superesse visa fuit quæstio, utrum hæc Regula in Belgio esset recepta cum additione facta per Paulum III sive utrum haberet locum in resignatione ex causa permutationis *coram Ordinario.*

Plures ab utraque parte adductas authoritates, refert Collectionis Author, testatúrque omnibus discussis tandem judicatum fuisse per Arrestum die 2. Decembris 1713. Regulam hanc in his partibus non habere locum in resignationibus ex causa permutationis factis coram Ordinario: verba Authoris gallicè expressa sunt: "Il a été ju„gé, que la Regle de la Chancellerie Romaine, „dite *de viginti vel de infirmis Resignantibus*, n'a „pas lieu en ce païs au regard des resinations des „benefices, qui se font pardevant les ordinaires.

Præcipuum hujus Arresti & Declarationis fundamentum fuisse asserit Author hujus Collectionis, quòd hæc Regula videatur concepta, & recepta, ut jus Ordinariorum contra Curiæ Romanæ usurpationes salvum esset: si autem hæc Regula etiam locum haberet in resignationibus coram Ordinario de beneficiis vacantibus in mensibus reservatis, tunc frequenter vigore hujus Regulæ

gulæ provisio Ordinario adimeretur, & ad Pontificem devolveretur, scilicet toties quoties Resignans intra viginti dies à facta resignatione decederet.

Verùm notandum hîc unicè quæstionem esse posse de conservanda Ordinario sola collatione *necessaria*, sive institutione libera utpote quam Ordinarius juxta terminos resignationis facere jubetur Resignatario in instrumento resignationis, sive permutationis nominato; ut proinde hæc *Ordinarii* provisio non possit reputari nisi *institutio necessaria?* qualis dari solet ad præsentationem Patroni, quam Ordinariis conservari nullius aut exigui momenti reputatur.

Utrum Regula eum habeat in resignatione coram Ordinario?

Ad hæc, si publici intersit, jura Ordinariorum integra conservari, quidni & publici interest, Patronorum Ecclesiasticorum, aut Graduatorum & Accademicorum jura jam recepta & stabilita, quæ non minus per has resignationes coram Ordinariis, quam in Curia Romana factas, enervantur, integra servari.

Prætereà certum est, præcipuum hujus Regulæ scopum esse, quasi hæreditariam & testamentariam Beneficiorum in nepotes & consanguineos ac familiares translationem & successionem reprimere.

Quis porrò ambigat, quin non minus per has coram Ordinariis factas resignationes vel permutationes Beneficia jure *quasi hæreditario* transferantur in fratres, nepotes, aliosque familiares secundùm carnem & sanguinem, atque per resignationes in Curia Romana?

Ad Numerum XXX.

An Regulæ huic sit locus in resignatione simplici coram Ordinario.

Quod dicitur in resignatione simplici & pura facta coram Ordinario huic Regulæ Cancellariæ *de infirmis Resignantibus* locum non esse, restringendum est ad casum, quo non tantùm Ordinarius eam resignationem acceptavit sive approbavit; sed & nullius, nisi ipsius Ordinarii interesse versatur, nullique præjudicium generari potest? quemadmodum etiam judicatum refertur, Regulam non obtinere in resignatione facta coram Pontifice, & ab eo acceptata, dum aliàs collatio pertinet ad Pontificem, nullius alterius interesse occurrit.

In Opere, cui titulus: *Journal des Audiences Parte 1. lib. 2. cap. 162. ubi & lib. 4. cap. 20.* judicatum scribitur, in hujusmodi resignatione etiam simplici Regulam obtinere, si ex circumstantiis sufficienter, probetur eam resignationem factam in fraudem Graduatorum aut, nominatorum Academicorum.

Et hoc etiam est quod dicit Molinæus ad Regulam *de infirmis num. 86.* hanc esse conditam, ut Ordinarius, dum resignationem coram se canonicè factam admisit, non posset rursus vigore hujus Regulæ idem Beneficium tanquam per obitum vacans alteri conferre.

De simili casu vero similiter actum fuit in Senatu Parisiensi anno 1550. de quo agit *num.* 270.

Indicia ex quibus colligitur, resignationem factam in *fraudem* Graduatorum allegat Molinæus ad hanc Regulam num. 110. & seq.

Ad Numerum XXXII.

Derogatio hujus Regulæ an admittenda?

In textu notatum fuit, derogationem hujus Regulæ admitti in Gallia; quin & testatur Melchior Pastor in Tractatu de Beneficiis *lib. 3. cap. 6. n. 6.* quod si Resignans supplicaverit pro derogatione hujus Regulæ, ipsa derogatio denegari nequeat: " Nam (ait) ex stilo Curiæ, clausula „derogatoria dicta Regulæ in literis beneficia-„libus apponi solet; & quæ sunt moris & con-„suetudinis, sunt servanda.

Quin & addit: " Si derogatio fuerit petita, & „denegetur; Resignatarium appellare posse à ne-„gatione signaturæ, aut Bullæ tanquam *ab abusu.* Testaturque judicatum fuisse super appellatione interposita à Resignatario, cui post resignationem admissam legatus Avenionensis conferre noluerat Beneficium cum clausula derogatoria dictæ Regulæ de viginti & differebat conferre, donec sibi constaret, Resignantem super vixisse viginti dies post resignationem admissam; quo judicio Senatus abusum tollendo, Resignatarium ad Ordinarium dimisit, qui Beneficium ei contulit.

Monet idem Author, quod si in supplica derogatio petita non fuerit, non suppleatur: suppleri tamen possit literis *perinde valere*, si jus alterni non sit quæsitum.

Mirum! in Gallia hanc Regulæ derogationem ita admissam: quandoquidem evidens, sit hac derogatione Regulam *de infirmis*, obviandis fraudibus, nec non conservandis juribus Ordinariorum aptissimam, & ut talem in Regno admissam, omninò reddi inutilem, ut solidè probat Molinæus in commentario hanc Regulam *num.* 127. & seq. ubi ex professo hanc quæstionem discutit: utrum huic Regulæ derogari queat.

Et primò quidem tanquam certum supponit, quod, Legatus etiam *de latere* non potest, licet „habeat potestatem generalem derogandi omni-„bus Regulis Cancellariæ editis & edendis; nisi „specialem, &, ut ita loquar, individualem ha-„beat facultatem derogandi huic Regulæ quia „(ait) Regula *jus facit*, utpote *judicialis*, tum no-„tabilis & favorabilis est & ita rectè tenet D. Lu-„dovicus hîc *quæst. ult.* & in proœmio lib. 6.

" Deinde addit, neque sufficere derogationes, quantumvis *generales Papæ*, Et quamvis non neget, quin Papa possit *nominatim* huic Regulæ derogare; tamen notat quod Papa passim & indiscriminatim derogare non possit, nedum debeat nisi graves (ait) urgeant causæ.

" Nec enim (inquit) Ecclesiæ dominus est; sed „administrator: non autem habet potestatem ma-„le administrandi..... At cùm hæc Regula justis „de causis facta sit & *favorabilis* videlicet ad re-„stringendum, fraudes quæ contra Canones ipsos „& jus publicum fiunt derogationem injustam „esse, nedum odiosam.

" Cùm autem passim, (pergit Molinæus) sine „delectu fiat (derogatio) additis quinque *ducatis*, „nemo non videt *abusum*, & illusionem esse, „quasi hæc Regula nundinationis causa facta sit, „utque cariùs Bullæ veneant. Quid autem iniqui-„us quàm legem præstare, pretioque refigi?

Cùm autem sciret hic Author utpote, praxeos Ecclesiæ & Regni Galliarum apprimè gnarus, derogationem hujus Regulæ literis provisionis ex causa resignationis, etiam in *favorem* ex stylo Curiæ Romanæ passim inseri, & in Gallia admitti, quasi respondendo ad prædicta ait: His & alii gra-„vioribus obviam ire non est *unius privati*, sed „Ecclesiæ legitimæ congregatæ, vel Principis, ad „quem in suo Regno spectat, disciplinam Eccle-„siasticam munire & defendere, etiam adversus „Prælatos Ecclesiasticos abutentes.

Post hæc subjicit motiva, quibus Princeps meritò inducendus videtur, ut effectum hujus derogationis in suo Regno impediat. Primo interest universalis Ecclesiæ, quod " Beneficia conferan-„tur per suos Ordinarios? quia ordo universalis „destruitur si unicuique sua jurisdictio illæsa non ser-

„servetur 2. *p.* 1. *C.* PERVENIT, qui est textus „Gregorii Magni.

Tum (ait) hæc derogatio non fit in resignatio„nibus verè simplicibus jure communi permissis, „quarum gratiâ non itur ad aliùm quàm Ordi„narium; sed fit pro resignationibus *in favorem*, „quæ vetitæ sunt, simoniacæ, & ad fovendum „abusum illum, qui fit contra sacros Canones „antiquos de prohibita successione in Beneficiis „& ne liceat de illis testamentum facere.

Denique notat quod " hæc Regula unà cum „Regula *de publicandis*, & de verisimili notitia, „non solùm sunt receptæ in toto Regno; sed in „legem transierunt generalem; ita quod inter le„ges, Regni in custodiam sacrorum canonum, & „libertatis Ecclesiæ Gallicanæ, sancitas connu„merari possunt: ergo (ait) derogatio multipli„cem abusum continet.

Tametsi Molinæus credat, hæc sufficienter evincere, derogationem hujus Regulæ, ex stylo Curiæ Romanæ literis provisionis ex causa resignationis *in favorem* inseri solitam, non fore recipiendam, sed tanquam *abusivam* rejiciendam, nihilominus fateatur contrarium in Regno servari, derogationemque admitti.

Testaturque Georgius Louetius in notis ad hunc Molinæi textum, quod nisi contrarius usus forensis obstaret, ipse quoque ob rationes per Molinæum adductas, ejus opinioni subscriberet.

Si forsan rationes ex Molinæo adductæ non fuerint visæ sufficientes, ut in Regno Galliæ, hæc derogatio tanquam abusiva rejiciatur *jus præventionis*, quo ibidem gaudet Pontifex; non dubium equidem, quin sat prohibent, ut merito hæc in Belgio, aliisque Provinciis, ubi jus Præventionis non est receptum, derogatio hujus Regulæ non admittatur? quodque meritò clausulam derogationis in literis expressam Concilia Regia per suas literas *placiti* probare noluerint, uti in textu notatum fuit *num.* 33.

Et *num.* 31. observatum est derogationem hujus Regulæ in Curia Romana non solere admitti? dum agitur de Beneficiis *reservatis*, aut de vacantibus in locis Romæ *vicinis*; indubiè, ut vigore hujus Regulæ ipsa libera Beneficiorum illorum provisio salva conservetur pontifici? quidni igitur principes, qui juribus Ordinariorum conservandis invigilare tenentur, hanc derogationem Regulæ non admittendam judicant.

CAPUT VI.

Ad Numerum X.

Accepta possessio non semper supplet vicem publicationis.

IN textu dictum est possessionem realem & corporalem Resignatarii palam, & juxta formam ordinariam ac stylum consuetum acceptam hic haberi pro *publicatione* resignationis factæ, hoc tamen notandum, quod si post acceptam per Resignatarium possessionem, Resignans adhuc per se vel alium reciperet fructus, possessio Resignatarii judicaretur simulata, nec sufficiens ut huic Regulæ *de publicandis resignationibus* esset satisfactum: quia possessor Beneficii habetur ad effectum hujus Regulæ qui fructus percipit, " nisi „Resignans vi vel violentia occupet Beneficium, „& conquerente Resignatario fructus perciperet: „tunc enim nihil imputandum Resignatario, cui „*via facti* nocere non debet, uti observat Louetius in notis ad Molinæum ad hanc Regulam *num.* 10.

Qui & *num.* 268. monet: " Si Resignans ex„quisitâ *fraude* simulatum *conductionis* titulum à „Resignatario obtinuerit, & ex eo putativus pos„sessor à pluribus habitus sit, tunc cùm Regulæ „non est abundè satisfactum, *publicationis* omis„sio reddit resignationem eo casu nullam.

Sat quippe constat, hac simulatâ conductione, Resignantem reipsa in perceptione fructuum Beneficii permansisse, ipsumque Resignatarium non nisi simulatam possessionem Beneficii accepisse.

Ad Numerum XIII.

Utrum impedimentum sufficiat ut tempus publicationis prorogetur?

Regula *de publicandis resignationibus* vult ut *publicatio* resignationis fiat intra sex menses, si resignatio facta sit in Curia Romana; intra mensem verò si extra Curiam, uti in textu notatum est, id procedit nisi legitima causa, quæ impedimentum legitimum, seu necessitatem Resignatario imponat, intercesserit: putà si in itinere provisio ex violento casu admissa, si sit cursor occisus redeundo, uti observat Louetius in notis ad Commentarium Molinæi Regulam *num.* 24.

Quod tamen intelligendum cum limitatione monet Antonius Vaillant in nota marginali, putà si Resignatarius publicè protestatus sit de impedimento: aliàs cùm hæ induciæ legales sint, determinatæ à lege, currunt etiam contra ignorantem.

Et ad *num.* 231. monet similiter idem Vaillant „quod non sufficeret hodie docere de legitimo „impedimento; sed eo casu deberet Resignata„rius adire Judices Regios, & ab iis veniam pe„tere adipiscendæ possessionis alioquin fortuitus „casus imputaretur: quia hæ induciæ legales non „possunt ullatenus prorogari.

Certum est, in provinciis servandam praxim & stylum observari consuetum.

Ad Numerum XIV.

Utrum satisfiat Regulæ de publicandis &c. per hoc quod fuerit petita possessio si publicatio secutæ non fuerit?

Indubitatum est quod huic Regulæ Cancellariæ *de publicandis resignationibus* non sit satis factum, si infra tempus præfixum fuerit quidem petita possessio; sed publicatio non fuerit secuta, & Resignans ultra tempus fuerit, mortuus in possessione Beneficii, uti verba Antonii fabri in textu relata innuere videntur: sed sufficit ad effectum hujus Regulæ, id est ut Beneficium in vim hujus censeatur vacare per mortem, ut publicatio resignationis debito modo, prout in textu eam faciendam notavi, non fuerit facta, & Resignans in possessione Beneficii post tempus elapsum decesserit, uti & contra Gomesum notavit, & probavit Molinæus ad hanc Regulam *num.* 21. probatque *n.* 13. eos qui eo modo Regulam interpretati sunt (prout eam interpretatus videtur Antonius Faber) sensum apertum propriamque verborum significationem hujus Regulæ ridiculâ sophisticatione subvertere; ac tandem rejectâ hac tortuosâ interpretatione, per quam ipsa Regula inutilis redderetur, obvium & verum ac genuinum hujus Regulæ sensum expressit; nimirum sufficere, ut hæc Regula obtineat, & vi hujus Regulæ Beneficium censeatur vacare *per obitum*, quod publicatio resignationis ritè facta non fuerit intra tempus præfixum, & resignans post illud tempus in possessione Beneficii mortuus fuerit.

Et sanè, cùm unicus scopus hujus Regulæ sit, occurrere, & modum ponere fraudulentis & simulatis Beneficiorum resignationibus etiam indubiè intendit ut Resignans palam ostendat se verè ac sincerè & non simulatè Beneficium resignatum dimisisse

dimisisse per realem dimissionem possessionis ejusdem Beneficii, ut proinde nec ambigi possit, quin is sit verus ac genuinus Regulæ sensus.

Ad Numerum XXII.

an derogari possit huic Regulæ.

Huic Regulæ *de publicandis resignationibus*, nec per Pontificem in Gallia derogari posse eò quòd per modum legis ibidem sit recepta, & in Parlamentis Regiis registrata, ex Molinæo in textu observatum est: de quo Galliæ usu late quoque discurrit Georgius Louetius in notis ad Molinæum *nota* 6. ibidem unà inquirens, utrum derogatio Pontificis non posset operari in *Petitorio* coram judice Ecclesiastico.

Postquam enim observavit, hanc Regulam non tantum esse registratam in Senatu Parisiensi anno 1493. sed denuò, approbatam Henrici II. Constitutione, in eodem Senatu verificatâ & publicatâ anno 1550. monet, quod nec possit prodesse Summi Pontificis derogatio, rationem subdens: 'Cùm ejus potestas & summa authoritas "non extendatur ad evellendas Constitutiones "Apostolicas in summis Franciæ Tribunalibus ap„probatas & registratas, quæ duplici vinculo „Apostolico & Regio ligatæ sunt.

Post hæc quærit Louetius, an saltem derogatio Pontificis admittenda sit & valeat in *Petitorio* coram judice Ecclesiastico: "Quandoquidem „(ait) omnimodam in rebus spiritualibus habeant „Summi Pontifices; Regiæ autem Constitutiones „super *Possessorio* Beneficiorum, non autem *Petitorio* disponant: alia enim est (ait) possessoriæ "controversiæ, alia petitoriæ consideratio: & ut „judicum diversa potestas, ita & axiomatum di„versa ratio: unusquisque judicem suum Princi„pem habet: Principis sui legibus adstringitur, „in iis divisum est imperium. nec minus Ecclesia„stici judices Pontificis constitutionibus obligan„tur, quam alii Regum legibus adstringuntur.

His tamen non obstantibus, contrarium existimat; nimirum nec in *Petitorio* derogationem Pontificis vires habere: rationem addit: "Recep„ta enim est hæc Regula in hoc Regno, non ut „lex Apostolica seu Cancellariæ Apostolicæ sed „ut lex Regni, ideò Regnicolis observanda, & in „eam cessat omnimoda summi Pontificis potestas: "aliàs hæc constitutionis approbatio Regni sub"ditos opprimeret, & quod à judice Regio summa cum ratione, & juris æquitate obtinerent, „contrario judicio coram Ecclesiastico judice ma„gnis cum sumptibus amitterent, & in eo quo„dammodo authoritas Regia læderetur.

Monet hîc Antonius le Vaillant in nota marginali, falli in hoc Louetium: quod dicat, *judices Ecclesiasticos Pontificiis legibus non minus obligari, quàm alii Regum legibus adstringantur*: „Quia (ait) judices Ecclesiastici in hoc Regno ju„risdictionem suam exercent, sub authoritate Re„gis, à quo illius exercitium mutuantur, & sic te„nentur legibus Regni.

Quod ex zypæo hoc num, relatum est, nimirum derogationem Pontificiam hîc admittendam si sufficienter de *absoluta voluntate Pontificis ex circumstantiis constaret*, non credo quod Ministri Regii hîc in Belgio magis quàm in Gallia, eam in Pontifice authoritatem derogandi Regulæ, quæ pro lege patriæ recepta est, recognoscerent: sustinent enim quod æquè in Belgio, ac in Regno Galliæ judices Ecclesiastici jurisdictionem suam exerceant sub authoritate Regia, uti in hoc opere non semel notavimus.

V. Espen. Supplem. in jus Eccl.

CAPUT VII.

Ad Numerum XX.

Permutantes non impleta conditione permutationis hodie sine nova provisione ad sua Beneficia redeunt.

NOvam Jurisprudentiam, de qua in textu nimirum quod permutans vel resignans, evicto Beneficio sine *nova collatione* possit ad possessionem sui Beneficii sic resignati redire confirmat Georgius Louetius, rationesque hujus novæ jurisprudentiæ assignat in notis ad Molinæum de publicandis resignationibus num. 140. "Ad evitandum (ait) circuitum, & cum resoluta permuta„tione, necessarium sit compermutata repetere „Beneficia cùm permutationis arx & fundamen„tum, sit ut cùm permutatum quis habeat Bene"ficium, aliàs nulla permutatio, nec viribus sub"sistere possit optimo jure introductum fuit, ut „qui sub conditione subsecutâ permutatum repe„tat, sine nova collatione, sine novis sumptibus »Beneficium. Et si *novum* admittere, *titulum*, anti"quæ possessionis commoda admitterentur, quod "durum in his spiritualibus controversiis, in qui„bus novi domini annatis aliisque tributis one„rantur, eorumque conditio semper deterior.

"Licet fundamentum hujus *novæ* jurisprudentiæ à ratione juris, spectatâ moderna circa Beneficiorum permutationes praxi non videatur alienum, nescio tamen utrum hactenus in Belgio admissa sit.

Ad Numerum XXII.

Stylus hodiernus in reditu ad Beneficium resignatum.

Ut Permutans evicto Beneficio ad suum Beneficium redire queat, opus esse literis Regiis, præsertim si tertius aliquis fuerit in possessione Beneficii in textu notatum est; quod & obtinere, quotiescumque ex justa causa Resignans ad suum Beneficium regredi vult, scribit Melchior Pastor in Tractatu de Beneficiis *lib.* 3. *n.* 4. "Si dolo (ait), vel metu, vel infirmitate ætatis aliâve legitimâ causâ „nullitas renuntiationis arguatur, judex ex officio „& mandato Regis in literis Cancellariæ conten„to, Resignantem in possessionem Beneficii re„stituit.

Additque: 'Et ex hac aliâve causâ, Resignans „restitutus non tenetur vectigal, quod pro in„gressu solvi solet Præstare, cùm sit *regressus ju„stitiæ*.

Hoc & convenit cum nova illa jurisprudentia de qua ad num 20.

Ad Numerum XXIII.

De regressu ad Beneficia & utrum alter compermutantium utrumque Beneficium assequi possit, sive uti bona fortuna.

Sunt & nonnulli alii casus, præter eos de quibus in textu, in quibus ingressus conceditur; eò quòd similiter resignatio facta censeatur ex qua dam causa, quâ non adimpletâ æquitas suadere visa est ut resignans ad Beneficium suum redire possit, exempli gràtia, si quis obtinuerit secundum Beneficium cum primo incompatibile, ac propterea primum resignaverit, creduntque communiter, quod in casu evicti secundi Beneficii incompatibilis, Resignanti regressus pateat ad primum jam resignatum: quod & probat Louetius ad Molinæum de publicandis resignationibus *num.* 196.

Quam Louetii opinionem esse aliquatenus restringendam monet ibidem in nota marginali Antonius le Vaillant: Si enim (ait) quis habeat Beneficium incompatibile, illud resignet purè & simpliciter in manibus Ordinarii provisio super

„tali demissione expedita non potest revocari, ni-„si Resignans aut cedens in ipso actu resignationis „protestatus se, dimittere Beneficium ob incom-„patibilitatem cum alio, quod retinet, & quod „alias non esset dimissurus: quia eo casu, si alte-„rum Beneficium evincatur sine facto suo, Po-„test dimissum repetere: quia lex nemini insi-„diatur.

Sed ne quis hac *regrediendi* facultate abutatur, monendum censet, & ipse Louetius, prætextu hujus æquitatis hæc non esse extendenda, sed in „suis terminis limitanda, cum sit regressus per „Concilia generalia & concordata damnatus ideo „si quis hujus æquitatis prætextu Beneficia diu „conservare vellet vel hæreditario quodam jure „possidere, fraudulenta hæc omnia essent huic „æquitati vere contraria.

Dum vero regressus ea de causa conceditur, Resignans ad possessionem sui Beneficii redire nequit propriâ authoritate, sed interponenda est authoritas judicis quemadmodum circa regressum ob evictum Beneficium, ut suprà notavimus *num.* 22. & signanter ex Melchiore Pastore in additione ad dictum *num.* 22.

Quin & in Gallia speciali Edicto Regio cautum est, quod alter permutantium non possit uti *bona fortuna*, sive utrumque Beneficium simul retinere, uti post alios Galliæ Pragmaticos tradit D. Du Casle Archidiaconus & Officialis Condomensis in suo Tractatu de jurisdictione *tom.* 1. *cap.* 5. §. 4. neque sanè hæc Edicta ratione manifesta destituuntur.

Certum quippe est, quod permutans non assequatur Beneficium alterius compermutantis, nisi sub conditione in ipso permutationis instrumento expressâ quod suum Beneficium dimittere intendat.

Præterea certum est quod Ordinarius aliusve permutationis Approbator, eam censeatur probare conformiter ad formam & conditionem per compermutantes in permutationis instrumento expressam.

Cùm ergo instrumentum permutationis habeat ut *alter alterius* Beneficium assequatur, intentio Ordinarii, sive approbatoris indubiè est ut conformiter ad hanc expositionem & postulationem *alter alterius* Beneficium via permutationis assequatur: nequaquam verò ut unus compermutantium utrumque Beneficium assequatur vel possideat.

Proinde praxis Regni Galliæ permutationi conditioni & naturæ conformis censetur, & eatenus ubique merito juxta eam judicandum & procedendum videtur.

TITULUS XXXVIII.

De Pensionibus Ecclesiasticis.

CAPUT I.

Ad Numerum XV.

Quæ sint pensiones quas prætendunt posse imponi Beneficiis tanquam quasdam eleemosynas in favorem pauperum Clericorum?

NOtandum quod Pius IV. significavit retinendum usum pensionum, ut per eas, tanquam *quasdam eleemosynas* pauperibus Clericis Pontifex subvenire possit, uti in textu relatum est id intellexerit de pensionibus, quas Romana Curia prætendit, posse pro suo beneplacito imponere quibuscumque Beneficiis aut dignitatibus, vel etiam Monasteriis in favorem, seu in subventionem quarumcumque personarum, quæ nec Beneficia illa unquam possederunt nec ullum ad Beneficia illa jus Prætendunt; quin nec Beneficiorum illorum capaces sunt: qualibus pensionibus passim gravatos videmus etiam ipsos Episcopatus & Abbatias Italiæ, in favorem Cardinalium & aliorum Prælatorum Curiæ Romanæ: at in Gallia & Belgio similes pensiones non admittuntur, ut *cap.* 3. hujus tituli observatum est.

CAPUT III.

Ad Numerum VI.

Pensionibus Beneficia in Belgio jam pridem gravata.

ANno 1485. inter querelas Procuratoris Regii super provisionibus Beneficialibus Curiæ Romanæ, hæc erat quod Beneficia *pensionibus gravarentur sine consensu Beneficiatorum* Ut vel inde appareat, similes pensiones etiam eo tempore in Belgio fuisse improbatas: latius continentur in Edicto ejusdem anni de 12. Septembris, quod extat parte prima Edictorum Flandriæ *l.* 1. *Rubrica* 8. *cap.* 1.

CAPUT V.

Ad Numerum X.

Utrum rarius & difficilius Romano Pontifici quam Ordinariis in annuenda pensione subrepatur sit?

QUod hoc numero sub finem ex Thomassino significari videtur pensiones *rarius esse subreptitias*, dum eas imponendi & reservandi authoritas est penes *solum* Pontificem, quam si hæc potestas libera mansisset singulis Episcopis; an verum sit, meritò ambigitur.

Imprimis enim Beneficiorum & Beneficiatorum in Gallia, aliisque ditionibus extra Italiam sitorum & commorantium, qualitates & conditiones non æquè ipsi Romano Pontifici ac Episcopis innotescere posse expeditum est: ac consequenter circa has facilius ac frequentiùs Pontifici obrepi posse: cùm tamen hæ qualitates & conditiones in reservatione pensionum sint attendendæ; utpote quæ conditioni Beneficiorum & Beneficiatorum respondere debent, ut justæ sint.

Præterea si potestas reservandi pensiones & Beneficiis imponendi integra esset penes Episcopos indubitatum est, quod hæc authoritas certis limitibus & Regulis authoritate Synodorum, aliâve legitimâ potestate circumscribi ita posset ut excessus, aliique abusus hodie in earum reservatione committi soliti, vitarentur: quos limites aut Regulas Pontificis authoritati nullâ humanâ potestate præfigi posse prætendit Curia Romana.

Ad Numerum XXI.

Hodie pensiones videntur reputari tanquam servitutes.

Quæ hodie invaluerunt circa realitatem, vel personalitatem pensionis, de quibus in textu evincunt, tandem pensiones consideratas, ut onera merè temporalia & ad normam servitutum esse

redactas

redactas; atque iisdem pene regulis tandem regi cœpisse.

Non mirum proinde, nihil de hac personalilate & realitate reperiri, vigente puriori & meliori Ecclesiæ disciplinâ.

Postquam verò ea de pensionibus Ecclesiasticis, etiam apud Ecclesiasticos haberi cœpit idea, atque de his, quasi de rebus mere temporalibus judicari? mirum non est, si & ceperint Regia Tribunalia de hisce pensionibus, quasi de rebus profanis judicare & statuere, & plurima pro earum moderatione & legitimo usu per Principes, ac notanter hîc in Belgio & Gallia esse constituta, quæ sparsim sub hoc titulo annotantur.

CAPUT VII.

Ad Numerum II.

Reservatio omnium fructuum titulo pensionis non admittenda.

QUantumvis authoritas imponendi pensiones ad certam proventuum annuorum quotam, notanter circa Beneficia non curata, nominatim non reperiatur restricta, tamen in Regno Galliæ Pontificem non posse Resignanti reservare *omnes fructus*, latè probat Lovetius ad Molinæum de publicandis resignationibus *num.* 292. testaturque frequenter judicatum, quod si Resignanti reservati fuerint omnes fructus, moriente Resignante, Beneficium censeatur vacare *per mortem*: quia in effectu ipse Resignans mortuus censeretur in possessione ipsius beneficii: nam, ut rectè notat Louetius, hujusmodi reservatio eludit „in effectu titulum Resignatarii, separando fru„ctus à titulo.

Post hæc ostendit, hanc omnium fructuum reservationem publicæ utilitati, nec-non Beneficiorum conditioni omninò contrariari, & propterea nec per Pontificem justificari posse.

“Magna quidem (pergit Louetius) in benefi„ciis summorum Pontificum potestas, sed cùm „quid contra publicam Ecclesiæ utilitatem, contra Hierarchiam Ecclesiæ contra Ordinis totius honorem, & generalia Concilia statuit, in iis potestatem cessare magni nominis Ecclesiastici dixêre.

“Quid turpius (pergit hic Author) pensio„narium, nec laborantem, nec seminantem „manducare? Beneficiarium egenum, nudum, „& pauperem mendicare? titulum à fructibus divino muneri dicatis separare? quod deterius „in Beneficiis Sacramentorum administrationem „habentibus, cum ad turpia sæpissimè cogat ege„stas, paupertas prudentiores ridiculos reddat. „Si Ecclesiæ utilitate suadente reservationes om„nium Beneficiorum sint vetitæ & damnatæ, eti„am in Regno Franciæ summorum Pontificum „potestatem & dispensationes superent? Quid aliud sapit hæc *omnium fructuum* retentio, quàm vera *reservatio*, ut unus titulum habeat, alius omnes fructus percipiat contra Decretum Apostoli, *qui Altari deserviunt, de altaris fructibus vivant*.

CAPUT VIII.

Ad Numerum II.

QUandoquidem non obstante clausulâ literis pensionum inseri solitâ, quâ significatur Pontificem, non intendere pensionem annuere, nisi in causam *alimentorum*, id est, ne necessariis alimentis, is, cui pensio annuitur, alias destitueretur, videmus passim, Clericis sua Beneficia dimittentibus, ex causa resignationis, vel permutationis vel etiam juri prætenso super beneficio cedentibus pensiones reservari, quantumvis de proventibus temporalibus aliunde sit ipsis provisum; neque exigi solet à Resignantibus sua beneficia sub pensione ullum indigentiæ sive paupertatis testimonium aut Probatio:

Clausula reservationi pensionis inseri solita probat eam nonnisi indigentibus annui debere.

Quidquid sit, hæc nihilominus clausula literis pensionis, ex stylo Curiæ Romanæ inseri solita, probat causam finalem imponendæ & reservandæ pensionis, semperque arguet Pensionarios, qui nullatenus indigentes proventus beneficii, cui non deserviunt, sibi sub titulo pensionis arrogant, nec non ipsos similes pensiones passim etiam non indigentibus annuentes & reservantes.

TITULUS XXIX.

De Unionibus Beneficiorum.

CAPUT I.

Ad Numerum XVIII.

Quando & qua occasione unio Episcopatuum reservata fuerit Pontifici.

UNionem Episcopatuum hodie non secus atque Episcoporum translationem Romano Pontifici reservatam esse, in textu notavimus.

Quo vero tempore hæc reservatio invaluerit, & recepta sit incertum est. Hoc constat ex responso Celestini III. (de quo in textu) quod eo tempore, id est, sub finem sæculi XII. Romani Pontifices unionem hanc ad Romanum Pontificem spectare existimarint, atque conformiter ad hanc persuasionem responderint; quæ responsa in Decretales relata, & pro jure communi recepta, tandem quoque hæc Pontificum opinio invaluit, creditumque est, unionem Episcopatuum Romano Pontifici esse reservatam.

Vix dubium, quin ad asserendam hanc unionem Romano Pontifici, conduxerit, quod legeretur apud Gratianum causa 16 *quæst.* 1. *Can.* 48. & 49 Quod sanctus Gregorius plures Episcopatus sua authoritate univerit, non advertentes, Episcopatus de quorum unione agebatur, constitisse intra *Regiones suburbicarias*; quodque Ecclesiæ intra limites harum Regionum consistentes ad Romanum Episcopum *speciali jure Metropolitico* spectaverint, & consequenter Gregorium has Episcopatuum uniones non fecisse jure sui *Primatus* ad omnes Ecclesias extensibilis, sed *jure Metropolitico* intra harum regionum limites concluso, uti & in decursu hujus operis non semel observatum est.

Idipsum notavit D. Fleury in quarto suo discursu Historico *n* 4. Ibidem monens, non reperiri, quod sanctus Gregorius, hoc aut a simili jura exercuerit in Ecclesiis extra has regiones *suburbicarias*

bicarias constitutis; quod & notavit in Historia sua *lib.* 35. *num.* 19.

Hinc intelligitur, admodum necessarium esse, in Romano Pontifice distinguere qualitatem Episcopi Romani, Metropolitani, Patriarchæ & Primatis, ne aliàs acta sub una qualitate credantur acta sub alia; atque ita quæ olim ei in quibusdam Ecclesiis sub qualitate proprii Episcopi, vel Metropolitani, aut competiisse leguntur, ipsi credantur competere in *omnibus* Ecclesiis titulo sui *Primatus*: quod & locis citatis monuit D. Fleury, credens reservationem hujus unionis ex non facta hac distinctione potissimum suam sumpsisse originem.

CAPUT III.

Ad Numerum XII.

An necessarius consensus Principis in unione vel suppressione Beneficiorum?

SI Beneficia spectent *pleno* jure ad collationem seu provisionem Ordinariorum Collatorum, neque probetur speciale Regis interesse, non creditur, etiam in Gallia, omninò necessarius interventus Procuratoris Regii in unione similium Beneficiorum, uti notat D. Du-Casse in suo Tractatu de Jurisdictione Ecclesiastica *tom.* 1. *cap* 6 §. 6. refertque suppressionem Canonicatuum & Præbendarum in Ecclesia Collegiata Montis Regalis factam auctoritate Episcopi Carcassonensis ob tenuitatem proventuum istius Ecclesiæ, declaratam fuisse *validam*, & effectum suum sortiri debere, licet in hac suppressione Procurator Regius non intervenisset per Arrestum prolatum 29. Julii 1687.

Neque in Belgio ad similium Beneficiorum ad plenam Episcopi provisionem spectantium unionem authoritas Procuratoris Regii seu Officii Fiscalis necessaria creditur: nisi aliquod Regis aut Reipublicæ interesse, in ea Beneficiorum unione intervenire probetur.

Quia tamen facilè contingit, ut in unione, vel suppressione Beneficiorum, præsertim notabilium, quidquam contra fundationem, cujus Princeps prætenditur conservator; vel contra jus Principis dicatur intervenisse; atque ob id ipsa unio; vel suppressio de invaliditate argui posset ob defectum consensûs Principis expetere, sive interventionem Officii Fiscalis postulare.

Ad Numerum XIV.

Utrum unio fieri possit invito possessore Beneficii?

Quantumvis æquum sit in unione Beneficii, ac notanter Parochialis audire Rectorem; sive Possessorem Beneficii, atque ob eum neglectum aliquando judicatum sit invalidam esse unionem; nihilominus videtur quod unio Beneficii fieri queat, *non consentiente* Beneficiato, sive Rectore Beneficii; modò tamen vitâ ejus durante possessio Beneficii ipsi salva & integra maneat.

Refert quidem Georgius Louetius in notis ad Molinæum de publicandis resignationibus *num.* 173. quod in hac ferrea nostrâ ætate usus, seu potius abusus invaluerit, ut etiam pro *legitimo interesse* reputetur, posse Beneficii Possessorem vitâ suâ durante *Beneficium resignare in favorem sui nepotis aut alterius, cui benefacere intendit*: atque proterea unionem, eo *invito* sive non consentiente fieri non posse, nisi salvâ manente Beneficiato liberâ resignandi facultate; atque ita ex receptis, licet corruptis, moribus Regia Tribunalia judicare.

Postquam enim notavit, quod melioribus sæculis, cùm nondum essent toleratæ resignationes *in favorem*, similis resignandi facultas pro legitimo interesse non reputaretur, subjungit: „Sed in „hac ferrea ætate, in qua quælibet sanguinis affec„tio pro legitimo interesse metitur, aliud summa „Tribunalia statuerunt, nec permitterent Benefi„cii sic uniti resignandi potestate quem privari.

Monet autem in nova marginali Antonius Vaillant: „Semper debet vocari Beneficiatus: quia „cum agatur de alienatione aut suppressione titu„li Beneficiatus, qui est verus & legitimus Admi„nistrator, debet jura & interesse Ecclesiæ tueri „& defendere; sed revera potest unio fieri *invito* „Beneficiato, modò ei reserventur fructus, du„rante vitâ, modò aliunde unio sit utilis Ecclesiæ, „quæ debet semper prævalere utilitati, & com„modo particulari.

Hæc nota marginalis æquitati, juri & praxi sat consona videtur, uti & his, & quæ de hac quæstione in textu dicta sunt.

Ad Numerum XXII.

Quomodo intelligendum quod Concilium Trident. in Belgio sit receptum sine ulla limitatione aut restrictione?

Quod in textu ex Zypæo notatum est Concilium Tridentinum hisce in locis Regiâ authoritate receptum, & servari jussum *constanter & sine hujusmodi immutationibus*, nequaquam respicit limitationes, quæ in receptione Concilii Tridentini per Regios Magistratus appositæ fuerunt pro conservatione privilegiorum & receptarum consuetudinum Provinciarum & jurium Regiorum: sed immutationes & derogationes Decretorum hujus Concilii, quas ex plenitudine potestatis subinde Pontifices facere prætendunt, vel interpretationes Congregationis Cardinalium super Decretis hujus Concilii, de qua specie immutationis loquitur Zypæus.

TITULUS XXX.

De Simonia circa Beneficia.

CAPUT III.

Ad Numerum X.

Quam olim frequens simonia in Curia Romana.

IN textu notatum fuit, tempore Ivonis Canotensis Episcopi, id est, sæculo XI. Decanum & Canonicos voluisse exactiones de simonia multum suspectas justificare argumento petito à praxi Curiæ Romanæ: atque hinc intelligimus, etiam eo tempore, id est sæculo XI. hac simoniacâ leprâ infici cœpisse Curiam Romanam.

Notum autem est, quomodo hæc lepra, dum semel invaluit, latissimè serpat, & totum corpus corrumpat.

Et sanè quantoperè hæc lepra Curiam Romanam sæculo decimo quinto infecisset, & inde in reliquas Ecclesias sese diffudisset, graphicè expressit

Paulus

Paulus Anglus Decretorum Doctor in speculo aureo, quod per modum dialogi inter Petrum evulgavit sub medium illius sæculi, in quo parte 1. cap. 5. inducit Petrum asserentem in Curia Ro„mana tot fieri pactiones, tot quotidie interveni„re solutiones, quot sine omni timore & vere„cundia tractatores, seu meditatores simoniæ, „quasi forum constituentes publicum, jam pro „signatura Papæ super tali Beneficio, vel gratia „debet tantum jam pro dispensatione super tali„bus incompatibilibus tantum, pro tali indulto „tantum, pro absolutione à tali excommunicatio„ne, vel irregularitate tantum, pro talibus in„dulgentiis tantum, &c. publicè paciscuntur & „forisant: & ille plus diligitur, qui astutiori sol„licitudine & majori astutia plures simplices de„cepit, & plures denarios scit venari Tot & tan„tæ fiunt etiam exorbitantes *gratiæ*; sed revera „multò veriùs dicerentur *mercantiæ*, quæ nunc „fiunt & appellantur *de die obitûs*, nunc *dies obi„tûs cum declaratione*, nunc cum clausula *ante„ferri*, vel *antelationis*, nunc *de motu proprio Pa„pæ*, nunc de clausula *cæterorum*, quæ tollit jus „quæsitum, nunc fiunt anticipationes datarum, „nunc *datæ Cardinalium* conceduntur, nunc *datæ „Papæ*: jam revocantur: jam immutantur, jam „ad certum tempus duraturæ limitantur, jam re„vocantur jam Prælati de una Ecclesia ad aliam „transferuntur; jam Beneficiis suis *propter pecu„niam* spoliantur. In omnibus his tota devotio consistat, ut denarius acquiratur.

Post hæc inducit Paulum ita Petrum responden„tem: "Res multum miranda sed magis formi„danda, quod facta Romanæ Curiæ & hoc tam „perniciosa exemplo deliria, ludo Schachorum „assimulantur. Quisnam tam simplex esse poterit; „qui non intelligat ex avaritiæ radice procedere.

" Quis tam justus, qui in bonum tam exorbi„tantia facta interpretari valeat quis tam sanctus, „ut non expavescat vel non scandalizetur; imò to„ti clero ambitionis datur materia via gravibus „& pluribus litibus aperitur quam omnia jura „fugere conabantur; & non dubium quin homi„cidia ex hoc etiam consequantur

Tractatum hunc à se divulgari profitetur, ut zelum Cardinalium, Episcoporum; aliorumque prælatorum excitet ad medendum abusibus, & malis, quibus Ecclesia quasi opprimebatur, deploratque, quod vile aurum in tantum caligasset „mentem Moysi, quod nedum placare non curat „indignitatem animum sed mala malis accumu„lans machinetur quotidie ad deteriora provo„care, mira supra omnem modum (ait) res agi„tur ut inde exemplar omnis mali progrediatur, „unde processerat sanctitatis omnis norma & „unde tota Christi Ecclesia, Deo ædificante, con„structa sumpsit exordium, inde paritur jam rui„nam, illic jugum suave Domini abjicitur, fran„gitur lex divina, juraque canonica pro salute hu„mana per ora sanctorum spiritûs sancti dictata „respuuntur penitus, & quasi inania reputantur: „sicque tota Romana Curia à planta Pedis usque „ad verticem capitis patenter excæcata erroribus „ipsa errorum suorum veneno inebriavit omnes „ferè mundi partes, ac si immensam creatoris om„nipotentiam Papa ad suum libitum posset limi„tare: omnes quidem intus murmurant, nullus „clamat, & quoniam in extremis jam malorum „laborantes sumus positi, in quos cuncti errores „hujus sæculi devenerunt.

" Qua ergo ratione silere valeo. & non potius „obmutescentibus aliis tam Præsidibus, quàm „Doctoribus fortiùs exclamare; Nam etiam Prin„cipes Catholici sæculares, mutuis dissensionibus „occupati, tantum corruptionem Sanctæ Matris „Ecclesiæ non advertunt.

" Vos tamen (pergit) qui Pastores estis positi „& Officii Apostolici successores, cur tam „longum periculosumque negligentiæ somnum „agitis, & non celerius concurritis, obmutescitis „& non clamatis? Eia & eia ô Patres & domini „numquidne ob perditionis ignominiam Gens „sancta, & Regale sacerdotium voce estis Pro„pheticâ nuncupati? Saltem jam ad hanc vocem „meam pusillam jam desides confluite Quoniam „securis est jam posita ad radicem arboris, & ex„altatis in altum vocibus clamate quia nonnisi in „multitudine clamantium, fugam hostes rece„perunt, & ruina suo pondere nocivior, nonnisi „per multitudinem sublevatur.

Integrum tunc Tractatum exhibet Melchior Goldastus tom. 2. Monarchiæ sancti Romani Imperii. *pag.* 1527.

Instante Concilio Viennensi sub initium ejusdem sæculi XIV. Guillelmus Durandus, Episcopus Mimatensis jussu Clementis. V. composuit Tractatum de modo habendi Concilium generale, in quo tribus distinctis partibus exposuit abusus in proximo Concilio reformandos, atque *parte 3. Rub.* 27. notansque in Ecclesia Romana omnium aliarum magistra, & à qua cæteræ Ecclesiæ normam vivendi accipere deberent, reformanda viderentur, inter alia monuit: Quod Ecclesia „Romana non solum verbo; verum etiam *facto* „à seipso repelleret *omnem speciem simoniæ*, *& „turpium lucrorum*, *& omnes exactiones*, *quæ „ratione promotionum quarumcumque*, *& Scrip„turarum*, *Legatorum*, *Cursorum*, *Nunciorum*, „*Ostiariorum fuerint ab ea communiter vel di„visim diversis coloribus exquisitæ*.

Quam esset optandum, ut illa *taxarum Annatarum*, aliorumque similium jurium exactio omninò ab Ecclesia Romana aliarum Ecclesiarum prima exularet, atque ipsa verbo & exemplo doceret, quod sibi & omnibus à Christo dictum est: *Gratis accepistis*, *gratis date*.

CAPUT VI.

Ad Numerum XXXIX.

In textu notatum est ex Actis Cleri Gallicani, quod dum agitur super possessorio coram judice Regio etiam admittatur probatio simoniæ *per testes*; quod & observat Louetius ad Molinæum de publicandis resignationibus *num.* 31.

Utrum coram judice Laico admitti possit probatio simoniæ?

" Sed in nota marginali monet Antonius de „Vaillant, quod hodie vix admittitur probatio „*simoniæ* per testes, quando agitur de *possessorio* „Beneficii, & est necesse (ait) quod procedat ali„qua probatio per *scripta*, alioqui propter testi„um facilitatem, multæ provisiones hac viâ im„pugnarentur: & ità judicatum refert in Senatu „Parisiensi, & in magno Regis Concilio.

Non dubium quin summâ prudentiâ & moderatione opus sit in admittenda probatione simoniæ contra pacificum Beneficii possessorem, præsertim si hæc quæstio moveatur per eum, qui scitur Beneficium illud viâ devolutionis impetrasse & is contra quem hæc quæstio movetur de hoc vitio minimè sit suspectus.

CAPUT

CAPUT VII.

Ad Numerum II.

Perniciei opinionis eorum qui dicunt venditionem Beneficiorum esse duntaxat simoniam juris Ecclesiastici.

Distinctionem inter simoniam prohibitam jure Divino, & prohibitam jure duntaxat Ecclesiastico (de qua in textu) latissimè ac solidissimè jam pridem impugnavit Paulus Anglus Decretorum Doctor in *suo speculo aureo*, quod evulgavit sub medium sæculi xv. ac præsertim improbat eorum opinionem *venditionem Beneficiorum* duntaxat esse simoniam *juris humani*; quodque consequenter Papa sine simonia posset vendere Beneficia.

Ac postquam hujus quæstionis absurditatem solidissimè adstruxit, non veretur exclamare parte 2. sui operis cap. 1. " O quantam animarum multitudinem catervatim transmisit & transmittit ad „infernum hæc superstitialis & damnanda distin„ctio! quæ multis est occasio, & viam aperit ad „ruinam damnationis æternæ: solus novit qui „nihil ignorat.

Ad Numerum XXX.

Compositio super fructibus malè perceptis cum Camera Apostolica.

In textu observatum est, quod dum in Curia Romana petitur dispensatio super *simonia*, soleat fieri cum Datario *compositio* super fructibus malè perceptis.

Nemo autem non vidit, quam malè sonet hæc super fructibus malè perceptis cum Camera Apostolica compositio, ut ea mediante obtineatur dispensatio super commisso vitio simoniæ; quasi satis sit ad abluendum vitiosum ingressum in Beneficium, Cameram apostolicam participem reddere fructuum malè perceptorum.

Præterea nec hæc cum Camera Apostolica compositio, titulus sufficiens apparet, qui simoniacè intrusum à restitutione reliquorum malè perceptorum fructuum absolvere posset, eumque in illorum retentione securum reddere.

Quâ enim ratione bona Ecclesiæ ex fundatorum intentione, & Ecclesiæ mente, in Ministros Ecclesiæ, pauperum alimoniam, aliosque pios usus dispensanda, *male* percepta credat quis posse retinere, eo titulo quod partem sic *male* perceptorum cum *Camera Apostolica* componendo dividat?

TITULUS XXXII.

De Peculio Clericorum.

CAPUT III.

Ad Numerum IX.

Ecclesiæ Romanæ bona etiamnum hodie patrimonium Christi & pauperum dicenda sunt.

In textu notatum est, quod sanctus Gregorius *Patrimonium*, & res Ecclesiæ Romanæ reputaverit ut *res pauperum*: indubiè quia sciebat sanctissimus hic Pontifex ex mente ac intentione offerentium bona huic Ecclesiæ, non secus ac cæteris Ecclesiis data, & oblata, usibus Ecclesiasticis impendenda, & reliqua pauperibus impertienda.

Cum autem eadem semper fuerit Principum, fideliumque offerentium intentio, dubium non apparet, quin & omne quod post ætatem sancti Gregorii, Principum, & fidelium munificentiâ Ecclesiæ Romanæ accessit, *patrimonium pauperum, vota fidelium, & redemptio peccatorum* reputandum, & ut tale dispensandum sit non secus ac bona & proventus cæterarum Ecclesiarum.

Quantumvis enim patrimonium sive status Ecclesiasticus Ecclesiæ Romanæ plures complectatur Principatus, & Dynastias; nihilominus certum est, quod Reges ac Principes, qui ea Ecclesiæ Romanæ munificè contulerunt, quam ut illa ipsius Episcopi Romani, aliorumque ejusdem Ecclesiæ Ministrorum moderatis usibus impenderentur, reliqua vero in pios usus, & pauperum eleemosynam converterentur, ut hac ratione Principes de suis facultatibus facerent sibi amicos de mammona iniquitatis, qui ipsos, cum deficerent, reciperent in æterna tabernacula.

Proinde non minus ad Romanos Pontifices, ac reliquos Episcopos spectat illud Synodi Tridentinæ monitum, & præceptum in dispensandis proventibus Ecclesiasticis, nimirum " ne ex reditibus „Ecclesiæ consanguineos familiaresq; suos augere „studeant, cum & Apostolorum Canones prohi„beant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, con„sanguineis donent, sed si pauperes, eis ut pau„peribus distribuant, eas autem non distrahant, „nec dissipent eorum causa *Sess. 25. cap. 1. de Reformat.*

De hac dispensandi Romanæ Ecclesiæ necessitate convictus Clemens IV. ad Pontificatum assumptus anno 1265. postquam Romana Ecclesia penè omnibus illis Principatibus & Dynastiis, quæ hodiernum statum Ecclesiasticum constituunt esset ditata, scribere non dubitavit ad Petrum Grossum sororis suæ maritum: " Multis de nostra „promotione gaudentibus, nos soli sumus qui „certiùs immensitatem oneris experimur; & ideo „quod aliis gaudium nobis metum subministrat „& fletum.

" Sinè ut scias, qualiter his auditis debeas te ha„bere, scire te volumus quod humilior debes es„se: neque enim quod nos vehementer humiliat, „nostros debet extollere maxime cum honor sæ„culi momentaneus sicut ros transeat matutinus „Nec ad nos te, vel fratrem tuum, vel te nostris „aliquem venire volumus sine speciali mandato: „quia spe suâ frustratos, si secùs præsumerent, „oporteret redire confusos, sed nec in tuæ sororis „nuptiis gradum queras propter nos altiorem; „quia nec nos haberes propitios nec in aliquo ad„jutores; si tamen eam cum filio simplicis militis „desponsaveris *in trecentis turonensibus auri tibi „proponimus subvenire*, & si altiorem quæras, „nec à nobis denarium speres unum, & hoc ip„sum secretissimum esse volumus, & tibi, & „matri solummodo esse notum: illud etiam „scias, quod nullum nullamque de sanguine „nostro sub nostræ sublimitatis obtentu inflari „volumus sed tam Mabiliam quam Cæciliam „illos viros habere volumus, quos haberent, „si essemus in simplici Clericatu. Giliam visita, „& dic

„& dic ei, ut locum non mutet, sed remaneat „apud Susam, & omnem maturitatem, & habi-„tûs honestatem observet, & preces pro aliquo „non præsumat assumere: nam & ei, pro quo fie-„rent, essent inutiles, & ipsis, qui rogaverint, „damnosæ: & si per aliquos ex hac causa mune-„ra offerantur, ea respuat, si vult nostram gra-„tiam obtinere. Datum Perusii in die perpetuæ „Felicitatis.

Notandum hanc in rem, quod refertur in quodam libello, cui titulus: *Defensio Augustissimi Romanorum Imperatoris Josephi contra Curiæ Romanæ Bullas pag.* 23. edit. Tubingen. an. 1709.

"Narrat Author, quòd Innoc. XI. paucis à „sua ad Papatum assumptione mensibus quatuor „Theologis in commissis dedit, ut juxta rigorem „conscientiæ & justitiæ examinarent, an quoddam „jus Pontifici competat circa bona Ecclesiæ, & „quid nepotibus largiri possit? Qui egregio & „prolixo scripto responderunt: bona Ecclesiasti-„ca non pertinere ad Pontificem, sed ad susten-„tationem Ecclesiæ ac pauperum, ac proinde „Pontificem pro se plus erogare non posse nisi, „quod sufficiat ad modicum victum assignato, ne „quidem integro aureo Hispanico per diem ad „nepotes, ne obolum pertinere.

Quin sub finem libelli sui addit: "Scriptum „hoc Romæ anno 1676. non solum legimus, sed „etiam descripsimus: sibi ipsis objiciunt isti „Theologi: quid ergo dicendum de Pontifici-„bus, qui hactenus tantas summas auri cum ma-„ximo dispendio Ecclesiæ in nepotes profudêre? „Respondent, facta iniquorum Antecessorum „non excusare; legibus non exemplis esse viven-„dum. Quemlibet gesti muneris pro se redde-„re rationem debere coram Tribunali Divino.

CAPUT IV.

Ad Numerum XI.

Decretum Concilii Tridentini Sess. 25. cap. 1. de Reformatione etiam ad Pontificem spectat.

EPiscopos, aliosque Ecclesiæ Pastores monet Synodus Tridentina, ut omnem in suppellectile & mensa, modestiam & frugalitatem servent, nec in toto vitæ genere quidquam appareat à sancto hoc instituto alienum; quodque non simplicitatem, Dei zelum, nec non vanitatum contemptum præ se ferat, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ continentiæ, ac, quæ nos tantopere commendat Deo, sanctæ humilitatis exemplar petere possint, uti in textu notatum est.

Si hæc in Episcopis & Pastoribus tantopere desideraverit Synodus Tridentina, quantò magis in Romano Pontifice, in quem tanquam in primum Christi Vicarium, non tantùm simplices fideles; sed & ipsi Episcopi & Pastores oculos conjiciunt, ut ab eo discant, quod imitentur: ut proinde mirum non sit, quod Guillelmus Durandus Episcopus Mimatensis vulgò dictus *speculator* in suo Tractatu, cujus inscriptio est: *De modo Generalis Concilii celebrandi, quem jussu Clementis V. Pontificis Maximi studiosissimè condidit parte* 3. *Rub.* 27. dixerit: "Quòd Romana „Ecclesia, quæ cæterarum magistra est, deberet „se exhibere regulam & scholam virtutum, ut „benè vivendo aliis normam benè vivendi præ-„beret, & rectè per semitas justitiæ seipsam du-„ceret, aliquem aborsum traheret, & sic corre-„ctione in seipsa præhabitâ, in Dei & proximi di-„lectione, verâ humilitate, vitæ honestate, mo-„tum gravitate, Divini cultûs sedulitate, *victus* „*& vestitûs parcitate fundata, ornamentorum,* „*apparatuum, & familiarium, & pomparum* „*elativâ superfluitate restrictâ*, scientiæ profun-„ditate donatâ, trabeque de oculo suo ejectâ, „quod distortum est, parvúmque reperiret in sub-„jectis & inferioribus corrigeret, & etiam refor-„maret Christi exemplo, qui priùs cœpit facere, „quàm docere.

CAPUT VIII.

Ad Numerum IX.

De jure spolii, quod prætenderunt Episcopi & Romani Pontifices circa bona Clericorum intestatorum.

IN textu notatum est, quòd sæculo XIII. cœperint Episcopi aliique Ecclesiarum Prælati prætendere bona saltem mobilia Clericorum sine testamento morientium.

Cùm autem sub idem tempus ode falsarum Decretalium; nec non authoritate Decreti Gratiani cœpisset credi, Pontificem esse Ordinarium Ordinariorum, ejúsque Ordinariam authoritatem ad omnes per orbem Ecclesias se extendere, unà creditum fuit, Pontifici primariò competere omnium proventum Ecclesiasticorum dispensationem, non secùs ac Episcopi per suas respectivè Diœceses.

Hâc receptâ opinione, facilè persuasum fuit, quòd exemplo Episcoporum Pontifex possit sibi vindicare bona mobilia Clericorum intestatorũ.

Et quidem adhuc currente sæculo XIII. Innocentius IV. statutum evulgandum censuit, & per Angliam publicari fecit, ut, *si Clericus ex tunc decederet intestatus, ejusdem bona in usus Domini Papæ converterentur*, uti refert Matthæus Parisiensis ad annum 1246. *pag.* 706. qui statutum hoc tanquam *novum & inauditum*, & notam cupiditatis manifestæ præferens reprobat.

"Refert ibidem, quòd Papa negotium hoc „tribus Prædicatoribus, & Minoribus præcepe-„rit diligenter exequendum.

At verò statutum hoc *novum & inauditum* mirum in modum turbâsse Angliam, nec plenam suam habuisse executionem, sat constat, quæ ex his, quæ ibidem occasione hujus statuti scribit citatus Historicus.

Scribit enim, quòd "cùm audisset Dominus „Rex, detestans Romanæ Curiæ augumentosam, „ac multiplicem & multiformem avaritiam, hoc „fieri prohibuit: comperiens illud in damnum „Regni, & suum redundare præjudicium.

Et quidem tantum scandalum per universam Angliam hoc statutum causabat, & Curiæ Romanæ avaritiam tantoperè prodebat, ut, referente eodem Historico, per idem tempus (anno 1247.) propter scandalum indecenter per diversa climata ventilatum, cogentibus Cardinalibus, revocatum sit, quod paulò ante à Domino Papa, instigante manifestâ avaritiâ fuerat constitutum; & ad fratres Minores in damnum, & scandalum eorum, & sui Ordinis læsionem, exequendum procuratores constituerat, ut videlicet bona decedentium intestatorum, in usus proprios Dominus Papa sibi vindicaret.

Similiter & in Regno Galliæ Pontifices Romanos hoc jure usos fuisse notant. r sæculo XIV. & XV. constat ex Historicis illius temporis, nec non querelis Episcoporum, Prælatorum & Capitulorũ, quin & Universitatis Parisiensis, atque Edictis & Ordinationibus Regiis, notanter Caroli VI. ad prædictas querelas ob varias Curiæ Romanæ exactiones, relatis inter probationes libertatũ Ecclesiæ Gallicanæ *c.* 22. ubi *n.* 8. referuntur Literæ Regiæ cõtra exactiones Curiæ Romanæ, atq; inter cætera narratur per Procuratorem Regiũ expositũ:

"Cùm

„Cùm Episcopum in Regno nostro ab hac luce „migrare contingit, Collectores & Subcollecto„res Summi Pontificis in Provinciis, quibus sub„sunt hujusmodi Episcopi, ipsius Summi Pontifi„cis authoritate, bona mobilia & immobilia, ex „decessu talium Episcoporum relicta, etiam illa, „quæ per suam industriam quæsierunt, quæ am„pliùs ipsorum Episcoporum non sunt, neque „censentur; sed ad suos hæredes, aut eorum exe„cutores spectant, capiunt, & nihil de his in re„paratione, aut refectione ædificiorum, & alio„rum hæreditariorum dictorum locorum Epi„scopalium, eo casu convertentes, nullâ etiam „solutione aut satisfactione dictorum Episcopo„rum creditoribus factâ, per Collectores aut „Subcollectores prædicta bona hæredibus Epi„scoporum sic decedentium [qui ditiores inde „nobis honestiùs in guerris nostris, & alibi juxta „status eorum servire possent, & deberent] tota„liter amovendo ac ipsos contra jus, & consue„tudinem exhæredando in juris nostri Regaliæ„que post obitum dictorum Episcoporum nobis „in iisdem Ecclesiis competentis, ac totius Rei„publicæ præjudicium non modicum & grava„men.

In literis quoque Caroli VI. Regis Galliæ de anno 1406. relatis ibidem *num.* 9. rursus legitur querela procuratoris Regii super variis exactionibus Curiæ Romanæ, quibus Ecclesia, & Clerus Regni Galliæ mirum in modum deprimebantur, & exhauriebantur; atque inter alia, quòd „aliqui Collectores, & alii Officiarii Romano„rum Pontificum præsertim Papæ moderni, ab „aliquibus annis citra Ecclesiam, & viros Eccle„siasticos præfatorum Regni & Delphinatûs no„strorum contra prædicta, plurimis, jugibúsque, „& importabilibus servitutibus oppresserunt, & „afflixerunt, potissimè *bona Prælatorum & vi„rorum Ecclesiasticorum decedentium, tam Re„gularium, quàm sæcularium*, quæ *spolia defun„ctorum* interdum nuncupantur, reservando & „usurpando, &c.

Ex iisdem ibidem relatis habetur, variis Regum Ordinationibus & Edictis, similes Curiæ Romanæ exactiones vetitas fuisse: unde nec hodie in Regno Galliæ nec hîc in Belgio Pontifices Romani hoc jure utuntur, aut quidquam *jure spolii* è Clericorum defunctorum relictis mobilibus, aut imobilibus Camera Apostolica sibi attribuit.

Nec in Gallia, nec in Belgio recepta est Constitutio Pauli III. aut subsequentium Pontificû, quibus hoc jus spolii Cameræ Apostolicæ vindicant, & quas Petrus Matthæi inseruit septimo Decretalium lib. 3. sub titulo: *De Spoliis Clericorum.*

TITULUS XXXIII.

De Decimis & Oblationibus.

CAPUT I.

Ad Numerum XVIII.

Quando cœperint fideles constringi ad solutionem decimarum, & dispensandi authoritas non autem proprietas Episcopis data?

Ex Canone Concilii Matisconensis [de quo in textu] intelligitur quidem, in quibusdam partibus, fideles ad decimarum solutionem cœpisse constringi: sed quia hoc Concilium ex solis Metropolitanis, & Episcopis sub Regno Regis Guntramni constitutis, constitit, nequaquam ex hoc Canone concludi potest, generale eo tempore fuisse præceptum de solvendis decimis: imò nec sine fundamento creditur, ante tempora Caroli Magni simile *generale* præceptum de solvendis decimis datum fuisse.

Interim in hoc Canone veram rationem impositi præcepti de solvendis decimis his verbis expressêre Patres: "Quas *Sacerdotes* in usum pau„perum, aut captivorum redemptionem erogan„tes suis orationibus pacem populo ac salutem „impetrent.

Intelligitur quoque, Patres hujus Concilii reputâsse Sacerdotes [id est Episcopos juxta phrasim illius ætatis] ut Dispensatores, ut dominos aut proprietarios decimarum, ut eas in usum pauperum, redemptionem captivorum, non autem divitum, aut in profanos usus erogarent.

Ad Numerum XXVII.

Unde involuerit opinio decimarum institutionem esse ex Jure Divino, & quæstiones in hac materia exorientes ad forum Ecclesiasticum spectare.

Ex epistola Decretali Alexandri III. in textu citata, intelligimus, quòd Romani Pontifices eâ ætate obligationem solvendi decimas, in Jure Divino fundatam & fidelibus impositam reputarent.

Ex quo ulterius factum, ut plerique antiquiores Canonistæ, Decretalibus Pontificum scrupulosiùs inhærentes, solutionem decimarum ex Jure DIVINO fidelibus esse impositam crediderint: atque eam opinionem secuta videtur Synodus Eboracensis anno 1295. celebrata *Can.* 8. in verbis: *Cùm decimæ tributa sint egentium animarum, & ex* PRÆCEPTO DOMINI *debeantur.*

Ulteriùs ex hac Decretali ejusdem Pontificis ad Wintoniensem Episcopum, cujus fragmentum extat in *cap. 6. de Decimis*, habetur, quòd ætate hujus Pontificis cœpissent quæstiones & difficultates in materia decimarum exurgentes, undique, ac notanter ex Anglia, deferri ad Romanos Pontifices: quòdque Pontifices suâ authoritate similes quæstiones deciderent, & quid circa earum solutionem observari deberet; item ex quibus decimæ solvendæ essent, decernerent.

Porrò hæc Romanorum Pontificum Responsa & Decreta postmodum in Decretales Gregorii IX. relata, pro jure communi in hac materia recipi, & admitti cœperunt.

Inde ulterius creditum fuit, & à Canonistis communiter receptum, quæstiones super solutione decimarum exorientes authoritate Ecclesiasticâ, ac præsertim Romani Pontificis esse decidendas; ipsásque decimarum causas ad forum Ecclesiasticum spectare: atque juxta hanc opinionem indubiè resolvit S. Thomas sæculo XIII. determinationem decimarum esse *ex Ecclesiæ institutione*, uti patet ex ejus verbis num. 2. in textu relatis.

Nec duntaxat ex his Decretalibus Romanorum Pontificum conclusêre Canonistæ, decimarum materiam esse juris Ecclesiastici, & jurisdictioni Ecclesiasticæ subjectam, sed insuper eandem decimarum materiam in foro Ecclesiastico regulandam, & quæstiones circa eam incidentes decidendas, & conformiter ad Responsa & Decreta, in Decretalibus Gregorii IX. contenta.

CA-

CAPUT II.

Ad Numerum XIX.

Quo fundamento prætenderunt nonnulli decimas esse solvendas ex omnibus frugibus & fœtibus animalium non obstante contraria consuetudine.

IN textu notatum est, Carolum V. in suo Edicto conquestum de Ecclesiasticis, quòd præter *morem* consuetum prætendebant decimas ex omnibus tam fructibus & frugibus terræ, quàm fœtibus animalium. Vix dubium, quin hi Ecclesiastici in hujus prætensionis fundamentum assumpserint Decretales Romanorum Pontificum, quibus Episcopis mandatur, ipsos Laicos, etiam per *Censuram* cogendos ad solvendas decimas ex *omnibus frugibus terræ, & animalium fœtibus.*

Cùm enim hæ Decretales passim in scholis publicè prælegerentur, & pro jure communi in hac materia decimarum à Doctoribus juventuti proponerentur; non mirum si Ecclesiasticis facilè persuasum fuerit, Laicos ad solutionem *omnium* illarum decimarum esse constringendos; contrariamque consuetudinem abusivam reputarent; præsertim quia Pontifices in hisce Decretalibus non obscurè innuebant, obligationem solvendi decimas ex omnibus fructibus & animalium fœtibus jure *Divino* & ex Traditione Apostolica inductam esse, uti in nota præcedenti dictum est.

Nec dubium, quin plura contra receptos mores, cum notabili subinde Reipublicæ, seu Politicæ, seu Ecclesiasticæ perturbatione quæstiones & difficultates excitentur, & oriantur: eò quòd passim in scholis, Doctores juventuti Decretales ad literam exponentes, opiniones Auditoribus imprimant, moribus patriæ planè difformes, ac cum patriis legibus incompatibiles.

CAPUT III.

Ad Numerum VIII.

Quòd jus Rectori Ecclesiæ Parochialis ad temporalia superfit post incorporationem ejusdem Ecclesiæ.

ADvertendum, quòd in Decretalibus, de quibus in textu dicatur, decimas pertinere ad Ecclesias Parochiales, non autem simpliciter ad Parochum.

Parochus enim nullum jus habet ad decimas infra districtum Parochiæ excrescentes, nisi in quantum ipse Ecclesiam Parochialem *in titulum* possidet, & ita vi sui *tituli* jus habet ad omnia, quæ Ecclesiæ Parochiali sunt annexa, quemadmodum quilibet Beneficiatus juxta modernam disciplinam jus habet ad proventus *titulo* sui Beneficii annexos.

Quando verò Ecclesia Parochialis est incorporata & appropriata Capitulo aut Monasterio, tunc vi istius incorporationis, seu appropriationis, unà Capitulo & Monasterio censentur incorporata, quæ spectant de jure ad Ecclesiam Parochialem.

Præterea à Ecclesia Parochialis quoad ipsum *titulum* censetur quodammodo extincta, vigore similis incorporationis: unde Presbyter sive Vicarius curam spiritualem hujus Ecclesiæ incorporatæ sustinens, non censetur hanc Ecclesiam propriè possidere in *titulum*, & consequenter nec prætendere potest vi tituli, sive Ecclesiæ Parochialis jus ad omnes decimas intra fines parochiæ excrescentes; utpote quod jus, unà cum *titulo*, vigore incorporationis ad Monasteria aut Capitula censetur translatum, solo jure competentiæ, sive congruæ portionis presbytero curam animarum sustinenti salvo; uti latiùs probatum est in dissertatione *de pristinis Ecclesiarum Parochialium incorporationibus.*

V. Espen. Suppl. in Jus Eccl.

Et licet per erectionem Vicariæ *perpetuæ* Vicarius Vicariam illam assecutus, reipsà verum Beneficium parochiale etiam in *titulum* censeatur assecutus (uti titulo 21. annotatum fuit) nihilominus propter incorporationem Ecclesiæ illius quoad *temporalia*, non assequitur vigore hujus Vicariæ *perpetuæ*, sive novi erecti tituli jus ad proventus temporales Ecclesiæ Parochialis incorporatæ, qui ante incorporationem ad ipsam Ecclesiam Parochialem spectabant, & per incorporationem sunt ad Capitulum vel Monasterium translati; sed duntaxat jus perpetuum ad congruam portionem, seu competentiam in ipsa incorporatione Ecclesiæ Vicario servatam, uti ostendi in citata dissertatione *de pristinis Ecclesiarum Parochialium incorporationibus*, in qua id tantum exponere animus fuit, quid juris Parochis competat ad decimas aliosque proventus temporales, factis & admissis, atque hactenus toleratis hisce incorporationibus; non autem animus fuit inquirere vel determinare, num has omnes incorporationes facere & admittere oportuisset.

CAPUT IV.

Ad Numerum XI.

Authoritas Principis salva mansit quoad decimas, tanquam in res per se temporales.

QUandoquidem negari nequeat, quin decimæ in se consideratæ sint res *temporales*, quin nec naturam rerum temporalium amittant, licet ad usum pium, aut etiam Ecclesiasticum, ex voluntate offerentium destinentur, non sine fundamento crediderunt Principes, decimas tanquam res temporales suæ jurisdictioni esse subjectas: neque solà illa destinatione in usum Ecclesiasticum à sua jurisdictione planè eximi, ideoque nec dubitàrunt, sibi integrum esse, earum exactionem & solutionem suis legibus circumscribere, quemadmodum hîc & alibi, etiam pristinis sæculis à Catholicis Principibus factum legitur.

Imò cùm de rebus temporalibus agatur, Edicta Principum in hac decimarum materia ante omnia servanda esse, prout & hîc in Belgio, aliisque plerisque Provinciis servari videmus; atque conformiter ad illa quæstiones in hac materia decidi, neglectis Decretalibus cæterisque Ecclesiasticis Constitutionibus, quæ Principum Edictis possent esse contrariæ.

CAPUT V.

Ad Numerum XXVII.

Incorporatio Ecclesiarum probat, quòd Romani Pontifices sibi vendicarint dispensationem omnium proventuum Ecclesiasticorum.

EX hac data licentia (de qua in textu) recurrendi ad Romanum Pontificem, in casum, quo Episcopus renueret dare consensum transferendi decimas ad Monasteria vel Capitula, intelligitur quòd eo tempore Romani Pontifices cœpissent, non tantùm sibi attribuere authoritatem dispensandi proventus particularis Ecclesiæ Romanæ: sed eam quoque dispensandi authoritatem ad proventus cæterarum Ecclesiarum extendere; quæ tamen primis, ut minus, novem sæculis, penes Episcopos singularum respectivè Ecclesiarum ex Canonum præscripto, integra in solidum permanserat.

CAPUT VI.

Ad Numerum XIX.

Utrum post translationem decimarum ad Capitula vel Monasteria salvum maneat Ecclesiæ Parochiali jus ad decimas novales.

QUæ in textu dicuntur de jure Parochi ad decimas novales, contra Decimatores, nequaquam procedere, quando probatur jus decimandi competere Monasterio aut Capitulo titulo incorporationis sive appropriationis ipsius Ecclesiæ Parochialis, ostendi in dissertatione *de pristinis Ecclesiarum Parochialium incorporationibus.*

Eandem distinctionem inter Decimatores habentes jus ad decimas ex speciali titulo, putà privilegii, vel præscriptionis, & Decimatores eas habentes jure incorporationis, sive appropriationis Ecclesiæ Parochialis, *qui Pastores primitivi* vocari solent, observat & probat post Cocquil in Commentario ad *Consuetudines Nivernenses*, Dionysius Simon in suo compendioso Tractatu Gallico de decimis Parisiis impresso anno 1705. ad calcem Tractatûs de Juribus Honorificis advocati *Marechal*, unà observans pag. 400. quòd *Pastores primitivi* eo ipso quo probaverint Ecclesiam Parochialem sibi esse appropriatam & incorporatam *pleno* jure quoad *temporalia* in consequentiam habeant jus percipiendi *novales*, tanquam ad Ecclesiam Parochialem spectantes; atque idcirco alium titulum probare non teneantur: reliqui verò decimarum Possessores, qui duntaxat jus illud habent ex speciali privilegio aut præscriptione, nullum jus habeant ad decimas *novales*; sed jus illud maneat penes Ecclesiam Parochialem, nisi probaverint *speciali* titulo illud sibi fuisse indultum, quo casu *Novales* percipere poterunt juxta moderationem Capituli *statuto de Decimis in 6.*

TITULUS XXXIV.

De congrua Portione Parochorum.

CAPUT I.

Ad Numerum IX.

Monasteria & Capitula vigore incorporationis non consequuntur verum jus Patronatûs.

IN textu observatum est, quòd Canonici & Monachi occasione Canonis Claromontani (de quo in textu) sensim sibi vindicârint jus præsentandi Presbyteros, qui curam animarum sustinerent in Ecclesiis Parochialibus, Capitulis, & Monasteriis eorum incorporatis.

Ob hanc Presbyterorum præsentationem, quam tandem per Ecclesiarum & Altarium donationes, Canonicorum Collegia, & Monachorum Monasteria sunt assecuta, etiam Canonici & Monachi earum Ecclesiarum *Patroni* vocari cœperunt; eò quòd posterioribus sæculis, jus præsentandi Clericos ad vacantes Ecclesias vel Beneficia, ut præcipuum intra jura Patronorum reputari cœperit.

Nihilominus certum est, ob hanc præsentationem, seu nominationem, Capitula aut Monasteria *verum* jus Patronatûs quale Fundatoribus & Benefactoribus Ecclesiarum competere solet, non consequi; neque dici posse *veros* Patronos, quemadmodum suprà *Parte* 2. in notis ad *tit.* 25. *cap.* 7. *num.* 30. & 33. exposuimus, ibidemque observatum est, Jura Honorifica, quæ Ecclesia Fundatoribus defert, non posse Capitula, aut Monasteria eorumve Abbates hoc solo titulo sibi asserere.

Neque enim hæc Presbyterorum præsentatio Capitulis vel Monasteriis (quæ primitivos Pastores vocant) primitùs fuit delata per modum remunerationis, ob munificentiam ab ipsis in Ecclesias Parochiales factas quemadmodum Benefactoribus; sed per modum oneris ipsis injunctum fuit, ut curarent, quatenus per Presbyteros cura animarum ritè exerceretur, & de temporalibus sufficienter ipsis providerent, ex proventibus per incorporationem ad ipsos devolutis.

* * * *
* * *
*

CAPUT II.

Ad Numerum XIX.

Quibus casibus Parochi possunt petere augmentum competentiæ ob Presbyteros sibi necessarios.

UT Parochus augmentum competentiæ petere queat, ad sibi adjungendos plures Presbyteros, sufficere, ut probet adeo numerosum esse populum, ut solus non sufficiat ad Sacramenta ritè administranda, & cultum Divinum celebrandum, in textu annotatum est.

Quin & potest contingere, ut populus quidem non sit adeò numerosus, sed tamen tantopere sit dispersus ut solus Parochus, iis ritè instruendis, & Sacramentis administrandis esset insufficiens: quo casu non dubium, quin debeat sibi alios Presbyteros adjungere: imò & cogi queat ex Decreto concilii Tridentini, & consequenter augmentum portionis congruæ eorum sustentationi conveniens postulare poterit.

Imò quâcunque occasione contingat, ut solus Parochus non sufficiat ad Sacramenta administranda, & cultum Divinum ritè exhibendum, hoc congruæ portionis augmentum petere potest.

Quòd autem credatur in casu tam numerosi aut dissiti populi, sufficere, ut diebus Festis & Dominicis adsciscatur Presbyter ex proximiori civitate, vel loco, qui ibidem Missam matutinalem pro populi commoditate celebret, error est, & notabilis abusus, frequentius ex avaritia aut nimia decimatorum tenacitate procedens.

Imprimis enim similis Presbyter Parocho assistere nequit in administrandis Sacramentis, visitandis ægris & parochianis ad Sacramenta ritè suscipienda disponendis, quæ tamen vel præcipuè ad salutem & spiritualem populi curam pertinere manifestum est.

Præterea frequenter contingit, ut similes Presbyteri simpliciter Missam privatam sine ulla auditorum instructione absolvant; atque hinc ulterius contingit, ut notabilis parochianorum numerus hâc privatâ Missâ contentus, à Missa parochiali, sub qua parochus concionem habere consuevit, abstraha-

stabatur; & ita in articulis fidei, & Religionis Christianæ fundamentis ignarus permaneat, quæ incommoda facilè evitarentur si decimæ, aliique proventus Ecclesiastici impenderentur in legitimos suos usus, ac signanter in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, qui ad curam animarum laudabiliter exercendam requiruntur; idque conformiter ad Synodum Tridentinam, quæ *Sess.* 24. *cap.* 13. de Reformat. vult, ut ea sit portionis congruæ quantitatis, ut necessitati spirituali Parochiæ decenter sufficiat.

CAPUT IV.

Ad Numerum XXIII.

Decimatores ad decimas jus non consequuntur, nisi detracta competentia.

DEcimæ aliique similes proventus ad nullum specialem usum, per Principes aliosque fideles in eorum concessione & oblatione restricti, sive destinati, censentur oblati Ecclesiæ, ut impendantur in sustentationem Ministrorum, aliosque pios usus.

Cùm verò inter Ministros Ecclesiæ, præcipui sint & maximè necessarii, qui curam animarum sustinent, & laborant in vinea Domini, consequens est, quòd similes proventus in horum sustentationem præcipuè, & primariò ex intentione offerentium cedere debeant; atque hoc sensu in textu notatum est, decimas principaliter ad Parochos pertinere.

Huic fundamento innititur assertum Canonistarum, portionem congruam ex decimis, Parochis, aliisque curam animarum sustinentibus à Decimatoribus esse integrè persolvendam, licèt eâ persolutâ, nihil ex decimis Decimatoribus superesset: eò quòd ex his proventibus nihil sit impendendum in usus, præsertim pauperum Ecclesiæ non ministrantium, priusquam Ministris Ecclesiæ, notanter Parochis, aliisque curam animarum sustinentibus, & actualiter per se exercentibus sufficienter sit provisum.

Idipsum non obscurè indicavit S. Thomas, dum dixit, decimas, aliasque res Ecclesiæ deberi his, qui curam animarum sustinent; communicari verò posse Laicis Religiosis, sive Monachis aliisque curam animarum non habentibus per *modum eleemosynæ.* Verba S. Thomæ relata sunt in textu hac *parte* 1. *tit.* 32. *cap.* 5. *num.* 6.

Verùm nonne satius fuisset, ut dispensatio decimarum, uti aliorum Ecclesiasticorum proventuum integra mansisset penes Prælatos & Pastores, ut per hos, si quid ex illis sustentationi Ministrorum Ecclesiæ, & in vinea Domini laborantium necessitatibus superesset, in Religiosos aliosque curam animarum non habentes per modum eleëmosynæ erogaretur, quàm quod ipsi, quibus principaliter decimæ, & proventus Ecclesiastici debentur, cogantur sua necessaria, sive competentiam petere, & quasi emendicare ab iis, quibus decimæ, & similes Ecclesiastici proventus, nonnisi per modum *eleemosynæ* ex doctrina S. Thomæ communicati fuerunt.

CAPUT VI.

Ad Numerum XIV.

Inconveniens est, ut competentia conficitur ex accidentibus signanter incertis.

EDicta Principum nostrorum ad Synodos Cameracensem & Mechliniensem respectivè volunt, ut deficientibus decimis, & simplicibus Beneficiis, quorum unione Pastoribus provideri posset, recurrendum sit ad collectas Parochianorum; argumentum non obscurum, Principes noluisse, ut competentia conflaretur ex accidenti bus, quæ & ipsam competentiam reddunt admodum incertam, & insuper multis incommodis obnoxiam; ut propterea meritò quantum fieri potest, competentia pastoralis sine respectu ad similia accidentia, ex certis proventibus sit assignanda; signanter, ut nulla habeatur ratio eorum accidentium, quæ ex cujusque particulari, voluntaria oblatione sunt pendula, putà oblationes quæ in administratione Viatici, & Extremæ Unctionis Baptismi, aut purificatione mulierum post partum, aliisque similibus fieri solet.

Imò magis conveniret, ut authoritate Superiorum vetaretur, ne illæ fierent aut reciperentur in his sacris functionibus oblationes, ut omnis turpis quæstûs vel simoniæ species everteretur.

Mirum profectò, & summopere dolendum, quòd in tanta decimarum, aliorumque proventuum Ecclesiasticorum copia, debeat ad media illa, ac præsertim scabiosa illa accidentia recurri, ut Parochis, aliisque Ecclesiæ Ministris laborantibus (qui juxta Apostolum duplici honore digni sunt) honestâ & necessariâ sustentatione, sive congruâ competentiâ provideatur.

TITULUS XXXV.

De Immunitate bonorum Ecclesiasticorum.

CAPUT III.

Ad Numerum XXXIII.

Constitutio Bonifacii VIII. super immunitate bonorum Ecclesiasticorum occasionem dedit funesto dissidio inter ipsum & Philippum Pulchrum.

COnstitutionem Bonifacii VIII. (de qua in textu) occasionem dedisse funesto isti dissidio Bonifacium inter & Philippum Pulchrum notat Natalis Alexander *in dissertatione* 9. ad sæculum XIII. & XIV. notatque, in eo fuisse lapidem offensionis, quòd Pontifex sibi arrogaret authoritatem in temporalia: quæ autem moderatio circa hanc Bonifacii Constitutionem pro extinctione hujus dissidii per subsequentes Pontifices, notanter per Benedictum XI. & Clementem V. contigerit, ex horum Pontificum Constitutionibus & Declarationibus in textu relatis intelligi potest.

Quin & per ipsum Clementem omninò revocata videtur dicta Bonifacii Constitutio, ut propterea, nec à Doctoribus, ut revocata, glossata fuerit, uti observat ipse Glossographus ad hanc Bonifacii Constitutionem relatam *in cap.* CLERICIS LAICOS *de Immunitate Ecclesiarum in Sexto.*

Interim ex hac Bonifacii Constitutione, tot scandalorum & dissidiorum scaturigine, fac intelligitur, non sine fundamento Principes vetuisse, ne Bullæ, Decreta, aut Rescripta Curiæ Romanæ in suis ditionibus publicari aut executioni mandari possent, priusquam in eorum supremis Auditoriis visæ & probatæ essent, uti pluribus ostendi in *Tractatu de Promulgatione Legum Ecclesiasticarum.*

SUPPLEMENTUM IN JUS UNIVERSUM ECCLESIASTICUM.

PARS TERTIA.

TITULUS PRIMUS.

DE JURISDICTIONE ECCLESIASTICA in Civilibus.

CAPUT I.

Ad Numerum III.

Christiani in politicis & civilibus Magistratibus etiam ethnicis erant subjecti.

IN textu notatum est, Apostolum in prima sua ad Corinthios Epistola, seriò monuisse Corinthios, ne quaestiones inter ipsos exortas deferrent decidendas ad Infideles, & unà observatum fuit ex Guillelmo Estio, Apostolum ibidem loqui de *Actore*, non autem de *Reo*, qui ab adversario ad Tribunal Infidelium evocatus illud declinare non poterat.

In eandem sententiam hunc locum Apostoli interpretatus est S. Thomas: cùm enim sibi objecisset huic textui Apostoli videri contrarium id, quod dicitur in prima Epistola S. Petri: *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi tanquam præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis, respondet.* "Pertinet enim ad authoritatem Principis judicare de subditis: est ergo "contra Jus divinum prohibere, quod ejus Judicio non stetur, si sit *infidelis*: sed dicendum (ait) "quòd Apostolus non prohibeat, quin *fideles* sub "*infidelibus* Principibus constituti, eorum Judicio compareant, si *vocentur*; hoc enim esset "*contra subjectionem*, quæ debetur Principibus: "sed prohibet, quòd Fideles non eligant voluntariè infidelium Judicium.

Similiter in eundem textum Apostoli scribit Liranus: "Apostolus non prohibet hîc, Fideles "sub Principibus *infidelibus* constitutos comparere coram eis, quando *vocantur*; hoc enim "esset *contra subjectionem*, quæ Principibus debetur: sed prohibet, ne *voluntariè* recurrant ad "Judices infideles, in illis negotiis, quæ determinari possint per Fideles.

Rectissimè proinde notavit contra Cardinalem Bellarminum Guillelmus Barclaius in suo Tractatu de *potestate Papæ c.* 21. "Nihil jubere "Apostolum, eò quòd Judicium infidelium jurisdictionem & imperium in Christianos aut tollat aut minuat, aut ei aliquo modo præjudicet; "itaque Judicum illa constitutio, ad quos monet "Apostolus, ut Fideles causas suas deferant, nullo "modo eximebat Christianos à subjectione & jurisdictione Magistratuum Ethnicorum, sed tantùm auferebat illis necessitatem impellendi Judices infideles; cùm haberent inter se *communi consensu* constitutos, quorum sententiis obortæ "controversiæ componi poterant. Erant autem "hi Judices revera *arbitri* sine imperio, sine prehensione, voluntariam tantùm Jurisdictionem "exercentes, & ideo si vel refractarius Christianus, vel Ethnicus aliquis Christianum ad Judicem infidelem vocâsset, nihil vocato profuisset "Judicum illorum Christianorum authoritas, "quò minùs Ethnico Tribunali se sistere teneretur, inquam, *in conscientia*, propter subjectionem, quâ Superioribus jure naturali debemus. Hactenus Barclaius, qui ibidem idipsum fusiùs deduxit contra Cardinalem Bellarminum aliosque, qui ex hoc textu Apostoli prætendere videntur, primos Christianos per Judicum illorum constitutionem à Jurisdictione Magistratuum Ethnicorum etiam in causis civilibus & politicis fuisse exemptos, nec eis *in conscientia* subjectionem debuisse. Quam sententiam ibidem refutat Barclaius, probans, Christianos etiam in conscientia debuisse parere Magistratibus infidelibus eisque subjectionem debitam exhibere in licitis & honestis, quæ nullatenus Evangelio aut Christianæ Religioni adversabantur.

Idipsum non obscurè significârunt S. Thomas & Lyranus, dum dicunt, quòd, si Fideles vocati ad Tribunalia *infidelium* se sistere renuissent, hoc fuisset *contra subjectionem, quæ debetur Principibus*. Evidens autem est, S. Thomam conformiter ad textum S. Petri, quem commentatur, loqui de

de debito, sive obligatione in *conscientia* de qua & sanctus Petrus loquitur.

Ad Numerum XXVII.

Extravagans inscripta Constantino Magno perperam ab Innocentio III. impensa.

In textu observatum fuit Innocentium III. in *cap.* 13. *x. de judiciis* impendisse authoritatem *Extravagantis*, quæ sub nomine Constantini Magni extat in appendice Codicis Theodosiani, ut probaret ad suum Tribunal spectare jus decidendi quæstionem inter Joannem Regem Angliæ & Philippum Regem Franciæ.

Verùm ex contextu Extravagantis sive Constantinum, sive Theodosium, sive Carolum Magnum Authorem habeat, nequaquam obscurum est, eam perperam & contra mentem Authoris per Innocentium III impendi ad vindicandum sibi jus decidendi hanc quæstionem.

Imprimis enim constat hanc Extravagantem nonnisi de *privatis* Laïcorum negotiis & quæstionibus; non autem de *publicis* inter supremos Principes juribus & regaliis agere.

Ulterius constat causas inter Laïcos exortas in hac Extravagante ad *Episcopos* remissas esse, non tanquam ad *judices publica authoritate* munitos, sed duntaxat tanquam ad *arbitros*, uti ex verbis Extravagantis in textu relatis monstratum est: itaque perperam prætendit Innocentius authoritate hujus Extravagantis, hoc dissidium inter duos istos Reges coram se vel ejus delegato *judicialiter* esse decidendum.

Interim ex hac Innocentii Decretali necnon subsequentium Pontificum Decretalibus & responsis in Decretales Gregorii IX. relatis habetur, Pontifices leges imperiales, per quas Principes Episcopis commiserunt causas suorum subditorum *sine judiciali strepitu* aut ullius jurisdictionis contentiosæ formâ decidendas & pacificè terminandas, tandem labentibus sæculis post erecta Ecclesiastica Tribunalia prætendisse omnes illas causas jurisdictioni Ecclesiasticæ esse subjectas, easque judicialiter coram Judicibus Ecclesiasticis instruendas & decidendas.

CAPUT II.

Ad Numerum VI.

Quo motivo Magistratus sæculares causas civiles ad se trahere cœperint quæ in foro Ecclesiastico agitari & decidi solebant?

In textu observatum fuit quod circa sæculum XII. & XIII. Principes eorumque Magistratus cogitare cœperint de reducendis causis civilibus notanter Laïcorum ad sua Tribunalia. Neque id mirum videri debet quandoquidem probè intelligerent sensim in forum Ecclesiasticum formam judiciorum inductam pluribus formalitatibus & tricis obnoxiam, quàm esset forma & stylus litigandi in foro civili usitatus.

Insuper reflecterent judices ac ministros fori Ecclesiastici non minùs ac Laïcos & civiles Magistratus ex contentionibus partium atque instructione & decisione causarum quæstum aucupari. Nec tamen & hoc ignorabant, causas primitus ad cognitionem & decisionem Episcoporum per Principes fuisse remissas, ut eas sine jurisdictionis contentiosæ aut judiciali formâ tanquam arbitratores pacificè determinarent.

Ad Numerum XX.

In textu mentio fit cujusdam Concordati inter Episcopum Cameracensem & Carolum V. ut Comitem Hannoviæ super exercitio jurisdictionis, verùm num pro vero Concordato haberi queat dubitari potest.

Utrum articuli per Antonium Anselmo inter Edicta Principum nostrorum relati sub nomine Concordati Hannoniæ possunt habere rationem aut vim Concordati?

Scitur quidem, quod cùm sub medium sæculi XVI. plures exortæ essent difficultates & quæstiones super essent difficultates & quæstiones super exercitio jurisdictionis inter Carolum V. ut Comitem Hannoniæ ejusque Consiliarios & Magistratus ab unâ, & Episcopum Cameracensem ejusque Officiales ab alterâ partibus tandem post plures super iis habitos congressus, concepti fuerint nonnulli articuli per deputatos utriusque partis sopiendis hisce difficultatibus accommodi; hos articulos retulit Antonius Anselmo Jurisconsultus Antverpiensis inter Edicta Principum nostrorum parte 1. Edictorum Brabantiæ *lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 3. sub nomine *Concordati inter Episcopum Cameracensem & Hannones.* Summarium verò ipsis articulis præfixum his verbis conceptum est: *Appointement faict pour les jurisdictions spirituelles & temporelles entre les commis & deputez de Monseigneur le Reverendissime de Cambray & les Conseillers de Haynau, le second jour de Mars* MDXL. *avant Paques.*

Verùm cùm in Prologo articulis hisce præfixâ expresè dicatur hosce articulos conceptos ad sopiendas hasce difficultates & quæstiones esse per deputatos Episcopi Cameracensis *sur le bon plasir toutefois dudit Seigneur Reverendissime*, & in Epilogo asseratur quidem eosdem articulos etiam placuisse deputatis suæ Majestatis Imperialis, nominatim tamen additâ hac clausula: sub beneplacito suæ Cæsareæ Majestatis. *Sauf, le bon. & noble plaisir desdits Seigneurs*, evidens est hunc articulorum conceptum non potuisse habere suum complementum nec reputari ut Concordatum nisi post ratificationem Episcopi & suæ Cæsareæ Majestatis.

Cùm nullibi verò de ratificatione ipsius Episcopi Cameracensis, aut suæ Cæsareæ Majestatis hactenus apparuerit, meritò dubitari potest num hic articulorum conceptus, per deputatos utriusque potestatis propositus & probatus possit haberi pro Concordato, quamdiu de ratificatione Episcopi & Cæsareæ Majestatis ut Comitis Hannoniæ, sub quorum beneplacito articuli illi propositi & probati fuêre, non constat.

CAPUT III.

Ad Numerum VI. & sequentes.

Exemptio Clericorum & Monachorum à jurisdictione Magistratuum civilium dependes à beneplacito Principum sæcularium.

In textu notatum est Clericorum & Monachorum vocationi & professioni parum convenire, litibus & jurgiis forensibus implicari: ac propterea jam pridem per Canones, etiam sub gravioribus pœnis inhibitum ipsis fuisse quæstiones & causas, etsi civiles, ad forensia judicia sive publicos Magistratus deferre; sed eas Episcoporum examini & judicio submittere jubebantur.

Porrò circa hos Canones advertendum Patres & Concilia id unum intendisse, ne Clerici vel Monachi ad judicia forensia sive civiles Magistratus alios pertraherent: sive ne quæstiones & controversias suas decidendas deferrent; sed ut eas vel arbitris mutuo consensu electis decidendas committerent, aut si id fieri non posset, eorum decisionem Episcoporum judicio submitterent.

Itaque eodem consilio id statuerunt Patres circa Clericos & Monachos quo id ab omnibus Christianis

stianis sub Magistratibus Ethnicis constitutis fieri desideraverat Apostolus, uti supra expositum fuit.

Porrò sicuti Apostolus per hoc suum pium monitum nihil detractum voluit Principum & Magistratuum civilium licet Ethnicorum legitimæ authoritati & jurisdictioni in decidendis subditorum causis, ita nec Patres & Concilia per hos Canones, Principum & Magistratuum authoritatem in dijudicandis causis civilibus etiam Clericorum & Monachorum imminuere aut labefactare intenderunt.

Noverant enim Patres illi, quod Principes per conversionem à Gentilismo ad fidem & Religionem Christianam, nihil de suo jure aut legitimâ authoritate in subditos suos amisissent; sed ipsis jam ad Religionem conversis omninò integra maneret juxta quod de Christo canit Ecclesia: *Non eripit mortalia qui regna dat cœlestia.* Cum igitur certum sit Clericos & Monachos subditos fuisse Principibus & Magistratibus politicis Ethnicis, eò quod non obstante Clericatu aut Monachatu remanerent & membra reipublicæ, atque cum reliquis Laïcis sive Christianis sive Ethnicis, unum corpus politicum seu rempublicam conficerent. Consequens est eos etiam sub principibus & Magistratibus politicis licet Christianis subditos remansisse: aliàs enim per conversionem ad Religionem Christianam Principes non parum de sua in membra suæ reipublicæ authoritate amisissent: indubitatum enim est Clericos & Monachos etiam hodie sub Principibus Christianis constitutos esse partes & membra reipublicæ politicæ & unam cum reliquis Laïcis politicam & temporalem rempublicam conficere, non secus ac olim sub Principibus gentilibus constitutos.

Idipsum etiam notavit Cardinalis Bellarminus *lib. 2. de Clericis cap. 28.* "Clerici (inquit) præ„ter quam quod Clerici sunt, sunt etiam cives & „partes quædam reipublicæ politicæ.

Hinc consequens est quod Clericos & Monachos à jurisdictione & subjectione Magistratuum civilium, præsertim quantum ad regimen politicum & negotia civilia substrahere seu eximere, fuisset Principum & Magistratuum in suos cives & partes reipublicæ authoritatem & jurisdictionem substrahere

Cùm verò Patres id sibi fas non esse scirent, id unum Clericis & Monachis inculcarunt & mandarunt, ut à litigiis & jurgiis forensibus sibi caverent; atque controversias sine strepitu forensi electis arbitris vel Episcopis decidendas committerent: quod non magis jurisdictioni aut subjectioni Magistratibus civilibus debitæ officere sciebant, quàm si bonus paterfamilias præciperet filiis suis etiam sub pœnis domesticis, ne inter se de controversiis exoriendis apud judicem forensem contendant; sed eas arbitris submittant.

Et sanè neque in pristinis synodicis decretis aut Pontificum scriptis de Clericorum aut Monachorum à Magistratuum civilium authoritate vel jurisdictione in cognoscendis & judicandis eorum causis in materia notanter civili exemptione sive substractione legitur, imò nec in legibus Imperatorum saltem usque ad tempora Justiniani Imperatoris, qui primus Imperatorum per suas Constitutiones exemptionem aliquam Monachis & Clericis à jurisdictione & authoritate judicum publicorum dedisse legitur juxta modum & limites in illis expressos prout in textu latiùs expositum fuit.

Quare Petrus Gudelinus de jure novissimo *lib. 6. cap. 5.* monet " de Episcopali jurisdictione il„lud tenendum esse, Clericos & Monachos pri„mis sæculis conveniri solitos apud judices sæcu„lares: potuisse tamen actorem si malebat, con„venire eos apud suum Episcopum. At novissimis „constitutionibus potestatem jurisdicendi am„pliatam esse.

Nullam autem legem aut constitutionem, quâ ampliata sit Episcoporum authoritas in decidendis Clericorum causis anteriorem Novellis Justiniani adfert. Argumentum haud obscurum & ipsum supposuisse ante has Novellas nullam fuisse Clericorum à jurisdictione Magistratuum sæcularium in causis civilibus decidendis exemptionem.

Legitur quidem apud Gratianum *caus. 11. quæst. 1. can. 17.* "Clericum nullus præsumat „apud sæcularem judicem, Episcopo non permittente pulsare; idque ex *Canone 32.* Synodi Agathensis quæ celebrata est anno 506. adeoque pluribus annis ante editas Novellas Justiniani.

Fatendum est hoc Canone prout à Gratiano expressus legitur sat apertè indicari, tempore hujus Synodi aliquam exemptionem à jurisdictione Judicum sæcularium in discutiendis & decidendis eorum causis, Clericis datam esse; idque etiam ut apparet authoritate Synodi, atque ita eo tempore Patribus persuasum fuisse, quod & authoritate Episcoporum Clerici possint à Jurisdictione Judicum sæcularium eximi.

At circa hunc Canonem contigit Gratiano, quod ei circa plurimos accidisse scitur; quod scilicet eum in alieno à Patrum illius Synodi sensu retulerit. Canon enim hîc prout à Synodo Agathensi editus est & extat cum cæteris hujus Synodi Canonibus tomo 4. Conciliorum Generalium ex Editione Philippi Labbæi ita statuit: "Ne *Clericus* quemquam præsumat apud sæcularem Judi„cem Episcopo non permittente pulsare. Quæ genuina Canonis lectio apertè evincit, eam duntaxat patrum mentem fuisse, cavere, ne Clerici ad Judices sæculares suas controversias terminandas deferrent conformiter ad alios Canones & monitum Apostoli datum Corinthiis, quo nullatenus Jurisdictioni Magistratuum detrahebatur, nec Clerici à subjectione eis debitâ subtrahebantur, uti supra probatum est.

Interim ex hoc in alienum sensum contorto Canone, necnon pluribus falsis Decretalibus per pseudo Isidorum primis Romanis Pontificibus suppositis, & per Gratianum in suum Decretum relatis, creditum fuit à Canonistis, Decreto Gratiani & posteriorum Pontificum Decretalibus simpliciter inhærentibus exemptionem Clericorum à Jurisdictione Magistratuum etiam in civilibus, authoritate Ecclesiæ primitus fuisse inductam nec eam à potestate Principum dependere.

Unde conformiter ad eam Canonistarum opinionem asserere non est veritus Cardinalis Bellarminus papam potuisse eximere simpliciter Clericos propriâ authoritate per legem canonicam à subjectione temporalium Principum.

Quod aliud sanè non est quàm attribuere Romano pontifici authoritatem, cives & partes Reipublicæ politicæ potestatibus sublimioribus substrahendi. Sed quid mirum, id ab hoc purpurato Authore assertum, qui nec dubitavit Romano pontifici authoritatem in temporalia principum asserere, quin & potestatem saltem *indirectam* Reges deponendi eorum subditos à Juramento fidelitatis absolvendi.

Sed hæc à mente patrum & Ecclesiæ sunt remotissima; nec ullum in pristinis & genuinis Ecclesiæ Canonibus fundamentū habent. Nec enim ulla Clericorum aut Monachorum à jurisdictione Magistratuum publicorum exemptio primis ut

ut minus novem sæculis nota fuit, præter eam quam principes Christiani concedere voluissent; neque ullam nisi à principum benignitate dependentem prætendit Ecclesia.

TITULUS II.

De Causis Ecclesiasticis.

CAPUT I.

Ad Numerum IV.

Principum authoritas circa res merè spirituales.

IN textu observavimus materias *merè* spirituales ut sunt Sacramenta & divini cultûs celebratio privativè ad Judices Ecclesiasticos spectare: sed expressè additum fuit quantum ad eorum *substantiam*.

Certum enim est quod circa modum, tempus, locum ea exhibendi aut celebrandi, necnon horum ministros plurima incurrere queant externam politiam spectantia, & ad quæ Principum eorumque Magistratuum cura & authoritas se extendere possit, quin & subinde debeat; utpote quibus incumbit externæ politiæ curam habere, atque curare, ut omnia recto ordine etiam in Ecclesia agantur.

Hinc & plurimæ, tum in Codice Justinianeo, tum Theodosiano & capitularibus Regum Francorum, tum etiam in posterioribus Edictorum Imperialium & Regiorum collectionibus, Christianorum Principum sanctiones occurrunt, quæ hanc Principum curam & authoritatem probant.

Neque legitur, quod Ecclesia has Principum sanctiones unquam improbaverit, quasi immunitati aut JurisdictioniEcclesiasticæ adversas imò scitur jam pridem ab Ecclesia Romana susceptas fuisse Novellas Justiniani Imperatoris in quibus plurima circa prædictas materias, externam disciplinam sive politiam spectantia statuta leguntur

CAPUT II.

Ad Numerum VI.

Qua ratione dicuntur causæ testamentariæ de jure communi ad Judicem Ecclesiasticum spectare?

QUod in textu dicitur causas testamentarias jure Decretalium spectare ad forum Ecclesiasticum, indubiè recentioris est disciplinæ.

Pro quo notandum, quod circa tempora Alexandri III. & Innocentii III. Romani Pontifices de omnibus causis indifferenter cognitionem susciperent, ut mirum non sit, quod legamus pleralque controversias præsertim inter Ecclesiasticos, etiam in causis merè civilibus, putà testamentariis, aliisque similibus ad Pontifices fuisse deductas, ut ab iis controversiarum decisionem acciperent.

Quorum responsa & resolutiones, postquam inter Decretales Gregorii IX. relata fuerunt ea pro jure communi passim à Canonistis reputari cœperunt: creditumque causas illas conformiter ad responsa Pontificum in Decretalibus hisce contenta esse judicandas & ad Ecclesiastica Tribunalia referendas.

Quapropter in antiquis Canonibus aut Conciliis nihil de testamentorum solemnitate aut validitate legitur; utpote nondum Episcopis aut Pontificibus inciderat, sibi esse jus aut authoritatem super testamentis eorumque solemnitatibus quidquam ordinandi; sed hæc omnia ex Principum ordinationibus & legibus dependere non dubitabant.

CAPUT III.

Ad Numerum II.

Exemptio bonorum Ecclesiasticorum à jurisdictione Laicorum.

QUod in textu dicitur bona Ecclesiastica sive amortizata gaudere privilegio fori de *jure communi*, intelligendum venit de jure *Decretalium* Gregorii IX. quod jus hodie à Canonistis passim *jus commune* appellatur.

Certum enim est, bona temporalia Clericorum pluribus sæculis jurisdictioni Laïcorum plenè fuisse subjecta, & demum circa sæculum XI. & sequentia de similibus bonis tanquam Clericorum propriis Judices Ecclesiasticos cœpisse cognoscere, ac tandem adnitentibus præsertim Romanis Pontificibus hæc bona non secus atque ipsos Clericos, à Laïcorum jurisdictione fuisse substracta: horumque posteriorum Pontificum responsis in Decretales Gregorii IX relatis innitentes Decretalium Commentatores concluserunt hæc bona non secus ac ipsos Clericos fori privilegio gaudere

Quâ Canonistarum opinione sensim receptâ, generaliter Judices Ecclesiastici, quæstiones super iis exorientes, ad suum Tribunal trahere cœperunt. Imò hæc bona non secùs ac ipsi Clerici & Ecclesiæ à jurisdictione Laïcorum exempta prætendebantur.

Cùm autem huic Judicum Ecclesiasticorum prætensioni faveret jus Decretalium, quod pro *jure communi* tandem erat receptum, necnon communis opinio huic juri innixa, non mirum quod Principes quæstiones super his bonis exorientes Judicibus Ecclesiasticis sub certis limitationibus reliquerint, uti in textu notatum est.

CAPUT IV.

Ad Numerum XL.

Hodie Clerici pro manutenentia seu protectione Regiæ ad Auditoria Regia recurrere quodammodo coguntur.

IN textu notatum est jam pridem Clericos pro manutenentia in possessione suorum Beneficiorum recurrisse ad Regia Auditoria: hoc & hodie frequentiùs accidit, & quodammodo necessarium est eò quod Episcopi eorumve Officiales, non rarò nullo juris ordine servato, vel causâ hactenus non instructâ, ad suspensionem vel interdictum prosiliant; atque ita ipsos Beneficiatos viâ *facti*, sive juris ordine non servato in suorum Beneficiorum possessione aut quasi possessione, quæ in exercitio functionum Beneficio annexarum consistit, turbant imò spoliant.

Porrò Judices Regios annuendo in simili casu manutenentiam Beneficiatis nequaquam turbare aut impedire Episcopos aliosque judices ordinarios & Ecclesiasticos in correctione & castigatione Clericorum sibi subditorum latè ostendi in Tractatu cui titulus: *Concordia immunitatis Ecclesiasticæ & juris Regii*, &c. qui habetur inter opuscula editionis ultimæ, uti in Tractatu *de Recursu ad Principem*.

TITULUS III.

De Jurisdictione Criminali.

CAPUT I.

Ad Numerum I.

Nullus ordo aut dignitas per se eximit à potestatibus sublimioribus in causis criminalibus.

Apostolorum omnes Christianos non Laïcos duntaxat sed & Episcopos cæterosque Ecclesiæ Ministros potestatibus sublimioribus, id est, Magistratibus civilibus qui gladium portant, sive quibus est jus gladii subjectos declarasse unanimi consensu docuêre sancti Patres, ipseque textus verbis adeò generalibus conceptus manifestè evincit. Hinc ex verbis Apostoli id concludit Gregorius Nazianzenus in oratione ad Præsidem iratum & populum pertimescentem. *Subjecti sumus*, inquit, *tum Deo tum aliis alii, tum iis, qui cum imperio nobis in terra præsunt Magistratibus propter ordinis constructionem. Etiam hæc in legum nostrarum numero est ut quemadmodum heris servi, uxores maritis, Ecclesia Domino, discipuli Pastoribus ac Doctoribus obtemperant, ita nos etiam cunctis potestatibus supereminentibus subjecti simus, non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ut qui tributo pendendo simus obnoxii, lex Christi vox quoque meo tum imperio tum solio subjicit, nam & nos in potestate sumus.*

Manifestum est Gregorium eo loco loqui de Magistratibus civilibus, à quibus pœnas luendas pertimescebat populus & quibus conformiter ad textum Apostoli omnes indiscriminatim etiam *seipsum* debere obedire & subjectos esse monet dicens, *nam & nos in potestate sumus.*

Et pressiùs ad ipsum textum Apostoli sanctus Chrysostomus *Hom. 23. in Epistolam ad Rom.* „Potestatibus *ex debito* obedire jubet (Apostolus) „ostendens quod ista imperentur omnibus & *Sacerdotibus* & Monachis, non solum sæcularibus „id quod statim in ipso exordio declarat cùm di„cit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, etiam si Apostolus sis, si Evangelista, si „Propheta, sive quisquis tandem fueris, *non enim „pietatem evertit ista subjectio.*

Hinc & sanctus Bernardus scribens ad Archiepiscopum Senonensem ex generali Apostoli elocutione concludere non dubitat & ipsum Archiepiscopum potestati sublimiori se debere agnoscere subjectum dicens " cui honorem, omnis ani„ma potestatibus sublimioribus subdita sit: *si om„nis & vestra* quis vos excipit ab universitate? Si „quis tentat excipere conatur decipere.

Igitur ex sententia Apostoli, Episcopi & Clerici, non secùs ac Laïci sublimioribus potestatibus obedire jubentur, ipsisque sublimioribus potestatibus & magistratibus authoritas est coercendi malefactores Clericos æque ac Laïcos, atque utrosque respiciunt hæc verba Apostoli: *Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est vindex in iram ei qui malè agit.*

Hinc evidendi consequentiâ consequitur à jurisdictione Principum sæcularium nullum Ordinem sacrum per se ne quidem Episcopalem, quemquam à potestate Principis ejusve Magistratûs in causis criminalibus eximere, atque præveniendo omne positivum privilegium Principis cunctos indifferenter sive Clericos sive Laïcos rempublicam turbantes legesve politicas violantes per Principem coerceri in eosque gladio materiali animadvertere tanquam Dei Minister constitutus in iram eis qui malum agunt.

Ad Numerum III.

Exemptio Clericorum in causis criminalibus profluit ex indulto Principis

In textu ostendimus Imperatores Christianos circa causas criminales Clericorum eorumque punitionem & causarum decisionem, plura pro varietate temporum & criminum decrevisse: ut proinde dubium non sit ipsos existimasse etiam causas criminales Clericorum, tanquam qui reipublicæ membra unà cùm Laïcis eam constituunt ad se pertinere; atque sibi jus esse his causis decidendis ac dijudicandis formam præscribere.

Ex his ulteriùs evidenter sequitur exemptionem Clericorum à jurisdictione Laïca etiam in in causis criminalibus, signanter olim de delictis civilibus, non autem Ecclesiasticis agitur non è jure naturali vel divino, neque Ecclesiasticis decretis, sed ex solis Imperatorum & Principum legibus profluere, & de ea statuendum ac judicandum: unde nec de hac exemptione valet authoritas Decretalium sive jus commune canonicum, nisi in quantum illud in hoc articulo est receptum expresso vel tacito Principum concensu.

Unde nec legitur quod primis octo ut minus sæculis aliunde quàm ex Principum ordinationibus exemptio Clericorum etiam in criminalibus fuerit asserta vel petita, sed id demum post evulgatas falsas Decretales, & receptum Gratiani Decretum fieri cœptum est, uti & circa exemptionem Clericorum in causis civilibus contigisse supra notatum est.

Ad Numerum XIV.

Exemptio Clericorum in causis criminalibus non subtrahit Clericos à suprema Principum potestate.

Ex Justiniani Constitutione de qua in textu, intelligitur quod licet Justinianus voluerit ut super crimine, de quo Clericus accusatur, coram judice civili ex sententia judicis civilis ad punitionem Clerici non procedatur, nisi priùs gesta seu acta litis Episcopo fuerint notificata, & Episcopus sententiam judicis civilis justam probaverit: nihilominus patenter indicavit Imperator suam authoritatem in puniendo crimine Clerici accusati omninò salvam manere, dum in casu dissensus inter Episcopum & judicem civilem causam hanc criminalem *ad se* referri voluit suâ authoritate decidendam.

Unde rectè notavit Vir eruditus Paulus Venetus in Tractatu cui titulus: *Considerationes Censurarum Pauli V. Pontificis contra Serenissimam Rempublicam Venetam* apud Melchiorem Goldastum tom. 3. *Monarchiæ pag.* 299. quod qui Constitutiones legerit Imperatorum, quibus exemptio Clericorum à judicio Magistratuum civilium sive in causis criminalibus legitur indulta facilè inveniet & plenariè informabitur, quod exemptio Ecclesiasticorum fuerit *gratia* ab Imperatoribus facta, & certior, ait etiam inde fiet, quod *licet exemptionem à potestate sua Magistratus Clericis* concesse-

concesserint, suprema tamen suæ Majestatis neminem immunem fecerint: "Ut ita (inquit idem Author)" cùm principatui potestas illa puniendi "quoscunque contra leges committentes *inseparabiliter* sit conjuncta, quod idem est ac si dicas, "Principem in suo statu hunc vel illum in causis "sæcularibus non habere subjectum, & in quocunque etiam alio bonum publ cum concernente, in quantum Princeps non est. Nam quemadmodum corpus naturale consistere nequit, quod "partem aliquam ad suî integritatem non pertinentem in se habet, ita etiam & multò minùs "durare corpus civile, quod in medio suî talem "aliquam personam habet, quæ in rebus humanis & sæcularibus alium præter suum Principem recognoscit.

Exemptio Clericorum in causis criminalibus provenit ex indulto Principis

Similiter Clarissimus Guillelmus Barclaius in suo Tractatu de potestate Papæ *c.* 33. postquam in præcedentibus probaverat tum ex allegato textu Apostoli ad Romanos *c.* 13. tum ex SS. Patribus & celebrioribus Theologis Christianos omnes tam Clericos quàm Laicos in Regum ac Imperatorum manu ac potestate fuisse, quamdiu fuit Ecclesia sub Ethnicis Principibus, postea ad Fidem conversis Imperatoribus etiam Clericos omnes eodem ordine & loco mansisse, quantum ad subjectionem temporalem Principibus Christianis subjectos, quo fuerant sub Principibus Ethnicis, eò quòd lex Christi neminem jure dominioque suo privet, concludit non tantùm omnem exemptionem Clericorum in causis civilibus & delictis non merè Ecclesiasticis à Principum liberalitate & authoritate emanare, sed insuper quod non obstantibus omnibus privilegiis exemptionum à foro sæculari per Principes hactenus concessis cuncti Clerici cujuscunque conditionis & status in ditionibus Principum sæcularium morantes, à potestate & jurisdictione ipsorum Principum non sint *omninò* exempti, sed debeant ii tanquam membra & cives Reipublicæ non secùs ac Laici supremam Principis authoritatem circa ea, quæ civile & politicum Reipublicæ regimen spectant, recognoscere, eique obedientiam exhibere.

Exemptio Clericorum in causis criminalibus non derogabit Clericos supremæ Principum potestate.

Neque enim, ut idem Author rectè advertit, privilegia Principum, quibus Clericis exemptionem à Magistratibus suis civilibus indulserunt, inferunt exemptionem à *suprema Principum potestate*, "legantur enim, (ait Barclaius) quæ de "privilegiis illis scripta sunt, ne minimum quidem "in iis tantæ libertatis testimonium reperitur: id "tantùm Clericis largiti sunt, ne apud Magistratus sæculares, sed apud proprios Episcopos & Judices Ecclesiasticos conveniantur. Hoc autem "non est eximere Clericos de potestate ipsorum "Principum aut eorum Jurisdictioni, Judicioque "præjudicium facere, si aliquando illis libitum "fuerit de causis Clericorum cognoscere, quæ "modò merè spiritualia non sunt.

" Imò, ut ibidem reflectit Barclaius, non potuerunt Principes, nec adhuc possunt Clericos in "suis regnis constitutos eâ libertate donare, ne "ipsi potestati sæculari subsint, neve delinquentes "ab iis judicari & puniri possint, nisi eâdem operâ "sese principatu atque imperio abdicent: est enim "proprium principium & inseparabile animadvertere posse in delinquentes & omnia Reipublicæ membra, cives inquam omnes pœnis & "præmiis legitimè gubernare.

Et sanè enim omnes recognoscant & fateantur, Clericos non secùs ac Laicos esse membra & cives ejusdem Reipublicæ, atque unum corpus politicum unà cum Laicis constituere meritò concludit idem Vir Clarissimus, "Quòd ergo & cives "& Reipublicæ politicæ partes Principi subsint, "nec possint ei in temporalibus, quamvis id ipse "vellet, non esse subjecti; alioquin verò aut ipse "Princeps non esset, aut non illi cives. De hac alva suprema Principum potestate in quoscunque Clericos gravium criminum reos non obstantibus privilegiis & exemptionibus tractat quoque Michaël Roussel in Hist. Pont. Jurisdictionis *l.* 4. *c.* 3. *n.* 9 & *seq.* qui postquam multis exposuisset hoc privilegium Clericorum, tandem *n.* 49. hoc subjungit monitum: "Sciant Ecclesiastici vel priores illorum, istud non adeò valere, quin prævaleat Regum, sub quibus degunt potestas qui, "prout lubet, hanc sinunt prærogativam suas "habere partes.

Huic etiam principio innititur hodierna omnium penè regnorum praxis, quòd si contingat oriri controversiam inter Magistratum civilem & Judicem Ecclesiasticum super competentia fori sive, ut loquuntur, inter ipsos sit *conflictus jurisdictionis*, decisio hujus controversiæ deferatur ad ipsum Principem vel ejus supremum Conciliũ: eò quòd à Principe omnis Jurisdictio contentiosa, quæ circa externam politiam versatur, dimanare, & à Principe nunquã totaliter abscedere credatur.

CAPUT II.

Ad Numerum III.

Authoritas Principum in limitanda exemptione Clericorum.

Ex annotatis ad *cap.* 1. Tituli 1. hujus partis, necnon ad *n.* 14. capitis præcedentis habetur, quòd exemptio Clericorum tam in civilibus quàm in criminalibus causis non tantùm ex Principum benignitate & voluntate tacitâ vel expressâ, originem suam habeat, sed insuper, quod non obstantibus omnium exemptionum privilegiis maneat salva *suprema* Principum authoritas & imperium in Clericos tanquam Reipublicæ cives & membra, ad ea, quæ regimen externum & politicum spectant.

Si igitur Principes intelligant exemptionem, quâ hactenus gavisi sunt politico & recto Reipublicæ regimini plurimum officere, ipsamque Clericorum à jurisdictione & coërcitione Magistratuum sæcularium exemptionem fovere crimina ob eorum impunitatem, atque hanc subministrare incentivum delinquendi, quidni Principes possint, quin & subinde teneantur pro temporum & rerum circumstantiis hæc exemptionum privilegia suâ authoritate limitare, atq; circumscribere & quædam crimina excipere, & formam & modum de his cognoscendi & judicandi præscribere.

Dolendum sanè etiam hodie Episcopos & Prælatos frequentiùs majori zelo pro tuenda Clericorum exemptione fervere, quàm ad criminum correctionem & castigationem, de quibus meritò dicitur, quod de similibus suo tempore scribebat Guillelmus Nubrigensis *lib.* 2. *cap.* 16 "quod "dum defendendis magis Clericorum libertatibus quàm eorum vitiis corrigendis resecandisque invigilant, arbitrentur, obsequium se præstare Deo & Ecclesiæ, si facinorosos Clericos, "quos pro officii debito Canonicæ rigori censuræ "subjicere vel nolunt vel negligunt, contra publicam tueantur disciplinam.

Neque in restringendis hisce privilegiis & atrocioribus delictis ad sua Tribunalia revocandis, dum intelligunt finem indultorum privilegiorum cessare, Principes suam non excedere potestatem, neque immunitati aut libertati Ecclesiæ quidquam detrahere ex notatis ad *num.* 4. capitis præcedentis facilè intelligi potest.

Ad

Ad Numerum V.

Nimia exemptionum extensio.

Ex Decretis Synodorū contra Laicos, qui Clericos ob delicta commissa punire præsumerent de quibus in textu intelligitur quòd exemptio Clericorum in causis criminalibus tum temporis summum incrementum cepisset: imò adeò quidem invaluerat circa hæc sæcula maximè post editas Decretales Gregorii IX. exemptio Clericorum præsertim in causis criminalibus à foro sæculari ut passim Doctoribus (qui penè unicè hisce Decretalibus insistebant) persuasum esset, eam exemptionem esse *Juris Divini*; & consequenter nulli humanæ constitutioni ac præsertim Laicæ esse subjectam, ipsasque Magistratuum civilium aut etiam Principum Ordinationes aut placita huic exemptioni quacunque ratione contraria esse mera attentata, utpote huic immunitati divinâ ordinatione inductæ opposita, ut proinde mirum non sit, quòd, dum Principes & Magistratus civiles crimina Clericorum ad conservandam pacem & tranquillitatem Reipublicæ ad sua Tribunalia revocare voluerunt, nonnunquam zelo indiscreto sese opposuerunt Episcopi ac notanter Romani Pontifices, variasque Principes passi sint oppositiones, atque variis modificationibus pro temporum & locorum circumstantiis uti debuerint, quemadmodum & in causis civilibus eos uti debuisse ostensum est.

Ad Numerum XXIV.

Authoritas Principis circa crimina privilegiata.

Ex iis, quæ in textu de crimine *privilegiato*, necnon de modo de hoc crimine judicandi in Gallia per varia Regum Edicta fuere ordinata, necnon de Cleri Gallicani pro eorum Edictorum obtinenda mitigatione ad Regem recursu manifestum est, Reges non dubitâsse, quin sibi competeret authoritas privilegia exemptionis restringendi & quædam atrociora crimina justis de causis sibi reservandi, modumque præscribere procedendi contra similium criminum reos, ipsumque Clerum Gallicanum per suum ad Regem recursum eam in Rege authoritatem palam agnovisse.

Ad Numerum XXXI.

Princeps quædam crimina cognitioni suorum Magistratuum reservans libertati Ecclesiæ non officit.

Quod hîc dicitur per distinctionem delictorum vulgò *privilegiatorum*, in ea, de quibus solus Judex Regius cognoscit, & in ea, de quibus Judex Ecclesiasticus unà cum Judice Regio judicat detractam esse Jurisdictioni Ecclesiasticæ intelligi debet de Ecclesiastica Jurisdictione prout hæc sensim tum ex gratia & privilegio Principum, tum postremis sæculis per Decretales Pontificum ad omnia Clericorum delicta fuerat protensa, de reliquo nihil Jurisdictioni aut libertati Ecclesiæ per Principes hac criminis distinctione detrahi, ex notatis ad præcedens caput intelligi potest, ubi notatum fuit, non obstantibus omnibus privilegiis per Principes Ecclesiæ indultis, semper mansisse integram supremo Principi authoritatem vindicandi & puniendi delicta atrociora Clericorum Rempublicam curæ suæ commissam perturbantia.

Ad Numerum XLIV.

In Hispania jam pridem nota crimina privilegiata.

In Belgio quædam esse crimina privilegiata in textu notatum est. In Hispania jam pridem etiam fuisse quædam crimina privilegiata intelligimus ex literis Francisci de Vargas è Concilio Tridentino 26. Nov. 1551. datis ad Episcopum Attrebatensem, in quibus scribit per Legatum Pontificis Concilio præsidentem inter articulos reformationis in proxima Sess. 14. promulgandos fuisse propositos quinque articulos exemptionem Clericorum & immunitatem Ecclesiasticam concernentes, quorum quartus hic erat: "Nemo Lai„cus cujuscunque dignitatis prætextu, cujuscun„que privilegii vel consuetudinis contra in sacris „constitutos etiam in actionibus criminalibus „procedere possit. Scribit autem De Vargas quòd hisce articulis magna fuerit facta oppositio, ac præsertim per Franciscum de Toledo Oratorem Regis Catholici, ob præjudicium inferendum Jurisdictioni Regiæ in puniendis atrocioribus delictis Clericorum, si hi articuli per Concilium approbarentur, ac signanter per dictum articulum quartum, qui, ut notat De Vargas esset perniciosæ consequentiæ, ac nominatim cederet in notabile præjudicium Catholicæ suæ Majestatis & suorum regnorum "Habemus enim in Hispania „(ait) ordinationes Regias, privilegia, laudabiles „& vetustas consuetudines, quæ per hunc prætensum articulum à Legato Pontificio propositum „evertuntur. Insuper (prosequitur De Vargas) „articulus hic contrarius est stylo modoque pro„cedendi, qui ab antiquo fuerant observati & ha„ctenus observantur in Parlamentis & Curiis „Regiis: in his enim cognoscitur de omnibus „violentiis; citantur & exilio mulctantur omnes „Ecclesiastici turbantes pacem & tranquillitatem „publicam; item opponentes & rebellantes con„tra Jurisdictionem Regiam; item, qui crimina „enormia commiserunt, & pœnas criminum non „luerunt, item contravenientes Edicto Madri„tensi, quo vetitum est conferre Beneficia non re„gnicolis sive extraneis, aut pensiones Beneficiis „imponere. Item attentantes contra Jura & pri„vilegia regni aut alia similia perpetrantes.

Notat autem De Vargas, quòd hic stylus & modus procedendi contra facinorosos Ecclesiasticos similium criminum reos debeat potiùs dici conservatio, defensio & protectio status politici ejusque privilegiorum, quàm violatio & usurpatio immunitatis & Jurisdictionis Ecclesiasticæ.

Hinc intelligimus etiam jam pridem Reges Catholicos ad conservandam tranquillitatem, necnon Jura & privilegia suorum Regnorum, nonnulla crimina Ecclesiasticorum sibi suisque Conciliis ac Parlamentis reservâsse.

Ex hac insuper Epistola De Vargas intelligimus per hanc oppositionem Oratorum, præsertim Regis Catholici factum esse, ut hi articuli è numero articulorum reformationis fuerint expuncti, indeque contigisse, quòd inter Decreta reformationis *Sessione* 14. nihil de his occurrat.

CAPUT III.

Ad Numerum XXVII.

Edicta Principum præcipuè attendenda circa privilegium fori.

HOc Capite citantur aliquæ resolutiones sanctæ Congregationis Cardinalium, ut probetur, qui Clerici hodie ex Decreto Concilii Tridentini gaudeant privilegio *fori*. Verùm notandum, circa has quæstiones de privilegio *fori* magis attendenda esse Principum Edicta & mores singularum Provinciarum quàm similia Decreta aut declarationes Romanas, eò quòd hæc Clericorum exemptio seu privilegium *fori* præcipuè à Principum voluntate dependeat.

CAPUT

CAPUT IV.

Ad Numerum VII.

Canon Sardicensis permittens renovari judicium Synodi Provinciæ tantum fuit provisionalis.

IN textu dictum est in Concilio Sardicensi suggerente Osio Episcopo Cordubensi factam esse facultatem Episcopo in Synodo Provinciæ damnato recurrendi ad Episcopum: sed notandum, quòd hæc permissio ex mente Concilii Sardicensis non fuit nisi *provisionalis* ac temporis necessitate exigente per Osium suggesta. Unde nec eam permissionem quin nec authoritatem Canonum Sardicensium agnoscere Patres Africani, sed Nicænis Canonibus inhærere voluerunt, uti ostenditur in Scholiis ad Canones Africanos signanter Concilii VI. Carthaginensis.

Ad Numerum XVI.

Canon Sardicensis per Isidorum in alienum sensum inflexus & à Romanis impensus.

In textu observatum fuit causas Episcoporum in Synodis Provincialibus fuisse examinatas & definitas usque ad nonum circiter sæculum, quo prodiit nova quædam Canonum collectio vulgò *Isidori mercatoris*, cui hic impudentissimus falsarius inseruit non tantùm confictas Decretales sub nomine primorum Pontificum Romanorum à Clemente usque ad Siricium (uti in textu notatur) sed & plures Synodorum Canones in alienum sensum detorsit, & in suam collectionem sic detortos transtulit, idque vel præcipuè ad amplificandam Sedis Apostolicæ authoritatem & signanter in examinandis & definiendis causis Episcoporum.

Hunc in finem *Canonem* 3. Sardicensem ita expressit, ut non obscurè significetur Patres Concilii Sardicensis detulisse Romano Pontifici *judicium* de justitia vel injustitia sententiæ in Synodo Provinciali contra Episcopum prolatæ: quasi scilicet Romanus Episcopus causam examinaret, judicaretque num sententia contra Episcopum prolata justa vel injusta esset. Ita enim legit: *Osius Episcopus legit; quòd si aliquis Episcopus adjudicatus fuerit in aliqua causa. & putet se aliquam causam habere, alterum judicium renovetur. Si vobis placet, sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur vel ab his, qui excommunicaverunt, vel etiam ab aliis Episcopis, qui in Provincia proxima Romano Episcopo, & si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, & det judices. Si autem probaverit talem causam, ut ea non refricentur, quæ acta sunt, quæ decreverit Romanus Episcopus, confirmata erunt. Si hoc ergo placet omnibus, statuatur. Synodus respondit: placet.* Apud Gratianum 6. *Quæst.* 4. *can.* 7.

Verba enim illa: *quæ decreverit Romanus Episcopus, confirmata erunt*, innuunt, Romano Episcopo delatum fuisse judicium de ipsa causa Episcopi cognoscendi, contra verum & genuinum sensum Canonis patrum Sardicensium mentem, qui duntaxat à Romano Episcopo postulandum judicârunt, ut examinaret, utrum post latum judicium in Synodo Provinciali contra Episcopum causa esset rursus revidenda & renovanda, & si Romanus Pontifex censeret non renovandum, tum *prius* judicata firma manerent, uti num. 9. fuit expositum & probatum hanc esse veram Canonis lectionem, quam exhibent tam Græcæ quàm Latinæ lectiones, atque præ cæteris lectio Gentiani Herveti: ut inde manifestum sit falsarium illum verba Canonis in gratiam Romani Pontificis in alienum sensum detorsisse.

Quemadmodum autem à Romanis Pontificibus, præsertim à tempore Nicolai I. confictæ Decretales, sub nomine primorum Romanorum Pontificum, tanquam vera & authentica illorum Pontificum Decreta propugnata & proposita fuère, & ad asserenda jura Sedis Apostolicæ assumpta, ita quoque & Canones Conciliorum, tametsi in alienum sensum in hac collectione inflexi, à Romanis Pontificibus pro tuenda Sedis Apostolicæ authoritate impensi fuère.

Verùm sicuti non defuère sub idem tempus, qui epistolarum illarum authoritatem admittere recusârunt, eò quòd in Codice Canonum scilicet Dionysii Exigui (qui tum temporis pro Codice Canonum in Gallia receptus erat) non continerentur; ita & Canones in sensum alienum in hac Collectione Isidori detorti, ab iisdem non admittebantur, sed eos prout in dicto Codice Dyonisii expressi legebantur, observandos contendebant.

Hujus rei exemplum occurrit in causa Hincmari Episcopi Laudunensis circa annum 865.

Hinc enim de pluribus criminibus accusatus, à suo Metropolitano Hincmaro Remensi ad Synodum Episcoporum evocatus, suæ causæ non satis fidens, priusquam sententia contra ipsum pronuntiaretur ad Romanum Pontificem Adrianum II. appellandum censuit: idque authoritate Canonum Sardicensium. Verba appellationis erant: *Alioquin secundum sacros Canones & Decreta sanctæ Sedis Romanæ Pontificum* BEATI PETRI APOSTOLI MEMORIA HONORETUR, *& ut mihi ulla ab ullo violentia inferatur propriâ voce atque libello* SEDEM APOSTOLICAM APPELLO, *& hanc possessionem atque appellationem meam Domino nostro Regi Christianissimo à Primate Provinciæ meæ cui hanc porrigo, dari deposco.*

Nihil evidentiùs, quâm hîc alludi ad Canones Sardicenses his verbis: *Beati Petri Apostoli memoria honoretur*, quæ ab ipso Osio in Concilio Sardicensi impensa fuère? ut hoc colore causam Athanasii, aliorumque Episcoporum orthodoxorum Orientalium ad Romanum Pontificem trahere posset.

Appellationem ab Hincmaro Lugdunensi interjectam libenter suscepit Adrianus II. eumque ut eam coram se prosequeretur, Romam evocavit.

Verùm Episcopi Gallicani, ac præ cæteris Hincmarus Remensis Archiepiscopus, cui ut Metropolitano suberat Laudunensis, eam appellationem tanquam frustratoriam & sacris Canonibus adversam rejicientes, contra prædictum Hincmarum Lugdunensem processerunt; atque tandem in Synodo Duziacensi anno 871. sententiam depositionis protulerunt.

Porrò ex Actis Synodi habetur Episcopos Gallicanos authoritatem Canonum Sardicensium eo tempore admisisse quidem. sed prout hi Canones in Codice Canonum vulgò Dyonisii exigui legebantur, uti & in ipsa Synodo relecti ab Aldagario Diacono fuère: quin & in sententia nominatim declarârunt se velle reservata per omnia juris pri„vilegia Domini & Patres nostri Adriani Aposto„licæ ac primæ Sedis Papæ, sicut sacri Sardicenses „Canones decreverunt. Nimirum ut post sententiam contra Episcopum in Synodo Provinciali per Episcopos prolatam, integrum esset juxta Canones Sardicenses, rursus in Provincia judicium renovari, si Episcopo Romano visum esset judicium esse renovandum, prout Hincmarus Remensis ad ipsum Pontificem rescripsit; & ipsa Synodus Duziacensis in sua Synodo ad eundem clarissimis terminis expressit.

Rogat

Rogat enim imprimis, ut sententiam contra Laudunensem Episcopum à Synodo prolatam, suâ velit authoritate roborare, ac deinde subjungit: "Et si forte, quod non putamus, visum vo„bis necessariò fuerit, ut secundùm Sardicenses „Canones renoveris judicium, & detis judices "scribendo Episcopis, qui in finitimis & vici"nis Provinciis sunt, ut & ipsi diligenter om„nia requirant, & juxta fidem veritates defini„ant: vel si decreveritis mittere à latere ve„stro habentes authoritatem vestram, qui cum "Episcopis judicent, *eo in gradu adhuc non "restituto* sicut sacri Sardicenses Canones præ„cipiunt, non abnuimus tom. 8. Concil. General. „col. 1656.

Non abnuerunt igitur Episcopi Gallicani, ut post latam sententiam, conformiter ad Canones Sardicenses, judicium in Provincia rursus renovaretur, si ita Romano Pontifici visum fuisset, sed illud Patribus etiam Sardicensibus adversum arbitrantur, quod ad Sedem Apostolicam causæ Episcoporum per appellationem etiam ad *effectum suspensivum* trahi possent, ipsamque causam extra Provinciam dijudicari.

Unde in eadem Synodica super articulo de non evocanda causa extra Provinciam aut infirmandâ sententiâ Synodi ante renovatum judicium, ipsos Canones Sardicenses inviolatos servari rogant. "Verumtamen (inquiunt) „quantâ possumus devotionis humilitate de"poscimus, ut etiam in causa canonicam defi"nitionem servetis: videlicet, si, quod non „credimus ea, quæ regulariter definivimus, „prout sacras regulas intelleximus, vobis præ„sentialiter non placuerit, vestrâ sententiâ ro"borate, non aliter Communioni Sacerdotali, "à qua separatus est, restituatur, *antequam se„cundùm regulas & leges in Provincia*, in qua „causæ gestæ & judicatæ sunt, requirantur. „Quia usque ad nostra tempora, nullâ Patrum definitione hoc Ecclesiis Gallicanis & Belgicis est derogatum.

Ex his aliisque ad *num.* 22. notatis, intelligitur non sine fundamento à quibusdam esse inter præcipua fundamenta, quibus Romani Pontifices causas Episcoporum ad se traxerunt, fuisse Canones Sardicenses, quos jam pridem Patribus Africanis pro Canonibus Nicænis in causa Apiarii Presbyteri Zozimus Papa ejusque Successores Bonifacius & Celestinus per suos Legatos submiserunt, quemadmodum in scholiis ad Canones Africanos observavimus, ac deinde eosdem in alienum sensum ex versione Isidori detortos eundem in finem impenderunt.

Ad Numerum XXI.

Canones Sardicenses per Gregorium IV. pro asserenda Episcoporum appellatione impensi.

Ostensum fuit tum in textu tum in annotatione ad *numerum* 16. hujus capitis Romanos Pontifices post publicatam collectionem vulgò Isidori ad vindicandum Sedi Apostolicæ causas Episcoporum, non tantùm impendisse confictas Decretales ad hanc collectionem per falsarium in alienum sensum detortos, & in suam collectionem conjectos.

Et quidem Canones Sardicenses per Gregorium IV. (in textu per errorem legitur VI) ad quem Aldricus Cenomanensis appellaverat fuisse impensos ex verbis epistolæ & fragmenti apud Gratianum relati (de quibus in textu) evidens est: quin ex iis adstruxisse jus Episcoporum appellandi à Synodo Provinciali ad Sedem Apostolicam, etiam ante sententiam per Synodum Provincialem prolatam, & quidem eo effectu, ut per hanc ad Sedem Apostolicam appellationem authoritas Synodi Provincialis pronuntiandi contra Episcopum pendente appellatione suspenderetur, & sententia Romani Pontificis, ejusve Legati expectanda esset. Verba Epistolæ sunt: "Mandamus, ut, „si aliquis, quod non optamus, suorum æmu"lorum Aldaricum Canonicæ Ecclesiæ Episco"pum accusare damnabiliter attentaverit, *ut „honoretur Beati Petri Apostolorum Principis „memoria*, Ecclesiæque Romanæ, cui præse„dit privilegium & nostri nominis authoritas, "liceat illi post auditionem Primatum Dioece"seos, si necesse fuerit nos appellare & nostrâ „authoritate, aut ante nos aut ante Legatos „*nostro ex latere missos juxta Patrum Decre„ta* suas exercere atque finire actiones. Hic alludi ad Canones Sardicenses, eosque in alienum sensum detorqueri evidens est. Patres Sardicenses enim nonnisi ex quadam humanitate & reverentiâ erga Sedem Petri, necnon ob necessitatem temporis ad honorandam Petri memoriam statuerunt, ut, postquam Episcopi in sua Provincia essent damnati, posset scribi ad Romanum Pontificem, ut hic non de causa principali sententiam ferret, sed duntaxat examinaret, utrum causa hujus Episcopi in Provincia rursus esset examinanda, sive *judicium renovandum*: interim *firmâ* manente priori sententiâ, donec Romanus Pontifex judicasset judicium renovandum, & in hoc novo judicio prior sententia esset retractata, uti *numero* 9. fuit expositum, & latiùs in Scholiis ad hos Canones & in nota ad *numerum* 16. ostensum fuit Pontifices hunc perversum Canonum Sardicensium sensum authoritate Collectionis Isidorianæ unà cum falsis Decretalibus in ea contentis ad stabiliendam authoritatem Sedis Apostolicæ assumpsisse.

Ad Numerum XXII.

Episcopum sine authoritate Romani Pontificis deponi non posse asseritur authoritate falsarum Decretalium.

Ex Actis Concilii Remensis, in quo causa depositionis Arnulphi Archiepiscopi Remensis agitata fuit, habemus inter Patres quoque agitatum fuisse, utrum penes Concilium esset authoritas deponendi Episcopum, non interveniente sententiâ Romani Pontificis. Ad hæc ex iisdem Actis habetur, pro asserenda Romani Pontificis authoritate adductas fuisse falsas Decretales, quas Isidorus Mercator orbi obtruserat, & adnitentibus Romanis Pontificibus, notanter Nicolao I. in authoritatem erant receptæ.

Hoc autem & ex iisdem Actis constat non defuisse etiam tunc temporis Episcopos, qui authoritatem Synodorum Episcopalium in deponendis Episcopis conformiter ad Nicænos Canones salvam esse sustinerent, neque Decreta Pontificum hisce Canonibus posse derogare. Pro hoc jure Synodorum sustinendo acriter & vehementer peroravit in eadem Synodo Arnulphus Aurelianensis Episcopus, qui honorandam quidem memoriam sancti Petri & Decreta Romanorum Pontificum veneranda ac reverenter suscipienda præmonuit: "Sed (ait) „salvâ authoritate Nicæni Concilii, quòd eadem Romana Ecclesia semper venerata est,

statuta

statuta etiam sacrorum Canonum diversis temporibus sub eodem Spiritu Dei conditorum in æternum valere præcipimus, ab omnibus servanda censemus. Deinde monet, quòd magnopere providendum sit, si Romani Pontificis nova Constitutio, promulgatis legibus Canonum præjudicare potest; nihil profuturas leges conditas cùm ad unius arbitrium omnia dirigantur.

Ex discursu Arnulphi Episcopi Aurelianensis habetur, quòd eo tempore, id est sub finem sæculi X. falsæ Decretales etiam ab Episcopis Gallicanis, ut *veneranda Romanorum Pontificum Decreta* admitterentur: id unum contendentibus Episcopis Gallicanis, hæc Decreta Romanorum Pontificum non potuisse convellere Canones *Nicænos*, qui authoritatem deponendi Episcopos Synodis provincialibus detulerant.

Verùm semel receptis his Decretalibus, tanquam genuinis literis seu Decretalibus Romanorum Pontificum, quorum nomina præferebant, haud difficile fuit Romanis Pontificibus sustinere, quòd, quæ in hisce Decretalibus Sedi Apostolicæ reservata asseruntur, ex Apostolica traditione descendunt, atque ita quasi à Christo fuissent reservata Sedi Apostolicæ.

Et scitur, quòd post receptas has Decretales persuasum fuerit permulta ex traditione Apostolica, Sedi Apostolicæ esse reservata, quæ demum sæculo IX. authoritate harum Decretalium reservari cœperunt, inter quæ etiam depositio Episcoporum, quæ ut minus per IX. sæcula authoritate Synodi provincialis absque interventione Sedis Apostolicæ facta scitur: uti notatum in hoc Supplemento ad part. 1. *tit.* 15. *cap.* 5.

TITULUS IV.

De Delictis Ecclesiasticis.

CAPUT II.

Ad numerum IX.

Error aut dissensio circa dogma nullum reddit hæreticum nisi ut dogma fidei ab Ecclesia fuerit propositum.

IN textu observatum nihil ut fidei dogma à fidelibus habendum nisi quod Ecclesia Catholica ut fide credendum proposuit.

Hâc ratione semper existimatum fuit, nullum ob id posse argui hæreseos, quòd super quæstione etiam *dogmaticâ* diversum sententia, quàm Apostolica Traditio habeat, si super ea quæstione ipsa Ecclesia Catholica, nondum quid Traditio Apostolica habeat, quidque ex Traditione illa credendum & tenendum sit, declaraverit, & fidelibus proposuerit.

Illustre illius exemplum habemus in quæstione, quæ sæculo III. acriter disputata fuit, notanter inter sanctum Cyprianum & Episcopos Africanos, necnon sanctum Firmilianum Cæsareæ in Cappadocia Episcopum cum aliis Orientalibus ab una & sanctum Stephanum Episcopum Romanum cum pluribus aliis Occidentalibus Episcopis ab altera, utrum nimirum ab hæresi aut schismate ad Ecclesiam Catholicam revertentes, & ab Hæreticis vel Schismaticis baptizati rursus in Ecclesia Catholica essent baptizandi.

Sustinebat enim Cyprianus cum suis baptismum ab Hæreticis aut Schismaticis collatum invalidum esse, & accedentes ad Ecclesiam Catholicam tametsi apud Schismaticos aut Hæreticos baptizatos debere baptizari.

Et quidem consultus à Januario aliisque octodecim Episcopis Provinciæ Numidiæ (qui & ipsi sustinebant baptismum ab Hæreticis aut Schismaticis esse nullius effectûs, ideoque & hujusmodi revertentes ad Ecclesiam baptizandos censebant) quid ipse aliique cum ipso in Synodo congregati Episcopi super hac quæstione censerent, responsum fuit nomine Synodi Episcoporum, relatis eorum literis, quòd "idem cum ipsis „sentiant, & quidem sententiam hanc non esse „novam, sed jam pridem ab Antecessoribus suis „statutam; & à se servatam asserere non dubi„tant. Sententiam nostram (inquiunt) non no„vam promimus, sed jam pridem ab antecessori„bus nostris statutam, & à nobis observatam „pari consensione conjungimus, censentes scili„cet & pro certo tenentes neminem foris baptiza„ri extra Ecclesiam posse.

Eandem suam sententiam rursus sanctus Cyprianus unà & 71. Episcopi Africani in altera Synodo congregati confirmârunt atque resolverunt " eos *qui sunt foris extra Ecclesiam* tincti „& apud Hæreticos & Schismaticos profanæ „aquæ labe maculati, quando ad nos (ajunt(„atque Ecclesiam, quæ una est, venerint baptizari „oportere. Hanc suam Synodalem resolutionem per Epistolam Synodicam (quæ est 72. inter Epistolas sancti Cypriani) significârunt Stephano Episcopo Romano eidem adjungentes exemplar Epistolæ sancti Cypriani ad Quintum: nec-non Epistolam Synodicam prioris Concilii ad ejus conscientiam & pro honore communi & simplici dilectione protulerint: *credentes etiam tibi pro Religionis tuæ & fidei veritate placere, quæ & religiosa pariter vera sunt.*

Sed cùm dubitarent, num Stephanus cum aliis Occidentalibus Episcopis pluribus, hanc ipsorum resolutionem & praxim baptizandi revertentes ad Ecclesiam ab hæresi aut schismate, licet jam ab Hæreticis aut Schismaticis baptizatos approbaturus esset, utpote quem verisimiliter sciebant oppositum sentire, & ejusmodi revertentes sine novo baptismate recipere Epistolam suam hâc simili precatione concludendam censuerunt: „Cæterum scimus quosdam, quòd semel imbibe„runt nolle deponere, nec propositum facilè mu„tare, sed salvo inter Collegas pacis & concordiæ „vinculo, quædam propria, quæ apud se semel „sunt usurpatâ retinere: qua in re (inquiunt) nec „nos vim unquam facimus, aut legem damus, „cùm habeat in Ecclesiæ administratione volun„tatis suæ arbitrium liberum unusquisque præ„positus rationem actûs sui Domino redditu„rus.

Hujus Epistolæ ad Stephanum ac notanter finalis hujus protestationis meminit sanctus Hieronymus in Dialogis adversus Luciferianos.

Post hæc consultus sanctus Cyprianus super eadem quæstione à Jubajano Episcopo, ut eum instrueret super hac quæstione imprimis ei communicavit exemplar Epistolæ Synodicæ primi Concilii ad Episcopos Mumidiæ, item quam ipse

V. Espen. Supp. in Jus Eccl. N Cypria-

Cyprianus super eadem quæstione scripserat ad Quintum Episcopum, necnon Decretum Synodi 71. Episcoporum quo, prioris Synodi super hac quæstione Decretum confirmabatur, quibus adjungit longam Epistolam, in qua multis authoritatibus & rationibus suam conatur adstruere opinionem & praxim; sed tamen ut ostendat, se nolle cum iis, qui contrarium existimant baptismumque ab Hæreticis aut Schismaticis collatum validum reputant scissuram facere, & vinculum unitatis scindere, aut quemquam cogere in suam opinionem descendere, hâc rursus protestatione Epistolam concludendam censuit: "Hæc tibi breviter „pro nostra mediocritate rescripsimus, Frater cha-„rissime, nemini præscribentes aut præjudicantes, „quominus unusquisque Episcoporum, quod pu-„tat, faciat, habens arbitrii sui liberam potestatem. „Nos quantum in nobis est, propter Hæreticos „cum Collegis & Coepiscopis nostris non conten-„dimus, cum quibus divinam concordiam & do-„minicam pacem tenemus, maximè cùm & Apo-„stolus dicat: Si quis autem putatur contentiosus „esse, nos talem consuetudinem non habemus ne-„que Ecclesia Dei. Servatur à nobis patienter & „firmiter caritas animi, Collegii honor, vinculum „fidei & concordia Sacerdotis.

Hujus quoque protestationis mentionem facit sanctus Hieronymus in Dialogis adversus Luciferianos, ut probet Cyprianum ea, quæ de baptizandis revertentibus ab hæresi scripserat, non cum anathemate in eos, qui se sequi noluerant edidisse, sed in eorum communione permansisse, qui sententiæ suæ contrarii erant.

Ejusdem humillimæ ac charitatis plenæ protestationis meminit Augustinus *lib.* 4. de Baptismo contra Donatistas *cap.* 8. eamque ut plenam charitate, quâ diversa sentientes in charitate toleravit, ibidem laudat.

Intereà quo Cyprianus & Episcopi Africani synodaliter congregati conantur rationibus & authoritatibus suam de invaliditate baptismi ab Hæreticis collati opinionem firmare, aliosque ad hanc suam sententiam inclinare plurimi Episcopi huic se opinioni tanquam Traditioni Apostolicæ contrariæ acriter opposuerunt, ac signanter S. Stephanus Episcopus Romanus receptis literis Concilii Africani eam tanquam Traditioni Apostolicæ adversam fortiter rejecit in literis suis ad S. Cyprianum, in quibus pro fundamento posuit hoc tantoperè laudatum & probatum fidei nostræ fundamentum: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est.*

Imò nec contentus Stephanus suam de hac quæstione admodum intricatâ, & necdum per Ecclesiam decisâ, exponere, rationibus & authoritatibus firmare sententiam, sed ulterius progressus eam quasi authoritatem habens ab omnibus recipiendam præcipit: quemadmodum teste Augustino *lib.* 5. de Baptismo contra Donatistas *cap.* 23. ipsemet Cyprianus apertè significavit in literis suis ad Pompejum. Quin & eodem teste Augustino lib. citato *cap.* 25. Stephanus etiam abstinendos putaverat, qui de suscipiendis Hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur.

His literis Stephani Episcopi Romani non nihil quidem irritatus fuisse videtur Cyprianus, ex iis, quæ scribit ad Pompejum, qui ab ipso postulaverat certior fieri de iis, quæ à Stephano super hac de baptismo Hæreticorum controversia scripta essent: in hac enim Epistola ad Pompejum hæc de Stephano habet: "Sed exemplar literarum Stepha-„ni mittere, quo lecto (ait) magis ac magis ejus er-„rorem denotabis, qui Hæreticorum causam „contra Christianos & contra Ecclesiam Dei asse-„rere conatur; nam inter cætera vel superba vel „ad rem non pertinentia vel sibi ipsi contraria, „quæ imperitè atque improvidè scripsit, etiam „illud adjunxit, ut diceret: *Si quis ergo à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cùm ipsi Hæretici propriè alterutrum ad se venientes non baptismi, sed communicent tantùm.*

Cyprianus tamen in hac inter Episcopos agitatâ quæstione & contrariâ praxi veritatis amore, cùm viderit suam opinionem non obstantibus, quæ in Synodis Africanis pro ea fuerant adducta, à pluribus Episcopis ac notanter à Stephano primæ Sedis Episcopo tanquam novam & Traditioni Apostolicæ contrariam rejici, & damnari, penitus de veritate inquirere statuit: eamque ob causam numerosam ex Africæ Provinciis Synodum cogendam duxit, ad quam convenerunt 85. vel ut Pamelius numerat 87. Episcopi præter Presbyteros & Diaconos, præsente etiam plebis maximâ parte. In hac Synodo ante omnia prælectæ fuere Epistolæ Jubajani ad Cyprianum super hac de baptismo Hæreticorum controversiâ & ejusdem Cypriani responsorium postmodum rescripsisset Jubajanus. Item lecta fuit Epistola, quam præcedens Africana Synodus 71. Episcoporum scripserat ad Stephanum Episcopum Romanum, atque ipsius Stephani ad hanc Synodi Epistolam responsoria.

His ita relictis Cyprianus dixit: "Audistis, „Collegæ dilectissimi, quæ mihi Jubajanus Co-„episcopus noster scripserit consulens mediocri-„tatem nostram de illicito & profano Hæretico-„rum baptismo, & quid ego ei rescripserim; cen-„sens scilicet, quod semel atque iterum censuimus „Hæreticos ad Ecclesiam venientes Ecclesiæ bap-„tismo baptizari & sanctificari oportere. Item „lectæ sunt vobis & aliæ literæ Jubajani, quibus „pro sua sincera & religiosa devotione ad Episto-„lam nostram rescribens non tantum consensit, „sed etiam instructum se esse gratias egit.

Post hæc conversus ad Synodum dixit: "Su-„perest, ut de hac ipsa re, quid singuli sentiamus, „proferamus neminem judicantes, aut à jure com-„munionis aliquem, si diversum senserit, amoven-„tes: neque enim quisquam nostrûm Episcopum „se esse Episcoporum constituit aut tyrannico ter-„rore ad obsequendi necessitatem Collegas suos „adigit; quando habeat omnis Episcopus pro li-„centia libertatis & potestatis suæ arbitrium pro-„prium, tamque judicari ab alio non possit, quàm „nec ipse potest alterum judicare. Sed expectemus „universi judicium Domini Nostri Jesu Christi, „qui unus & solus habet potestatem & præpo-„nendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione & de „actu nostro judicandi.

Quantumvis nullum hîc nominatim arguat Cyprianus, nihilominus nequaquam obscurum est, uti & notat Cardinalis Baronius, hæc verba tacito nomine contra Stephanum fuisse directa, eò quòd (ut vult Baronius) suo decreto præfixisset titulum: *Episcopus Episcoporum*, & in contra sentientes excommunicationis sententiam fuisset comminatus.

In hoc Concilio unanimi suffragio, priorum Synodorum super hac controversiâ sub sancto Cypriano celebratarum Decreta de baptizandis revertentibus ab hæresi ad Ecclesiam, fuerunt probata & confirmata.

Hujus

Cypriani ad suos Collegas meminit S. Augustinus *lib.* 3. de Baptismo contra Donatistas *cap.* 3. ubi inter cætera relatis prællegatis verbis S. Cypriani, quibus monet, neminem se debere existimare Episcopum Episcoporum, nec tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigere exclamat: " Quid mansuetius? quid humilius? nulla nos certè deterret authoritas ad quærendum, quid verum sit." Cùm autem S. Cyprianus ex Epistola Stephani Episcopi Romani intellexisset Stephanum ob hanc circa Baptismum Hæreticorum dissensionem & Ecclesiarum variam praxim velle unitatem Ecclesiæ scindere, rursus post Episcoporum celebratam Synodum legatos ad Stephanum mittendos censuit; qui ipsum non solùm de gestis in hac Synodo informarent, sed etiam fundamenta & rationes, quibus suam de baptizandis ab hæresi revertentibus opinionem sufficienter credebant probatam, Stephano exponerent, eumque hisce rationibus ad suam sententiam inclinarent, aut saltem eum ita mitigarent, ut manente opinionum & praxeos varietate unitas Ecclesiæ non scinderetur & omnes in vinculo pacis se mutuò patienter tolerarent

Verùm Stephanus certior factus de iis, quæ in hac Synodo acta & dicta fuissent, & ex iis probè intelligens, Episcopos Africanos in sua persistere opinione & praxi de baptizandis revertentibus ab hæresi, non obstantibus literis, in quibus ipse præceperat etiam sub abstentionis comminatione ut omnes suam amplecterentur sententiam de non baptizandis reversis ab hæresi, necnon perspiciens suam hanc sententiam tanquam Hæreticis & Scismaticis faventem ab Episcopis Africanis in ipsa Synodo duriùs perstrictam, necnon suum procedendi modum per Cyprianum quasi tyrannicũ redargutum, tantum abest, ut Stephanus his literis Africanorum fuerit mitigatus, ut è contrario in tantum adversus Africanos irritatus fuerit, ut nec legatos eorũ ad sermonem colloquii saltem communis admitteret, quin & præciperet fraternitati universæ, ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solùm pax & communio, sed & tectum & hospitium negaretur.

De hac Stephani adversus se animi commotione & procedendi modo certior factus Cyprianus, pacemque & unitatem in vinculo pacis cum omnibus Ecclesiis, in quantum in se erat, conservare studens, donec in quæstione agitata, quid veritas haberet, ipsi ampliùs esset perspectum, de omnibus, tum quæ in hac, tum præcedentibus Synodis statuta essent, & quæ super hac controversia, tum ad Jubajanum, tum ad Stephanum Romanum Episcopum scripta fuissent: & quæ à Stephano rescripta, & tandem qualiter Stephanus legatos rejecisset, certiores reddere voluit orientales Episcopos ac inter alios Firmilianum Cæsareæ in Capadocia Episcopum, qui tunc inter illarum partium Episcopos illustrior eminebat, ad quem cum literis destinavit Rogatianum Diaconum suum, qui eum de omnibus plenè informaret.

Ad has literas Cypriani Epistolam sat extensam per eundem Rogatianum rescripsit Firmilianus, quæ est 75. inter Epistolas S. Cypriani.

Ex hac Epistola intelligitur, imprimis literas Cypriani ipsi fuisse gratissimas, atque ob has gratias Deo egisse, quòd hinc contigerit, ut hi corpore ab invicem separarentur, sic spiritu adunarentur, quasi non unam tantùm regionem tenentes, sed in ipsa atque eadem domo simul inhabitantes.

Ac deinde pluribus in commendationem unitatis ac mutuæ charitatis prolatis testimoniis ex sacra Scriptura Stephanum tanquam hanc unitatem & charitatem scindentem tacitè redarguit scribens: Quòd " gratiam referre possit Stephano, quòd per illius humanitatem nunc effectum sit, ut fidei & sapientiæ (Cypriani) experimentum caperet.

Præterea ex eadem Epistola habetur, ea, quæ per Africanos circa Baptismum Hæreticorum fuerant resoluta, Firmiliano placuisse, ipsumque idem cum Africanis super hac quæstione sensisse.

Postquam enim paucis indicâsset quantum ei mœroris attulissent ea, quæ à Stephano in hac quæstione erant scripta & acta, subjungit: " De vobis autem cognoscentes, quod secundùm regulam veritatis & sapientiam Christi, hoc, de quo agitur, disposueritis, cum magna lætitia exultavimus & Deo gratias egimus, quia invenimus in fratribus tam longè positis tantam nobiscum fidei & veritatis unanimitatem.

Ex ea Epistola cognoscimus, quòd Firmiliano esset in more positum, per singulos annos seniores & præpositos in unum convocare ad disponenda ea, quæ curæ commissa erant, ut, si quæ graviora essent, communi consilio dirigerentur.

Unde vix dubium, quin literæ Africanorum super hac controversia ad Firmilianum datæ in Synodo Episcoporum quoque fuerint relectæ & examinatæ, & quid ad eas rescribendum foret, resolutum; ut ita literæ scriptæ sub nomine Firmiliani, quàm Synodi sint existimandæ.

Constat ex eadem Epistola, sententiam Africanorum de invaliditate Baptismi ab Hæreticis collati, necnon baptizandis ab hæresi ad Ecclesiam reversis, jam pridem ante receptas à Firmiliano Africanorum literas in numerosa Synodo Episcoporum apud Orientales fuisse probatam: scribit enim Firmilianus, quod " totum jam pridem in Iconio, qui Phrygiæ locus est collecti in unum, convenientibus & Galatia & Cilicila & cæteris proximis regionibus confirmavimus, tenendum contra Hæreticos firmiter & vindicandum, cùm quibusdam de ista re dubitaretur, scilicet repudiandum esse omnino Baptisma, quòd sit extra Ecclesiam constitutum.

Probat & hæc Epistola Firmiliani, Stephanum etiam plurimos Episcopos orientales à sua communione rescidisse: atque idcirco ipsum Stephanum schismatis insimulare non veretur Firmilianus: relato enim textu Apostoli Ephes. 4. quo commendat, ut soliciti sint servare unitatem spiritûs in vinculo pacis, de Stephano hæc ironicè scribit: " Hæc Apostoli mandata & monita salutaria quàm diligenter Stephanus implevit? humilitatem sensûs & lenitatem primo in loco servans. Quid humilius aut lenius quàm cum tot Episcopis per totum orbem dissensisse pacem, cùm singulos vario discordiæ genere rumpentem modò cum *Orientalibus* (quod nec vos latere confidimus) modò *vobiscum*, qui in meridie estis.

Non exprimit quidem Firmilianus, Stephanum Orientales Episcopos à sua communione rescidisse, ob id, quòd reversos ab hæresi baptizarent; sed ex toto contextu planum est, quòd Firmilianus nequaquam dubitaverit & significare voluerit, hanc fuisse rescisionis causam, quod & apertiùs expressit Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Xystum, qui in Stephani locum successerat; in qua nominatim hujus abscissionis Orientalium per Stephanum factæ, hanc causam allegat: *quod Hæreticos rebaptizarent*, apud Eusebium in Historia Ecclesiastica *libro* 7. *capite* 5.

Finalia verba ex Firmiliani Epistola supra allegata referri ad Legatos à Cypriano ad Stephanum super hac controversia destinatos, ex ipso contextu manifestum est.

Præterea & illud ex illis verbis intelligitur, Firmilianum notitiam eorum, quæ de non admissis à Stephano ad communionem Legatis Cypriani scribit, accepisse ex Epistola Cypriani aut ex Rogatiano, ipsius Cypriani Diacono: ac proinde Rogatianum cum Epistol Cypriani destinatum fuisse ad Firmilianum, postquam Cyprianus intellexisset, qualiter ipse Stephanus Legatos Episcopos tractâsset, & ad suam communionem admittere noluisset. Igitur non tam ex testimonio ipsius Firmiliani, quàm ipsius Cypriani, à quo Firmilianus ea intellexerat, habetur, quæ in hac Epistola de Episcopis Africanis à Stephano ad communionem non admissis scribit Firmilianus.

Hinc non sine fundamēto post plures eruditos credit Clarissimus Tillemontius in suis ad vitam Cypriani reflexionibus æquè Cyprianum & reliquos Episcopos Africanos ac Orientales (quos reipsa à Stephano fuisse excommunicatos fatetur Baronius) fuisse à Stephano abstentos sive excommunicatos. Insuper intelligitur, hanc Africanorum per Stephanum abscissionem contigisse, postquam Stephanus intellexisset, quæ in tertio Concilio Carthaginensi post receptas ejus literas dicta & acta fuissent.

Ex his omnibus habetur, Cyprianum aliosque plurimos Africanos Episcopos, necnon Firmilianum cæterosque Orientales Episcopos constanter asseruisse suisque Decretis declarâsse, Baptismum ab Hæreticis aut Schismaticis collatum non esse verum & validum Christi Baptismum; sed unum esse Baptismum in Ecclesia Catholica collatum, ideoque revertentes ab hæresi ad Ecclesiæ unitatem, tametsi apud Hæreticos baptizatos, denuò esse in Ecclesia Catholica baptizandos; quantumvis Stephanus Episcopus Romanus aliique plurimi ei juncti Episcopi Occidentales istam sententiam tanquam Traditioni Apostolicæ contrariam palam rejicerent: quin & sub Censurarum comminatione à quoquam propugnari vetaret Stephanus, qui tam Africanos quàm Orientales, quòd ejus præceptis parere renuerent, à sua communione verisimiliter abscidit.

Quin Cyprianum eique junctos Episcopos Africanos aut Firmilianum cæterosque Episcopos Orientales, qui per Synodalia Decreta sententiam suam de invaliditate Baptismi Hæreticorum fidelibus suarum Ecclesiarum tenendam tanquam Evangelio & Traditioni Apostolicæ magis consonam proposuerant, nequaquam etiam post comminatam abscissionis, aut etiam in ipsos vibratam, à sua sententia recessisse, aut etiam retractâsse, legitur.

Ex quibus & manifestissimum est, non fuisse quæstionem super puncto disciplinæ, sed de dogmate, quod ex Scriptura sacra & Traditione Apostolica erat eruendum.

Dicit quidem de S. Cypriano Augustinus lib. 2. de Baptismo contra Donatistas *cap.* 4. " Quòd „anima tam pacata & tam sancta potuerit uni ve„rū dicenti & commonstranti (scilicet Stephano) „facillimè consentire & *fortasse* factum est (ait) „sed nescimus.

Tametsi autem Augustino de retractatione Cypriani & consensione cum Stephano non constaret, ipsum tamen ab omni prorsus hæreseos aut schismatis in hac constanti à Stephano dissensione & in sui erroris constantissima perseverantia labe vindicare non dubitat: (tametsi, etiam teste ipso Augustino lib. de unico Baptis. c. 14. n. 23. *multi* cum Stephano, *quidam* cum Cypriano sentirent) hâc unicâ ratione, quòd quæstio, quæ super Baptismo Hæreticorum tunc temporis disputabatur, nondum esset in aliquo Concilio plenario determinata, uti pluribus locis contra Donatistas expressit, ac signanter *lib.* 1. *c.* 18. scribens, quòd Donatistæ ad tuendam causam sui schismatis, sibi de authoritate sanctissimi Martyris Cypriani *carnaliter blandiantur, cùm ejus caritate spiritualiter perimantur.* Nam illis temporibus (ait) " antequam plenarii Concilii sententiâ quid in hac "re sequendum esset, totius Ecclesiæ consensio "confirmâsset, visum est ei cum fermè octoginta „Coëpiscopis suis Africanarum Ecclesiarum, omnem hominem, qui extra Ecclesiæ Catholicæ "communionem baptizatus fuisset, oportere ad "Ecclesiā venientem denuò baptizari; quod non "rectè fieri tanto viro nimirum propterea Domi„nus non aperuit, ut ejus pia & humilitas & cari„tas in custodienda salubriter Ecclesiæ pace patesceret. Ibidem mirificè extollit hanc Cypriani in "servanda Ecclesiæ unitate charitatem & cum aliis "Episcopis aliter sentientibus sincerâ pacis com„munione in quæstione nondum plenarii Conci„lii aut totius Ecclesiæ consensione decisâ.

Ex his quoque intelligitur, quòd, dum Augustinus dixit, Cyprianum labem per martyrium abstersisse, intelligere de labe forsan ex errore circa Baptismum contractâ: uti planum est ex contextu totius capitis, ac notanter his finalibus verbis: *Quòd ergo ille Vir sanctus de Baptismo aliter sentiens quàm res se habebat, quæ postea pertractata & diligentissimâ consideratione firmata est in Catholica unitate permansit & caritatis ubertate compensatum est & passionis falce purgatum.* Et rursus *lib.* 4. *c.* 6 postquam enim dixisset, S. Cyprianum circa Baptismum Hæreticorum non vidisse veritatem, nec eam ipsi fuisse tunc temporis revelatam subjungit: *Ubi si minus ei aliquid revelatum est, ut magnitudo charitatis ejus, quà unitatem non deseruit, probaretur, non idcirco quisquam tantis ejus firmamentis meritisque virtutum & tantæ copiæ gratiarum audere debet præponere, quia (ait) Universalis Concilii admonitus firmitate videt aliquid, quod ille non vidit, quia plenarium de hac re Concilium nondum habebat Ecclesia.* Et *lib.* 2. *cap.* 4. Cyprianum tametsi à Stephano pluribusque aliis Episcopis in hac quæstione de Baptismo dissentientem tanquam in unitate Ecclesiæ perseverantem laudat hac solâ ratione, quòd non dubitaret, quin Universæ Ecclesiæ concordissimâ authoritate firmatæ veritati cessisset, " si jam illo tempore quæstio„nis hujus veritas eliquata & declarata per ple„narium Concilium solidaretur.

Similiter nec Firmilianum ob eam in hac quæstione à Stephano dissensionem & ob constantissimam contrariæ sententiæ propugnationem hæreseos aut schismatis à quoquam veterum incusatum aut pro Hæretico aut Schismatico reputatum legimus. Quin ut illustrior sui temporis Episcopus ab omnibus celebratus fuit & in unitate Ecclesiæ plenus meritis defunctus; adeò ut & ipsi Græci eum ut sanctum venerentur & colant, cujus natalem diem perinde ac aliorum Sanctorum in Menologio consignatum anniversariâ memoriâ die 28. Octobris celebrant, uti notat Cardinalis Baronius, & pluribus ejus sanctitatem & nominis celebritatem veterum testimoniis confirmat Vir Clarissimus Tillemontius in reflexionibus suis ad ejus vitam; videmusque Concilium Antiochenum II. contra

Paulum

Paulum Samosatensem anno 270. in Synodica ad Dionysium Episcop. Rom. eum jam defunctum non secùs ac ipsum Dionysium Alexandrinum nominâsse hominē *beatæ ac felicis recordationis.*

Quod verò Card Baronius insinuat, Firmilianum sententiam suam retractâsse, sive ut ipse loquitur, ad meliorem frugem rediisse, & communioni Catholicæ fuisse restitutum, id nullo veterū testimonio probatur: neque enim ullibi legitur, Firmilianum ante suum obitum suam circa Baptismum Hæreticorum sententiam retractasse aut Stephanū eum in communionem suam recepisse.

Verum quidem est Dionysium Alexandrinum Episcopum super hac quæstione literas dedisse ad Stephanum, uti ipse fatetur in Epistola ad Xystum Stephani successorem apud Eusebium *lib. 7. c. 5.* At Dionysium inflexisse Stephanum ad recipiendos Cyprianum aut Firmilianum cæterosq; cum eis de baptizandis Hæreticis sentientes in Communionem probabile non est, neque sedente Stephano super hac dissensione paçem redditam fuisse. Imò nequaquam obscurum est ex literis Dionysii Alexandrini ad Xystum II. immediatum Stephani in Sede Romana Successorem pacem Ecclesiæ datam non fuisse sedente Stephano, sed demum sub Xysto ejus Successore.

In his etiam literis Dionysius Xystum de omnibus, quæ tum in Africa, tum in Asia, Capadocia, Ægypto aliisque orbis partibus acta essent, informavit, quàmque grave esset in quæstione adeò controversâ, & in qua tanta esset Ecclesiarum dissensio pacem & communionem scindere. Hæc patenter evincunt, quòd, dum hæc ad Xystum scripsit Dionysius, necdum data supponeretur pax Ecclesiæ, ipsæque Ecclesiæ adhuc manerent divisæ.

Cùm autem post tempora hujus Xysti nihil de hac quæstione aut occasione illius de Ecclesiarum scissione legatur, verosimiliùs est pacem Ecclesiæ intercedente præcipuè Dionysio Alexandrino redditam fuisse eâ conditione, ut omnes Ecclesiæ in sua opinione & praxi in vinculo pacis tolerarentur, quoad usque veritas hujus quæstionis magis esset eliquata, aut totius Ecclesiæ consensione seu definitione decisa ut pluribus ostendit Vir Clarissimus Tillemontius in suis ad historiam Cypriani reflexionibus *art.* 5. & Vir Clarissimus Fleury *lib. 7. sua hist. n.* 3.

Ad Numerum XLVI.

Episcopi fidei judices.

Episcopos, *quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei*, non tantùm posse vigore sui Officii Episcopalis inquirere in personas de hæresi aut perversâ doctrinâ suspectas, atque de his judicium proferre, sed etiam eosdem posse de ipsa doctrina, utrum Fidei Catholicæ aut Christianæ morali consona sit vel ab ea dissona, inquirere & judicare, docet & evincit exemplum Apostolorum & continua Ecclesiæ traditio.

Legitur enim in actibus Apostolorum, quòd, cùm esset exorta quæstio sub initium nascentis Ecclesiæ, utrùm conversos ex gentibus ad Christum oporteret circumcidi, & præcipere quoque observare legem Moysi, super hac controversiâ *convenerint Apostoli & Seniores videre de verbo hoc.*

Cùm autem (inquit sacer Textus Act. *cap.* 15.) magna inquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: " Viri Fratres, vos scitis, quoniam ab anti„quis diebus Deus in nobis elegit per os meum „audire gentes verbum Evangelii & credere, & „qui novit corda, sanctum sicut & nobis illos fide „purificans corda Deus testimonium perhibuit „dans illis Spiritum eorum. Nunc ergo, quid ten„tatis Deum imponere jugum super cervices di„scipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos „portare potuimus; sed per gratiam Domini Jesu „Christi credimus salvari, quemadmodum & illi.

Post hæc subjungit sacer Textus: " *Tacuit au„tem omnis multitudo, & audiebant Paulum & „Barnabam narrantes, quanta Deus fecisset signa „& prodigia in Gentibus per eos.* Hîc non obscurè innuit sacer Textus, multitudinem facto silentio ipsa Petri verba attentiùs ruminâsse: utque pleniùs de his, quæ circa conversionem Gentium accidissent, informarentur, audire placuit Paulum & Barnabam narrantes, quanta Deus fecisset signa & prodigia per eos.

Postquam autem Paulus & Barnabas narraverant, quæ per ipsos Deus in Gentibus operatus esset, Jacobus Jerosolymorum Episcopus ad multitudinem congregatā verba habuit, repetens, quæ à Petro de conversione Gentium ad fidem narrata fuerant, ostendens, ea Oraculis Prophetarum consonare, quibus dictis primus super hac controversia judicium suum protulit, dicens: *Propter quod ego judico, non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, ut abstineant se à contaminationibus simulachrorum & fornicatione & suffocatis & sanguine.*

Huic Jacobi judicio acquievit omnis multitudo, placuitque (ut ait sacer Textus) Apostolis Senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Judam, qui cognominabatur Barsabas & Silam viros primos in fratribus, eisque mandârunt ut fratribus Antiochiæ de Gentibus significarent quæ ab Apostolis & Senioribus in unum collectis essent decreta, unaque eisdem fratribus scripserunt in hæc verba: *Visum est enim Spiritui S. & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum & sanguine & suffocato & fornicatione, à quibus vos custodientes benè agetis.*

Ex his manifestum est, Jacobum cæterosque Apostolos & Seniores de hac controversia examē instituisse atque *judicialiter* eandem in communi determinâsse & definivisse: neque Petrum alias hîc partes habuisse, nisi quòd primus inter ipsos verba habuerit, quibus coram ipsa multitudine congregatâ narrabat, quid in conversione Gentium Deus per ipsum fuisset operatus & quid circa conversos è Gentibus agendum existimâsset.

Hoc exemplo Apostolorum nequaquam dubitârunt Episcopi in locum Apostolorum succedentes & non secùs ac ipsi Apostoli à Spiritu S. positi regere Ecclesiam Dei sibi ex Officio sollicitudinis pastoralis & regiminis Ecclesiæ, non minùs ac Apostolis authoritatem esse, examinandi & judicandi dogmata fidei erroresque condemnandi; imò non minùs se sollicitos esse debere fidem ac doctrinam Evangelicam integram conservare, errores avertere, quàm morum & vitæ puritatem illibatam inculcare, vitia & abusus extirpare.

Hinc legimus, ab initio Ecclesiæ Episcopos in nascentes errores hæresesque sollicitè inquisivisse, suâque authoritate mox ut eas detexerant, suis Decretis confixisse & damnâsse: imò nullam penè hæresim per Concilia Generalia primorum sæculorum damnatam legimus, quæ non priùs per Episcopos vel particularibus Decretis, vel per simul congregatos in Synodis Episcopalibus damnatæ fuissent; neque creditur de hac Episcoporum authoritate per VIII. aut IX. Ecclesiæ à quoquam dubitatum fuisse.

Et dum necesse visum est ad profligandam hæresim ejusque progressum comprimendum Concilium Generale sive œcumenicum congregare, Episcopi universi ad illud convenientes exemplo Apostolorum de quæstione judicium suum depromebant: atque ex eorum judicio concludebatur & Decretum formabatur.

Unde & Decreta non edebantur sub nomine alicujus Episcopi etiam Romani, sed sub nomine Concilii: ut indicarent exemplo Apostolorum non uni sed cœtui Episcoporum Ecclesiam repræsentanti ita visum esse.

At verò circa sæculum x. falsis Decretalibus sub nomine primorum Pontificum in authoritatem receptis, ac signanter post editum & receptum Decretum Gratiani, prætendi & doceri cœpit à quibusdam Canonistis præcipuè Ultramontanis *majores & graviores causas* ad Sedem Apostolicam esse referendas, ejusque solius judicio terminandas. Porrò determinare aut definire, quid de Fide sit tenendum, vel ut erroneum rejiciendum, reputabant, inter *majores* causas esse reponendum; ac per consequens ad solum Pontificem hanc de doctrina definitionem spectare.

Et quidem sub medium sæculi XII. Curiam Romanam prætendisse, Episcopis fas non esse quidquam super doctrina determinare citra Romani Pontificis authoritatem, constat ex Actis Concilii Remensis anni 1148. in quo contra Gilbertum Porretanum Episcopi Gallicani Symbolum Fidei condiderant: quod ægrè ferentes Cardinales dixerunt, *nulli fas esse circa fidem quidquam determinare citra authoritatem Romani Pontificis*, uti fusiùs refertur in Actis hujus Concilii, quæ habentur tom. 10. Concil. General.

Hæc persuasio tempore Innocentii III. eò usque invaluerat, ut hic Pontifex interrogatus super quæstione de Baptismo parvulorum, quasi indubitatum in suo responso præmittendum censuerit, causas concernentes articulos *fidei* tanquam causas *majores* ad Petri Sedem esse referendas *c. 3. x. de Baptismo.*

Ex quo Innocentii responso relato in dicto *cap.* Commentatores Decretalium, qui unicè penè neglectâ notitiâ Historiæ & Patrum disciplinâ hisce Decretalibus insistebant, ac signanter Ultramontani, aliisque plus æquo prætensis prærogativis Romanorum Pontificum adulantes conclusère, ad solum Romanum Pontificem spectare de causis concernentibus articulos *fidei judicialiter* decernere, ipsosque Episcopos posse quidem controversias Fidei seu dogmaticas ventilare, sed *judicialiter* sive *authoritativè* decidere non posse.

Verùm hanc opinionem tanquam traditioni Apostolicæ & Episcopali authoritati omninò contrariam non ab omnibus ubique Episcopis præsertim Gallicanis fuisse receptam, sibique eos tum verbis tum factis, judicium super doctrina & dogmatibus *fidei* competere constanter asseruisse legimus.

Et quidem legitur, quòd anno 1387. Facultas Theologica Parisiensis damnaverit seu judicium suum protulerit contra quasdam propositiones Joannis de Montesono Ordinis Prædicatorum, quodque postmodum ex judicio ejusdem Facultatis Episcopus Parisiensis eas publicari, prædicari, doceri *lata sententia* prohibuerit.

Ab hoc Decreto Facultatis & sententia Episcopi appellavit prædictus Joannes de Montesono ad Clementem VII. Romanum Pontificem, tum temporis Avenione sedentem: ac pro præcipuo appellationis suæ fundamento asserere non dubitavit, quòd "*solius* Sedis Apostolicæ sit declara„re, damnare & reprobare, & quòd Episcopus "Parisiensis apponens manum in messem Summi "Pontificis dictas propositiones pronuntiaverit „& declaraverit falsas, hæreticas & erroneas: „quia ista, quæ tangunt *fidem*, sunt de *majoribus* „*Ecclesiæ causis*, & quæ ad *solum* Summum Pon„tificem pro examinatione & decisione deferri „debent.

Nequaquam obscurum est ex finalibus verbis Joannem de Montesono reflexisse ad prædictam Decretalem Innocentii III. atque ex ea conformiter ad tunc invalescentem opinionem Canonistarum conclusisse ad solum Romanum Pontificem pertinere & examinare & decidere causas ad Fidem spectantes tanquam causas *majores*.

Sententiam Episcopi Parisiensis contra dictam appellationem & prætensum fundamentum Joannis de Montesono fortissimè sustinuerunt Doctores Parisienses, atque præ cæteris Petrus Alliacenses, tunc Facultatis illius Doctor ac postmodum ob suam eximiam eruditionem & singularia merita promotus ad Episcopatum Cameracensem ac tandem S. R. E. Cardinalis effectus, qui in defensionem Facultatis & Episcopi edidit Tractatum, quem nomine ejusdem Facultatis obtulit Clementi VII. Romano Pontifici in quo inter alia asserere non dubitavit, quòd prædicta propositio Joannis de Montesono, in quantum asserit, ad *solum* Romanum Pontificem pertinere eorum, quæ tangunt *fidem*, examinationem & decisionem, contineat *manifestam hæresim*, imò multas hæreses ac inter cæteras hanc allegat rationem: " Quia per hanc assertionem excluduntur „Episcopi Catholici ab omnimoda cognitione, „examinatione & decisione eorum, quæ sunt „*fidei*, quod est contra jus tam divinum quàm „humanum.

Sub idem tempus in Academia Parisiensi florebat & præ cæteris eminebat Joannes Gersonius ejusdem Universitatis Doctor & Cancellarius, qui non minùs ac ipse Petrus de Alliaco Episcoporum authoritatem in examinandis determinandis & definiendis Fidei articulis propugnavit, ac tanquam Ecclesiæ certam doctrinam asseruit & coram Patribus Concilii Generalis Constantiensis eam suam opinionem tanquam admodum necessariam & præ reliquis omni modo inculcandam proposuit in sermone habito in festo Purificationis B. Mariæ, post irritationem à Cardinalibus factam sententiæ Episcopi Parisiensis contra *Joannem Parvum*, quæ lata est 15. Januarii 1415.

Extat hic sermo Gersonis inter ejus Opera ultimæ editionis tom. 2. pag. 281. in hoc sermone multis probat, Episcopis vi sui regiminis pastoralis esse jus examinandi doctrinam & de ea *judicialiter* pronuntiandi, utrùm Catholica sit vel erronea aut hæretica idque de jure divino.

Huic sermoni subnectuntur aliqua sub hoc titulo: *Conclusiones quædam sub quibusdam articulis ponendæ post finem sermonis de Purificatione Mariæ Virginis.* In quarum sexta hæc tanquam certa proponit: " Ad Episcopos spectat jure *di*„*vino* & quibusdam de pia consuetudine legiti„mè præscripta, propositionem quandam hære„ticare, hoc est, hæreticalem decernere vel deter„minare, nedum doctrinaliter (sicut Doctores "Theologiæ possunt) sed etiam *judicialiter* cum "appositione Decreti pœnalis contra subditos re"belles, si illa propositio scandalizaverit Diœce„sim suam, & si est talis, de qua possit habere „sufficientem certitudinem, per consilium peritorum

„rum in Theologiâ, quod repugnat eis, quæ Fi-„de credenda sunt, quamvis aliqui etiam Theo-„logi dicerentur de illa dubitare.

Hanc authoritatem Episcoporum in examinandis & decidendis dogmatibus Fidei constantissimè usque in hodiernum diem Ecclesia Gallicana, ipsaque Universitas Parisiensis tanquam Episcopatui ex ipsa institutione divina annexum retinuit, ipsosque Episcopos esse naturales Judices & Interpretes dogmatum Fidei non minùs ac ipsum Romanum Pontificem sustinuit; unà tamen recognoscens in Romano Pontifice *Primatum* Jurisdictionis, unà cum prærogativa suffragii in decidendis quæstionibus *fidei*.

Imò hanc doctrinam tanquam basim quandam suarum libertatum reputare non dubitant etiam ipsi Regii Magistratus ac propterea si quid in Bullis, Rescriptis vel Brevibus Romanis contrarium huic doctrinæ ipsis occurrere videtur remedio appellationis tanquam *ab abusu* ab executione similium Bullarum aut Rescriptorum eorum publicationem & executionem impediunt; ne quid contra libertates Ecclesiæ Gallicanæ & authoritatem Episcopalem inducatur, uti novissimè visum est occasione Brevis Clementis XI. quo proscribebatur Mandatum Episcopi S. Pontii.

Inter motiva enim, quibus Advocatus Regius coram Parlamento Parisiensi appellationem suam tanquam *ab abusu*, contra publicationem & executionem hujus Brevis sustinebat, hoc erat, quod ex contextu totius hujus Brevis nequaquam obscurum esset, per condemnationem doctrinæ in hoc mandato contentæ, præcipuè impeti doctrinam de authoritate Episcoporum in determinandis & definiendis articulis Fidem concernentibus, quæ sparsim in hoc mandato asserebatur. Integer discursus Advocati Regii exhibetur in Appendice Tractatûs de Publicatione Legum & Placito Regio *sub lit. M. N.*

De hac Episcoporum authoritate in dijudicandis & reprobandis perniciosis erroribus non dubitâsse Episcopos Belgas, evincunt plura eorum Decreta, ac notanter duorum zelosorum Antistitum Jacobi Boonen Archiepiscopi Mechliniensis & Antonii Triest Episcopi Gandensis, qui circa medium præcedentis sæculi plures Casuistarum opiniones tanquam Moralis Christianæ relaxativas & in praxi perniciosas proscripserunt, quæ Decreta unà cum ipsis propositionibus exhibet Prosper Fagnanus in Commentario *cap* NE INNITARIS *x. de Constitut.* ut ex his propositionibus evincat, ad quas tandem laxitates adducti fuerint Patroni probabilismi, sive sustinentes, posse unumquemque tutâ conscientiâ amplecti opinionem probabilem, licèt minùs tutam & minùs probabilem.

Ad Numerum LI.

Separatio ab Ecclesia Romana non semper inducit schisma.

Observatum fuit in textu, quòd non exiguum argumentum unitatis & unionis cum Ecclesia Universali sumatur à communione cum Ecclesia Romana; & contra non sit leve argumentum schismatis, separatio à communione cum Ecclesia Romana.

Verùm cùm certum sit (ut suprà in hoc Supplemento parte 1. tit. 16. cap. 3. probatum est) quòd Ecclesia Romana, licèt Primatum teneat, semper considerata fuerit & etiam hodie debeat considerari ut una *particularis* Ecclesia cum reliquis Ecclesiis particularibus unam Universalem Ecclesiam conficiens, nequaquam Ecclesiæ illæ semper argui possint *schismaticæ*, tanquam ab unitate Ecclesiæ *Universalis*, sive ipso corpore ex omnibus Ecclesiis particularibus etiam ipsâ Ecclesiâ Romanâ conflato divulsæ

Hoc in capite nemo dixit, Ecclesias Asianas, quæ disciplinam circa diem celebrandi Paschatis observabant diversam à disciplina, quam eo tempore Ecclesia Romana cum pluribus aliis Ecclesiis tenebat fuisse schismaticas, tametsi ob retentam & constanter propugnatam hanc disciplinam tandem per Victorem Episcopum Romanum à communione Ecclesiæ Romanæ fuerint per excommunicationem separatæ; sive quia Victor Episcopus Romanus cum ipsa sua Ecclesia particulari Romana communionem cum Asianis fovere noluerit, seu potiùs eis suam communionem substraxerit.

Neque enim Asiani se à communione Ecclesiarum, diversam ab eis disciplinam circa diem celebrandi Paschatis observantium separabant; sed neque aliæ Ecclesiæ, licèt quoad hoc punctum disciplinæ consentientes Ecclesiæ Romanæ existimârunt communionem Ecclesiis Asianis ob hanc in disciplina varietatem esse subtrahendam, nec ipsis communionem suam substraxerunt, ipsamque substractionem Victoris Episcopi Romani minimè probabant: teste enim Eusebio S. Irenæus aliique Episcopi Galliæ, tametsi eandem cum Ecclesia Romana disciplinam servantes *Victoris* factum *acriter* reprehenderunt, *Victoremque monuerunt, ut ea potiùs sentire vellet, quæ paci charitatique erga proximum congruebant.* Extant *etiamnum* (inquit idem Historicus) *eorum literæ, quibus Victorem acerbiùs perstringunt.*

Similiter nec S. Cyprianum aliosque Africanos ipsi consentientes, in quæstione de baptizandis iis, qui apud Hæreticos erant baptizati, neque S. Firmilianum aliosque Orientales ullus veterum *schismatis* insimulavit, tametsi à Stephano Romano Episcopo communione Romanæ Ecclesiæ privatos fuisse non obscurum sit ex ipsa Epistola Firmiliani ad Cyprianum, uti suprà ad *n. 9.* notatum fuit.

Licèt enim Asiani per Victorem & Africani ac Orientales per Stephanum Episcopum Romanum à communione Ecclesiæ Romanæ essent separati, sive repulsi, ipsi tamen nequaquam se separabant ab aliis Ecclesiis, etiam illis, quæ super hac quæstione aliter sentirent & aliam ab aliis praxim amplecterentur.

Imò admodum verisimile est, quòd nec omnes illæ Ecclesiæ particulares cum Stephano Episcopo Romano idem sentientes, eandemque praxim tenentes se ob eam diversitatem opinionis & praxis ab Africanis aut Orientalibus Ecclesiis separaverint, sive communionem suam ab ipsis substraxerint, uti nec ab Asianis Irenæum aliosque Episcopos Gallicanos in celebratione Paschatis cum Victore & Ecclesia Romana consentientes se substraxisse suprà notatum est Et quidem de Dionysio Alexandrino scribit Eusebius quòd post obitum Stephani secundam scripserit Epistolam ad ejus Successorem Xystum, in qua Stephani simul ac reliquorum Episcoporum sententiam ac judicium exponit de Stephano ita scribens: "Antea qui-„dum literas scripserat de Heleno & Firmiliano, „de omnibus denique Sacerdotibus per Ciliciam, „Cappadociam cunctasque finitimas Provincias „constitutis sese ob eam causam ab illorum com-„munione discessurum, quòd Hæreticos rebapti-„zarent.

Post hæc ex eadem Epistola Dionysii subjungitur: "Ac vide quæso gravitatem negotii: re-„vera enim in maximis, ut audio, Episcoporum „Conciliis decretum est, ut, qui ab Hæreticis ad

„Catholicam Ecclesiam accedunt, primùm Catechumeni fierent, ac deinde veteris ac impuri "fermenti sordibus per Baptismum purgarentur. „De his omnibus ego ad illum Epistolam misi „rogans atque obtestans.

Nequaquam obscurum est, Dionysio Alexandrino displicuisse, quòd in quæstione adeò obscura & in tot Conciliis Episcoporum agitata Stephanus Romanus Episcopus ab Episcoporum communione recederet, ob id, quòd in hac quæstione adeò obscurâ secum non consentirent. Imò nec dubium est, quin super eo procedendi modo Stephano scripserit, eumque, ut communionem cum eis in vinculo pacis servaret, sit obtestatus, atque per literas contigerit, ut sub Xysto Stephani Successore pax & unitas Ecclesiæ fuerit restituta, uti supra ad num. 9. notatum est.

Hoc ipsum latiùs ac solidissimè adstruxit adversùs nostri temporis Hæreticos Vir doctissimus D. *Nicole* in lib. cui titulus; *L'unité de l'Eglise lib. 2. cap.* 10.

TITULUS V.

De Judicibus Ecclesiasticis & Arbitris.

CAPUT I.

Ad Numerum XXVII.

Pluralitas Officialium.

IN textu notatum est, quòd sæculo XIV. conquesti sint Barones Galliæ corã Philippo Valesio, quòd Episcopi per suas respectivè Diœceses haberent plures Officiales, neque id negârint Episcopi, sed responderint, quòd id ipsis licitum esset, eò quòd *quilibet dominus temporalis ubicunque in terra sua potest habere gentes & justitiarios suos & eadem ratione spiritualis judex*.

Ex his intelligitur, eo tempore Episcopos prætendisse, sibi esse *proprium territorium* per suas respectivè Diœceses; non secus atque Domini temporales per suas respectivè Toparchias obtinent.

Insuper intelligitur, Episcopos prætendisse regimen Ecclesiasticum formandum ac instituendum ad normam regiminis civilis idemq licere Episcopis & Judicibus Ecclesiasticis circa institutionẽ sive erectionem Tribunalium & directionem judiciorum quod licebat Magistratibus Civilibus.

Hanc disceptationem super Jurisdictione inter Barones & Prælatos Galliæ, de qua hîc in textu, nullum vel exiguum habuisse effectum sub hoc Rege Philippo Valesio notat D. Fleury in suo discursu historico 7. tom. 19. suæ Historiæ præfixo: quin tamen sensim in multis authoritate Regiâ restricta postmodum fuerit Jurisdictio Ecclesiastica, præsertim in Gallia indubitatum est, atque in hoc Opere signanter part. 3. tit. 2. & 4. notatum fuit.

Quoad hunc verò articulum de multiplicatione Tribunalium Ecclesiasticorum & Officialium tandem in Gallia receptum esse, observavimus part. 1. tit. 12. c. 4. quòd in singulis Episcopatibus unicus duntaxat queat constitui Officialis, idque in civitate Episcopali, judicatumque fuisse, abusivam esse alterius Officialis constitutionem extra civitatem Episcopalem etiam in loco à civitate Episcopali duobus milliaribus distante, unico casu excepto, si Diœcesis se in plures Provincias extendat. Hoc enim casu jubetur Episcopus in ea residentem Officialem constituere, qui incolis istius Provinciæ & de sua Diœcesi existentibus jus dicat, ne aliàs hujus Provinciæ incolæ extra suam Provinciam in jus evocarentur, uti ibidem notatum est.

Ad eandem normam videtur tandem redacta & Officialium & Tribunalium Ecclesiasticorum institutio sive erectio, ut nimirum singulæ Diœceses unicum suum habeant Officialem, eumque in civitate vel in urbe Episcopali residentem, nisi Diœcesis in plures similiter se Provincias extendat, atque ita in Diœcesibus Antwerpiensi, Gandensi Brugensi, Iprensi, Ruremondensi, &c. nonnisi unicus scitur institutus Officialis, isque in ipsa urbe Episcopali residens; Namurcensis verò præter Officialem principalem sive in urbe Episcopali residentem unum habet in civitate Gemblacensi, qui jus dicat Brabantis sub Diœcesi Namurcensi in spiritualibus consistentibus; ne aliàs Brabanti extra suas Provincias in jus traherentur ad Tribunal in Provincia Namurcensi existens.

Igitur nec in Belgio obtinet, ut in una eademque Provincia ob suam extensionem plures constituantur Officiales, licèt id inadvertenter asseruerim supra part. 1. tit. 12. c. 4 n. 6. ubi dixi: *Plures in una eademque Provincia, verbi gratia, Brabantia ob ejus extensionem ejusdem Episcopi Officiales creari videmus.*

Imprimis inadvertenter dictum fuit plures in una eademque Provincia à me visos fuisse constitutos Officiales. Hæc autem inadvertentia occasionem habuisse, videtur ex eo, quòd duo conspicerentur in Brabantia unius Episcopi Mechliniensis Tribunalia, coram quibus per diversos Officiales jus diceretur.

At hoc inanimadversum mansit, quòd hæc Diœcesis Mechliniensis se quoque in diversas Provincias protenderet: imò quòd ipse Officialis principalis in civitate Episcopali (Mechliniâ) residens extra Brabantiam Brabantis jus dicere nequeat, quin & ipsi Brabanti non viderentur obstricti coram Judice extra Brabantiam fixum domicilium habente comparere.

Itaque, quòd duo sint Officiales, qui suum habent respectivè Tribunal in Brabantia, non est ob extensionem hujus Diœcesis Mechliniensis, sed, ut querelis Brabantinorum aliquo saltem colore satisfiat, qui querebantur, se coram Judice extra Brabantiam residente evocari, tametsi hic aliquod Tribunal in loco vulgò *Pasbrugge* in Brabantia habere videretur.

Unde & Officialis, qui in Brabantia, putà, civitate Bruxellensi constituitur, vulgò dictus fuit *Brabantinus*, quasi constitutus, ut Brabantis jus diceret.

Imò vix dubito, quin si in Belgio Episcopus ob extensionem suæ Diœcesis præter Officialem principalem in eadem Provincia alium institueret, hæc novi Officialis institutio non secùs ac in Gallia Regiâ authoritate cassaretur & ut abusiva declararetur.

CAPUT

CAPUT III.

Ad Numerum XVII.

Quis constituendus Officialis in Brabantia à Prælato extra Brabantiam residente.

NOtoria praxis Belgii ac notanter hujus Ducatûs Brabantiæ habet (uti in textu notatum est) quòd Episcopi aliique Prælati extra Brabantiam residentes & quorum Diœceses vel districtus se in Brabantiam extendunt, teneantur in Brabantia constituere Officiales seu Judices, qui Brabantis jus dicant in Brabantia.

Hi porrò Officiales causas plenè instruere & suâ authoritate tanquam veri Judices in Brabantia residentes decidere debent; neque fas est Episcopo vel Prælato extra Brabantiam residenti causam ad se evocare aut in decursu litis Decretum aliquod ferre, uti judicavit Senatus Brabantiæ contra Archidiaconum Condromi in Ecclesia Leodiensi 10. Martii 1700. quâ unà declaravit, similem Officialem sive Judicem debere *fixam* habere residentiam in Brabantia & insuper debere esse *perpetuum*, sive non revocabilem ad arbitrium Prælati seu Judicis extra Brabantiam residentis: ut ita Brabanti nullatenus dependerent à Judice extra Brabantiam residente. Integra sententia extensa exhibetur in appendice monumentorum sub lit O.

Similis sententia ab eodem Senatu lata fuit die 26. Augusti 1710 contra Archidiaconum Hesbaniæ, quoad Officialem & Tribunal Ecclesiasticum Patriæ Ultramosanæ, hujus Senatûs Jurisdictioni subjectæ: quâ sententiâ declaratur que le „Tribunal de la Helbaye au Pays d' Outremeuse "doit être *permanent*, que les personnes qui le "composent y doivent tenir *fixe* résidence, & „que tous les Actes jurisdictionels exercez au „contraire sont nuls & sans effet, interdisant à „tous sujets de Sa Majesté d'y déferer à peine „qu' il sera pourvû à leur charge. Annectitur in appendice monumentorum sub lit. P.

Ad Numerum XVIII.

Belgarum causæ ad Romanam Curiam devolutæ, per judices in partibus terminari debent.

In textu notatum fuit, Belgarum causas ad Curiam Romanam & Romanum Pontificem per appellationem devolutas, debere per Judices *in partibus* delegatos judicari.

Planissimum etenim est, regulam *de non evocando*, non solùm in prima, sed & in secunda & ulteriori instantia locum habere: respuunt enim Belgæ quæcunque extera judicia.

Hinc & literis *Placeti*, quas Nuntii & Internuntii in Belgio residentes super eorum commissione Pontificiâ à Principe humiliter postulant, semper sollicitè inter cætera cavetur nominatim, *qu' és causes d' appel, d' evocation, commission, ou autres il deleguera* IN PARTIBUS & NON HORS *desdits Pais*.

Similiter in expeditione aliarum literarum *Placeti* super quibusvis Bullis aut Rescriptis summâ curâ ab immemoriali tempore inseritur expressa clausula, & conditio; quòd usus Bullæ aut Rescripti non aliter impetranti concedatur, quàm eâ lege, quòd si super eo ulla quæstio moveatur, ea in *possessorio* instituenda & terminanda sit coram Senatu Provinciæ, atque in *petitorio* coram Ecclesiastico Judice ordinario *in Provincia residente* & casum appellationis aut alias, coram delegatis etiam *in Provincia* seu *partibus residentibus*.

Hinc cùm Daniel Ludovicus *de Fraye* vigore *Rescripti appellatorii* citari curâsset Mariam Magdalenam *Clerin* Brabantiæ incolam, coram Officiali Gandavensi, in tertia instantia; sustinens regulam *de non evocando*, ad primam instantiam limitari: supremus Brabantiæ Senatus ad instantiam dictæ Magdalenæ præcepit præfato Danieli à citatione & processu coram Officiali Gandavensi instituto planè desistere, per sententiam de die 18. Decembris 1713. quod & rursus idem Senatus ordinavit per sententiam latam die 22. Decembris 1714. quoad processum institutum coram Officiali Iprensi inter Joannam *de Proost* & Ægidium *van-Mieldert*; binæ sententiæ annectuntur sub lit. Q.

Ad Numerum XXVII.

Nec de consensu partium causæ ad judicia peregrina sive citra Provinciam deducendæ.

Gallis adeò odiosa sunt peregrina judicia, ut nec partes possint extra regnum etiam consentientes etiam judicio contendere & causas ad exteros Judices deferre.

Unde inter observationes ad quosdam articulos per Legatos Sedis Apostolicæ Patribus Concilii Tridentini propositos legitur hæc observatio: „Caput, quod incipit *causæ criminales*, non pla"cet: adversatur enim (inquiunt) antiquissimo "Juri Regis & Ecclesiæ Gallicanæ privilegiis, „quibus cavetur, ne quis *etiam volens* extra Reg„num aliquoquam ex quacunque causa in Jus „vocari nedum condemnari possit. " Leguntur hæ observationes in libello, cui titulus: *Memoires pour le Concile de Trente.*

Idipsum & habet praxis Belgii, ut nec de consensu partium extra Provinciam causæ tractari queant; legiturque anno 1700. 13. Decembris Concilium Brabantiæ cassâsse sententiam latam in Curia Romana super Canonicatu Ecclesiæ Collegiatæ de Kerpen, licèt utraque pars in Curia Romana super dicta causa fuisset contestata Judicemque agnovisset, neque super incompetentia aut privilegio patriæ excepisset: contendebat enim Officium Fiscale nec partes posse derogare Juribus aut Privilegiis patriæ vetantibus causas exortas in Brabantia extra Brabantiam ventilari & terminari. Sententia hæc exhibetur in appendice monumentorum sub lit. R.

Idem quoque obtinet in secunda & ulteriori instantia, quia neque in his adversus patriæ juratas leges ullatenus admittitur per partium, coram Judice, contestationem, licèt voluntariam; Jurisdictionis prorogatio. Ita judicatum à Brabantiæ Senatu die 6. Maji 1716. per sententiam latam inter Isabellam Franciscam *Peronne* & Robertum *Vander Schuren*; quæ hîc annectitur sub lit. S. circa processum institutum vigore *Rescripti appellatorii* coram Officiali Ruremundensi, qui etiam jam inde sententiam interlocutoriam in causa tulerat.

Ad Numerum XVIII.

Juramenta an circa arbitrium admittenda.

In textu notatum est, quòd post Novellam Justiniani, quæ vetuit arbitria interposito Jurejurando recipi, hujusmodi tamen arbitrii mentionem fieri in *cap. 2. & 9. x. de Arbitris*, sed notandum, has Decretales desumptas ex responsis Alexandri III. & Innocentii III. Porrò notum est, quòd ætate horum Pontificum erecta essent Tribunalia Ecclesiastica ad normam Tribunalium civilium, multisque abusibus jam tum essent referta, atque inter alios invaluissent in illis contra veterem Ecclesiæ disciplinam Juramenta: quam rem plurimi deplorârunt, optâruntque, ut à Judiciis Ecclesiasticis hæc frequentia juramen-

juramentorum exularet, & nonnisi ex gravissimis causis juramentum admitteretur, ut sic & periculum perjurandi, & assumendi nomen Dei in vanum cessaret.

TITULUS X.

De Appellationibus & Recusationibus.

CAPUT I.

Ad Numerum VI.

Appellationes ab Episcopis ad Romanum Pontificem sæculis nota non fuere.

QUod observaverat Vir Clarissimus Claudius Fleury in suis institutionibus Juris Canonici appellationes ad Romanum Pontificem ingens incrementum accepisse post inductas falsas decretales, uti in textu notavimus, idipsum latiùs exposuit in suo discursu quarto historico *n.* 5. ubi monet, præcipuum vulnus per hunc falsarium disciplinæ Ecclesiasticæ inflictum fuisse stabiliendo Jus appellandi ad Romanum Pontificem à quibusvis Episcoporum in quacunque materia latis Decretis, idque indifferenter sive contra Laicos sive contra Clericos: imò notat confictoris harum Decretalium præcipuum scopum fuisse hoc Jus appellandi ad Romanum Pontificem asserere, quasi ex Traditione Apostolica descendens, & Primatui Romani Pontificis divinitùs annexum.

Et sanè videmus in his Decretalibus sub nomine primorum Pontificum generaliter & sine exceptione assertum hoc Jus.

Ad Numerum IX.

S. Bernardus jus appellandi ad Romanum Pontificem ejus primatui annexum supposuit.

In textu notatum est, S. Bernardum mirum in modum contra appellationum frequentiam & earum multiplices abusus, qui suo tempore in Curia Romana invaluerant, declamâsse, ac notanter *lib.* 3. *de Considerat ad Eugenium c.* 2. ubi sub finem laudat Eugenium: „Berè facis tu, quod appellationum negato suffragio, imò suffugio, multa „remittis negotia ad cognoscentes, vel, qui nosce„re citiùs possunt: ubi enim certior ac facilior no„tio, ibi decisio tutior expeditiorque esse potest.

Evidens est ex omnibus, quæ contra has appellationes earumque abusus scripsit S. Bernardus, ipsum has appellationes nequaquam probâsse, atque magis optâsse, ut negotia absolverentur in locis, ubi sunt exorta, uti & jam pridem optavit & fortiter ursit S. Cyprianus Epistolâ 59. ad Cornelium Papam. Illud interim videmus, quòd, licèt S. Bernardus eam appellationum frequentiam & earum faciliorem admissionem propter abusus mirum in modum improbaverit, nihilominus dicere noluerit eas Traditioni Apostolicæ & pristinæ Ecclesiæ disciplinæ esse adversas, quin imò non obscurè asseruit hoc Jus appellandi ad Romanum Pontificem ejus primatui divinitùs esse annexum in verbis citati *capitis* 2. Appellatur de toto mundo ad te; id quidem in *testimonium singularis primatûs tui.*

Nec mirum quandoquidem jam tempore S. Bernardi Decretales Epistolæ primis Romanis Pontificibus falsò suppositæ à trecentis & ampliùs annis tanquam veræ & authenticæ ab omnibus passim essent recognitæ; neque S. Bernardo earum falsitas nota esset, neque in suspicionem veniret.

Cùm igitur in his Decretalibus videret Jus appellandi ad Romanum Pontificem clarissimè expressum, credidit S. Bernardus, Jus hoc *primatui* Romani Pontificis ex Traditione Apostolica esse annexum: eò quòd ex his Epistolis, quæ authenticæ horum Pontificum Epistolæ credebantur, haberetur illud ab initio Ecclesiæ constanter fuisse assertum, quod & loco citato notavit præclarissimus supra citatus Historicus.

Eâdem ratione contigit, ut Authores ejus ætatis etiam eruditione & pietate clari hoc Jus appellandi ad Romanum Pontificem aliaque nonnulla primatui Romani Pontificis tanquam ex Traditione Apostolica descendentia adscribant, quæ demum sequentibus sæculis ob authoritatem harum falsarum Decretalium Romano Pontifici fuerint adscripta.

CAPUT II.

Ad Numerum V.

Quare in Gallia non admittatur appellatio omisso medio.

TOta illa appellandi ratio ad Romanum Pontificem *omisso medio* (de qua in textu) suam indubitanter originem habuit ex hoc principio quòd Romanus Pontifex sit ordinarius ordinariorum, sive authoritatem Episcopalem habeat immediatam in omnes Ecclesias particulares: hoc autem principium originem suam habet ex suppositiiis illis Decretalibus sub nomine primorum Romanorum Pontificum sæculo VIII. orbi Catholico obtrusis, & in Decretum Gratiani postmodum relatis, quibus & Romani Pontifices tanquam indubitatis pristinæ ætatis monumentis in suis postmodum Decretalibus usi fuère, suamque potestatem asseruerunt, uti in decursu hujus operis sæpiùs annotatum fuit.

Cùm autem Ecclesia Gallicana non recognoscat Romanum Pontificem ùt *Ordinarium Ordinariorum*, (ùt supra notatum est) idcirco indubiè non admittit appellationes ad Romanum Pontificem *omisso medio.*

CAPUT IV.

Ad Numerum XXXII.

Casus, quibus rescriptorum per appellationem tanquam ab abusu aut alio medio executio sistitur.

IN textu observatum est, quòd Clerus Gallicanus non semel institerit apud Regem, ut determinarentur, & specificarentur nominatim casus, in quibus posset admitti appellatio *tanquam ab abusu*; sed id hactenus obtinere non potuerit. Interim Michaël Roussel in Historia Jurisdictionis Pontificiæ *lib.* 1. *c.* 6. *n.* 10. enumerat plures Romanæ Curiæ dispensationes seu rescripta, à quarum executione appellatur tanquam ab abusu.

„ Episcopi Romani (ait) licèt tanta sit in dispen„sationibus authoritas, eas tamen (inquit) non ad„mittit nostra Jurisprudentia sæcularis in Curiis „supremis aliquot casibus, ut adversus regulas de „publicandis resignationibus, & de verisimili no„titia, nec adversus concordata, nec plerumq; adversus

„sus leges fundationi Ecclesiarum Cathedralium, „Collegiatarum & aliarum dictas nec adversus jura patronatûs Laicorum, nec adversus Constitutiones Regias & judicia earundem supremarum „Curiarum, nec in temporalibus, ut quis per istas „dispensationes privetur illis, aut donetur: neque „enim temporalitatem subjectam esse volumus „Ecclesiasticæ dispositioni, at Regiæ tantùm & „& Laicæ; denique nec adversus libertatem & privilegia Ecclesiæ Gallicanæ, ut dicimus: in his etenim casibus, si quid decreverit per dispensationem Summus Pontifex, admittuntur à Senatoribus nostris appellationes tanquam *ab abusu*, & „solent irritam facere aut dispensationem aut impetrationem quomodo relatam: atque dicuntur „istæ appellationes successisse appellationibus, „quæ quondam ad ipsum Summum Pontificem „deferebantur, aut ad proximum futurum Generale Concilium, sicque occurrere visum est inverecundiæ impetrantium à Summo Pontifice per „obreptionem & subreptionem, quæ ipse bene „consultus fortasse non concederet.

Addit Roussellus: "Nec dissimiliter Hispani „solent, si quod exoratum est ab eodem Pontifice, lædit eorum politiam, privilegia Regis & Regni, Concilia Generalia & Indulta Apostolica, jubere Bullas in consistorium Regium afferri, ut „subreptionis admoneatur Summus Pontifex, „& huic provideat, ut refert Bavadilla.

In Belgio similia Rescripta Curiæ Romanæ sive dispensationes, qualia enumerat Roussellus à Curiis Regiis non facilè admitterentur; utpote neque in Belgio admittitur Romana dispensatio super iis, quæ vel temporali, vel jura Regia aut Vasallorum, vel etiam receptas leges, privilegia, aut inveteratas consuetudines patriæ, aut etiam Ecclesiarum fundationes violarent aut inverterent: atque similium Rescriptorum aut Bullarum executio per denegationem seu non concessum placiti Regii sisti consuevit.

TITULUS XI.

De Pœnis & Censuris Ecclesiasticis.

CAPUT I.

Ad numerum II.

Pœnæ pecuniariæ à judicibus Ecclesiasticis primitus non imponebantur.

IN textu notatum est, primis sæculis morem non fuisse, ut Episcopi Clericis seu Laicis criminum licet atrocium reis pœnas etiam pecuniarias per modum pœnæ sive in vindictam ipsorum criminum imponerent; eò quòd vindictam criminum per pœnas sive pecuniarias sive corporales scirent pertinere ad jus *gladii*; huncque non Ecclesiæ sive Prælatis Ecclesiasticis, sed Principibus, eorumque Magistratibus à Deo datum.

Et sanè Episcopis eâ ætate persuasum fuisse sibi fas non esse pœnas pecuniarias aliasque civiles Clericis in vindictam criminum aut coercitionem suâ authoritate imponere, indicârunt Patres Africani, ubi in Concilio Carthaginensi anno 401. decreverunt: *& illud petendum, ut statuere dignentur* (Imperatores) *ut si quis cujuslibet honoris Clericus judicio Episcoporum quocunque crimine fuerit damnatus, non liceat eum sive ab Ecclesiis, quibus præfuit sive à quolibet homine defensari interpositâ pœnâ damni*, PECUNIÆ *atque honoris quo nec ætatem nec sexum excusandum esse præcipiant.*

Ad hunc Canonem rectè notat Zonaras „Nequaquam hoc Canone prohiberi Clericis appellare à sententia Episcoporum, si se gravatos „existiment; sed duntaxat postulandum ab Imperatoribus; ne justa sententia Episcoporum lata „contra Clericum per quemquam vi aut armis „impediatur. Ut igitur id nec ab Ecclesiis, id est "Ecclesiasticis viris aut aliis quibuscunque attentetur petendum, censent ab Imperatoribus, ne „liceat eum ab Ecclesiis, quibus præfuit defensari „*interposita pœna damni pecuniæ atque honoris.*

Quapropter ad hoc Decretum reflectens Petrus de Marca in opusculo de Veter. Collect. Canonum non sine fundamento monet: "Lex petenda erat „ob *civilem* pœnam, quæ ab Ecclesia infligi non „poterat, sed tantum *canonica*.

Præterea notat ibidem De Marca collectori illius farraginis, quæ sub nomine Concilii Carthaginiensis V. extat "visum ut Canonem istum „secundum in sua collectione locaret *constituendo* „Synodi *authoritate*, quod postulandum erat à „Principibus, *& illud statuendum* (inquit) & „cætera subjungit.

Hæc rectè à viro erudito notata: sed illud mirum à viro hîc non fuisse agnitam collectionis hujus corruptricem manum nec fœtidas pseudo-Isidori merces subodorâsse.

Interim & illud non immeritò monuit De Marca ex hac Canonis mutatione seu potiùs corruptione factum, "ut plures mediæ ætatis Pontificum constitutiones damno honoris & privatione dignitatum afficiendos jubeant, qui suis „Decretis reluctati fuerint.

Neque dubium, quin hic Canon ita conceptus dederit occasionem Judicibus Ecclesiasticis imponendi quoque pœnas *pecuniarias* & civiles, præsertim postquam in Decretum Gratiani per modum absoluti Canonis & à *Concilio Carthaginensi V. editi relatus fuit caus. 21. quæstion. 5. can. 3.*

Et sanè ante evulgatam & receptam Isidorianam collectionem Ecclesiam nec pœnis pecuniariis, nec corporis afflictivis in vindictam criminum, aut adversus suorum Decretorum violatores usam fuisse legimus; imò usque ad sæculum VIII. nonnisi per modum pœnitentiæ cum respectu ad forum pœnitentiæ, quasi in modum eleemosynæ aut pœnitentiæ pœnas imposuisse constat ex Epistola Gregorii II. ad Leonem Isaurum Imperatorem, in qua scribit: Vides Imperator, Pontificum Imperatorum discrimen? Si quispiam te offenderit, domum ejus publicas & spolias, solam illi vitam vel suspendio necas, vel capite truncas, vel relegas, eumque à libris & ab omnibus „cognatis & amicis suis amandas. Pontifices, „non ita. Sed ubi peccârit quis, & confessus „fuerit, suspendii vel amputationis capitis loco „Evangelium & crucem cervicibus ejus circumponunt, eumque tanquam in carcerem „in secretaria sacrorumque vasorum æraria con-

„conjiciunt, in Ecclesiæ Diaconia & in Cathecumina ablegant, ac visceribus ejus jejunium, „oculisque vigilias & laudationem ori ejus inducunt. Cùmque probèque fame afflixerint, tum „pretiosum illi Domini corpus impertiunt, & „sancto illum sanguine potant, & cùm illum fas „electionis restituerint ac immunem peccati, sic „ad Dominum purum insontemque transmittunt. Habetur hæc Epistola tom. 7. Concil. General. col. 26.

Quod in hac Epistola scribit Gregorius, criminosos ad agendam pœnitentiam conjici in secretaria sacrorumque vasorum æraria, aliaque loca, non absimile est retrusioni in Monasteria retrusiones eâ ætate non imponebantur in vindictam publicam criminum, nec in vicem incarcerationis, sed per modum pœnitentiæ. Monasteria enim erant loca pœnitentium & ad pœnitentiam salutarem agendam opportuna & destinata, neque alium in finem Clerici aut Laici ad Monasteria relegebantur, nisi quòd ea loca utpote à mundi tumultibus separata, opportuniora reputarentur ad agendam convenientem pœnitentiam: tametsi labentibus sæculis hæc in Monasteria retrusio in vicem incarcerationis ad vindictam publicam criminum imponi cœperit.

Ad Numerum XVI.

Quare Judex Ecclesiasticus nequeat infligere mulctam pecuniariam per modum pœnæ.

Observat Du-Casse in suo Tractatu de Jurisdictione Ecclesiastica *tomo 2. cap. 12. num. 3.* quòd Judices Ecclesiastici non soleant in sententia exprimere mulctam pecuniariam sub nomine pœnæ, sed sub nomine *eleemosynæ* in pauperes vel locum religiosum vel aliud pium opus impendendæ.

Notat insuper, quòd Judex Ecclesiasticus idcircò non possit aliquem condemnare in mulctam pecuniariam sine expressione usûs, in quem sit expendenda, quia Episcopus sive Ecclesia *Fiscum* non habet, quemadmodum Principes sæculares suum habent, in quem pœnæ pecuniariæ per Magistratus Regios inflictæ referuntur: & ideo Judices Regni possunt similes pœnas infligere, quæ ipso facto censeantur Fisco Regio applicatæ.

CAPUT VII.

Ad Numerum XVI.

Moderatio in excommunicandis Principibus.

Hoc argumentum (de moderato usu excommunicationis contra Principem de quo in textu) prosequitur Guillelmus Barclaius in Tractatu de potestate Papæ *cap. 26. pag. 663.* apud Goldastum *tomo 3.* Monarchiæ, ubi quidem concedit esse potestatem in Ecclesia excommunicandi Principem in suis erroribus & hæresi sequantur, sed tamen nullatenus inde consequens esse, penes Ecclesiam aut Pontificem esse authoritatem absolvendi subditos ab obedientia, quam debent ipsi Principi ob pertinaciam in hæresi principatum adimendi. Et *cap. 31.* ostendit, quæ sit optima ratio, & quam per x. sæcula constantissimè conservârunt Romani Pontifices & Episcopi Principibus debitam observantiam custodiendi, & subditos ne erroribus vel vitiis eorum inficiantur præmuniendi, solidissimèque in hoc Tractatu ostendit, quòd licet Christianis facillimum fuisset primis sæculis hæreticos Imperatores dejicere, nunquam tamen id attentâsse; sed è contrario, quamvis ipsorum hæresim maximè abhorrerent, ipsis tamen in politicis omnem obedientiam exhibuisse conformiter ad doctrinam Apostolorum, qui soliciti fuêre, ut primi Christiani sive ex Judæis sive ex Gentilibus ad Christum conversi plenam subjectionem & obedientiam exhiberent Principibus etiam Ethnicis, in iis, quæ Religioni Christianæ non repugnabant, uti notavi in Præfatione ad Tract. de Public. Legum & Placito Regio,

TITULUS XII.

De Exemptione à Jurisdictione Ordinariorum.

CAPUT V.

Ad Numerum XXIV.

Exemptionum privilegia plenè & exactè probanda & examinanda.

Observat Hieronymus à Costa in suo Tractatu Gallico de Origine & progressu Proventuum Ecclesiasticorum pag. 326. eam esse consuetudinem & praxim Regni Galliæ, quòd sola possessio non judicetur sufficiens pro asserenda exemptione sive Regularium sive Sæcularium à Jurisdictione Ordinariorum, sed præter possessionem exigatur titulus, cui innitatur ipsa exemptio, in legitima forma productus. Prima ratio hujus praxis ea est, ut asserit dictus Author, quia frequenter habetur similis possessio exemptionis, eò quòd ipsi tituli exemptionum non sufficienter fuerint visi & examinati, qui tamen ordinariè falsi sunt, & de suppositione jam pridem conquestus fuit Petrus Blesensis, ut capite præcedenti *num. 35.* relatis ejusdem verbis observatum est. Et non nulla Romanis Pontificibus, ac signanter sancto Gregorio necnon Deo-dato falsa supposita privilegia notavimus cap. 410.

Secunda ratio hujus praxeos allegatur, quòd exemptio, cùm deroget, juri communi & jurisdictioni Ordinariorum non debeat admitti, nisi legitimo titulo innixa ac justis de causis concessa, cui adjungi potest (ait idem Author, quòd falsitas nunquam possit locum facere præscriptioni, possessioque, quæ originem habet ex mala fide possidentis, nequeat facere justam possessionem.

Non immeritò addit hìc Author summo cum rigore examinanda esse hujusmodi exemptionum privilegia, utpote juri communi & Ordinariorum jurisddictioni adversantia, nec quidquam vigore hujusmodi privilegiorum ipsis privilegiatis annuendum, nisi quòd evidenter in ipsis titulis exhibitis & probatis est expressum; notatque omninò necessarium, ut ipsum privilegium evidentibus terminis sine omni ambiguitate fuerit expressum.

Insuper

Insuper observat idem Author, quòd, quò antiquiora sunt privilegia, eò minùs sunt extensa, si legitima sint: quandoquidem, utì ex antiquis formulis patescit, hæc penè nihil aliud concernant præter liberam potestatem eligendi per Monachos Abbates, & rerum temporalium conservationem manente integrâ in cæteris canonicâ Episcoporum authoritate, quod & fusius supra fuit expositum & probatum.

Plura, è quibus similium privilegiorum suppositio & falsificatio à perspicacibus Judicibus deprehendi possit, eruditè ibidem proponit dictus Author, quæ meritò attendentur ab iis, quibus hujusmodi privilegiorum veritas vel falsitas examinanda & ponderanda committitur.

CAPUT VI.

Ad Numerum III.

Optatum fuit in Concilio Tridentino, ut exemptiones tollerentur, sed obtineri non potuit.

NOtorium est ex Historia Concilii Tridentini Episcopos exoptâsse totalem exemptionum revocationem atque summopere desiderâsse, ut omnia Monasteria Regularium, necnon Capitula Canonicorum juxta canonicam institutionem Episcopis cujusque Diœcesis immediatè subjicerentur; sed eam revocationem nequaquam probâsse Aulam Romanam, utique Aulæ Episcopos Italiæ omni modo favisse. Et quidem narrat Petrus Suavis in Historia Concilii Tridentini pag. 319. editionis anni 1658. quòd, cùm quidam Episcopi viderent decreto, quod extat *cap. 5. Sess. 14. de Reform.* insertam exemptionem, quâ mediante à Decreto exciperentur Universitates Generales & Collegia Doctorum seu Scholarium, & Regularia loca, necnon hospitalia actu hospitalitem servantia, sustinuerunt absurdissimè *exceptionem à regula esse latiorem ipsâ regulâ*, quandoquidem plures sint in Monasteriis & Collegiis, quàm extra illa viventes, per quos abusus essent metuendi, quibus per hoc Decretum Synodus occurrere volebat.

Narrat autem hic Historicus, quòd ea res quidem per Legatum Romanum fuerit nuntiata: sed responsum esse, *re non ita pridem Paulo* III. *Pontifice determinatâ, nimirum esse necessarium ad tuendam authoritatem Apostolicam, ut Fratrum conventus, & Academiæ omninò à Pontifice pendeant, nihil opus erat novâ deliberatione.*

Cardinalem Pallavicinum in Historia Concilii Trid. *lib. 12. cap. 13. num. 8.* reflectentem ad hanc reflexionem & narrationem Petri Suavis malè habet *hoc Decretum à Suavi non præteriri sine asterisci sui luce*, sed tamen vera esse narrata à Suavi sat apertè fatetur: nam candidè fatetur Romanam Curiam nequaquam voluisse exemptiones, præsertim Regularium totaliter revocari, eò quòd magnoperè intersit hujus Curiæ Regulares immediatè Pontifici ~~subjici,~~ & ab eo dependere: "Haud equidem inficior (inquit) „unum ex emolumentis, quæ Regularium immu„nitas secum fert, in eo situm, quod authoritatem „Sedis Apostolicæ sustineat secundùm institu„tionem Christi & Ecclesiæ bonum: cùm in com„perto sit omne Monarchiæ regimen, quo se il„læsum tueatur, opus habere in singulis Provinciis „aliquo prævalido præsidio ejusmodi subdito„rum, qui Principi per se ac perpetuò illic domi„nanti nequaquam subjiciantur.

Moderatio in excommunicandis Principibus.

Non dubium, quin huic politicæ rationi potissimum innitantur omnia privilegia ac facultates, quæ tum Regularibus, tum Universitatibus & Capitulis à Romanis Pontificibus indulta leguntur, ut nimirum mediantibus hisce privilegiis & facultatibus, hæc corpora eorumque singula membra Sedi Apostolicæ magis redderentur obnoxia, & ad tuendam ejus authoritatem, à qua vigor & valor horum privilegiorum dependent, essent procliviora, utì & observavi in hoc supplemento ad part. 2. tit. 6. cap. 5.

Revocationi privilegiorum & exemptionum tam conventibus Regularium, quàm Capitulis Canonicorum Indultorum & hoc obstitisse videtur, quòd Romani censerent hæc privilegia & exemptiones per Sedem Apostolicam concessa non posse nisi per ipsum Pontificem revocari, quemadmodum notavi Orator Regis Christianissimi in notis ad Decreta *Sess. 24, de Reform.* promulganda, quas ipse è Concilio Trid. se substrahens & Venetias de mandato Regis proficiscens ad Regem transmisit.

Inter hæc autem capita sextum erat de revocandis exemptionibus Capitulorum. "Hoc au„tem totum caput (ait) de abrogandis aut certè „moderandis Canonicorum exemptionibus ab „Hispanis Episcopis & bonis omnibus vehemen„ter efflagitatum, ex ea tantùm causa rejectum „est, quod non placuit exemptiones à Romanis „Pontificibus Canonicorum Collegiis concessas, „etsi ex iis maxima incommoda proficiscantur „ab alio quàm à Romano Pontifice tolli aut mi„nui posse. In Libro cui titulus: *Memoire sur le Concile de Trente*, *pag. 578.*

Ex ipsa Historia Concilii Tridentini nequaquam ambiguum est, reformationi disciplinæ non exiguum obstaculum objectum fuisse, quòd Romani plurima ad solum Romanum Pontificem spectare, nec aliis fas esse ad ea manum mittere contendant, utì circa reformationem Cardinalium ipsiusque Curiæ Romanæ patuit.

Ad Numerum XXVII.

Curia Romana favet exemptionibus Capitulorum.

An Episcopus possit sine adjunctis in generali visitatione Canonicis imponere pœnam *extra ordinariam* tendentem magis ad correctionem morum quàm ad punitionem, quærit Pignatelli *tomo 1. Consult. 61.* resolvitque non posse, quia ex hoc fieri posset fraus sancto Concilio danti conjudices: atque ita indirectè possent puniri sine adjunctis, quod tamen abhorruit sanctum Concilium propter solitam æmulationem inter Episcopos & Capitula, illis tendentibus ad Monarchiam, his tuentibus authoritatem Sedis Apostolicæ, id quod in politia Ecclesiastica magni momenti est.

Hìc rursus notandum, quòd non obscurè fatente hoc Authore Romana Curia sustinuerit exemptiones Capitulorum Cathedralium eâ inter alias ratione, ut sic exempta Capitula authoritatem Apostolicam contra Ordinarios sustinerent.

APPENDIX MONUMENTORUM

Spectans ad Supplementum Juris Ecclesiastici.

(B)

Reglementen gegeven bij den Souvereijnen Raede van Brabant over d' administratie van de Kercke en H. Geest goederen.

Ordinationes seu Constitutiones datæ à summo Concilio seu Senatu Brabantico super administratione bonorum Ecclesiasticorum & Sancti Spiritus.

Reglement voor de Parochie van Poppel onder het Bisdom van's Hertogen-bosch.

I.

IN den ersten, dat alle Jaeren Sondaeghs voor Lichtmisse onder, ofte naer de Vroeghmisse, sal worden geprocedeert tot den Keus van eenen nieuvven Kerck-meester ende H. Geest-meester door den Pastoor ende twee Schepenen, door den Officier en de Weth, daer toe te deputeren.

II.

Dat de selve alsoo gekosen zynde sullen doen behoorelycken Eedt in handen van den Officier ter presentie den Pastoor.

III.

Dat Sondaeghs voor den 15. Septembris naer de Vroeg-misse, den Pastoor sal in de Kercke hebben te publiceren, datmen acht oft thien daegen daer naer sal doen de Rekeninge van de Kercke ende H. Geest-meesters.

IV.

Dat de Rekeningen sullen lmoeten gesloten ende geappostileert worden ten selven daege als die sullen gedaen worden.

V.

Dat de Rendanten hunne Rekeningen selfs sullen moeten overbrengen by hun gestelt ende geschreven.

VI.

Dat de selve Rendenten niet konnende schryven ofte andersints, onbequaem zynde om nunne Rekeningen te schryven ofte te stellen, den Heer Pastoor het selve sal mogen doen, ende den Secretaris de selve teckenen sonder solaris daer van te genieten.

VII.

Ende alsoo het Recht-huys als nu gehouden wordt in eene Herberge, alwaer het niet en convenieert dat de Rekeningen geschieden, soo wordt gepermitteert dat de selve sullen gedaen worden ten huyse van den Pastoor voor Schepenen publieckelyck, ende met open deuren, op dat ieder daer toe magacces hebben.

VIII.

Dat de Kerck ende H. Geest-meesters geene distributie van Almoessen en sullen mogen doen, ten sy met consent van den Pastoor, ende ingevalle daer eenige groote distributien souden die-

Ordinationes pro Parochia loci dicti Popel in Episcopatu Sylvæ Ducis.

I.

PRimo loco, annuatim Dominicâ ante Purificationem Beatæ Virginis sub vel post missam matutinam procedetur ad electionem novi ædilis seu magistri Ecclesiæ & magistri Sancti Spiritus per Pastorem & duos Scabinos ad id nominandos per Officialem & Legales.

II.

Quod ita electi præstabunt juramentum indebita forma inter manus Officialis præsente Pastore.

III.

Quod Dominica ante 15. Septembris post sacrum matutinum, Pastor in Ecclesia publicabit octo vel decem diebus post reddendas fore rationes magistrorum Ecclesiæ & sancti Spiritus.

IV.

Quod rationes seu computus & claudentur eodem die quo reddentur.

V.

Quod rationes reddentes eos personaliter à se scriptos & formatos præsentabunt.

VI.

Quod rationes reddentes, si non sciant scribere vel aliàs incapaces scribendi vel formandi suas rationes seu computus Dominus Pastor poterit id facere, & Secretarius signare nullo inde percepto salario.

VII.

Quod quoniam lex seu legales jam conveniunt in popina, in quâ non decet exhibere rationes, erit licitum id facere in domo Pastoris, publicè, coram Scabinis, apertis janius, ut cuilibet sit liber accessus.

VIII.

Quod magistri Ecclesiæ & sancti Spiritus nullatenus poterunt facere distributiones eleemosynarum, nisi ex consensu Pastoris & dum erunt faciendæ consi-

considerabiles distributiones, etiam postulabitur consensus supradictorum duorum Scabinorum.

IX.

Quod parvæ reparationes poterunt fieri consentiente Pastore per magistros Ecclesiæ & sancti Spiritus: majores verò intervenientibus & consentientibus supra dictis duobus Scabinis.

X.

Quod magistri Ecclesiæ & sancti Spiritus non poterunt elocare bona Ecclesiæ & sancti Spiritus nisi publicè intervenientibus Pastore & duobus supradictis Scabinis.

XI.

Quod magistri Ecclesiæ & sancti Spiritus nullam pecuniam poterunt pensioni annuæ assignare vel dare nisi intervenientibus Pastore & supradictis Scabinis.

XII.

Quod si aliqua dissidia, decidentur juxta diploma affixum, sub dato 31. Augusti anni 1608.

XIII.

Quod omnia dicta officia reddenda juxta hanc Constitutionem vel aliter quoad supra dicta bona debebunt *gratis* fieri, sine ullis sumptibus sive titulo vocationum, conviviorum, expensarum vel aliter, mandando omnibus ut se his accommodent, quæ omnia provisionaliter fiunt donec aliter ab aula statuatur datum in hac urbe Bruxellensi sub sigillo Majestatis suæ 18. Decembris 1702. Signatum *Bodry*.

nen gedaen te worden, daer over sal oock gevraeght worden het consent van de voorsz twee Schepenen.

IX.

Dat de kleyne noodige reparatien sullen mogen geschieden door de Kerck ende H. Geest-meesters met consent van den Pastoor, maer de groote reparatien sullen moeten geschieden met overstaen ende toestemminge van de voorsz twee Schepenen.

X.

Dat de Kerck ende H. Geest-meesters de goederen van de Kercke ende H. Geest niet en sullen mogen verhuren als publieckelyck met overstaen van den Pastoor en de voorsz twee Schepenen.

XI.

Dat de selve Kerck ende H. Geest-meesters geene penningen en sullen mogen aenleggen als met interventie van den Pastoor en de voorsz twee Schepenen.

XII.

Dat in cas van eenige verschillen, de selve sullen gedecideert worden op den voet van het Placcaert van den 31. Augusti, 1608.

XIII.

Dat alle de voorsz, devoiren ingevolge van desen Reglemente, oft andersints ter saecke van de voorsz, goederen te geschieden, sullen moeten *gratis* gedaen worden sonder eenige onkosten 't sy van Vacatien, Maelteydt, Verteiren, ofte andersints. Ordonnerende aen ieder sich hier naer te reguleren. Alles by provisie tot dat andersints by den Hove sal gedisponeert worden. Aldus gedaen binnen dese stadt Brussele onder het Cachet van syne Majesteyt den 18. December 1702. sub *Bodry*.

Ordinatio seu Constitutio pro bonis Ecclesiæ Sacelli & sancti Spiritus pagorum Vorselaer & Lichtaere, Episcopatus Antverpiensis.

I.

PRimò, quod Dominica cujuslibet anni ante 15. Septembris, Pastor cujuslibet publicabit in Ecclesia 21. ejusdem mensis festo sancti Mathei reddendas fore rationes seu computum Ecclesiæ, Sacelli & sancti Spiritus.

II.

Quod quilibet rationum redditor debebit facere computum integrum, & pro eo cavere.

III

Quod rationes seu computus debebunt appostillari & claudi eodem die quo reddentur.

IV.

Quod reddentes seu exhibitores personaliter à se formatas & conclusas rationes præsentabunt.

V.

Quod si iidem reddentes seu exhibitores non sciant scribere vel aliàs non sint in potentia scribendi vel formandi suas rationes aut computus Pastor poterit id facere & Secretarius signare nullo inde percepto salario.

VI.

Et quoniam congregatio legis hodiedum servatur in duabus dictis Parochiis, in popina, in qua non expedit nec decet rationes reddere, erit licitum id facere in domo Pastoris publicè coram Officialibus & Scabinis januis apertis, ut unicuique sit liber accessus.

VII.

Quod parvæ reparationes necessariæ poterunt fieri

Reglement op de Kerck, Capelle ende H. Geest-Goederen vande Dorpen van Vorselaer en Lichtaert, onder het Bisdom van Antvverpen.

I.

IN den eersten dat Sondaegs voor den vyfthienten September van jederen jaere, den Pastoor van elcke Parochie sal in de Kercke publiceren, datmen den eenen twintigsten der selver maent wesende den Feestdagh van den heyligen Matheus, sal doen de Rekeninge van de Kerck, Cappelle ende H. Geest.

II.

Dat jeder Rendant sal moeten maecken volle Rekeninge ende daer voor verant worden.

III.

Dat de Rekeningen sullen moeten geappostilleert ende gesloten worden den selven daege dat sy geschieden.

IV.

Dat de Rendanten selfs sullen moeten hunne Rekeningen overbrengen by hun gestelt ende geschreven.

V.

Dat de selve Rendanten niet konnende schryven oft andersints onbequaem zynde om hunne Rekeningen te schryven oft te stellen, den Pastoor het selve sal mogen doen ende Secretaris de selve teekenen sonder solaris daer voor te genieten.

VI.

Ende alsoo het Recht huys alsnu in byde de voorsz, Parochien gehouden wordt in een Herberge, alwaer het niet en convenieert dat de Rekeningen geschieden, soo wordt gepermitteert dat de selve sullen gedaen worden ten huyse van den Pastoor, voor den Officier ende Schepenen publieckelych, ende met opene deure, op dat jeder daer toe acces magh hebben.

VII.

Dat de klyne noodige reparatien sullen mogen geschie-

geschjeden door de Kerck, Capelle, ende H. Geest-meesters, met consent van den Pastoor, maer de groote reparatien sullen moeten geschieden met overstaen ende toestemminge van den Officier en Schepenen.

VIII.

Dat de Kerck, Capelle ende H. Geest-meesters niet en sullen mogen verhuereu de goederen, Kerck, Capelle ende H. Geest aengaende als publieckelyck, ende met overstaen van den Pastoor, Officier ende Schepenen.

IX.

Dat de selve Kerck, Capelle ende H. Geest-meesters geene penningen en sullen mogen aen leggen, als interventie van den Pastoor, Officier ende Schepenen.

X.

Dat de aengelegde penningen, de welcke tot noch toe sonder genoeghsaeme versekeringe zyn uytgestelt, sullen moeten ingevoordert ost behorrlyck versekert worden.

XI.

Dat de openstaende Rekeningen ende Sloten sullen in wyingen tydt worden gedaen en de ingevoordert.

XII.

Dat Rekeningen behoorelyck gedaen ende gesloren, sullen worden gestelt in de Komme van de respective Kercke, alwaer oock de overige penningen van de sloten sullen moeten gebrocht worden, tusschen veerthien dagen naer dat de Rekeningen geschiet zyn.

XIII.

Dat de Kerck ende H. Geest-meesters geene distributie vaen Aelmossen en sullen mogen doen, ten sy met consent van den Pastoor, ende ingevalle daer eenige grote distributien sonden dienen gedaen te worden, daer over sal oock gevraegt worden het consent van de voorsz. Officieren ende Schepenen.

XIV.

Dat in cas van eenige verschillen, de selve sullen gedecideert woorden op den voet van het placcaert van den eenendertighsten Augusti, sesthien hondert acht.

XV.

Dat alle de voorsz, devoiren ingevolge van desen Reglemente, oft anderlints ter saecke van de voorsz. goederen te geschieden, sullen moeten *gratis* gedaen worden sonder eenige onkosten, t sy van vacatien, maelt ydt, verteir oft andersints, ordonnerende een-jeder sich hier naer te reguleren, alles by provisie, tot dat andersits by den Hove sal gedisponeert worden. Aldus gedaen binnen dese Stadt Brussele, onder het Cachet secreet van Syne Majesteyt den thiensten Julii, seventhien hondert negen, geparapheert *Grysp. vt.* ende was onderteeckent *Bodry*, ende gecacheteert met Syne Majesteyts secreten Segele in rooden aut wele gedeckt met wit pampier.

Dit Reglement is geextendeert geweest *mutatis mutandis* voor de Parochie van Boort-Meerbeeck onder de Meyerye van Campenhout in het Aertsbisdom van Mechelen, op den 22. October 1711. sub Secretario, *Vander Linden*.

per magistros Ecclesiæ, Sacelli & sancti Spiritus, cum Pastoris consensu; sed considerabiles debebunt fieri intervenientibus & consentientibus Officiali & Scabinis.

VIII.

Quod magistri Ecclesiæ, Sacelli & sancti Spiritus non poterunt elocare bona Ecclesiæ, Sacelli, & sancti Spiritus nisi publicè & intervenientibus Pastore, Officiali, & Scabinis.

IX.

Quod dicti magistri Ecclesiæ, Sacelli, & sancti Spiritus, non poterunt pensioni assignari ullam pecuniam nisi intervenientibus Pastore, Officiali, & Scabinis.

X.

Quod debebunt reassumi vel in securitatem redigi in debita forma pecuniæ huc usque fine sufficiente securitate pensioni assignatæ.

XI.

Quod rationes apertæ & clausæ fient exiguo temporis spatio & consequenter executioni tradentur.

XII.

Quod rationes debitè confectæ & clausæ, debebunt deponi in cista Ecclesiarum respectivarum, ad quos etiam deferentur pecuniæ restantes exclausis computibus 14. diebus post redditionem computuum.

XIII.

Quod magistri Ecclesiæ, sancti Spiritus nullas eleemosynas poterunt distribuere nisi consentiente Pastore, & dum agetur de faciendis majoribus distributionibus postulabitur consensus Officialium & Scabinorum.

XIV.

Si accidant dissidia decidenda erunt juxta affixum diploma 31. Augusti 1608.

XV.

Quod omnia officia reddenda juxta hanc ordinationem vel aliter respectu prædictorum bonorum fient *gratis* absque ullis sumptibus sive titulo vacationum, conviviorum, expensarum, aut aliter mandando unicuique ut se his accommodet, omnia provisionaliter, donec ab aula aliter statuatur. Datum in hac civitate Bruxellensi sub sigillo secreto Majestatis suæ 10. Julii anni 1709. sub signo calamavi Signatum *Bodry.* & erat impositum Secretum Majestatis suæ hostia rubra obductum papyro alba.

Hæc ordinatio fuit extensa *mutatis mutandis* pro *Parochia* Meerbeeck de satapria Campenhout in Archiepiscopatu Mechliniensi, 22. Octobris 1721. sub Secretario *Vander Linden*.

Reglement voor de Parochie van Haren, by Brussele.

I.

DAt alt ydt sullen wesen twee Kerck-meesters ende twee H. Geest-meesters waer van de twee oudtste sullen afgaen ter expiratie van 't tweede jaer van hunnen dienst.

II.

Dat in hunne plaetse t'elcken sjaere op Saterdagh voor Lichtmisse eenen nieuwen Kerck ende H. Geestmeester gekosen sal worden door den Pastoor ende door den Heere, ofte in syn afwesen door des selfs eersten Officier.

III.

Dat de selve alsoo gekosen den gewoonelycken Eedt sullen moeten doen in handen van den Officier.

Ordinatio pro Parochia à Haren prope Bruxellas.

I.

QUod semper erunt duo magistri Ecclesiæ & duo magistri sancti Spiritus; quorum duo Seniores deserent sua servitia finito secundo anno.

II.

Quod ipsorum loco quolibet anno Sabbathi ante Purificationem, eligetur novus magister Ecclesiæ, & sancti Spiritus à Pastore & à Domino loci, vel in ejus absentia à primario ejus Officiali.

III.

Quod ita electi præstabunt inter manus Officialis juramentum solitum præstari.

IV. Quod

IV.

Quod magistri Ecclesiæ, & sancti Spiritus debebunt rationes suas annuas reddere in loco (non existente popina) in qua Lex convenit interveniemtibus Parocho, & Domino territoriali vel ejus principali Officiali & duobus Scabinis cum judicii scriba Pagi *d'Haren*.

V.

Quod hi duo computus reddentur eodem tempore *gratis* separatis sexternionibus, & absque quod ullus possit nec postulare nec ullo salario gaudere.

VI.

Quod reddentes rationes præsentaturi sint suos computus respectivos à se scriptos & debite efformatos, ut, illis apostillatis & clausis signentur à Secretario *d'Haren*.

VII.

Quod si contingat aliquos illorum qui computibus debent interesse, non adesse die statuto, procedetur à præsentibus ad auditionem & clausuram.

VIII.

Quod magistri Ecclesiæ & sancti Spiritus respectivè habebunt administrationem proventuum seu redituum respectivorum.

IX.

Quod reparationes & expensæ ordinariæ Ecclesiæ fient cum cognitione Parochi & Domini, aut ejus principalis Officialis.

X.

Quod distributiones Eleemosynarum eodem modo fient.

XI.

Quod elocatio seu conductio bonorum Ecclesiæ, & sancti Spiritus fiet publicè & *gratis* & supra interveniemtibus Officiali principali, duobus Scabinis, & Secretario, coram Pastore, & Domino, si id bonum judicent.

XII.

Quod nulla venditio bonorum, nulla refusio redituum, nulla expositio pecuniæ pro lucro percipiendo, vel alii contractus qui olent alienationem, poterunt fieri nisi cognoscentibus Parocho, Domino, & omnibus quorum interest & ex consensu Archiepiscopi, & permissu Majestatis suæ.

XIII.

Quod fient duæ cistæ, una pro Ecclesia, & altera pro sancto Spiritu, in quibus custodientur documenta respectiva, literæ, rationes seu computus &c. sicut etiam pecuniæ paratæ.

XIV.

Quod pro qualibet cista fient tres differentes seræ & tres claves; Pastor uniuscujusque cistæ habebit unam, Dominus vel ejus principalis Officialis etiam uniuscujusque unam, & magistri Ecclesiæ & sancti Spiritus etiam suarum cistarum respectivarum.

XV.

Quod insuper observabuntur statuta in affixo diplomate 31. Augusti anni 1608. datum 24. Januarii 1713. signatum *Bodry*.

IV.

Dat de Kerck en H. Geest-meesters jaerelyckx ter plaetse van 't Genecht, geen Herbergh wesende Rekeningen sullen moeten doen ter interventie van den Pastoor ende van den Heere oft des selfs eersten Officier, ende van twee Schepenen met den Greffier van 't dorp van Haren.

V.

Dat dese twee Rekeningen by separate Cochieren samen ten selven tyde gedaen sullen worden *gratis*, ende sonder dat daer voor door jemanden eenigen salaris gevraeght oft genoten sal mogen worden.

VI.

Dat de Rendanden hunne respective Rekeningen sullen moeten overbrengen behoorelyck by hun geschreven en gestelt, om geappostilleert en gesloten zynde, by den Secretaris van Haren geteeckent te worden.

VII.

Dat by aldien eenige der genen die over de Rekeningen moeten staen, ten dage dier nier en comparerem, des niet tegenstaende tot hooringe ende sluytinge geprocedeert sal worden door de presenten.

VIII.

Dat de Kerck en H. Geest-meesters d'administratie van het respectief inkomen sullen hebben.

IX.

Dat de ordinaire reparatien ende belastingen van de Kerck geschieden sullen met kennisse van den Pastoor en ende van den Heere oft des selfs eersten Officier.

X.

Dat het uytrycken det Aelmoessen op den selven voet sal gedaen worden.

XI.

Dat de verhueringe van de Goederen det Kercke en H. Geest, publieckelyck en *gratis* als hoven sal gedaen worden ten overstaen van den eersten Officier, twee Schepenen en van den Secretaris in't bywesen van den Pastoor en van den Heere, dunckt sulckx hun goedt.

XII.

Dat geene verkoopinge van goederen, quytinge van Renten, aenlegginge van Penningen, oft andere Contracten smaeck hebbende van alienatie, en sullen mogen geschieden ten sy met kennisse van den Pastoor, van den Heere ende van alle andere geinteresseerde, en met consent van Syne Hooghweerdigheydt en Octroy van Syne Majestyt.

XIII.

Dat gemaeckt sullen worden twe Kisten ofte Commen, d'een voor de Kercke ende d'ander voor den H. Geest, waer inne bewaert sullen worden de respective documenten, letteragien, Rekeningen &c. mitsgaders de contante Penningen.

XIV.

Dat voor elcke Kiste sullen gemaeckt worden dry verscheyde sloten, ende dry sleutels, waer van den Pastoor van elcke Kiste eenen sleutel, den Heere oft des selfs eersten Officier van elck eene, ende de Kerck en H. Geest-meesters van hunne respective Kisten eenen sullen hebben.

XV.

Dat wegens de meer reste men sich sal reguleren volgens 't gestatueerde by't Placcaert van den eenen dertighsten Augusti 1608. Actum den 24. Januarii 1713. onderteeckent, *Bodry*.

Ordinatio pro bonis Ecclesiæ, & sancti Spiritus Parochiæ Everensis.

I.

QUod semper erunt duo magistri Ecclesiæ & sancti Spiritus quorum duo Seniores servitia

V. Espen. Supplem. in jus Eccl.

Reglement op de Kerck ende Heyligh-Geest-Goederen der Parochie van Evere.

I.

DAt altydt sullen wesen twee Kerck-meesters ende twee Heylig Geest-meesters, waer van

van de twee oudtste sullen afgaen ter expiratie van het tweede jaer van hunnen Dienst.

II.

Dat in hunne plaetse t'elcken jaere op Saterdagh voor Lichtmisse eenen nieuwen Kerck ende Heyligh Geest-meester gekosen sal worden, door den Heere, ende den Pastoor, oft in het afwesen van den voorsz. Heere, door den Pastoor, ende den eersten Officier van den Heere, die welcke in cas van oneenigheyt hen sullen vergelyccen by het trecken van het Loth.

III.

Dat de selve alsoo gekosen zynde, gewoonelycken Eedt sullen moeten doen in handen van den Officier.

IV.

Dat op den tweeden Sondagh van September van jederen jaere den Pastoor van de Parochie sal in de Kercke publiceren dat-men Donderdagh van de selve weke sal doen de Rekeninge van de Kercke ende van den Heyligen Geest.

V.

Dat iederen Rendant sal moeten maecken volle Rekeninge, ende daer vooren verantworden.

VI.

Dat de Rekeningen sullen moeten geappostilleert ende gesloten worden ten selven dage dat sy geschieden.

VII.

Dat de Rendanten selfs sullen moeten hunne Rekeningen overbrengen by hun gestelt ende geschreven.

VIII.

Dat de selve Rendanten niet konnende schryven, oft andersints onbequaem zynde om hunne Rekeningen te schryven offt stellen, den Pastoor het selve sal mogen doen, ende den Secretaris oft Greffier de selve teeckenen sonder salaris daer voor te genieten.

IX.

Ende alsoo het Recht huys alsnu in de voorschreve Parochie gehouden wort in eene herberge, alwaer het niet en convenieert dat de Rekeningen geschieden, soo wordt gepermitteert dat die selve sullen gedaen worden ten huyse van den Pastoor, voor den Landt-Deken, den voorschreven Pastoor, Officier ende Schepenen publieckelyck, ende met open deuren, op dat jeder, daer toe magh acces hebben.

X.

Dat de Kerck ende Heyligh Geest-meesters d'administratie van het respectief inne-komen sullen hebben.

XI.

Dat de klyne noodige reparatien niet excederende de somme van twelff guldens courant, sullen mogen geschieden door de Kerck ende Heyligh-Geest-meesters met consent van den Pastoor, maer dat de groote reparatien sullen moeten geschieden oock met overstaen ende toestemminge van den Officier ende Schepenen.

XII.

Dat de Kerck ende Heyligh-Geest-meesters niet en sullen mogen verhueren de Goederen, Kerck ende Heyligh Geest aengaende, als publieckelyck ende met overstaen van den Pastoor, Officier, en de Schepenen, sonder preferentie te geven aen de Huerelingen, 't zy inne-gesetenen ofte affgesetenen, ende dat op de oude conditien te schryven door die voorsz. Kerck ende Heylig-Geest-Meesters, 't en waere dat by gemeyn consent wirde goet gevonden eenige artikelen te veranderen, ende in cas van onbequaemheyt van de voorschreve Kerck ende Heyligh Geest Meesters sal in gevolght worden het gedisponeerden met den boven-staende achtsten artickel.

XIII.

Dat de selve Kerck ende Heyligh Geest-Meesters geene Penningen en sullen mogen aenleggen als ter interventie van den Pastoor, Officier, ende Schepenen.

XIV.

Dat de aengeleghde penningen de welcke tot noch toe sonder genoechsaeme versekeringe zyn

sua deserent circa finem anni secundi.

II.

Quod die Sabbathi ante Purificationem Beatæ Virginis ipsorum loco eligetur novus Magister Ecclesiæ, & Sancti Spiritus, à Pastore, & à Domino territoriali seu loci, vel absente dicto Domino à Pastore & Officiali principali dicti Domini, qui casu quo non convenirent, convenient mittendo sortem.

III.

Quod ita electi tenebuntur præstare solitum juramentum inter manus Officialis.

IV.

Quod Dominica 2da Septembris cujuslibet anni parochiæ in Ecclesia publicare Pastor debeat jovis ejusdem hebdomadæ exhibendos fore rationes seu computus Ecclesiæ & sancti Spiritus.

V.

Quod quilibet reddens tenebitur facere computum integrum & pro eo cavere.

VI.

Quod computus debebunt calamari signo muniri & claudi eodem die quo reddentur.

VII.

Quod reddentes tenebuntur personaliter præsentare suos computus à se formatos & scriptos.

VIII.

Quod si iidem reddentes non sciant scribere vel alias incapaces hoc præstandi aut conficiendi suos computus Pastor id poterit efficere & Secretarius vel judicii scriba signare nullo inde percepto salario.

IX.

Et quoniam lex dictæ Parochiæ convenit hodiedum in popina, in qua non decet reddere rationes, erit licitum id facere in domo Pastoris publicè, coram Decano rurali, dicto Pastore, Officiali, & Scabinis, januis apertis, ut unicuique sit liber accessus.

X.

Quod magistri Ecclesiæ, & sancti Spiritus habebunt administrationem respectivorum redituum.

XI.

Quod minores reparationes necessariæ dummodo non excedant summam 12. florenorum, poterunt fieri per magistros Ecclesiæ, & sancti Spiritus consentiente Parocho, majores verò intervenientibus & consentientibus Officiali & Scabinis.

XII.

Quod magistri Ecclesiæ & sancti Spiritus non poterunt elocare bona Ecclesiæ & sancti Spiritus nisi publicè intervenientibus Pastore Officiali & Scabinis absque quod dent præferentiam conducentibus sive incolis sive peregrinis, & hoc sub antiquis conditionibus quæ scriptis tradentur à dictis magistris Ecclesiæ & sancti Spiritus, nisi ex communi consensu congruum videretur mutare aliquos articulos, & casu quo dicti magistri Ecclesiæ, & sancti Spiritus sint incapaces, inhærendum erit dispositioni datæ in articulo octavo præfato.

XIII.

Quod dicti magistri Ecclesiæ & sancti Spiritus non poterunt ullas pecunias reditibus assignare, nisi Pastore, Officiali & Scabinis intervenientibus.

XIV.

Quod curandum erit ut in cistam redeant vel in securitatem veniant pecuniæ huc usque absq; sufficienti

ca tione

cautione assignatæ pensioni.

XV.

Quod computus aperti, & imò clausi fient exiguo temporis spatio & consequenter executioni mandabuntur.

XVI.

Quod debitè clausi & finiti reponentur in cistis respectivis Ecclesiæ sancti Spiritus Everensis, quò etiam adferentur pecuniæ restantes à clausis computibus intra quatuordecim dies post redditas rationes, & in quibus prætcrea deponentur documenta, & literæ in quibus agitur respectivè de bonis Ecclesiæ, & sancti Spiritûs.

XVII.

Fient pro qualibet cista tres diversæ seræ & totidem claves Pastor utriusque unam retinebit; primus Officialis pariter unam cujuslibet cistæ, & Senior magistrorum Ecclesiæ & sancti Spiritus pariter retinebit unam clavem de cistis ipsorum respectivis.

XVIII.

Magistri Ecclesiæ & sancti Spiritus poterunt facere consentiente Parocho Eleemosynarum distributiones non excedentes summam trium florenorum: dum verò considerabiliores erant faciendæ, dictos principales Officialis & Scabini debebunt intervenire, & consentire.

XIX.

Casu quo accidant dissidia, decidenda erunt juxta affixum diploma 31. Augusti 1618.

XX.

Dicta Officia reddenda consequenter ad hanc ordinationem vel aliter quoad supra dicta bona debebunt ab unoquoque sive ille sit Ecclesiasticus sive sæcularis, *gratis* fieri, sive sumptibus, sive titulo vacationum, conviviorum, expensarum vel altero; etiam Pastor & æditus servitia & sepulturas *gratis* facient eorum, qui gavisi fuerint mensa sancti Spiritus.

Mandando omnibus & singulis ut his se conforment provisionaliter, donec aliter ab aula statutum fuerit. Datum Bruxellis. 3. Octobris 1718. Signatum *Catz*.

uyrgeset, sullen moeten ingevoordert oft behoorelyck versekert worden.

XV.

Dat de openstaende Rekeningen, ende sloten sullen in weynigen tydt worden gedaen en ingevoordert.

XVI.

Dat de Rekeningen behoorelyck gedaen ende gesloten, sullen worden gestelt in de respective Commen van de Kercke ende van den Heyligen Geest van Evere, alwaer oock de overige penningen van de sloten van de Rekeningen van jeder *corpus* sullen moeten gebrocht worden tusschen vierthien dagen naer dat de Rekeningen geschiedt zyn, ende voorders oock sullen gedepositeert worden alle documenten ende litteragien die goederen van de voorschreve Kercke ende Heyligen Geest respective raekende.

XVII.

Dat voor elcke Comme sullen zyn ende gemaeckt worden dry verscheyde sloten, ende dry sleutels, waer van den Pastoor van elcke Kiste ofte Comme sal hebben eenen sleutel, den eersten Officier van elcke eenen, ende de oudtste Kerck ende Heyligh Geest Meesters van hunne respective Comme ofte Kiste oock eenen.

XVIII.

Dat de Kerck en Heyligh Geest-Meesters sullen mogen doen alle distributien van almoessen niet excederende dry guldens met consent van den Pastoor, ende ingevalle daer eenige groote redistributien souden dienen gedaen te worden, dat daer over sullen oock moeten staen ende hun consent geven den voorschreven eersten Officier, ende Schepenen.

XIX.

Dat in cas van eenige verschillen de selve sullen gedecideert worden op den voet van het Placcaert van den een-endertighsten Augusti sesthien hondert achthien.

XX.

Dat alle de voorschreve devoiren ingevolge van desen Reglemente oft andersints ter saecke van de voorschreve Goederen te geschieden, oock door wie het soude mogen wesen, Geestelycke persoonen, ofte werelycke, sullen moeten *gratis* gedaen worden, sonder eenige onkosten 't zy van vacatien, Maeltydt, verteir, oft andersints, gelyck oock door den Pastoor ende Coster *gratis* sullen moeten gedaen worden allen de Diensten ende Begraffenissen van de gene, genietende d'assistentie van den Huys armen.

Ordonnerende een jeder hem hier naer te reguleren alles by provisie tot dat anders by den Hove sal gedisponeert worden, Aldus gedaen binnen deser stadt Brussele den derden October seventhien-hondert acht-thien, onderteeckent *Catz*.

Sententia data in Concilio Brabantico super administratione bonorum Ecclesiæ & Sancti Spiritus 27. Februarii anni 1714.

Franciscus Wolffgangus Wilhelmus Rompen Pastor immunitatis Tervuerensis, Supplicans.

Præfecti, Consules, Scabini & Rectores ejusdem immunitatis, Citati seu in judicium vocati.

Viso in Concilio supremo Brabantico statuto à Majestate sua libello supplice præsentato per supplicantem remisso ad Commissarios hujus aulæ per citationem de 9. Junii anni 1711. Cum hoc tenore; quod tam per Synodos Belgiorum quam per ordinationes hujus aulæ emanatas quoad administrationem Ecclesiarum & ipsarum bona, directio & admi-

Vonnis gegeven in den Souvereyne Raede van Brabant, nopende de administratie der Kercke en Heylig Geest Goederen den 27. Februarii 1714.

Fr. Wolfganck Willem Rompen, Pastoor, der vryheyt van Tervueren, Suppliant.

Die Meyer, Borge-Meesters, Schepenen ende Regeerders der selve vryheyt, gedaegde.

Gesien in Syne Majesteyts Souvereynen Rhede geordonneert in Brabant, de Requeste des Suppliants aldaer gepresenteert, by appointement van den negensten Junii seventhien hondert elf, verbonden voor Commissarissen van desen Hove, inhoudende, dat soo ingevolge diversche Synodien van dese Nederlanden, als Reglementen by desen Hove geemaneert op 't stuck van d'administratie van de Kercken, ende Goederen, aen de Pastoor-

stoors ten platten-Lande toequamp het bewin ende administratie van de Goederen competerende aen de Kercken ende armen van hunne respective Parochien, soo ende gelyck binnen de vryheyt van Tervuren t' bewin ende administratie der Goederen van den Heyligen Geest, den Pastoor aldaer beneffens-d' arme Meesters toe quamp, ende de voorsaeten des Suppliants oock altydt in possessie waeren geweest, als quamp te blycken uyt de Declaratie van Borge-Meester, Schepenen ende Arm Meesters der voorseyde vryheydt, op welcke Declaratie den voorsaedt des Suppliants in den jaere sesthien-hondert negen-en seventig hadde bekomen gehadt Brieven van maintenue tegens de Borge-Meesters, Schepenen ende Jacobus *Druaert* als Rent-Meester van den armen van Tervuren, alswanneer de selve Borge-Meester, Schepenen, ende Rent-meester den voorsaedt des Suppliants hadde gelaeten in syne paisible possessie, op welcken voet den Suppliant, sedert syne aenkomste tot de voorseyde Pastorye altydt paisibelyck was'gebleven, in de vermelde administratie, ende volgens op syne billetten door hem beneffens d' arme Meesters geteeckent, altydt de distributien van granen, gelt ende andere Aelmoessen was geschiedt aen de Huys Armen aldaer, des-niet-tegenstaende soo bevondt den Suppliant hem feytelyck geturbeert in syne voorschreve paisible possessie door den Officier *Carel Michiels* als hebbende gedaen verbod op den vyfden Mey seventhien-hondert elf, ten versoeke van Meyer, Borge-Meester ende Schepenen hun aldaer qualificerende pretense over-Momboirs van de Kercke ende armen der voornoemde vryheyt, aen de tegen woordige arm-Meestrs *Cornelis Labon* ende *Adriaen Vander Smissen* van geene billetten in't toekomende meer te geven aen d' armelieden als de gene by hun eygen handt geteeckent, sonder eenige teeckeninge van jemandt anders daer by te aeten voegen op pene, &c. ende vermitsdusdaenige feytelyckeden in een Landt van Justitie niet en waeren tollerabe, soo concludeerde den Suppliant ten eynde den voorseyden Raede gedient soude wesen aen hem t' accorderen opene brieven van maintenue in forma met clausule van interdictie, het verbael dien-volgende voor de voorseyde Commissarissen gehouden den negenthiensten Junii seventhien-hondert elf, alwaer den Suppliant door synen Procureur proponerende den inhouden van de voorschreven Requeste concluderende als in de selve, de contrarie conclusie der Gedaegde, afgeteeckent ten selven daege tot niet ontfanckelyckheyt des Suppliants in syne voorseyde conclusie *cum expensis*, den appointemente daer op ten selven daege gevolgt, daer by't Hof partyen mondelinge gehoort, ordonneerde aen de Gedaegde, aen den Suppliant te geven acces tot alle Rekeningen van den armen ende acquitten dier, sedert't jaer sesthien-hondert vyf-en-seventig inclus, ordonnerende voorts aen de selve binnen acht dagen te bewysen in welcker voegen sedert veertig jaer herrewaerts gegeven zyn geweest d' Ordonnantie van uytreyckingen van d' arm biletten met overleg van d'acquitten daer to dienende, ende bewys hoe de selve in de Rekeninge gepasseert zyn, om t' selve gedaen ende partyen gehoort, voorders ende sommierelyck gedisponeert te worden naer behooren; den naerderen appointemente gegeven ten verbaelen van den derden Julii 1711. daer by't Hof partyen gehoort, ordonnerde aen de selve *hinc inde* te maecken een pertinent applicaet van de stucken de welcke zy pretendeerde te gebrucken tot onderstandt van hunne wederseytsche sustenuen, ende de selve binnen acht dagen aen malckander te behandigen, om de selve gesien zynde by hun, acht dagen daer naer te compareren, ende sommierlyck ende mondelinge gehoort ende gedisponeert te worden, authoriserende des onvermindert *de consensu partium* ende sonder prejudicie van hun recht, soo ten principaele als in de provisie, de persoon van *Francois le Roy*, om middeler-tydt uyt-te-reycken de billetten van distributie voor den armen, gesien de respective schriftelycke applicaeten by partyen ter weder-syden-over-gegeven, mitsgaders de voordere verbaelen in saecke gehouden, bebelsende 't debath aldaer

ministratio bonorum spectantium ad Ecclesias & pauperes planæ patriæ concernat Pastores Parochiarum respectivarum; quod in immunitate Tervuerensi directio & administratio bonorum Sancti Spiritus ibidem erat penes Pastores & Magistros pauperum; quod prædecessores Supplicantis hac semper possessione fuissent gavisi ut patebat ex declaratione Consulum, Scabinorum, & Magistrorum pauperum dictæ immunitatis; quod attentâ hâc declaratione antecessor Supplicantis obtinuisset diplomata manutenentiæ anno 1679. contra Consules, Scabinos, & Jacobum *Druaert* tanquam receptorem pauperum *Tervuerensium*, super quo dicti Consules, Scabini, & receptor reliquerunt prædecessorem supplicantis in pacifica sua possessione; quod supplicans ab adventu suo ad dictum Pastoratum in eadem manserat quoad hanc administrationem; quod consequenter schedulis ab ipso & à magistris pauperum signatis semper factæ fuissent Eleemosynæ & distributiones frumentorum pauperibus in dicta immunitate; quod nihilominus supplicans turbaretur viâ facti in sua possessione pacifica ab Officiali *Carolo Michiels* qui requirentibus præfecto, Consulibus & Scabinis, prætensam qualitatem ducis ædilium Ecclesiæ, & pauperum, inhibuit 5. Maji 1711. modernis magistris pauperum *Cornelio Labon*, & *Adriano Van der Smissen*, ne imposterum darent schedulas pauperibus nisi signatas propriâ ipsorum manu, nulla alia admissa neque additâ signaturâ, sub pœna &c. talibus autem viis facti intolerabilibus in patria justitiæ, supplicans concludebat ut placeret concilio ipsi dare litteras patentes manutenentiæ in debita forma, cum clausula interdictionis; processu verbali deinde habito coram Commissariis 19. Junii 1711. in quo supplicans per suum Procuratorem proponendo contenta in sua dicta supplica inferebat ut per ipsam. Conclusio contraria citatorum ejusdem diei ut supplicans declararetur non admittendus in his quæ concludebat *idque cum expensis*; citatio ibidem facta eodem die, auditis verbaliter partibus, mandabat citatis ut supplicanti daretur accessus ad omnes computus pauperum & ad acquisita ab anno 1675. inclusivè, cum exhibitione acquisitorum ad id servientium, & demonstratione modi quo computata fuissent, ut desuper quoad factum & partibus auditis, ulterius & summariè disponeretur ut æquum & justum, citatio ulterior data in processu verbali 3. Julii 1711. per quam aula, partibus auditis illis mandabat *hinc inde* ut congruè applicarent documenta quibus prætendebant uti, ut fundarent ex utraque parte sua conclusa, ut parti utrique extraderetur post octiduum, ut illis visis, comparerent etiam post octiduum & desuper illis verbaliter & summarie auditis, decerneretur, data nihilominus ex consensu partium absque præjudicio cujuscumque juris, *Francisco le Roi* ut *ad interim* daret schedulas distributionum pauperibus visis respectivis applicatis seu scriptis partis utriusque, ulterioribus processibus verbalibus causæ quoad dissidia in illa mota tum pro petita consignatione testamentorum, codicillorum, donationum, & aliorum actuum, quæ citati in sua potestate prætendebant habere, & expurgatione desuper à supplicante factâ, citatio data post processum verbalem 17. Februarii 1711. in qua aula mandabat partibus *hinc inde*, ut ad acta venirent: aula omnibus perpensis & attentis manutenet supplicantem in possessione simul cum magistris Sancti Spiritus, ut signent schedulas servientes distributioni Eleemosynarum erga pauperes, exceptis casibus in quibus per acta fundationis aliter statutum & decretum videretur, & mandat citatis ut

cu-

curent annullari omnia impedimenta hisce contraria, condemnans dictos citatos ad expensas sub debita taxatione & moderamine aulæ. Ita datum in Civitate Bruxellensi 17. Februarii 1714. Signatum *A. V. Ghindertaelen.*

gemoveert, soo noopende 't versoeck van consignatie van de Testamenten, Codicillen, Donatien, ende andere Acten, die de Gedaegde pretendeerde den Suppliant ten onderen te hebben als anderlints, ende d' expurgatie daer over by den Suppliant gedaen, den appointemente vervolgens gegeven ten verbaelen van den seventhiesten Februarii seventhien-hondert twelff, daer by t'Hof ordonneerde aen partyen *hincinde* te fourneren, op al gelet, t'Hof maintineert den Suppliant in de possessie van benefensde Heylig Geest Meesters te teeckenen die Billetten dienende tot uyt-reykinge der almoelen aen den armen, uythenomen den opsichte der gevallen, alwaer by d'Acten van fondatie anderen regel offte weth bevonden wordt gestelt te zyn, ende ordonneert aen de Gedaegde te doen cassaren alle beletselen ter contraire, condemnerende de selve Gedaegde in die kosten ter behoorlycke taxatie ende moderatie van den Hove. Aldus gedaen binnen der Stadt Brussel den ses en-twintigsten Februarii seventhien hondert veerthien. Onder teeckent, *V. A. Ghindertaelen.*

(C)

Literæ Ducis Sabaudiæ Belgii Gubernatoris ad Priorem & Collegium J. U. Doct. Prof. Ordin. in Universitate Lovaniensi.

HONORABILES docti & sincerè dilecti. Cùm Serenissimus Rex Dominus & cognatus noster observandus pro sua in bonarum disciplinarum, & præsertim Jurisprudentiæ studiis provehendis propensione, nonnullorum Professorum stipendia augenda duxerit, novasque quasdam lectiones institui mandârit; nos tam laudabile Majestatis suæ institutum executioni mandare cupientes, jussimus pro singulis literas pro obtinenda debita stipendiorum solutione congruas expediri. Verùm, cùm præ cæteris Majestati suæ cordi sit, ut novæ lectioni Decretorum rectè provideatur, quam Majestas sua pro horum temporum: (quibus disciplina Ecclesiastica graviter convellitur;) necessitate, cupit ad primævam genuinamque suam revocari originem, sic ut magis ad Ecclesiæ ædificationem, quàm litium judiciorumque disceptationem dirigatur, dum diu multumque ad eam provinciam idoneus quispiam quæsitus esset, tandem Majestas sua ob singularem Petri Ximeny commendationem illum quantumvis reluctantem eò impulit, ut conditionem eam susciperet. Circa quam quidem ea fuit suborta difficultas, quòd duntaxat Baccalaureus sit in Jure Canonico, & altiorem gradum docendique authoritatem non haberet. Verùm non visum fuit hoc impedimentum, tam egregium institutum debere remorari, & uti Regia Majestas de eo cum ipso dispensavit, sic etiam vos non gravatè eum ad hanc professionem admissuros esse confidemus, eâ tamen conditione, ut intra annum à die cœptæ Professionis Doctoralia Insignia recipiat. Cùm hæc autem lectio non minus Theologiæ operam dantibus, quàm Juris Canonici Studiosis utilis futura videatur, talem ei horam assignari à nobis velimus, quæ utrisque sit accommoda. Ad hæc etiam intellexisse vos arbitramur constituisse Majestatem suam, quo ii, qui Jurisprudentiæ primam daturi sunt operam universa ejus disciplinæ elementa rectiùs simpliciùsque percipiant, ut deinceps & institutionum altera instituatur lectio, quâ omissis iis, quæ prolixiorem, exactioremque requirunt explicationem, is, qui ad hanc assumetur professionem, summatim duntaxat textum Justinianum explicet, glossasque leviter ac perfunctoriè tantùm attingat, sicut eas auditores legere, & potiora aliqua inde retinere assuescant. Et ne ultra septa hæc novus Professor transiliat, intra anni spatium totos quatuor libros Institutionum omnino Majestas sua vult absolvi, cujus vos diligentem habere curam, ac Majestati suæ vel Nobis denuntiare velimus, si aliter fiat. Eandem quoque brevitatem desideramus observari in altera lectione nova, quâ visum fuit, non abs re fore, si quispiam titulos ipsos utriusque Juris interpretetur, quo & faciliùs eos tyrones addiscant, & ordinem rerum, materiarumque: (qui materiam imprimis sublevant.) complectantur, & significationem unius cujusque tituli pleniùs percipientes ad graviora legum citò perdiscenda, viam sibi præstruant, & hanc quoque lectionem anni termino præscriptam Rex voluit, sicut post minores vacationes mense Octobri semper à capite hæc institutionum prælectio titulorumque expositio inchoetur. Institutionum autem consuetæ atque ordinariæ lectionis dignitati nihil Majestas tua detractum voluit, sed cùm eam ampliore stipendio decoravit, id desiderat, ut diligentiâ quoque majore tractetur. Cùm autem intelligamus, eum, qui illi hactenus præfuit, adversâ laborare valetudine, quæ fortè in longum tempus protrahi posset, cupimus, ut de Vicario ita provideatur, ne quid publica studia detrimenti accipiant. Ad has autem lectiones delegimus D. Joannem Vendivilium, Petrum Becktum Juris utriusque Doctores & Joannem Ramum Licentiatum, ex quibus quis unus nobis assumendus videatur, ad operam Vicariam ægrotantis, vos velimus dispicere, qui ex iis ad singulas lectiones magis videantur vel propensi vel idonei: Et cùm in rerum novarum institutione quid utile vel secus sit experimento primum intelligi certius soleat: visum nobis fuit, ut singulis in unum duntaxat annum hæ lectiones addiscantur, quo ipsorum interea spectata diligentia, & sperata utilitatis cognitio successu sub ejus finem de eorundem confirmatione meliùs constitui queat. Superest igitur, ut de Ximeny admissione, & quos, quibus lectionibus magis aptos censeatis, vestram nobis sententiam perscribatis, quo similiter super stipendiorum solutione providere eis possimus. Quid autem super augmento veterum stipendiorum vel institutione novorum pro utriusque Juris Professoribus ordinatum sit, ex schedula inclusa intelligitis. Deus vos conservet. Datum Bruxellæ XXII. Aprilis 1557. post Pascha.

(F)

Rationes sacræ Theologiæ Parisiensis contrà quorundam propositiones, qui Breviarium secundùm correctionem Concilii Tridentini introducere cupiebant, antiquo usu Breviarii Ecclesiæ Parisiensis penitùs abrogato.

DEus Optimus Maximus semper gavisus & usus est varietate, ut patet in ipsa creatione; in qua diversitate delectatus est. Hic enim ejus potens & sapiens providentia patet ex concentu & harmoniâ rerum diversarum atque contrariarum.

Hoc pugnat cum ratione & cum fide per charitatem operante. Nam ratio inferior debet consentire cum ratione æterna, quæ diversitatem in conditione universi posuit à principio, ut sit concordia discors: ut etiam magis excitemur ad virtutem, cùm ejus plura exempla proponuntur: ut Deus magis laudetur in multitudine & varietate mirabilium ipsius.

Hoc minueret Dei Optimi Maximi gloriam, Sanctorum cultum, & Christianorum ædificationem exemplarium.

Hoc valde minuit Episcoporum & Diœceseon authoritatem.

Qui hoc promovent, non sunt viri simplices, & devoti seu spiritales, sed astuti, politici, qui ex re qualibet, quolibet modo rem suam mundanam conantur facere. Astitit Regina à dextris sponsi circumamicta varietate.

Ut omnis novitas est suspecta, ita talis mutatio magna non potest esse sine detrimento magno.

Hoc foveret Cantorum & Ecclesiæ servitorum inobedientiam atque dissolutionem, cùm omnium Ecclesiarum unum esset & idem officium.

Quot sumptus necessarii essent? Rustici non possint juvare suos Curatos in officio agendo: Hoc autem maximè est necessarium in pagis.

Spiritus S. fecit loqui magnalia Dei omnibus linguis (*Act.* 11.) quod est argumentum diversitatis in officio Ecclesiæ, ut in universo & in membris corporis humani cernitur.

Nobis sapientiâ, prudentiâ, virtute, & donis sancti Spiritûs excellentiores fuerunt antiqui sancti Patres, qui justis de causis singulis Diœcesibus singula concesserunt & ordinaverunt Breviaria. Miretur ergo Gallia suum Marcellum, dum miratur suum Sylvestrum Roma.

Talis immutatio hæreticos juvaret atque delectaret, quasi in errore aut inscitia fuissent Patres Catholici in re tanta. Hoc esset scandalum piis Catholicis, qui hoc pacto possent dubitare de ipsa fide & religione, cujus consuetam professionem ita immutatam cernerent. Quid hoc affert utilitatis?

Reliqui Episcopi habent potestatem politiæ & ordinationis in suis Diœcesibus, ut Romanus in sua: hoc autem bona ex parte convelleretur.

Ad quid amplexaretur Breviarium Romanum, quod à paucis annis ter immutatum & derelictum vidimus? succedente alio Papâ novum erit forsan Breviarium expectandum.

Hoc est contra libertatem Ecclesiæ Gallicanæ, quæ si Romanæ in hac professione generali & maximâ se submittat, quid restat, nisi quod etiam ex consequenti sæpe submittet in reliqua omni politia? Nam accessorium sequitur principale.

Semper unaquæque Ecclesia & Provincia gavisa est suis ritibus, juxta illud:

Si fueris Romæ, Romano vivito more,
Si fueris alibi, vivito sicut ibi.

Ecclesiæ pagorum sæpe non sequuntur ordinationem suæ Cathedralis, & Cathedrales sequerentur Breviarium Romanæ Ecclesiæ.

Avari & semper ambitiosi Romani sic rem suam facere provident ex impressione, sicut videmus jam factum ex privilegiis multis ad hanc rem spectantibus.

Corrigantur, & tamen valde prudenter, & non curiosè aut scrupulosè nimis, si quæ indigent correctione in Breviariis Diœceseon, non autè deserantur.

Hìc Prædicatores & Curati non tam facilè populum docerent, ignorantes Legendas multorum Sanctorum particularium, particularibus locis magis celebrium & cognitorum.

Ubi Deus Opt. Max. dedit Sanctos, ibi quoque vult per illos invocari à fidelibus populis: sicut voluit rogari à filiis Isr. ël per Patres illorum Abraham, Isaac & Jacob. Retineantur ergo Breviaria singularum Diœceseon.

Si objiceretur cultus particularium Sanctorum, qui sunt in tanto & propè infinito numero, non ita juvaretur per illos Ecclesia. Nam rogati & laudati rogant atque juvant; ideo ordinavit Ecclesia per Spiritum S. illos in locis suis particularibus celebrari.

Cùm adhuc Ecclesia nascens & spiritus doctrinæ fervens in unum locum congregabatur, unusquisque suam particularem devotionem afferebat (1. *Cor.* 14.) quantò magis ergo ipsis per universum orbem dispersis, unaquæque Parochia vel saltem Diœcesis suam & devotionem & precandi formam retinebit, semper tamen ordinatè? Hìc terra diversorum fructuum arbores & semina nutrit.

Non major est ratio quòd omnes Sacerdotes ubique dicant unum Breviarium, quàm quòd omnes Laici unam tantùm orationem Deo Opt. Max. offerant.

Deus Opt. Max. qui decimis & primitiis vult recognosci, non magis vult talia sibi offerri ex iis, quæ nascuntur in singulis Provinciis, (non enim omnis omnia fert tellus) quàm desiderat coli & laudari ex mirabilibus, quæ contulit & operatus est per singulos & particulares Sanctos singularum & particularium Provinciarum.

Quid inde provenit, nisi Romanæ non dico religionis, sed superbiæ & ambitionis auctio? Non cedat crista Gallica Romano supercilio non enim hìc de religione, sed de superbia astuta agitur. Ubi enim minùs quàm Romæ Conciliorum Oecumenicorum decreta observantur? An non est hoc in Cleris dominari magis, quàm Ecclesiam ædificare? Dixit antiquitas quòd major est Orbis urbe: hìc verò urbs Orbem tentat complecti & sibi subjicere.

Hìc latet anguis in herba, hoc suspecto maximè astuto & malo tempore. Vitentur ergo, qui mutant tempora & leges. (*Daniel*, 8.) Monet Christus (*Matth.* 24.) eum solùm, qui usque ad finem perseveraverit, salvum fore. Perseverantia autem non est obstinatio novitatis prophanæ, sed antiquitatis religiosa continuatio.

Non propter vitandos sumptus temporales admittatur ignominiosa & detrimentosa plaga spiritualis.

In

In Ecclesia triumphante in cœlo (ad cujus exemplar & similitudinem in terra cuncta debent fieri) ut ordinum, ordinum & graduum variæ, ita & diversæ sunt laudum & coronarum formæ.

Non putamus ab se ab impietate, illorum memoriam in terris sepelire, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ & in cœlis gloriosa. Hoc autem fieret, si particularium Diœceseon particularia Breviaria tollerentur. Non enim satis est, eos in scriptis retineri, nisi & honorificè in Ecclesiis recitentur.

Hoc non vult Concilium, nec intendit Papa, sed Papæ adulatores suis propriis utilitatibus cum religionis amplitudinis detrimento inservientes.

Si recipiatur Romanum Breviarium, aut bona pars ejus amitteretur, aut infinitæ devotionum particularium ad celebritatem singulorum Sanctorum in illo Breviario omissorum: deserentur fundatores, & officia, in quibus obligantur cum summa injustitia, Ecclesiæ particulares. Monachi suum retineant Breviarium: & suo utantur cum decoro Hierarchici Pastores.

Qui hoc persequuntur, alii sumptum timent, alii adulantur & lucrum sperant, alii verò occultè & astutè cultum & splendorem Catholicæ Professionis imminuere, & Ecclesiam Catholicam turbare intendunt.

Hoc propositum convellit, non sine magno Religionis detrimento, consuetudines & traditiones Ecclesiasticas, quod non potest fieri sine Catholicorum scandalo, atque hæreticorum elatione, qui gloriabuntur, nostram talem immutationem esse argumentum præcedentis erroris atque inscitiæ in Religionis Catholicæ professione, idem concludendo de ejus persuasione & doctrina. Talis ergo mutatio hoc maximè fieret tempore imprudenter, atque periculosissimè.

Hîc Episcopi in suis Diœcesibus, si intelligunt, quod sunt, habent potestatem orationis modum constituendi, sicut Papa in Romana Diœcesi & Ecclesia (hoc enim sonat & significat vocabulum Pontifex, Hebr. v. & ix.) alioqui fierent Papæ Capellani.

(G)

Arrest de la Cour donnè en l' Audience, sur l' appel d' abus du changement du Breviaire d' Anjou, ordonnè par l' Evesque d' Angers en l' Eglise de la Trinitè audit Angers, de l' injonction par lui faite d' user de celui du Concile de Trente 1603.

Decretum ab aula datum in audientia, super appellatione abusiva de mutato Breviario Andegavensi, juxta mandata Episcopi ejus loci in Ecclesia Trinitatis sub eodem nomine de Mandato ab ipso dato, ut utendum foret, Breviario, Concilii Tridentini 1603.

EXTRAIT DES REGISTRES de Parlement.

ENtre Maîtres Guillaume Amis Chanoine, Nicolas Bodin Curé & Chanoine prebendé en l' Eglise de la Trinité d'Angers, Jean Doullart, Joachim Fradin, Michel le Boucher, Jacques Breon, Pierre Vignais, Sebastien Guillaume, Jamois, Michel Susanne, François Mousteau, Jean Bouthelie, Laurens Fleurs, Bertrand Lionnet, Lezin Percher, René le Vanier, Olivier Fontaine, Jean du Biez, Jean Garnier, Michel Roustion, Chanoines & Chapelains de ladite Eglise, & communaté d'icelle Eglise, appellans comme d'abus des ordonnances faites par Messire Charles Miron Evesque d'Angers, des 26. Octobre 1599. & 26. Mars 1600 portans changement du Breviaire d'Anjou, & injonction d'user de celui de Rome, reformé suivant l'advis des Peres assemblez à Trente, sur la requeste de Maistres Gaspard le Lievre, Urban Hodemon, & Jean Hiret, Chanoines: François Bienvenu & Laurent Cousteau, Chapellains: Estienne Remois Diacre, & Martin Martineau, tous habituez en ladité Eglise de la Trinité: En encore lesdits Bodin & consors demandeurs en Lettres du 20. Juillet ensuivant audit an. 1600. tendantes afin d'être reçus appellans en adherent des procedures faites en execution desdites ordonnances, & des contraintes faites à aucuns desdits Chanoines & Chapellains de signér les articles du changement dudit Breviare d'Anjou, & de ce qu'il auroit été ordonné que l'on achéteroit des livres à l'usage de Rome, & que taxe seroit faite sur les paroisses. Et pareillement de ce que l'Official dudit Evesque auroit ordonné que ledit Guillaume Jamois, l'un desdits appellans, seroit emprisonné pour n'avoir voulu faire le service suivant l'ordonnance d'icelui Evesque, & condamné en deux escus d'amende, & à vuider d'Angers, & se retirer en sa Cure d'Atée aux champs. Et outre lesdits Bodin, Jamois, Susanne, & autres susdits, appellans de ce qu'à la requeste

EXTRACTUS REGISTRORUM majorum curiarum.

INter Magistros *Guillelmum Amis* Canonicum *Nicolaum Bodin* Pastorem & Canonicum Præbendatum Ecclesiæ Trinitatis, *Joannem Doussart, Joachimum Fradin, Michaelem Le Boucher, Jacobum Breon, Petrum Vignais, Sebastianum Guillelmum Jamois, Michaelem Susanne, Franciscum Mousteau, Johannem Bouthelie, Laurentium Fleurs, Bertrandum Lionnet, Lezinum Percher, Renoldum le Vanier, Oliverium Fontaine, Joannem du Biez, Johannem Garnier, Michaelem Roustion*, Canonicos & Sacellanos dictæ Ecclesiæ, ex quibus constat maxima & sanissima pars corporis & communitatis illius Ecclesiæ appellantes quasi ex abusu ab ordinationibus factis à Reverendissimo Domino *Miron* Episcopo sub datis vigesimâ sextâ Octobris 1599 & vigesimâ sextâ Martii 1600. ratione mutationis Breviarii *Andegavensis* cum injunctione utendi Romano reformato juxta mentem Patrum Congregatorum Tridenti juxta supplicam Magistrorum *Caspari le Lievre, Urbani Hodemon & Johannis Hivet* Canonicorum, *Francisci Bienvenu & Laurentii Cousteau* Sacellanorum: *Stephani Remois* Diaconi & *Martini Martineau* domiciliatorum in dicta Ecclesia Trinitatis: insuper dictorum Dominorum & compartium, actorum seu postulantium in literis vigesimâ Julii sequentis anni dicti 1600. quarum petitio hæc est, ut tanquam appellantes à dictis Decretis inhærendo processibus ventilatis juxta executionem dictorum decretorum & contrariorum intentatorum aliquibus dictorum Canonicorum & Sacellanorum, ut signarent articulos de mutando Breviario Andegavensi, & mandatum fuisset, ut libri ad usum Ecclesiæ Romanæ emerentur, in quo casu cujuscunque Parochiæ

chiæ esset assignanda taxa. Pariter ex eo quòd Officialis dicti Episcopi mandaverit dictum *Guillelmum Jamois* unum ex appellantibus esse incarcerandum ex eo, quòd noluisset servitia celebrare juxta Decretum illius Episcopi, mulctandum ad duos imperiales & condemnandum ut exiret Andegavo, & iret ad suum Pastoratum *Areensem* ruri. Ad dictos *Bodin Jamois*, *Susanne* & alios etiam appellantes ab hoc quòd requirente promotore in officialatu Andegavensi fuerit mandatum scribæ tabellionis regii qui citationem in altera parte insinuationis fecerat, quasi dicti appellantes abuterentur, citandus foret coram Officiali ut ibidem declararet à quo fuisset ipsi mandatum ut illam faceret: & omni litigatione facta in præjudicium dictorum appellantium quasi abusus fieret, tam contra dictum *Michaelem* Susanne, quàm alios, & præcipuè dictus *Susanne* appellans quasi ab abusu à decreto arresti corporalis contra se emanato ab Officiali dicti Episcopi Andegavensis 5. Martii anni 1602. ab incarceratione suæ personæ in carceribus *parva arcis Parisina*, & ab omnibus quæ consequenter contigerunt & ad huc dicti *Bodin*, *Jamois Susanne* & consortes postulantes exhibitâ supplica ut assignetur commissio ad informandum de factis & combustionibus Missalium, Breviariorum & aliorum librorum cantui inservientium in dicta Ecclesia Trinitatis, ex mandato dicti Episcopi aut ejus Officialis prælo datorum, à tempore quo aula habuit in manibus suis dictas appellationes quasi ex abusu, & alia acta quorum fit mentio in præfata supplica ut etiam circumstantias & dependentias ex una parte. Et dicti *le Livre Hochemon*, *Hiret*, *Costeau*, *Remois*, *Martineau*, idem Episcopus Andegavensis, & Magister Christophorus *Ogier* Promotor citati & contradicentes admissioni dictæ supplicæ, ex altera, & moniales, Abbatissa, & Conventus beatæ Virginis *Du Rouserai* in dicto Andegavo supplicantes & admittantur ad causam, aula declaravit ut declarat Episcopum Andegavensem bene citatum, mandat ut tam in appellatione procuratoris regii quam in partibus *Robert*, probet postquam Bouchel qui inducias postulavit, renuit probare, & *Servin* pro Regio generali Procuratore regio, propter lucrum defectuum in suis conclusionibus continuatum, aula admisit & admittit, procuratorem generalem regium appellantem quasi ex abusu à litigationibus & decretis Episcopi Andegavensis ejus Officialis & Promotoris, ipsum habuit & habet ritè absolutum, & ut fiat jus tam in ejus appellatione quàm à partium oppositione, pronuntiavit & pronuntiat tanquam à decretis defectuosis contra dictum Episcopum, ejus advocatum, & procuratorem præsentes sententialiter assignando commodum illius, dicit in omnibus malè & abusive dictum Episcopum, ejus Officialem & promotorem fuisse litigatos, malè decrevisse & executioni mandasse, quod servitium divinum ordinarium in Ecclesia Trinitatis continuabitur, & inhibuit & inhibet dicto Episcopo, ne quidquam in celebratione & exercitio servitii divini in Ecclesiis suæ Diœcesis innovet, & ejus Officiali & Promotori inhibet ne judicia, jurisdictionem & cognitionem causarum assumant nisi statutam & assignatam in Constitutionibus. Et ut videant sibi faciendas esse majores inhibitiones; & ut respondeant conclusionibus sumendis & contra ipsos statuendis à Procuratore generali, citantur ut intra mensem compareant personaliter: citatos condemnat ad expensas cum interesse propter incarcerationes & quæ consequenter facta fuerunt, mandat ut si aliqui ex appellantibus adhuc in carceribus detineantur, portæ aperiantur ipsis. Procuratori

du Promoteur en l'officialité d'Angers, auroit été ordonné que l'Ecriva in Sergent Royal, lequel avoit fait l'exploit d'intimation sur le relief d'appel comme d'abus desdits appellans, seroit cité pardevant l'Official pour déclarer de qui il avoit eu charge de faire ladite intimation: & de toute la procedure faite au préjudice desdites appellations comme d'abus, tant contre ledit Michel Susanne, qu'autres: & particulierement ledit Susanne, appellant comme d'abus du decret de prinse de corps contre lui décerné par l'Official dudit Evesque d'Angers le 5. Jour de Mars 1602. emprisonnement fait de sa personne ès prisons du petit Chastelet de cette ville de Paris, & de tout ce, qui s'en est ensuivy Et encore lesdits Bodin, Jamois, Susanne & consors, demandeurs en requeste tendante afin d'avoir commission pour informer des faits & brussemens des Messels, Breviaires, & autres livres du chant de ladite Eglise de la Trinité, faits de l'ordonnance dudit Evesque d'Angers ou son Official, depuis, que la Cour a été saisie desdites appellations comme d'abus, & autres faits mentionnez en ladite requeste, circonstances & dependances, d'une part. Et lesdits le Lievre, Hodemon, Hiret, Coustau, Remois, Martineau, & icelui Evesque d'Angers, & Maistre Christophle Ogier Promoteur, intimez & defendeurs à l'enterinement de ladite requeste, d'autre. Et les Religieuses, Abbesse & Convent de Nostre Dame du Rouseray audit Angers, demanderesses en requeste, afin d'estre reçues à intervenir en la cause. La Cour à déclaré & declare l'Evesque d'Angers bien intimé, ordonné, que présentement il défendra tant à l'appel du Procureur General du Roy, que des parties de Robert. Et après que Bouchel, qui a requis delay n'a voulu défendre, & Servin pour le Procureur General du Roy, pour le profit du défaut perseveré en ses conclusions, la Cour à reçeu & reçoit le Procureur General de Roy appellant comme d'abus des procedures & ordonnances de l'Evesque d'Angers, son Official & Promoteur l'a tenu & tient pour bien relevé: & pour faire droit tant sur son appel que des parties, leur a donné & donne défaut contre ledit Evesque son Advocat & Procureur présens: & en adjugeant le profit d'icelui, dit, qu'il été en tout mal & abusivement procedé, ordonné & executé, tant par ledit Evesque que par son Official & Promoteur. Ordonne que le service divin ordinaire en l'Eglise de la Trinité sera continué; & a fait & fait inhibitions & défenses audit Evesque d'innover aucune chose en l'exercice & célébration du service divin aux Eglises de son Diocese, sans l'autorite du Roy; & à son Promoteur & Official, d'entreprendre cour, jurisdiction, & connoissance, que celle, qui leur est attribuée par les Ordonnances. Et pour se voir faire plus amples défenses, & répondre aux conclusions, que ledit Procureur General voudre prendre & élire contre eux, seront adjournez à comparoir en personne au mois; & jusques à ce, qu'ils ayent comparus, leur interdit l'exercice de la Jurisdiction Ecclesiastique. Condamne les intimez ès dépens des causes d'appel, dommages & interests des emprisonnemens, & de ce, qui s'en est ensuivy: ordonne si aucuns des appellans sont détenus prisonniers, que les prisons leur seront ouvertes: aura le Procureur General du Roy commission pour informer des faits concernans les livres de ladite Eglise de la Trinité brussez, & paroles scandaleuses proferées aux Prédications publiques, pour ce fait & rapporté, ordonner ce que de raison: & sur le surplus par luy requis, ladite Cour en délibera au Conseil.

Fait

Fait en Parlament le vingt-septième jour de Fevrier l'an. 1603.

Generali Regis dabitur commissio ut se informet ratione factorum quoad libros dictæ Ecclesiæ Trinitatis combustos, quoad scandalosa verba in concionibus prolata, ut desuper statuatur, decernatur & fiat quid juris: & quoad ejus postulata ulteriora dicta aula videbit & dijudicabit in Concilio. Datum in Parlamento 27. Februarii anni 1603.

(H)

Instructio pro Domino Lamberto de Limburgo, nominato per Regiam Majestatem ad Abbatiam VALLIS DEI, secundum quam ipse se, & Religiosos suos, reformare tenebitur, sub pœna destitutionis quantum ad se, sub pœna translationis ad aliud Monasterium reformatum, vel pœna carceris quantum ad Religiosos, si in his quæ sequuntur non obedierint.

IN primis, quia turpiter diffamati sunt de mulierum conversatione, sive verè, sive falsè, ante omnia in futurum cavendum, ne obsceni rumoris amplius ulla occasio detur; idcircò Majestas mandat sub pœnis prædictis, ne ulla mulier claustrum Monasterii ingrediatur, maximè juvencula vicina, & aliquo modo suspecta; quod si quædam admittendæ sint, utpote à longè venientes parentes & cognatæ religiosorum, nunquam nec illæ nec aliæ ingrediantur camerulas aut cellulas eorum, & susceptæ per portarium recta ad Templum causâ orationis, inde ad cameram hospitum, & locum publicum designatum vel ad hoc ab Abbate futuro designandum, deducantur, nec permittantur discurrere per Monasterium, nec quispiam Monachorum eisdem jungatur aut loquatur, nisi de licentia Abbatis; & in mensa ipsius, tam viri quam mulieres omnes eo præsente, vel Priore reficiantur, & non alibi, & hoc ut melius observetur, ordinabit Abbas unum portarium, non Religiosum propter nimiam familiaritatem vicinorum, sed virum sæcularem senem & maturum, de cujus honesta conversatione & fidelitate, securus sit, cui sub destitutione sui officii præcipiatur, ne aliquam unquam vicinam mulierem maximè juvenculam suspectam recipiat, & munuscula, literas ac quælibet alia dona undecumque missa Abbati deferat, nec versa vice similia alibi transmittat, per Religiosos sibi tradita, nisi etiam prius Abbati significet, quia hoc strictissimè in regula prohibetur.

Item ut omnes compotationes & excessus in conviviis omnino abrumpantur, nec ullus præsumat cum hospitibus aut viris aut mulieribus bibere aut comedere, nec etiam inter se, nisi in locis regularibus & publicis, & cum licentia Prælati; Et quia hoc vitio omnes plus justo notantur, & Deum gravissimè offenderunt & vicinos scandalizaverunt, Regia Majestas strictissimè Abbati præcipit, ut ipse primo, deinde & sui Religiosi ab omni crapula & ebrietate abstineant, quia omnium malorum sunt causa, nec permittat Abbas, ulla ratione, ut post honestam refectionem mensæ suæ quispiam cum amicis aut qu buscumque in longam & profundam noctem vigilet commessationibus, aut genio suo indulgendo, & si quis hoc præsumpserit, gravissimè corrigatur, sed dictis gratis, ipse Abbas ad suum cubiculum, cæteri Religiosi ad dormitorium revertantur, quod solicitè, omnibus introgressis, semper post completorium claudatur, ne ulli pateat egressus.

Item ne quis proprium habeat, nec aliquid quod ab Abbate datum vel permissum non fuerit, ut habet Regula S. Benedicti, minimè habeant pecuniam, quia illa (ut quidam ait) obscænos inducit mores, & Monachus, ait Bernardus, habens obolum, non valet illum. Et ut omnis occasio proprietatum tollatur Abbas omnibus sine personarum exceptione, tribuat necessarium, nec præsumat aliquis aliquid dare, recipere, emere, aut vendere, sine voluntate Abbatis.

Item præcipitur Abbati, ut quantum possibile fuerit, & ratio temporis ac bona Monasterii admittunt, collapsa penitus reparet ædificia, & ut hoc fiat, frugaliter vivat, abstinens ab omni superfluitate & curiositate.

Item quia Monachorum non est, maxime ordinis Cisterciens. habere curam animarum, & inter sæculares quotidie conversari: (nam nomen Monachi solitudinem prædicat,) præcipitur futuro Abbati, ut Religiosus qui vicinæ Curæ deservit, revocetur, quia ut Regia Majestas intellexit cum magno scandalo vivit, vel si sint alii extra Monasterium viventes exceptis his qui in Monasteriis Monialium vivunt; & ipsæ Curæ committantur sacerdotibus sæcularibus viris dignis & idoneis.

Item quia dicta Regia Majestas etiam intellexit quorumdam relatu Religiosos bene potos, aliquando usque ad effusionem sanguinis concertasse, & multis contumeliis, injuriis, convitiis invicem affecisse, prohibetur sub Majestatis suæ indignatione, & pœnis præmissis, ne hoc ampliùs contingat.

Item ne quis Religiosorum unquam exire claustra Monasterii præsumat, sine Abbatis licentia speciali, & sine comite, & nunquam concedatur ut ingrediatur domos vicinarum. Et ut omnis clandestinus excursus impediatur; Abbas curabit muros & clausuram Monasterii in gyrum reparari, & claudi portam posteriorem & ita obstrui ne cuiquam pateat per illam, sine voluntate Abbatis egressus, & solus Abbas, aut is cui id fidet clavem habeat,

Supra scriptam instructionem & articulos in ea contentos ex jussu Regiæ Majestatis mihi exhibitos, Ego Lambertus de Lymbourg ab eadem Majestate sua ad dignitatem Abbatialem Monasterii Vallis-Dei, nominatus, promitto in verbo Sacerdotis, cum omni diligentia observare, & observari facere executionique fideliter mandare. Actum Bruxellæ, die 27. mensis Augusti 1556. Ego Frater Lambertus de Limburgo fateor ita esse & manu propria hoc scripsi.

(I)

LETTRES ECRITES PAR LE CONSEIL PRIVE Aux Prieur & Religieux de l'Abbaye N. Province de Flandres, pour la reforme des abus commis, & les désordres qui y étoient glissés.

Litteræ à Concilio privato scriptæ Priori & Religiosis Abbatiæ N. Provinciæ Flandriæ, pro reformandis abusibus commissis, & irregularitatibus, quæ ibidem irrepserunt.

Religieuses personnes, chers & bien aimez; comme les plaintes continuelles, qu' avons eu depuis plusieurs années des desordres & scandales commis par les Religieux de l'Abbaye, nous ont obligez de commettre un Conseiller de notre Conseil Privé, l'Abbé de Grandmont & le Prevôt d'Affilghem de l'Ordre de S. Benoît, pour en être informés avec certitude; & que par leur besogne nous avons reconnu à notre grand déplaisir le peu de respect envers leurs Superieurs, le mépris, les menaces & autres mauvais traitemens, qu' ils leur ont inferé, les desordres & scandales qu'ils ont donné par leur vie dereglée dans la clouture de l'Abbaye & dehors, qui sont tout public, & qui s' augumentent de jour en jour, particulierement par les visites, que les Religieux reçoivent continuellement de femmes & fines dans la Chambre dite le Neuve, & les merendes, qu' ils leur donnent en ladite Chambre, & encore avec plus de scandale & liberté dans le quartier du Grenetier & autres Chambres hors de la clôture de la seconde porte de l'Abbaye, dont ils tiennent les chefs en leur particulier, & par les visites qu'ils reçoivent dans les maisonnettes, qu' ils ont dans leurs jardins particuliers dans l' Abbaye, qu' allans dans la Ville ou dehors, ils sortent sans Compagnon ou retournent séparément de jour & de nuit avec quelque soupçon d' avoir été dans lieux peu décens à l'Etat Monastique: la difamation, qu' il y a eu depuis plusieurs années de conversations des Religieux dans le quartier du Portier de la premiere grande porte. Que ces desordres & scandales sont facilitez en partie, parce que plusieurs Religieux ont quitté le Dortoir & occupé des chambres en bas, dont ils ont la liberté de devaguer de nuit dans l'Abbaye. Nous, pour faire cesser la continuation desdits scandales publics, auxquels & à plusieurs autres les Superieurs Ecclesiastiques n'ont pû apporter aucun remede jusqu'à maintenant, nous vous ordonnons à la déliberation de notre Lieutenant, Gouverneur & Capitaine General, de vivre tous selon votre Regle & Statuts sous l'obéissance humble de vos Supérieurs. Et comme particulierement il convienne, que les Religieux ne reçoivent plus de visites de filles & femmes, que sous les galeries, qui ont été à ce bâties du côté de la seconde grande porte, & qu' ils ne reçoivent plus aucunes visites des hommes ni autres, hors la clôture de la seconde porte au quartier du Grenetier, ni autre en la même cour, & que chacun remette au Prieur les clefs qu' il en a, excepté le Prévôt, & que tous quittent les chambres qu'ils ont occupé au pan au ailleurs, & se retirent de nuit au Dortoir, & que nul ne puisse plus sortir & aller par la Ville & dehors, sans Compagnon, qui soit dénommé de la prudence des Superieurs, ni se séparer l'un de l'autre. Que le Portier de la grande porte, soit incontinent congedié avec sa famille, & mis en sa place un homme de probité, qui ne soit marié & qui soit sans servante, & que les portes soient incontinent ôtées aux maisonnettes qui sont dans les jardins particuliers des Religieux dans l' Abbaye, & qu' icelles maisonettes soient toutes ouvertes pardevant & de côte. Nous nous confions que vous Prieur pourvoirez promptement à ce, que lesdits désordres & scandales

Religiosæ personæ dilectæ, & charæ: Cum continuæ querelæ ad nos à multis annis delatæ propter irregularitates & scandala commissa à Religiosis Abbatiæ, eo nos coegerint, ut de nostro Concilio privato committeremus Consiliarium Abbatem de *Grand-mont* & præpositum *d' Affilghem Ordinis S. Benedicti* ut de his pro certo informaremur; item quoniam post ipsorum præstitam operam summopere mœrentes agnovimus exiguam reverentiam erga superiores, contemptum, minas, & alias indignas acceptiones ipsis illatas, scandala data in immunitate ipsa Abbatiali seu clausura & foris per ipsorum depravatam & inordinatam vitam, quæ omnia sunt publica, & indies augentur & accrescunt, præcipuè per colloquia quæ accipiunt continuò à virginibus, à mulieribus in camera dicta *la Neuve* seu nova camera & commessationes ipsis datas in dicta Camera, & adhuc majori scandalo, & libertate in cubiculo spindarii seu annonarii & aliis cameris extra clausuram secundæ portæ Abbatialis, quarum claves habent; item per visitationes solitas accipi in domunculis hortorum particularium Abbatiæ; Si in urbem vel foras vadant, exeant sine socio, vel separatim redeant diu noctuque, in suspicionem venientes, quod fuerint in locis quæ vix sapiunt vitam status monastici; item intellecto scandalo habito à multis annis propter conversationem Religiosorum in habitationibus ostiarii ad primam majorem portam, quòd hæ depravationes tantò facilius fiant, quia multi Religiosi relicto dormitorio occupaverunt cameras inferiores, ex quibus noctu possunt ire ad Abbatiam. Nos, ut curaremus finem imponi continuationi scandalorum publicorum, diffamationi, quibus & aliis multis superiores Ecclesiastici hucusque non potuerunt remederi, mandamus vobis ex Consilio nostri locum tenentis Generalis, Gubernatoris & Centurionis ut vivatis omnes secundum vestram regulam & statuta sub humili obedientia erga vestros superiores. Et quoniam præcipuè expedit ut Religiosi à virginibus & mulieribus non accipiant alloquia nisi sub ambulacris ad id ædificatis ex parte secundæ majoris portæ, & ut nec à viris nec ab aliis accipiant extra clausuram secundæ portæ, ubi annonarius habitat, vel alibi in eadem area, & ut unusquisque Priori claves, quibus gaudet restituat excepto Præposito, & ut omnes deserant Cameras à se occupatas in aula vel alibi, & vadant de nocte ad dormitorium, nec ullus possit magis exire & in civitatem ire neque extra absque socio, quem prudentes superiores assignaverint, nec ab invicem sese separent: quod ostiarius majoris portæ statim & illico cum sua familia dimittatur, assumpto ejus loco viro probo adhuc cælibe & sine ancilla. Ut portæ ipso momento à domunculis hortorum particularium cuilibet Religioso deponentur & maneant apertæ ab ante & à latere. Confidimus te Priorem facturum cito, ut talia cessent scandala & similes depravationes mediantibus hic adductis mediis, quo facto te & alios superiores

sub

ſub noſtra Sereniſſima protectione aſſumimus, & declaramus tibi priori, Abbatibus futuris, & aliis ſuperioribus nos futuros auxilio in caſu neceſſitatis, ut hæc remedia effectum ſortiantur & maneant. Nobis autem certioribus factis talia ſcandala oriri & aucta fuiſſe ex libertate quam habent & habuerunt Religioſi de habendis pecuniis, mandamus Priori & modernis adminiſtratoribus Abbatiæ, ut ſæculares perſonas præficiant recipiendis omnibus bonis & reditibus Abbatiæ, Eccleſiæ, & fundationum qualium cumque, item officiis magiſtrorum pro operariis, pro venatione, pro ſylvis & omnibus quæ non ſunt de regula, non utilibus & neceſſariis Abbatiæ, & abſtineant ab emolumentis pecuniariis & aliis quæ tribuuntur officiis quæ ſunt de regula, hæc omnia ſtatuimus pro præſenti & pro futuro. Volumus etiam hanc eſſe Epiſtolam eſſe apertam, & legi convocato Capitulo, coram fiſcis noſtri Concilii Flandrici mandantes ipſis, ut alternis diebus de executione & obſervantia præſentium ſeſe informent, & nobis rationem reddant: his præſuppoſitis, Religioſæ, dilectæ & charæ perſonæ, habeat vos Deus in ſua ſancta cuſtodia. Bruxellis 6. Februarii anni 1683.

viennent à ceſſer par les moiens & remedes ci-deſſus ſpecifiez, auquel effet nous vous prenons & les autres Superieurs en notre ſouveraine protection; & declarons à vous Prieur, aux Abbez futurs, & autres Superieurs, toute ſorte d'aſſiſtance & main forte en cas de beſoin, afin que ces remedes ſoient permanens. Et comme nous ſommes informez que tous les déſordres & ſcandales ont été fomentez par la maniance d'argent que les Religieux ont eu, nous ordonnons au Prieur, & autres préſens Adminiſtrateurs de l'Abbaye, de commettre des perſonnes ſéculieres a la recette de tous les biens & revenus de l'Abbaye, de l'Egliſe, & autres fondations quelconques, enſemble aux offices de Maîtres des Ouvrages, de la Venerie ou Chaſſe, Intendant des Bois, & tous autres qui ne ſont pas de la Regle, qui ſont utiles & néceſſaires à l'Abbaye, & quitter les profits & émolument en argent, & autres qui ſont attribuez aux Offices qui ſont de la Reglé, le tout pour le préſent & le futur. Notre intention eſt auſſi que cette Lettre ſoit ouverte & lûe en plein Chapitre en préſence des Fiſcaux de notre Conſeil en Flandres, auxquels avons ordonné de s'informer de jour à autre de l'exécution & obſervance I, & de nous en rendre compte. A tant Religieuſes perſonnes, chers & bien amez notre Seigneur, vous ait en ſa ſainte garde. De Bruxelles le 6. Fevrier 1683.

(K)

Regulamentum pro reformatione Scholarium in oppido Leeuvvenſi 1702.

RElatione factâ Concilio ſupremo Majeſtatis ſuæ in Brabantia ordinato de ſupplicis ibi exhibitis ex parte Canonicorum Regularium, qui vocantur *les Ecoliers* in urbe *Lieu* & ſimul ex parte Domini *Schatz* ipſorum Prioris ultimo electi: intellecto etiam inter partes fuiſſe, agitatum & concluſum coram Commiſſariis in cauſa deputatis, ſummariè & ſine forma proceſſûs, quo ad regulas & media quibus obſervatis dictum cœnobium poſſet meliorari & in alium ſtatum redigi, viſis capitibus & articulis reciprocè in hunc finem conceptis & exhibitis: Aula, relicto pro præſenti nullitate dictæ electionis de qua alio tempore, proviſionaliter, ut finiantur tumultus moti in dicto Cœnobio, & ut præveniatur deſtructioni eminenti hujus fundationis regiæ tam venerandæ, quod nullam moram patitur, mandat.

Primò dictum Priorem electum *Schatz* gaviſurum nomine hujus dignitatis & præeminentiâ illi annexâ.

Sed proviſionis ad inſtar, donec aliter Decretum fuerit, adminiſtratio bonorum temporalium, directio diſciplinæ clauſtralis exerceatur ab antiquo Priore Domino Pluymers, qui ſub ſua proviſionali adminiſtratione & deſervitura, particulariter tenebitur reddere rationem de receptis & expoſitis, ſub his comprehenſis expoſitis moderni Prioris electi, de omnibus anterioribus adminiſtrationibus, intervenientibus 4. Senioribus cœnobii, & hæc aulæ exhibere.

Dictæ rationes reddentur impoſterum annuè & ſub eodem ritu.

Attento exiguo numero Religioſorum dicti Cœnobii idem Adminiſtrator proviſionalis, præficiet non clauſtralem ſed hominem probum officiis Cellerarii & annonarii.

Etiam non clauſtralem ſed probum idem admini-

RApport gedaen in Syne Majeſtyts Souvereynen Raede geordonneert in Brabant van de Requeſten aldaer gepreſenteert van wegens die van't Godts-huys der Canonicken Regulieren geſeght *Scholieren* binnen de ſtadt Sout-leeuw. ende reciprockelick van wegens den Heere Schats hunnen Prior leſt gecoſen; tot dien rapport gehadt hebbende van't gene tuſſchen deſe partyen voor Commiſſariſſen in de ſaeck gedeputeert, ſommierelijck ende ſonder figure van proces, is getracteert ende afgehandelt, raekende de Regels, ende den voet, op den welcken t'ſelven Godts huys, tot betere ende vruchtbaerige geſteltenis ſoude connen gebrocht worden; ende voorts geſien de pointen wederzeyts door de voorſ: partyen, dien aengaende geconcipieert ende overgegeven; T. Hof, wederhoudende noch ter tydt te diſponeeren over de vervallenthydt van de voorſ Electie, ordonneert by proviſie, om de troubelen in t' voorſ. Godts-huys s'ontſtaen te doen ceſſeren, ende te doen prevenieren den imminenten ondergangk van deſe ſoo aentienelijcke Coninckliicke fundatie, t' gene n'uytſtelt is lijdende.

Voor eerſt, dat voornoemden gecôſen Prior Schats, ſal verblijven met den naeme deſer digniteydt, ende met eere daer toe ſtande.

Maer dat, by forme van proviſie, ende tot dat anderſints ſal weſen verſien; het geſagh ſoo over de regeringe van't temporeel, als over de directie van de diſcipline van t' voorſ. Godts-huys; ſal worden uytgewerckt door den geweſen Prior den Heere Pluymers, die beſonderlinge ſal gehouden weſen ge ſuerende ſyne proviſioele bewindinge ende adminiſtratie, te doen rekeninge, bewys & reliqua, over alle de voorgiende adminiſtratien, tot de gene van den tegenwoordigen gecoſen Prior inclus; ende ſulckx ten overſtaen van de vier outſte t' ſelven Godts huys, ende aen t' Hof te doen blycken, dat ſulckx geſchiet is.

Welcke rekeningen voordaen op de ſelve forme ſal moeten geſchieden van jaere tot jaere.

Dat, mits de cleyne gemeente van t' voorſ. Godts-Huys, den voornoemden proviſioelen adminiſtrateur ſal excuſeren alle ſoorten van Officien voor de Religieuſen, ende moeten ſtellen eenen diſcreten perſoon die voor den kelder, graen-ſolder ende alle andere proviſien ſorge draege.

Deſgelyckx ſal hy jemant, niet weſende van t

vant' voorf. Godts-Huys committeren, die de directie, sorghe ende administratie sal hebben van de lantbauwinge, die welcke die van t' voorf. Godtshuys nu tegenwordigh syn doende; ende den welcken sal gehouden zyn alle jaeren syne rekeninge te doen *in forma*, als boven, sonder dat hy administrateur sal gedoogen dat iemand van de voorf. Religieusen, t' zy ter saecken van de voorseyde lantbauwerye, als om eenighe andere affairen, hoedanigh die mochten wesen, sal gaen buyten t' voorf. Godts-huys, noch langhe discoursen houden in t' voorf. Closter met buyten mans ofte vrouwen; ten sy uyt seer pressante redenen ende met syn expres consent; waer in ende in alle Choosterlycke directie die voorf. Religieusen den selven sullen gehoorsaemen sonder contradictie.

Merckelijck in t' doen der Goddelycke diensten op den Choor, waer van niemandt hem sal mogen absenteren, ende in t' celebreren oft assisteren der Missen soo vroge als hooge op de behoorlycke uren: in t' savonts ider te doen retireren naer het dormitorium op syne celle met modestie sonder te spreken, veel min te gaen in andere cellen: in t' selve dormitorium, den refter ende andere reguliere plaetsen te doen versien sonder uytstel van behoorelycke deuren ende sloten, ende het voorf. dormitorium dagelyckx te doen sluyten in t' nacht slot, om niet geopent te worden als smorgens op de gewoonelycke ure: in t' doen observeren van t' silentium in de Kercke, Choor, Refter, Dormitorium, ende andere Religieusen plaetse: in t' niet gedoogen dat jemant van de Religieusen hem sal mogen absenteren van de gemeene tafel oft dat jemand vremts daer toe worde gebracht; onder de welcke sal gedaen worden de Lecture vrn de H. Schrifture ofte pieuse boecken; noch dat buyten de maeltydt worde gedroncken, oft dat jemant gae naer oft in de Keucken: gelyck oock in t' niet te gedoogen dat eenige Religieusen brieven schryven ofte ontfangen, noch hun bemoyen met eenige Geestelycke oft werelycke affairen, alles ten sy met permissie van den voornoemde Administrateur.

Die oock sal sorge draegen datter geene diensten buyten het Clooster door de voorf. Religieusen en sullen mogen aengenomen worden, selfs niet Cloosters, ten sy tot gemeenen distributie: in t' aensien, dat alle incomsten soo van t' voorf. Clooster, jaergetyden, bedieninge, honorarien van Missen, speel-renten als andersints, t' saemen moeten deposíteert worden onder den voornoemden Administrateur, om door den selven gedistribueert te worden tot de nootsaeckelyckheden der Religieusen, op last van alle half-jaeren daer van Rekeninge te doen aen de vier outste Religieusen, aen de welcke hy oock sal kennisse geven van alle de affairen ven eenich merckelyck gewight, die wekelyck souden mogen voorvallen, sonder nochtans naer te laeten alle vrydaegen Cappittel te houden, ende het Clooster, ende de Religieusen van alle nootsaekelyckheden te doen versien soo vele sal mogelyck wesen, merckelyck de siecken; tot dien, van eenen eerlycken stichbaren ende gelaerden priester te besorgen, om op de daegen ende uren door den voorf. Administrateur te prefigeren, lessen te geven in de Theologie scholastique ende morale, van welcke niemant hem sal mogen absenteren. Welcken Administrateur tot uytwerckingen van allen t' gene tot syne sorge staet, ende om hem daer innen te doen gehoorsaemen, tot cesseringe van alle oneenicheden ende tweedrachten, tot restitutie vande Choosterlycke discipline ende tot conservatie van het temporeel, sal mogen gebruycken sulcke Officiers, als hy soude mogen noodigh hebben, selfs voordere middelen te versoecken om de refractarissen te brengen onder de gehoorsaemhydt.

Alles by provisie tot dat in cas van noede naerder sal versien. Aldus gedaen binnen de Stadt Brussel den 27. dagh der maent November vanden jaere 1702. geparapheert *Grisp. V.* onderteeckent *A.V. Ghindertaelen* ende besegelt met Syn Majest. segel gedruckt in roode hostie.

strator præponet administrandæ agriculturæ, quæ jam à claustralibus fit, idem agriculturæ præpositus tenebitur annuatim in forma reddere rationes ut supra: non patietur ullum claustralem propterea vel propter alia negotia ex cœnobio exire, neque habere colloquia longa cum personis extraneis cujuscumque sexus sit, nisi ex urgentibus causis & expresso suo consensu, in hoc & in omni directione claustrali obtemperabunt ipsi Religiosi nulla data responsione.

Particulariter ab Officiis divinis in choro nullus poterit emanere, celebrando Missas horis debitis tam matutinam quam summum sacrum: sataget ut quisque Vesperi se ad dormitorium & cellam modestè conferat servato silentio, absque quod ullas cellam alterius intret, curabit sine mora quoad dormitorium, refectorium & alia loca regularia convenientibus seris & clavibus instrui, singulis diebus curando clave nocturnâ claudi domitorium, ut non aperiatur nisi mane ordinaria hora, curabit observari silentium, in Ecclesia, in choro, in refectorio in dormitorio, & aliis locis claustralibus: non patietur ullum Religiosum à mensa communi abesse, nec ullum extraneum invitari: sub illa fiet lectio de Sacra Scriptura vel ex aliquo pio libro: non fieret, ut extra tempus mensæ bibatur, nec ut in culinam vel vicina loca eatur: non patietur ullum Religiosum litteras vel scribere vel admittere, nec ut se negotiis implicet sive Ecclesiasticis sive temporalibus, nisi fieret ex consensu & cum permissu dicti Administratoris.

Curabit nulla servitia extra Cœnobium, nec etiam Conventualia exerceri à dictis Religiosis: siquidem reditus omnes, anniversaria, administrationes, honoraria Missarum, reditus pro voluptate &c. debent esse penes dictum administratorem, ut distribuantur necessitatibus Religiosorum, eâ conditione, ut de his rationem reddat singulis sex mensibus quatuor Senioribus, quos etiam participes faciet de omnibus negotiis alicujus momenti, quæ qualibet hebdomada poterunt obvenire, non omisso Capitulo singulis diebus veneris: faciet ut cœnobio & Religiosis nihil necessarium desit, hoc præcipuè de ægris intellecto: procurabit ipsis hominem probum, doctum, presbyterum, qui diebus, & horis à se designandis doceat ipsos Theologiam Scholasticam & moralem, nulli facta licentia emanendi. Idem administrator ut possit executioni mandare suam provinciam, & ut in hoc curet sibi obtemperari; ut cessent omnia dissidia & contestationes, pro restituenda disciplina monastica, pro conservandis bonis temporalibus poterit impendere tales Officiales quibus indigebit, imò ulteriora media ut dyscolos obtemperare faciat.

Hæc provisionalia sunt, donec his in casu necessitatis ulterius provideatur. Ita datum Bruxellis 27. Novembris 1702. Signatum *Grysp.* addito calamari Signo. *A. V. Ghindertaelen.* & sigillo Majestatis Suæ hostia rubrâ.

(L)

LETTRES ECRITES AU PROVINÇIAL ET A QUELQUES CLOISTRES de l'Ordre de saint Dominique, ès pays de par-deça, par lesquelles il leur est interdit de recevoir ou admettre aucuns Visitateurs étrangers sans Lettres de placet du Prince.

Marie par la grace de Dieu, Reine Douairiere d'Hongrie, &c. Régente, &c.

LITTERÆ SCRIPTÆ PROVINCIALI ET ALIQUIBUS COENOBIIS ORDINIS SANCTI Dominici in patriis citerioribus cum inhibitione ne accipiant vel admittant ullos visitatores extraneos absque literis cum beneplacito Principis.

Maria Dei gratia, Regina vidua Hungariæ, &c. Regens seu Administratrix &c.

Religieuses personnes, cheres & bien aimées, ces jours passez advertiés qu'aucuns de l'Ordre des Freres Prêcheurs, résidens au Roiaume de France, étoient venus ès pays de par-deça; & sans de sceau, congre & consentement de l'Empereur Monseigneur ou de Nous, s'étoient ingerez & avancez de visiter aucuns Cloîtres, Convens ou Monasteres, & même le votre; Nous les avons fait venir ici, & leur fait interdire de proceder à ultérieure visitation, n'aiant eû (comme encore n'avons) contentement de ce qu'ils en ont ja fait, ni de vous qui les avez reçûs & admis à icelle visitation, dont vous avertissons, en vous réquerant, & de la part de Sa Majesté Imperiale ordonnant bien expressément que doresenavant vous, gardiez de faire le semblable, sans recevoir ni admettre par ci aprés nuls Visitateurs de France, ou d'ailleurs, ni leur donner ni paier aucun prétendu droit, n'est qu'il vous apparoisse du placet & admission de Sa Majesté; & en ce ne faites faute, sur autant que doutez encourir son indignation. A tant, &c. du Bruxelles le 6. Juin 1551.

Religiosæ, dilectæ & charæ personæ. Audito non ita pridem nonnullos Ordinis Fratrum Prædicatorum venisse in has Patrias, ex terris Galliæ, sine sigillo venia, & consensu Imperatoris Domini mei, vel nostro, & eo devenisse ut aliqua Monasteria visitarent, imò vestra, hos huc accersivimus & curavimus ipsis inhiberi, ne ulteriùs visitare attentarent ægrè ferentes quod jam fecerunt, & quod vos illos admiseritis monemus & à vobis petimus nomine Majestatis Suæ Imperialis mandantes expressissime, ut imposterum simile quid non faciatis, non admissis similibus visitatoribus Gallis nec aliis, nullo ipsis prætenso jure dato, nisi viso à vobis beneplacito Majestatis Suæ, idque sub pœna incurrendæ ejus indignationis, &c. Bruxellis 8. Junii. 1551.

(M)

LETTRES SUR LE MESME SUJET AUX ABBEZ DE TRONCHIENES, LEZ GAND, & de saint Cornil à Ninove, de l'Ordre de Prémontré.

Joseph Lothaire, Comte de Konigsegg, &c.

LITTERÆ SUPER EADEM MATERIA AD ABBATES DE TRONCHIENNES PROPE Gandavum & sancti Cornelii in Ninove Ordinis Præmonstratensis.

Josephus Lotharius Comes de Konigsegg.

Reverend Pere en Dieu cher & bien aimé; Comme vous avez admis le General de votre Ordre à visiter votre Maison, sans vous être informé s'il étoit muni des Lettres de placet à ce requises, & qu'il ne lui est pas permis d'exercer semblables Actes de Jurisdiction dans ces Provinces, ni à vous de le souffrir sans l'aggréation de Sa Majesté Imperiale & Catholique, Nous vous faisons cette pour vous interdire très-sérieusement en son nom d'admettre à l'avenir ledit General à faire ses visites, ou exercer aucune Jurisdiction dans votre Abbaye, sans être muni des Lettres de placet, à peine qu'il sera pouvû à votre charge comme en justice sera trouvé convenir pour le maintien des hauteurs & souveraineté de Sadite Majesté; à quel effet vous communiquerez cette aux Religieux de votre Convent, le Chapitre assemblé, & la ferez enregistrer dans les Registres de vos Notices, pour qu'à l'avenir vous ne puissiez prétexter aucune ignorante. A tant Reverend Pere en Dieu, &c. De Bruxelles le 27. de Juin 1716.

Reverende & dilectissime in Deo Pater. Admisso à vobis Generali vestri Ordinis ut visitaret vestram domum, nulla informatione facta an esset ipsi provisum de beneplacito ad id requisito, & nulla ipsi facta licentia exercendi tales hujus jurisdictionis actus in hisce provinciis neque vobis illam tolerandi absque beneplacito Majestatis Suæ Imperialis & Catholicæ, has vobis scribimus ut nomine ipsius serio inhibeamus ne imposterum admittatis dictum Generalem in faciendis suis visitationibus, vel in exercenda ulla jurisdictione in vestra Abbatia, nisi visis literis sub pœna, quod sit sumptibus vestris juridicè procedendum pro tuenda independentia dictæ Majestatis Suæ; in quem finem hanc communicabitis convocato Capitulo vestris Religiosis & curabitis inscribi registris vestrorum Novitiorum, ut vestram ignorantiam non possitis inculpare, &c. Bruxellis 27. Junii 1716.

V. Espen. Suppl. in Jus Eccl.

(N)

RESOLUTIO DOCTORUM LOVANIENSIUM PRO THESAURIA Ecclesiæ sancti Petri Insulis.

Mèmoire contenant les moiens du sieur Nicolas Parent, prètendant à la Tresorie de l'Eglise Collegiale de saint Pierre à Lille, comme en ayant ètè pourvu par le saint Siege dans un mois reservè, & les moiens du sieur Raymond-Louis de Valory, elu à ladite dignitè.

Documenta Continentia media Domini Nicolaì Parent prætendentis ad Thesaurariam Ecclesiæ Collegiatæ sancti Petri Insulis, ipsi de ea proviso à sancta Sede in mense reservato, & media Domini Raymundi Ludovici de Valory electi ad hanc dignitatem.

MOIENS DU SIEUR PARENT.

LE sieur Parent à allégué que le Pape est le Maître absolu de tous les Benefices, qu' il est Collateur ordinaire dans l' Eglise de saint Pierre de Lille, comme lui ètant immédiatement soûmise dès sa fondation; que ces principes supposez le saint Siege a pû disposer de tous les Benefices de cette Eglise depuis l'année 1066. tems de sa fondation jusqu' en l'année 1422. que commencent les Registres aux collations; que Martin V. en usant de ses droits; a bien voulu faire néanmoins une partition de mois, à laquelle les Deputez des Nations, qui ont assisté au Concile de Constance, ont consenti: que cette partition à été observée en Flandres, & particulierement dans ladite Eglise de saint Pierre, qu' on la doit regarder comme le droit commun de cette Province; que dès l'année 1424. Jean de Donay à été mis en possession de ladite Tresorerie dans un mois réservé par un Indult accordé à Charles VI. Roy de France, que depuis ce tems là jusqu' en 1472. il n'y a eu que N. Basin, qui a été pourvû par mort en 1462. de la Tresorerie; & que quoiqu' il ne soit point marqué dans les Registres en vertu de quelles provisions il a été reçû, on doit présumer que ç' a été par celle de la Cour de Rome, suivant la maxime *extremis probatis media probantur*, puisqu' en 1472. Jean du Lac a été mis aussi en possession de cette dignité en vertu d'une expectative de même que Jean de Couroubie en 1540. en vertu de l' Indult accordé à l'Empereur Charles Quint (ce qui suppose toûjours le partage des mois) & que Bertrand Verviane l' a obtenue en Cour de Rome comme vacante dans le mois de Fevrier 1634 qu'il a été maintenu par une Sentence de recreance au Conseil de Gand, contre Jean de l'Annoy, élu par le Chapitre: Que cette collation jointe à ladite Sentence, faisoit le dernier ètat de la Tresorerie (la difficulté ne s'ètant pas présenté puis) & devoit décider présentement de la Creance par lui prétendue, & que les collations de Rome ci-dessus mentionnées devoient décider aussi en sa faveur pour le plein possessoire, d' autant plus que les autres dignitez de ladite Eglise, sur tout le Doyenne & l'Ecolaterie ètoient assujetties à la réserve des mois, puisque Josse de Vandenberge, Josse de Lion, Gilbert Natalis, & Philippe Corroger, pourvus à Rome du Doyenné, avoient obtenu des Sentences de Récréance, & les trois dernier des Sentences au plein possessoire contre Louis Pontrain, Pierre Pollet, Martin de Flandre, & Charles Magnire, élûs par le Chapitre; qu'on devoit être persuadé que toutes ces Sentences n'avoient été rendues que sur le droit du Pape & la possession particuliere qu'il s' en ètoit conservé sur cette Eglise, & que le Chapitre avoit reconnu dès l'année 1463. lorsqu' il demanda à Pie II. le pouvoir d' élire une fois au Doyenné, ce qu'il a encore reconnu depuis en transigeant avec Josse de Lion & Gilbert Natalis pour le Doyenné, après les Sentences rendues en leur faveur, & en ne s'opposant point à trois collations de l'Ecolaterie, & à celle qui a été faite aussi à Rome de la Chantrerie, en faveur de Paul Philippe l'Hermite, qui avoit été précédée par une commission donnée par le Chapitre à Vincent Vermeulen de faire les fonctions du

MEDIA DOMINI PARENT.

DOminus Parent dixit Pontificem esse absolutum Dominum omnium beneficiorum ipsum esse Collatorem ordinarium in Ecclesia sancti Petri Insulani tanquam ipsi immediatè ab ejus fundatione subjecta: his suppositis principiis sanctam Sedem potuisse disponere de omnibus beneficiis hujus Ecclesiæ ab Anno 1066. quo tempore fuit fundata usque in annum 1422. quo incipiunt ejus registri ad collationes: quod *Martinus V.* juribus suis tamen utendo, voluerit bene partiri menses in quo deputati nationum quæ interfuerunt Concilio Constantiensi consenserunt: quod hæc partitio observata fuerit in Flandria & particulariter in dicta sancti Petri Ecclesia, & quod debeat considerari tanquam jus commune hujus Provinciæ; quod ab ipso anno 1424. *Johannes de Donay* fuerit factus Possessor Thesaurariæ in mense reservato per indultum concessum Carolo VI. Regi Galliarum: quod ab illo tempore usque in 1472. solus *N Basin* fuerit provisus per mortem anno 1462. & quod licet non constat ex registris vi quarum provisionum fuerit admissus, inferendum est id factum fuisse vigore Romanarum juxta adagium, *extremis probatis* media probantur, siquidem anno 1472. *Johannes de Lac* fuerit in possessionem admissus ad hanc dignitatem vigore expectativarum, sicut etiam *Johannes de Couroublе* anno 1540. vi indulti concessi Carolo V. quibus semper supponitur distributio mensium & siquidem *Bertrandus Verviant* in aula Romana eam obtinuit quasi vacantem in Februario 1634. quod fuerit confirmatus per sententiam Concilii Gandavensis, contra *Johannem de l'Annoy* à capitulo electum: quod hæc collatio juncta dictæ sententiæ faceret ultimum statum Thesaurariæ, nulla ab eo habita difficultate, & jam deberet decidere de fiduciaria à se prætensa, quod etiam collationes Romanæ prædictæ deberent in suum favorem decernere quoad integrum possessorium, si quidem aliæ dignitates dictæ Ecclesiæ præsertim Decanatus & Scholasteria subjiciebantur mensium reservationi, siquidem *Josse de Vandenberge Josse* de *Lion*, *Gilbertus Natalis*, & *Philippus Corroger*, Romæ Provisi Decanatu, obtinuerant sententias fiduciarias, & tres ultimi sententias ad plenum possessorium contra *Ludovicum Pontrain*, *Petrum Pollet*, *Martinum de Flandre* & *Carolum Magnire* à Capitulo electos; quod pro certo habendum foret has sententias non fuisse latas nisi attento bono jure Pontificis, & attenta possessione, quam sibi conservaverat in hanc Ecclesiam, agnitam à Capitulo ab anno 1463. dum petiit à Pio II. potestatem semel ad Decanatum eligendi quod adhuc ab eo tempore agnovit contrahendo cum *Josse* de *Lion* & *Gilberto Natalis* post sententias pro ipsis latas, & non opponendo tribus

bus collationibus Scholasteriæ, quemadmodum etiam chori Episcopatui in favorem *Pauli Philippi l'Hermite*, quam præcesserat commissio Capitularis data *Vincentio Vermeder* de exercendis functionibus, donec à Sancta Sede fuisset provisum alicui ad hanc dignitatem, ita ut non possit amplius Capitulum multa efficere cum suo prætenso jure electionis ad hanc dignitatem, sub prætextu quod aliæ Ecclesiæ Flandricæ illo gaudeant, cum hoc fiat titulo temporis immemorialis vel indulti ipsis à Sancta Sede concessi, vel quia habent usus differentes ab usu Ecclesiæ S. Petri, in qua tam pro collatione dignitatum quam Præbendarum debet esse uniformitas.

Media Domini Vallory.

Dominus *Vallory* è contra sustinebat electiones esse juris communis, quod exemptio prædictæ Ecclesiæ non fuisset concessa nisi à *Clemente* VII. Anti-Pontifice; quod qualiscumque posset esse, non concerneret nisi justitiam litigiosam; quod thesauraria esset ut & aliæ dignitates electivæ, siquidem ante annum 1217. Capitulum ad illam eligebat quoties vacabat: quod hæc probarentur per sententiam arbitrariam anni 1217. extractam à cartulario, in quo inseritur pars observatorum in dicta Ecclesia antequam urbs sub Philippo Augusto Rege Galliæ in cineres quasi redigeretur anno.... quod hæc sententia lata contra Præpositum dictæ Ecclesiæ prætendentem collationem dictæ thesaurariæ & quæ fuit confirmata à *Gossuvino* Episcopo Tornacensi & ab Honorio III. ferat hanc dignitatem electivam esse sicut aliæ dignitates: quod facta ab illo tempore usque in annum 1422. quo incipiunt registri ad collationes sit in favorem Capituli interpretandum tanquam juri communi conforme & solis actis hujus Ecclesiæ, de quibus cognitio posset haberi, quod partitio mensium à *Martino* V. facta non fuisset à Concilio Constantiensi approbata, quod è contra videretur ibidem in Sessione 4 fuisse decretum ut fieret reformatio reservationum Apostolicarum, sicut super 17 aliis capitibus seu articulis; quod in Sessione 43 facta fuisset quoad sex capita reformatio, duodecim aliis, inter quæ erant reservationes, relictis: quia ut dicit *Schelstrate* tendebant ad diminutionem potestatis summi Pontificis, quod *Martinus V.* bene evitaverat, sed quod Concilium Basileense absolverat reformationem reservationum Apostolicarum in Sessione 12. quod ab anno 1440. usque in 1469. pragmatica composita ex decretis hujus Concilii fuisset observata in dicta Ecclesia fatente Domino *Parent*, quod fidem debet facere Breve Pii II. non fuisse postulatum anno 1463. ut posset eligi ad Decanatum nisi in timore quod si contingeret pragmaticam abrogari in Gallia, exspectativæ in dicta Ecclesia iterum inciperent post obitum *Philippi Boni*, Ducis Burgundiæ & præsertim ut videtur ex Registris dictæ Ecclesiæ post comminatas censuras ab hoc Pontifice eodem anno, nisi ejus imposterum mandata acciperet, quod non obstante hoc Breve, & ejus tenore in quo decernebatur electionem ad hanc dignitatem confirmandam fore à Sancta Sede, *Hugo de Lanoi* electus consequenter anno 1476. jam assumpserat confirmationem à Præposito, non à sancta Sede, & quod Capitulum ad Decanatum perrexisset eligere in omnibus mensibus, imò reservatis, nullo se his opponente, usque in annum 1567. quod tantum abesset, ut satisfactum fuisset Collatoribus Flandriæ decreto *Martini V.* nunquam tot querelas deposuerant testibus edictis seu decretis Ducum Burgundiæ & appellationibus, quasi ab abusu à provisionibus Romanis factis à *Johanne Roussel* Procuratore Generali Flandriæ annis 1497. & 1500. quod quoties thesauraria vacaverat

Chapitre jusqu' à ce qu' il y eût un pourvu de cette dignité par le saint Siege, de sorte qu' il n'est plus possible audit Chapitre de réclamer son prétendu droit d' élection sur ces dignitez, sous pretexte que les autres Eglises de Flandre en jouissent, attendu que c' est à titre d' une possession immémoriale ou d' Indult qui leur ont été accordez par le saint Siege, ou qu' elles ont des usages différens de celui de l' Eglise de saint Pierre, dans laquelle il doit y avoir une uniformité de collation, tant pour les Dignitez que pour les Prébendes.

Moiens du sieur de Vallory.

Le sieur de Valory soûtenoit au contraire que les elections sont de droit commun; que l' exemption de ladite Eglise n' avoit été accordée que par Clement VII. Anti Pape, & que telle qu' elle pouvoit être, elle ne regardoit que la Jurisdiction contentieuse; que la Trésorie étoit élective comme les autres Dignitez, puisqu' avant 1217. le Chapitre y élisoit toutes les fois qu' elle venoit à vaquer; que ces faits se prouvoient par une Sentence arbitrale de 1217. extraite d' un cartulaire où est inserée une partie de ce qui se pratiquoit dans ladite Eglise avant l' incendie de la Ville arrivé en l' annee...... sous Philippe Auguste, Roi de France; que cette Sentence qui à été rendue contre le Prevôt de ladite Eglise, prétendant la collation de ladite Dignité, & qui a été confirmée par Cosswin, Evêque de Tournay & par Honoré III. porte que la Trésorie est élective comme les autres Dignitez; que ce qui a été fait depuis ce tems là jusqu' en l' année 1422. où commencent les Registres aux Collations, doit etre interpreté en faveur des elections faites par le Chapitre, comme étant conforme au droit commun & aux seuls Actes de cette Eglise, dont on pouvoit avoir connoissance; que la partition des mois faite par Martin V. n' avoit point été approuvée par le Concile de Constance; qu' il paroissoit au contraire qu' il y avoit été ordonne dans la session 4. de faire la reformation des Reserves Apostoliques, comme sur dix-sept autres articles; que dans la session 43. on avoit fait la réformation seulement sur six articles, les douze autres, entre lesquels étoit celui des réserves aiant été laissez, parce que, comme dit Schelstrate, ils alloient à diminuer l' autorité du souverain Pontife, ce que Martin V. avoit évité, mais que le Concile de Basle avoit achevé la réformation des Réserves Apostoliques dans la session 12. que depuis 1440. jusqu' en l' année 1469. la Pragmatique composée des Decrets de ce Concile, avoit été observée dans ladite Eglise de l' aveu du sieur Parent, ce qui doit faire croire que le Bref de Pie II. n' a été demandé en 1463. pour pouvoir élire au Doyenné que dans l' apprehension que la Pragmatique venant d'être abrogée en France, les expectatives ne recommançassent dans ladite Eglise aprés la mort de Philippe le Bon, Duc de Bourgogne, & sur tout comme on le voit par les Registres de ladite Eglise, aprés les menaces des censures que ce Pape avoit fait au Chapitre la même année, s' il ne recevoit à l' avenir ses mandats; que nonobstant ce Bref & sa teneur, qui portoit que l' élection qui seroit faite de cette dignité, seroit confirmée par le saint Siege, Hugues de Lannoy qui fut élû en conséquence en l' année 1476. avoit pris la confirmation du Prevot & non du saint Siege, & que le Chapitre avoit continué d' elire au Doyenné en tout mois, même réservez, sans opposition jusqu' en l' année 1567. que bien loin que le Decret de Martin V. eût satisfait les Collateurs de Flandre, jamais il n'y avoit eu tant de plaintes de leur part, témoins les Edits des Ducs de Bourgogne & les appels comme d'abus des provisions de Rome, faits par Jean Roussel, Procureur General de la Flandre en l' année 1497. & 1500 que toutes les fois que la Tresorerie avoit vaqué depuis 1472. il y avoit

avoit été pourvû par élection ; qu'il est vrai que Jean de Couroulle n'avoit point pris possession en 1540. en vertu de celle qui avoit été faite de sa personne, mais en vertu de l'Indult accordé à l'Empereur Charles-Quint ; mais que cet exemple d'une Collation, à laquelle le Chapitre ne pouvoit s'opposer, & qui pouvoit arriver dans un mois de l'Ordinaire, ne pouvoit lui préjudicier ni continuer une possession pour le saint Siege ; que depuis la mort de cet Indultaire il y a eu trois élections faites dans les mois réservez, comprise celle de Bertrand Verviane, qui fut élû par le Chapitre avant d'obtenir des Bulles de Rome ; que les Réserves, telles qu'elles sont établies présentement dans la Flandre, n'y ont été introduites que depuis le Concile de Trente ; qu'il n'est intervenu à ce sujet ni traité, ni consentement formel d'aucun Prince; que tous les Chapitres des Eglises Cathédrales & Collegiales de la Flandre, soûmises aux réserves pour les Prébendes & Benefices inferieurs, & qui avoient été sujets aux expectatives, tant pour les Dignitez que pour les Prébendes, comme l'a été l'Eglise de saint Pierre de Lille, jouissent néanmoins du droit d'elire en tous mois à leurs dignitez, comme il paroit par leurs déclarations produites au procês. sans qu'il y soit fait mention d'aucun Indult accordé par les souverains Pontifes ; que les reserves ne doivent avoir d'étendue que conformément à l'usage qui a été observé en Flandre jusqu'à présent; que bien loin que la partition des mois ou la réserve des Dignitez en soit le droit commun, le Parlement de Flandre par un Arrêt du 22. Decembre 1703. a défendu de *dire & soutenir que la Flandre est un pays d'Obédience & que la huittéme regle de Chancellerie y est observee.* Que les expectatives qui ont été abrogées par les Conciles de Basle & de Trente ne peuvent être tirées à conséquence pour l'étendue de la réserve des mois, sans donner une atteinte formelle au susdit Arrêt, & rendre la Jurisprudence Canonique arbitraire; enfin, que l' exemple de Verviane même bien loin d'être favorable au sieur Parent, établit encore le droit du sieur de Valory, puisque Verviane a été élû en 1634. dans un mois réservé.

Il est vrai cependant qu'il avoit impetré du saint Siege la même dignité immédiatement après son election, comme il paroît par sa déclaration cijointe : *Ego Bertrandus Vervianus Thesaurarius & Canonicus insignis Ecclesiæ Collegiatæ sancti Petri Insulensis, coram vobis admodum Reverendis Dominis meis Decano & Capitulo, Capitulariter congregatis, declaro me mutare causam possessionis Thesaurariæ alias captæ & thesaurariam eandem vigore Literarum Apostolicarum & non in vim provisionis ordinariæ ad electionem factæ possidere & retinere illiusque possessionem continuare. Actum in capitulo die trigesimâ Octobris anni millesimi sexcentesimi trigesimi septimi.* Mais le sieur de Valory a prouvé que de Verviane n'en a usé ainsi que trois ans & demi après pour être possesseur triennal.

Avant de faire sa déclaration, qu'il n'est pas surprenant que Verviane ait obtenu la récréance contre Jean de Lannoy, élu en sa place *ad conservationem juris*, aiant allégué un moien aussi décisif qu'étoit sa possession triennale, comme il paroît de ses Ecrits, que si le Conseil de Gand n'a point eu égard à cette possession, & qu'il ait été persuadé, comme l'avance le sieur Parent, que Verviane avoit remis tout son droit au Chapitre ; qu'en ce cas cette Sentence auroit été rendue contre toutes les regles de la Jurisprudence, sur-tout dans un Pays Coûtumier, où on est particulierement oblige de se conformer au dernier état du Benefice en matiere de récréance, & à la possession pour le plein possessoire, l'un & l'autre étant incontestablement pour le Chapitre ; que par conséquent de l'un ou de l'autre chef on ne devoit point avoir égard dans la présente Instance à une Sentence fondée

ab anno 1472. electione ipsi provisum fuerat, quo verum est *Johannem* de *Courouville* non sumpsis possessionem anno 1540 post electionem in fa vorem ipsius factam sed vigore indulti concef Ca olo V. sed quod hoc exemplum Collationis cu Capitulum non poterat se opponere, & quæ potera accidere in mense ordinarii, non poterat ipsi ess præjudicio, neque continuare possessionem pro san cta Sede; quod à morte hujus per indultum præben dati, factæ fuerint tres Electiones in ipsis mensibu reservatis his comprehensa electione *Bertrand Verviane* Electi à Capitulo ante impetrationem Bul larum Romanarum, quod reservationes quales jam vigent in Flandria, ibidem non fuerint introducta nisi à Concilii Tridentini tempore ; quod nullu intervenerit tractatus, & nullus Princeps suum con sensum formaliter dederit, quod omnia Capitul Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum Flan driæ subjectarum reservationibus quo ad Præbenda & Beneficia inferiora, & quæ fuerant expectativi submissa, tam pro præbendis quam beneficiis infe rioribus gauderent nihilominus jure electionis in omni mense quoad dignitates suas, ut patet per sua declarationes publicas de quibus in processu, null mentione facta de indultis concessis à summis Pontifi cibus ; quod reservationes non debeant extendi nis juxta usum observatum in Flandria; quod tantum abest ut distributio mensium vel reservatio dignitatum horum sit Juscommune, Parlamentum Flandriæ decreto de 22. Decembris anni 1703. inhibuit *ne diceretur & sustineretur Flandriam esse patriam obedientiæ & octavam observari Regulam Cancellariæ* quod exspectativæ sublatæ à Conciliis Basileensi & Tridentino, non possint inferre consequentiam ex tensionis pro reservatione mensium absque læsione dicti Articuli, & absque quod fiat Jurisprudentia Canonica, arbitraria; tandem quod exemplum ipsius *Verviane* tantum abest ut corroboret & faveat Domino *Parent* sed potius statuat & pondus addat juri Domini *Valory*, siquidem *Verviane* fuit electus anno 1634. in mense reservato.

Verum tamen est ipsum immediatè post suam electionem à sancta Sede obtinuisse eandem dignitatem, ut patet per ejus hic subjunctam declarationem: *Ego Bertrandus Vervianus Thesaurarius & Canonicus insignis Ecclesiæ Collegiatæ sancti Petri Insulensis, coram vobis admodum Reverendis Dominis meis Decano & Capitulo, Capitulariter congregatis, declaro me mutare causam possessionis Thesaurariæ alias captæ & thesaurariam eandem vigore Literarum Apostolicarum & non in vim provisionis ordinariæ ad electionem factæ possidere & retinere, illiusque possessionem continuare. Actum in capitulo die trigesima Octobris anni millesimi sexcentesimi trigesimi septimi.* Sed Dominus *Valory* probavit Vervianum non ita se gessisse, nisi sequi tribus annis ex post, ut esset possessor triennalis.

Antequam ejus declarationem faciam ; quod non sit mirum eum obtinuisse contra *Johannem de Lannoy* literas appositoriales cum fuerit electus ejus loco *ad conservationem juris*, allegato medio ita decisivo, sicut ejus possessio triennalis, ut patet ex ejus scriptis, quod si Senatus Gandegavensis non attenderit ad hanc possessionem & pro certo crediderit ut dicit Dominus *Parent*, *Vervianum* reposuisse omne suum jus inter manus Capituli ; quod in hoc casu hæc sententia fuerit lata contra omnes leges jurisprudentiæ, præcipuè in patria consuetudinaria in qua maximè inhærendum ultimo statui beneficii in materia oppositoriali, & possessioni quoad plenum, possessorium, cum utrumque sit incontestabiliter pro Capitulo, quod consequenter ex utroque Capite non debebat

debebat attendi in præsenti instantia ad sententiam fundatam in particulari medio vel latam contra regulas; quod respectu Decanatus & Scholasteriæ licet sancta Sedes fuisset in pacifica possessione nominandi, non erat ratio propter quam etiam ipsi thesauraria subjiceretur, secundum adagium, tantum præscriptum quantum possessum: sed tantum abest, ut hoc ita sit, ut & possit induci usus particularis ad dictam Ecclesiam & contrariam aliis Ecclesiis Flandriæ, accidit illam sustinuisse quatuor processus pro tot factis electionibus ad Decanatum spatio plusquam centum triginta annorum, quorum eventus fuisset felicior, si sibi providisset coram aula independente contra sententias latas juxta Gubernium Insulanum & Senatum Gandavensem, sicut fecit Capitulum S. Salvatoris in Arlebeke, ratione sui Decanatûs in favorem cujus accessit Decretum à summo Senatu Mechliniensi sub dato.... &c. anno 1594. & Capitulum S. Hermes in Renaix opponendo se inscriptioni Bullarum, quas obtinuerat Nicolaus Viucq pro Thesauraria dictæ Ecclesiæ, quâ oppositione mediante fuerunt ex Decreto Consilii Statûs in anno 1641. rejectæ: & tandem ut accidit Ecclesiæ S. Petri Insulani, dum appellavit ad aulam superiorem stabilitam Insulis à Statibus generalibus à sententia lata in Gubernio quoad plenum possessorium in favorem Philippi Corroyer, cui sancta Sedes providerat de Decanatu, hæc fuit infirmata per decretum 4. Martii 1713. respectu collationis Chori-Episcopatûs assumptæ Romæ à Paulo Philippo l'Hermite, & tres consequenter factas de Scholasteria, non est mirum Capitulum sese illis non opposuisse habitis pluribus, sententiis contrariis electioni Decanatûs, ex eo, quod nullus Canonicus poterat dispensari à sumptibus litis pro duabus dignitatibus tam laboriosis & tam exigui proventûs, sed quod si aliquando sit necessum scire quale sit jus Capituli in hasce dignitates, ostendetur provisionem Pauli Philippi l'Hermite esse primam & solam collationem datam ab aula Romana quoad Chori-Episcopatum, cum Capitulum semper de ea disposuerit ab ante, & intra tres menses, & respectu Scholasteriæ, quòd sit dignitas fundata ex reditibus dictæ Ecclesiæ, & cujus sibi reservavit dispositionem aut electionem per acta ipsa fundationis hic junctæ.

Quod Collatio dictæ Scholasticæ sicut aliorum Ecclesiæ personatuum...... ad capitulum nostrum in perpetuum de cetero remanebunt, confirmatum ex post ab Episcopo Tornacensi & Papa Honorio IV. quod sine dubio impedivit Dominum de Chausues ne sustineret, illius ultimam collationem, quia secundum Fevret, Tractatu De Abusu, libro tertio, capitulo primo, numero sexto folio 213. nulla potest alienari collatio contraria fundationi.

Insuper inauditum foret, crassos errores interdum à Capitulo in hac materia commissos posse statuere usum contrarium, & inferre consequentiam contra electionem ab ipso conservatam super thesauraria sub prætextu statuendæ uniformitatis collationis in dicta Ecclesia, quæ potius foret difformitas respectu usus aliarum Ecclesiarum Flandriæ & læsio formalis Jurisprudentiæ ibi semper observatæ. Non obstantibus omnibus his rationibus Gubernium Insulanum & Parlamentum Flandricum confirmando ipsius sententiam, adjudicârunt oppositorialia Domino *Parent*, interpretando adjudicatam à Senatu Gandavensi 1641. in favorem *Verviani*, non fuisse fundatam in ipsius possessione triennali, sed unicè in ipsius provisionibus Romanis, videtur à Judicio Parlamenti Flandrici decerni reservationem mensium habere locum in dicta Ecclesia in dignitates, ut etiam in præ-

V. Espen. Supplem. in jus Eccl.

sur un moien particulier ou rendue contre les regles; qu'à l'égard du Doienné & de l'Ecolaterie, quand même le saint Siege auroit été en possession paisible d'y nommer, ce n'étoit pas une raison pour lui assujettir aussi la Tréorerie, suivant la maxime *tantum præscriptum quantum possessum*: mais bien loin que cela soit ainsi, & qu'on puisse induire un usage particulier à ladite Eglise & contraire aux autres Eglises de Flandre, il est arrivé, qu'elle a soûtenu quatre procès pour autant d'élections faites au Doienné pendant l'espace de plus de cent trente années, dont l'évenement auroit été plus heureux, si elle s'étoit plûtôt pourvûe pardevant une Cour souveraine, contre les Sentences rendues à la Gouvernance de Lille & au Conseil de Gand, comme a fait le Chapitre de saint Sauveur d'Arlebeke, au sujet de son Doienné, en faveur duquel est intervenu un Arrêt du Grand Conseil de Malines, en datte du........ 1594. & le Chapitre de saint Hermes à Renaix, en s'opposant à l'enregistrement des Bulles, qu'avoit obtenu Nicolas Vaucq pour la Trésorerie de ladite Eglise, au moien de laquelle opposition elles ont été réiterées par Arrêt du Conseil d'Etat en l'année 1641. & enfin comme il est arrivé à l'Eglise de saint Pierre de Lille, lorsqu'elle a appellé à la Cour supérieure, établie à Lille par les Etats generaux de la Sentence rendue à la Gouvernance en plain possessoire, en faveur de Philippe Corroyer, pourvû du Doienné par le saint Siege, laquelle a été infirmée par Arrêt du 4. Mars 1713. à l'égard de la Collation de la Chantrerie prise à Rome par paul Philippes l'Hermite, & les trois consécutives qu'on n'y a fait de l'Ecolaterie, il n'est pas surprenant, que le Chapitre ne s'y soit pas opposé, après avoir essuié plusieurs Sentences contraires à l'élection du Doienné, d'autant plus qu'aucun Chanoine ne pouvoit être dispensé de soûtenir les frais d'un procès pour deux dignitez aussi pénibles & d'un aussi petit revenu; mais que s'il s'agit un jour de sçavoir quel est le droit du Chapitre sur ces Dignitez, on fera voir que la provision de Paul Philippes l'Hermite est la premiere & la seule Collation, que la Cour de Rome ait donnée de la Chantrerie, le Chapitre en aiant toujours disposé auparavant & en tous mois; & à l'égard de l'Ecolaterie, que c'est une Dignité fondée des revenus de ladite Eglise, & dont elle s'est réservée la disposition ou élection, par l'Acte même de fondation cijointe.

Quod Collatio dictæ Scholasticæ sicut aliorum Ecclesiæ personatuum........ ad capitulum nostrum in perpetuum de cetero remanebunt, confirmé ensuite par l'Evêque de Tournay & le Pape Honoré IV. ce qui sans doute empêché le sieur de Chausues d'en soûtenir la derniere Collation, parce que, selon Fevret, Traité de l'Albus, Livre 3. Chapitre 1. nombre 6. folio 213. on ne peut alleguer aucune possession contraire à la fondation.

Il seroit de plus inoui de soûtenir, que les fautes grossieres, qu'a fait de tems en tems le Chapitre sur cette matiere, puissent établir un usage particulier, & tirer à consequence contre l'élection, qu'il a conservé sur la Tresorerie, sous pretexte d'établir une uniformité de Collation dans ladite Eglise, qui seroit plûtôt une difformité, par rapport à l'usage des autres Eglises de Flandre, & une atteinte formelle à la Jurisprudence, qui a toûjours été observée. Non obstant toutes ces raisons, la Gouvernance de Lille & le Parlament de Flandre, en confirmant sa Sentence, ont adjugé la récréance au sieur Parent, en interprétant, que celle, qui a été adjugée par le Conseil de Gand en 1641. en faveur de Verviane, n'a point été fondée sur sa possession triennale, mais uniquement sur ses Provisions de Rome; ce Jugement du Parlament de Flandre paroît décider, que la réserve des mois a lieu dans ladite Eglise également sur les Dignitez comme sur les Prébendes

& contredire formellement l'Arrêt du même Parlement ci-dessus mentionne du 22. Decembre 1703.

bendas & contradicere formaliter decretum ejusdem Parlamenti supra citatum die vigesimâ secundâ Decembris 1703.

QUÆRITUR QUID JURIS?

RESOLUTIO.

Visis examinatis rationibus & fundamentis tam ex parte provisi Apostolici de dignitate Thesaurariæ in Ecclesia Collegiata S. Petri Insulensis, quàm ex parte electi à Capitulo ejusdem Ecclesiæ ad eandem dignitatem productis & nobis infra scriptis summariè exhibitis censemus electum à Capitulo apparentiori titulo innixum quàm provisum Apostolicum atque illum potiùs quàm hunc in pleno possessorio debere obtinere & manutenendum esse. Cùm enim provisus Apostolicus non possit aliunde Jus suum firmare, nisi titulo reservationis Apostolicæ, sequitur, quòd ad probandum titulum necesse sit, ut probetur quòd dignitas Thesaurariæ in hac Ecclesia Collegiata sancti Petri Insulensis comprehendatur sub reservatione, sive, quòd hæc dignitas in mensibus reservatis vacans vigore reservationis pertinet ad provisionem Sedis Apostolicæ.

Porro indubitatum est, nullam provisionem Apostolicam vigore reservationis admitti posse, nisi ipsa reservatio, cui provisio innititur, plenè probetur recepta & admissa. Apud omnes quippe expeditum est, reservationes Apostolicas de Beneficiis, præsertim extra Italiam sitis, esse admodum odiosas, utpote Juri communi contrarias & ordinariorum Juri detrahentes eoque titulo nequaquam admittendas vel recipiendas, nisi plenè probetur earum admissio & receptio.

Unde & authores, etiam Curiæ Romanæ addictissimi & authoritatem Papalem in provisione præsertim beneficiorum ultra modum extollentes nequaquam negare audent, provisum ab ordinario esse præferendum proviso Apostolico, si provisus Apostolicus plenè probare nequeat, beneficium vacâsse in mense reservato, atque ita inter alios Hieronymus Gonzales quondam Advocatus Curiæ Romanæ asserere non dubitat in suo commentario ad regulam 8. Cancellariæ gloss. 11. quòd si nesciatur, quo mense præcisè vacaverit beneficium, utrùm scilicet in mense reservato vel in mense ordinario & neque provisus Apostolicus, neque provisus ab ordinario fuerit in possessione, provisum ab ordinario esse præferendum, nisi provisus Apostolicus plenè probet, beneficium vacâsse in mense reservato, quoniam (ait n. 37.) non solùm non præsumitur reservatio ratione mensis, sed etiam debet concludenter probari vacatio de mense Apostolico, ut provisus à Papa obtinere possit. Ratio est (pergit) quia, cùm ordinarius & provisus ab eo fundet intentionem suam de Jure communi *cap. ex frequentibus* de institutionibus. Atque hanc in rem citatis pluribus authoribus tanquam consequens infert: sequitur, quòd provisus ab ordinario nihil aliud probare tenetur, nisi anterioritatem suæ collationis in Jure communi fundatam & quod onus probandi reservationem ratione mensis spectat ad provisum Apostolicum se fundantem in vacatione in mense Apostolico, cùm hoc sit intentionis fundamentum.

Igitur, ut provisus Apostolicus queat obtinere contra provisum ab ordinario sive electum à Capitulo, necesse est, ut plenè *& concludenter* probet reservationem. Quandoquidem pro fundamento suæ provisionis alleget ipsam reservationem Apostolicam.

Fatendum quidem est hic in Belgio ac nominatim in Flandria admissam jam pridem & receptam fuisse, & etiam hodie vigere reservationem 8. mensium sive regulam Cancellariæ, per quam dispositioni & provisioni Sedis Apostolicæ reservantur beneficia cum Cura & sine Cura vacantia in 8. mensibus, sed hanc mensium partitionem vel reservationem inductam fuisse authoritate Martini V. in Concilio Constantiensi approbantibus Nationibus, uti prætendere videtur provisus Apostolicus, omni caret fundamento.

Neque enim Martinus V. in Concilio Constantiensi electus, ullam mensium reservationem aut partitionem induxit aut eam nationes Concilium Constantiense conficientes probâsse leguntur. Constat quidem ex actis Concilii Constantiensis, intentionem Concilii fuisse, ut per futurum Pontificem formatio Ecclesiæ super quibusdam articulis ac notanter de reservationibus beneficiorum institueretur; ita enim legitur Sess. 40. Concilii Constantiensis: Sacrosancta generalis Synodus in Spiritu S. legitimè congregata universalem Ecclesiam repræsentans statuit & decernit, quòd futurus Romanus Pontifex per Dei gratiam de proximo assumendus cum hoc sacro Concilio, vel deputandis per singulas nationes debeat reformare Ecclesiam in capite & in membris & Curiam Romanam secundùm dignitatem & bonum regimen Ecclesiæ, antequam hoc Concilium dissolvatur, super materiis articulorum alias per nationes in reformatorio oblatorum qui sequuntur: primò de numero qualitate & natione Dominorum Cardinalium: secundò item de reservationibus Sedis Apostolicæ.

Martinum V. in Concilio Constantiensi electum Pontificem super hoc articulo de reservationibus beneficiorum cum Concilio vel deputatis per singulas nationes reformationem aliquam fecisse non legitur, sed illud à quibusdam asseritur, quòd *absoluto Concilio*, scilicet anno 1418. Martinus V. aliquam mensium partitionem induxerit, quatuor menses à reservationibus & expectativis liberos ordinariis dimittens, ut hoc pacto querelis Prælatorum, qui per exspectativas & reservationes querebantur, se totaliter jure providendi de beneficiis in suis Diœcesibus spoliari, aliquatenus satisfecisse videretur, uti notat Perardus Chagellus Advocatus in Parlamento Parisiensi in tractatu Gallico, cui titulus: *Usage de la Cour de Rome pag.* 327. Ubi, postquam locutus est de regula 8. mensium & alternativa, subjungit: *Entre les regles il y avoit celle du partage des mois & de l'alternative, que quelques-uns tiennent avoir été fait peu aprés le Concile de Constance en l'année 1418. pour appaiser les Evêques, qui avoient toûjours résisté aux nouveautez que la Cour de Rome avoit commencé d'introduire contre leur droit, par la disposition absolue des Benefices de leur Diocese.*

Ex his patescit imprimis, hanc partitionem mensium, etsi supponeretur facta per Martinum V. nullatenus factam fuisse approbantibus ipsis nationibus, quandoquidem ipsum Concilium tempore factæ hujus partitionis esset dissolutum & nationes separatæ.

Imò, quàm parum satisfactum fuerit Prælatis & nationibus per hanc mensium partitionem, probant querelæ Episcoporum & Patrum contra has reservationes factæ in Concilio Basileensi, quæ tandem Patres Basileenses permoverunt, ut Sessione 23. decretum

tum ediderint, quò omnes reservationes Beneficiorum quorumcunque abolerentur reservationibus in corpore Juris expresse clausis, & his, quas in terris Romanæ Ecclesiæ ratione directi, seu utilis dominii mediatè vel immediatè subjectis fieri contigerit, duntaxat exceptis.

Verùm, cùm tempore confecti hujus decreti dissensio exorta esset inter Eugenium Papam & Patres Basileenses, sustineretque Eugenius ob factam à se Concilii hujus dissolutionem & translationem ad civitatem Ferrariensem non tam esse reputandum hunc conventum ut Concilium quàm Conciliabulum, noluit Eugenius eique adhærentes decretum hoc pro decreto Concilii recipere, neque Principes Eugenio faventes in suas ditiones invehi & executionem habere.

Porro Philippus Bonus eo tempore Dux Burgundiæ & Flandriæ Comes partes Eugenii contra Concilium Basileense sustinebat: scribit enim Godefridus in vita Caroli VII. Regis Galliæ ad annum 1438. dissidium tum fuisse inter Eugenium IV. & Concilium Basileense, quòdque Dux Burgundiæ & Rex Angliæ tuerentur partes Eugenii: & Monstreletius testatur, Ducem Burgundiæ plenissimè stetisse à partibus Eugenii.

Quòd verò hic Dux in favorem Eugenii vetuerit, Decreta Concilii Basileensis in suas terras invehi, teste ipse Eugenius in literis ad Carolum Septimum Regem Galliæ, quas exhibet Odericus Raynaldus in continuatione annalium Baronii ad annum millesimum quadringentesimum trigesimum nonum numero vigesimo septimo, in quibus narrat, quòd rem dignam magnâ laude peregerit dilectus filius Dux Burgundiæ, qui per suas patentes literas præcepit sub gravibus pœnis in suis Dominiis, ne ullis literis illius sceleratissimæ conventiculæ (Concilii Basileensis) aliquis obediret aut ad sua Dominia illas auderet deferre.

Cùm igitur Princeps Decretum Concilii Basileensis de sublatis reservationibus nollet in suis dominiis recipi, mirum non est, quòd Episcopi & Collatores ordinarii acquiescere debuerint moderationi reservationum per prædictam partitionem mensium inductæ, quæ hisce in partibus ac notanter in Flandria huc usque tolerata fuit juxta terminos & expressionem regulæ 8. de reservationibus mensium.

Ex hujus verò partitionis mensium receptione & usu nullatenus concludi posse, uti prætendere videtur provisus Apostolicus, ipsas dignitates electivas in mensibus reservatis vacantes Sedi Apostolicæ esse aut unquam fuisse reservatas, atque vigore hujus reservationis ad provisionem Sedis Apostolicæ pertinere, evidenter probat praxis omnium Ecclesiarum tam Cathedralium quàm Collegiatarum tum in Brabantia, tum in Flandria; in quibus, licèt hæc partitio mensium sine regula reservativa octo mensium vel etiam alternativa sit recepta, in nulla tamen earum viget, aut viguisse unquam scitur reservatio dignitatum electivarum, sed hæ omnes à servatione exemptæ hactenus remanserunt ad liberam electionem sive provisionem Capitulorum & Ordinariorum, quod nec ipse provisus Apostolicus negare audet: ut proinde ex receptione hujus partitionis mensium sive regulæ nullatenus inferri possit, etiam dignitatem Thesaurariæ esse reservatam, de qua in casu præsenti.

Quòd autem provisus Apostolicus ad enervandam vim hujus argumenti allegat hunc usum Ecclesiarum tam Cathedralium quàm Collegiatarum fundari in possessione immemoriali aut speciali indulto Apostolico, mera divinatio & nullo fundamento innixa conjectura est.

Si enim hæc mensium partitio sive reservatio etiam dignitates illas electivas comprehenderet, quâ specie omnes Ecclesiæ Belgicæ sese contra Romanam Curiam adeo potentem & juribus suis tam sollicitè invigilantem in possessione illa immemoriali tueri potuissent ulterius? Verisimiline est, quòd nullus has dignitates ambiens ad Curiam Romanam recurrisset pro obtinenda provisione ipsamque Ecclesiarum possessionem pacificam interturbâsset? ut proinde nullatenus sit verisimile, quòd Ecclesiæ Belgicæ generaliter in pacifica possessione eligendi in omnibus mensibus ad omnes dignitates electivas quieti permansissent, nisi creditum fuisset, partitionem mensium, sive regulam reservativam has dignitates non complecti.

Non majori fundamento nititur, quod de Indulto Apostolico conjicit provisus Apostolicus, quandoquidem similia indulta difficillimè à Sede Apostolica impetrentur: & si quæ essent apud Historicos, qui earum Ecclesiarum meminerunt, mentio aliqua occurreret vel saltem in Ecclesiarum illarum antiquis registris reperirentur annotata. Quòd si quid eorum haberetur, indubiè provisus Apostolicus non prætermisisset eorum aliquid in medium adferre.

Quod autem addit provisus Apostolicus, in Ecclesia Collegiata S Petri Insulensis debere esse conformitatem quoad reservationem tam quoad præbendas quàm quoad dignitates, nescitur, cur hæc potiùs in hac quàm in aliis Ecclesiis exigatur.

Nequaquam igitur ullatenus verisimile est, Ecclesias Belgicas suas dignitates titulo præscriptionis aut immemorialis possessionis à reservatione Apostolica exemisse aut earum liberam electionem aut provisionem speciali Indulto Apostolico impetrâsse, sed eo indubiè titulo mansere exemptæ à reservatione, quòd hæc reservatio sive partitio mensium similes dignitates electivas minimè complecteretur.

Pro quo in primis notandum, quòd Sess. 12. Concilii Basileensis habita die 14. Julii anno 1433. statutum fuerit, generalem reservationem omnium Ecclesiarum Metropolitanarum, Monasteriorum ac dignitatum electivarum per Romanum Pontificem de cætero fieri aut factis uti non debere, reservationibus in corpore Juris clausis, & his, quas in terris Romanæ Ecclesiæ ratione directi seu utilis dominii mediatè vel immediatè subjectis fieri contigerit. semper exceptis: sed quòd per electiones & confirmationes Canonicas secundùm Juris communis dispositionem prædictis Metropolitanis Cathedralibus Monasteriis & Collegiatis Ecclesiis ac dignitatibus electivis debitè provideatur.

Evidens est per hoc Decretum, Concilium Basileense à reservatione Papali liberas declarâsse non tantùm Episcopatus & dignitates Abbatiales, sed generaliter omnes dignitates electivas, etiam in Ecclesiis Collegiatis, ipsamque electionem & confirmationem Capitulis & Ordinariis integram esse voluisse.

Hinc ulteriùs intelligitur, salvo hoc decreto sub reservatione octo mensium non potuisse dici, reservatas esse dignitates electivas.

Verum quidem est, ùt suprà notavimus, Ducem Burgundiæ Comitem Flandriæ decreta Concilii Basileensis vetuisse in suas ditiones invehi; sed & illud constat, Principem illum id unicè vetuisse in favorem Eugenii IV. qui Concilium Basileense dissolverat & Ferrariam transtulerat, ipsumque Basileense Concilium ulteriùs pro legitimo Concilio agnoscere nolebat.

Cùm verò Decretum hoc Sess. 12. publicatum per

ipsum Eugenium patenter approbatum legatur per Bullam ipsius Eugenii publicatam Sessione decimâ sextâ, quâ ratificat omnia ab ipso Concilio hactenus edita, nequaquam præfatum Decretum recenseri potest inter Decreta hujus Concilii, quæ Princeps in suas Provincias admitti vetuisset: quandoquidem & ipse Eugenius IV. cui hic Princeps summopere favebat, hoc Decretum probâsset.

Non mirum proinde, quòd, licèt partitio mensium sive reservatio octo mensium in Belgio ac notanter in Flandria ob non recepta Decreta Concilii Basileensis post ejus translationem & dissolutionem publicata (quale erat illud de sublatis reservationibus publicatum Sessione vigesimâ tertiâ) fuerit hactenus tolerata & recepta, ab ea tamen reservatione in omnibus generaliter Ecclesiis harum ditionum dignitates electivæ manserint exemptæ, & libera earum provisio & electio in omnibus mensibus Ordinariis manserit salva. Eâdem indubiè ratione factum est, quòd in regula 8. Cancellariæ de mensibus post tempora Concilii Basileensis conceptâ & editâ nulla fiat nominatim dignitatum electivarum mentio; quæ tamen, ut comprehenderentur, speciatim exprimendæ fuissent.

Neque desunt urgentissimæ rationes, quæ suadent, similes dignitates præ aliis Beneficiis simpliciter collativis à reservatione subtrahi & Ordinariorum provisioni liberas conservari.

In primis enim similes dignitates electivæ confirmativæ annexum habere solent officium & administrationem tum in temporalibus tum in spiritualibus, singularem industriam, eruditionem, fidelitatem, aliasque qualitates requirens, quæ Ordinariis magis & faciliùs innotescere & perspectæ esse possunt & solent quàm Romano Pontifici ejusve Ministris.

Et ut de cæteris dignitatibus, puta Decanatu, Cantoria, nihil dicamus, quis ambigat, quin in Thesaurario specialis industria, justitia, diligentia, & fidelitas requiratur? utpote cujus fidei omnis Ecclesiasticæ suppellectilis seu thesauri administratio & custodia est concredita, ut loquitur Concilium Coloniense anno 1260. capite octavo, eos propterea monens, ut hanc Ecclesiasticæ suppellectilis seu thesauri custodiam eorum fidei atque curæ commissam ita conservent fideliter & solerter, quòd inde non sint reprehensibiles.

Porro quis ambigat, æquum & justum esse, ut à Canonicis Ecclesiæ Clerum repræsentantibus eligatur is, cui ipsius Ecclesiæ thesaurus concreditur, nec non Ecclesiastici exterioris apparatûs cura committitur?

Quid insuper rationi magis congruum, quàm ut confirmatio similis Ministri committatur ei, cui cura spiritualis hujus Ecclesiæ incumbit, qui in hac Ecclesia Collegiata est ipse Præpositus?

Præterea singulari titulo semper odiosa visa est reservatio, per quam ipsa Beneficiorum conditio & qualitas à fundatoribus requisita restringitur aut saltem alteratur.

Quandoquidem autem in præsenti agatur de dignitatibus verè electivis, id est, electivis confirmativis, ad quas electi, antequam ad possessionem admitti queant, tenentur obtinere à Superiore confirmationem, consequens est, quòd & hoc titulo similes dignitates à reservatione præ reliquis simplicibus Beneficiis, ùt sunt Canonicatus, jure merito remanserint exemptæ & ùt exemptæ passim ab omnibus reputatæ fuerint, quandoquidem hæ dignitates, quæ ex sua fundatione & primæva conditione sunt electivæ confirmativæ, per reservationem fierent merè collativæ.

Si enim titulo reservationis provisio ad Sedem Apostolicam devolveretur, Sedes Apostolica simpliciter similibus dignitatibus vacantibus provideret non secus ac de cæteris Beneficiis collativis, neque provisus Apostolicus ab ullo confirmationem suæ provisionis petere juberetur, sed vigore solius provisionis Apostolicæ in possessionem corporalem induceretur.

Igitur cùm per similium dignitatum reservationem conditio earum mutaretur, ipsarumque fundatio inverteretur non sine Ecclesiarum illarum præjudicio, non mirum, quòd similes dignitates electivæ confirmativæ per Concilium Basileense à reservatione præ reliquis Beneficiis merè collativis fuerint substractæ, & quòd, non obstanti receptione reservationis mensium quoad Beneficia merè collativa, hæ dignitates electivæ confirmativæ in omnibus Ecclesiis tam Cathedralibus quàm Collegiatis hìc in Belgio manserint exemptæ, earumque electio libera remanserit penes Capitula & earum confirmatio penes Ordinarios.

Similiter tametsi in Gallia vigore Concordati inter Leonem X & Franciscum I. Romano Pontifici fuerit conservatum jus præventionis quoad omnia Beneficia, imò & ipsas dignitates sub his verbis: »Declarantes nos & Successores nostros jure præ- »ventionis dignitates, personatus administrationes »& officia cæteraque Ecclesiastica Beneficia sæcularia „& quorumvis Ordinum regularia quæcunque & „quomodocunque qualificata tam in mensibus gra- „duatis, simplicibus & nominatis quàm ordinariis „Collatoribus præfatis assignatis vacantia, ac etiam „sub dictis mandatis comprehensa, liberè conferre." Nihilominus præventio non admittitur quoad Beneficia propriè electiva; teste enim Petro Tondulo libro primo, quæstione Benef. capite quadragesimo, numero octavo in electivis, collativis admittunt Galli Pontificiam præventionem, non autem in confirmativis.

Nequaquam ergo sufficit, ut provisus Apostolicus probet, in Ecclesia Collegiata S. Petri Insulensis receptam esse partitionem mensium sive regulam Cancellariæ reservatoriam 8. mensium, quemadmodum & hæc recepta est in omnibus passim Ecclesiis Flandriæ: sed necesse est, ut probet *plenè & concludenter* reservationem etiam illarum dignitatum electivarum confirmativarum in hac Ecclesia, præter usum omnium cæterarum Ecclesiarum Flandriæ, esse receptam & stabilitam.

Porro, quæ hactenus provisus Apostolicus in probationem admissæ & stabilitæ reservationis dignitatum electivarum ac signanter Thesaurariæ in Ecclesia Collegiata S. Petri Insulensis adduxisse dicitur, planè insufficientia sunt ad adstruendum hanc reservationem adeo extraordinariam & à moribus & usu totius Flandriæ exorbitantem.

Quod enim asserit, *que le Pape est le maitre absolu de tous les Benefices*; conforme quidem est opinioni quorundam Ultramontanorum Curiæ Romanæ adulantium, & Romani Pontificis authoritatem in immensum amplificantium, sed planè contrarium est moribus nostris, qui nullam in Pontifice disponendi de Beneficiis authoritatem hìc agnoscunt, præter eam, quæ longo usu & Principum atque Episcoporum consensu expresso vel tacito admissa & excepta probatur.

Quapropter, tametsi in Gallia (quæ regulam reservatoriam 8. mensium non recepit) jus præventionis sub certis tamen modificationibus Pontifici concedatur, hoc tamen jus præventionis Belgium non agnoscit.

Neque

Neque provisio Apostolica vigore hujus Juris in Belgio admitteretur in mensibus ordinariorum, neque in Gallia, neque in Belgio ulla Apostolica provisio de Beneficiis Jurispatronatûs Laici, vel etiam mixti recipitur. Evidens argumentum, quòd illa in Pontifice plenitudo potestatis providendi de omnibus Beneficiis (quam provisus Apostolicus ei attribuere studet) non agnoscatur.

Neque hæc authoritas Pontificis quoad Collationem Beneficiorum eo titulo major asseri potest in Ecclesia Collegiata S. Petri Insulensis, quòd hæc per exemptionem prætendatur immediatè subjecta Sedi Apostolicæ, quandoquidem certum sit, uti rectè advertit provisus capitularis, hanc exemptionem non spectare nisi Jurisdictionem contentiosam, nullatenus verò ipsam provisionem Beneficiorum aut dignitatum.

Quapropter in Ecclesiis Flandriæ nulla quoad reservationem Beneficiorum aut dignitatum intercedit differentia inter Ecclesias exemptas vel non exemptas. Notumque est, quòd in Ecclesia Cathedrali Gandensi, non secùs ac in aliis Ecclesiis, dignitates electivæ confirmativæ, ùt sunt Decanatus, Cantoria, Thesauraria, & Scholastica, hactenus remanserint exemptæ à reservatione & per Capitulum in omnibus mensibus per electionem iis provideatur, tametsi hæc Ecclesia exemptionis titulo glorietur & se specialiter in omnibus suis literis ut exemptam proclamet.

Ex his habetur, quàm infirma sint fundamenta seu principia, ex quibus conficere vult provisus Apostolicus *que le saint Siege a pu disposer de tous les Benefices de cette Eglise depuis l'an 1066. tems de sa fondation*. Cùm è contrario concludere debuisset, Capitulum mansisse in possessione eligendi ad has dignitates conformiter ad Jus commune & terminos fundationis, quoad usque probatum esset Jus provisionis, Capitulo fuisse ademptum & ad Sedem Apostolicam devolutum.

Nec creditur, quòd Sedes Apostolica ab anno 1066. usque ad tempora Concilii Basileensis, ullam provisionem de Beneficiis hic in Belgio sitis expedierit vigore reservationis mensium; tametsi non diffiteantur, ab eo circiter tempore Curiam Romanam cœpisse uti mandatis de providendo, nec non exspectativis ad vacatura usque circa tempora Concilii Constantiensis & Basileensis, intantum gravâsse Ordinarios, ut eorum ingentes querelas contra Sedem Apostolicam excitaverint, actandem tum per Concilium Constantiense tum per Basileense, ac demum per Concilium Tridentinum remedia expostulaverint adhibenda, uti & nonnulla adhibita fuêre, & earum usus tandem hîc in Belgio abrogatur reservationibus dumtaxat sub quodam moderamine toleratis.

Quod autem per provisum Apostolicum allegatur provisio Joannis de Douay facta in mense (ùt prætendit) reservato vigore indulti Carolo VI. Regi Franciæ à Sede Apostolica concessi, ad probandam reservationem dignitatis thesaurariæ tunc temporis in Ecclesia S. Petri fuisse receptam, posset in speciem saltem aliquid concludere, si Pontifices similia indulta Regibus & Principibus concedere non consuevissent, nisi in mensibus sibi reservatis; sed cùm nemo ignorare possit, Pontifices similia indulta sub id tempus passim Regibus & Principibus concessisse in omnibus mensibus & quoad Beneficia nulli reservationi obnoxia, nihil omnino vel in speciem ex hoc indulto Caroli VI & provisione in vim illius de Thesauraria in Ecclesia Insulensi eo tempore factâ pro receptione ipsius reservationis concludi potest.

Et quidem sub idem penè tempus, nimirum circiter anno 1436. Eugenius IV. indultum concessit Regi Franciæ, in vim cujus mandat Prælatis, ut quibusdam Officialibus Regis in ipso indulto Papali nominatis semel in vita sua de proximo vacaturo Beneficio provideant sine ulla mensium aut Beneficiorum reservatorum aut non reservatorum distinctione, ut proinde ex hac provisione nullatenus concludi queat, provisionem hanc factam fuisse vigore reservationis, aut reservationem mensium, saltem quoad Thesaurariam eo tempore in Ecclesia S. Petri fuisse receptam.

Neque plus ponderis habet secundo loco productum per provisum Apostolicum, scilicet quòd anno 1472. Joannes de Lacu obtinuerit provisionem Thesaurariæ vigore cujusdam exspectativæ: ut enim verum esset, Joannem de Lacu vigore cujusdam exspectativæ obtinuisse provisionem Thesaurariæ; inde tamen concludi non posset, reservationem hujus vel aliarum dignitatum in Ecclesia Collegiata S. Petri Insulensis fuisse agnitam.

Neque quippe ignorat, exspectativas plurimum differre à reservatione; per reservationem enim sive partitionem mensium Beneficia in mensibus reservatis vacantia vigore reservationis spectant ad plenam provisionem Sedis Apostolicæ, neque ad similia Beneficia vacatura dantur aut unquam datæ fuisse exspectativæ leguntur.

Exspectativæ quippe, sicuti & mandata de providendo concedebantur ad Beneficia vacatura spectantia ad provisionem Ordinariorum, quibus mandabatur, ut exspectantibus & mandatariis Apostolicis de vacaturis Beneficiis ipsi providerent, & ordinariis recusantibus in ipsis literis nominabantur executores in partibus, qui authoritate Sedis Apostolicæ Beneficia vacantia exspectantibus conferrent.

Hinc non dicitur, Joannem de Lacu provisionem Thesaurariæ obtinuisse à Sede Apostolica, quemadmodum obtinuisset, si titulo reservationis eam à Sede Apostolica impetrasset, sed dicitur, quòd vigore exspectativæ missus fuerit in possessionem.

Neque mirum apparere debet, Sixtum IV. qui eo tempore Pontificatum gerebat, Joanni de Lacu dedisse exspectativam ad vacaturam Thesaurariam, tametsi ad provisionem Capituli & Ordinarii spectantem, quandoquidem de eodem Pontifice conquestus fuerit Procurator Generalis coram Maximiliano & Philippo harum ditionum Principibus per exspectativas ab hoc Pontifice indultas.

Jus Ordinariorum inutile reddi in his verbis, *& quant ausdittes Bulles expectatives, par icelles les collations des ordinaires ont été rendues infructueuses au préjudice, tant desdits ordinaires que des impétrans de leurs droits & des collations, & contre l'intention des Fondateurs.*

Et quidem hæ querelæ Procuratoris Generalis contra has exspectativas impulerunt Principes, ut contra has Romanæ Curiæ provisiones publicaverint edictum die 12. Septembris anni 1485. quod integrum refertur parte 1. edictorum Flandriæ rubrica 8. tit. 1. quo vetantur similes exspectativæ in has Provincias ulteriùs recipi.

Verum quidem est tempore publicati hujus edicti, hunc Pontificem Sixtum IV. fuisse defunctum, sed notandum, Procuratorem Generalem suas querelas potissimùm direxisse contra exspectativas, quæ à decem aut undecim annis (qui erant anni Pontificatûs hujus Pontificis) multùm invaluerant & Ecclesias Belgicas multùm vexaverant. Verba ejus sunt: *Car toutes provisions dépêchées en Cour de Rome ont ete fort accrues, & quasi double depuis dix ou onze ans en ca*: sicuti Indultum, quod dicitur concessum Carolo VI Regi Franciæ de providendo de Thesauraria in Ecclesia Collegiata S. Petri Insulensis non probat admissam reservationem hujus dignitatis in mensibus

reservatis, ita nec Indultum, vigore cujus Carolus V. dicitur providisse de hac dignitate Thesaurariæ vigore Indulti Apostolici.

Dicitur enim, Carolum V. ejusque Successores usque in hodiernum diem in vim Indulti Leonis X providere de omnibus primariis dignitatibus post Pontificalem in Ecclesiis Cathedralibus & de Principalibus in Ecclesiis Collegiatis, tametsi hæ dignitates in hisce Ecclesiis nunquam reservationi Apostolicæ vigore hujus regulæ 8. mensium sciantur fuisse subjectæ.

Quantum ad provisionem hujus dignitatis Thesaurariæ in persona Bertrandi Verviani, cùm eam & in Curia Romana obtinuerit, & Capitulo, nec sciatur, in vim cujus provisionis sententiam recredentialem reportaverit, nihil concludenter ex hac provisione pro fundanda receptione provisionis Apostolicæ inferri potest. Quandoquidem igitur nullus indubitatus actus possessionis, nullusque legitimus titulus per provisum Apostolicum adducatur ad fundandam inductam reservationem Pontificiam, quoad dignitates electivas confirmativas in Ecclesia Collegiata S. Petri Insulensis, non apparet, quâ specie provisus Apostolicus prætendere queat, has dignitates in hac Ecclesia sub reservatione Sedis Apostolicæ comprehendi titulo immemorialis possessionis vel præscriptionis.

Quis enim nescit, ad inducendam similem præscriptionem seu possessionem, ubi nullus titulus specialis probatur, inniti debere concludentibus, nec controversis actibus possessionis per tempus immemoriale continuatis: notanter si per similem præscriptionem introductum prætendatur, quod & juri communi contrariatur, necnon generali patriæ praxi opponitur, ipsamque Beneficiorum fundationem, si non evertat, saltem atteret & Ecclesiarum communi utilitati natum est officere, quale est ipsa reservatio dignitatum, quæ titulo similis præscriptionis in hac Ecclesia contra jus commune & usum cæterarum Ecclesiarum, necnon fundationem seu institutionem earum dignitatum inducta prætenditur, uti supra ostensum est.

Imò tametsi probaretur per Sedem Apostolicam aliquoties, etiam titulo reservationis, huic dignitati mensibus reservatis fuisse provisum, atque in vim hujus provisionis sine ulla contradictione Capituli provisum Apostolicum fuisse ad possessionem admissum & pacificè in ea perseverâsse; nihil tamen inde concludenter pro recepta & stabilita reservatione Apostolica concludi posset.

Neque enim connivientia Capituli aut etiam ejusdem positiva approbatio similis provisionis Apostolicæ, ejus est efficaciæ, ut contra communem patriæ usum hæc dignitatum reservatio in hac Ecclesia recepta censeri debeat, eâque mediante ipsa primæva dignitatum conditio alteratur & contra communem Ecclesiæ utilitatem earundem dignitatum provisio ad potestatem extraneam, scilicet Curiam Romanam, legitimè devoluta cum ingenti incommodorum sequela, quæ similes reservationes secum trahere consueverunt, & de quibus jam pridem tam altè tum Belgii Ministri, tum Ecclesiarum Prælati conquesti fuêre, & ad quorum querelas plura contra provisiones Romanas Principum edicta prodierunt.

Quod vel in præsenti casu eò magis militat; quòd cùm per regulam reservativam 8. mensium provisio Canonicatuum in 8. mensibus pertineat ad Sedem Apostolicam, natum sit fieri, ut Capitulum constet ex plerisque Canonicis, qui suam ad Canonicatus Promotionem referre debeant Sedi Apostolicæ, qui, ut eam in se collatam gratiam recognoscant, facilè provisioni Apostolicæ annuent: præsertim cùm à Sede Apostolica meruerint obtinere provisionem Canonicatûs, sperare queant eâdem viâ aliquando & dignitatum provisionem se obtenturos.

Refert Renatus Chopinus lib. 1. de sacra Politia, tit. 1. num. 3. 4. 5. & 6. deliberationem Capituli Claromontani, quâ electionem Canonicorum solitam fieri per communem Capituli electionem transtulerant ad Furnarios appellante tanquam ab abusu Procuratore Regio à Senatu Parisiensi fuisse cassatam, *quam tamen Summus Pontifex diplomate confirmârat.* Eo indubie fundamento, quòd penes Capitulum non esset authoritas mutandi modum providendi de Canonicatibus in ipsa fundatione præscriptum, vel longævâ consuetudine observatum.

Et Antonius Faber in suo codice lib. 10. tit. 2. definitione 48. agens de unione Beneficiorum notansque: "Quoniam unio Beneficiorum odiosa est & à "communi Ecclesiarum utilitate aliena, nunquam nisi "ex magna & necessaria causa permitti debeat vocatisque in eam rem omnibus illis, quorum interest ac „post hæc expressis iis, qui vocandi sunt; addit vo„candum quoque Procuratorem generalem, non so„lùm, si Juspatronatus ad Principem pertineat, sed "etiamsi ad alium, nempe ratione publicæ utilitatis & "ad hoc ipsum despiciendum an publicè utilis futura „sit unio, an inutilis, quin & addit, cum esse vocan„dum pro tuenda Principis authoritate, ad quam per„tinet ut Beneficiorum omnium, quæ in territorio „sunt, protector & conservator existimetur.

Ex his concludit, quòd si non vocato Procurato„re generali unio facta sit, possit & soleat ille ab ea „tanquam ab abusu provocare semperque ea provo„catio admittatur, *etiam post annos*, quia unio sem„per & perpetuò gravat.

Quidni igitur reservatio dignitatum, etiamsi per Capitulum privatâ authoritate aliquando fuisset admissa, Principis authoritate eâdem ratione cassanda esset; utpote non minùs quàm unio Beneficiorum publicæ utilitati præjudiciosa & non minùs quàm ipsa unio continuò gravans ac ipsam dignitatum primævam conditionem evertens aut saltem alterans.

Nec minùs hîc locum habere debet quàm in ipsa unione sine interventu Procuratoris Regii factâ, quod subjungit idem author; quid ergo, si nulla provocatio sit ab ea unione, quam inaudito Procuratore generali, aut non vocatis iis, quorum interfuit, factam esse appareat idem jus constitui debebit, non ut abusiva pronuntietur unio, sed ut perinde ac si facta non esset, nulla ejus ratio habeatur, negligaturque à Senatu, quæ neglecto Principe Senatuque facta fuit.

Itaque censent infra scripti per provisum Apostolicum nequaquam probatum esse sufficienter reservationem dignitatis Thesaurariæ de qua in casu, in hac Ecclesia Collegiata S. Petri contra jus commune, necnon communem usum aliarum Ecclesiarum Belgii esse legitimè receptam & stabilitam & consequenter Capitulum in jure eligendi ejusque provisum esse manutenendum, quousque aliunde plenè & concludenter provisus Apostolicus titulum reservationis approbaverit.

Ita responsum Lovanii hac 30. Julii 1715.

Erat signatum Z B Van Espen I. V. D. SS. can. Professor, J. F. Hertals I. V. D. & Professor primarius Laurentius Hacquius J. U. & Profess. ordin. J. A. Bernard. J. U. Doctor & antecessor primarius, L. Wirixl. utriusque Doct. & Prof. ordin. Amandus Bauvens, J. U. Doct & Prof. ordin.

(O) SEN-

(O)

SENTENTIA EXTENSA SENATUS BRABANTIÆ CONTRA Archidiaconum Condromi 10. Martii 1700.

Le Prèvot & Paſteur de Limbourg, Vice-Archidiacre & Official de Condros au pays & Duché de Limbourg & autres pays d'Outremeuſe, & pour lui en prenant la cauſe, le Conſeiller & Procureur General & les Etats du pays de Limbourg, Supplians. L'Archidiacre dudit Condros, Reſcribent.

VEu au Conſeil ſouverain de Sa Majeſté, ordonné en Brabant la Requête y préſentée par le premier Suppliant le 31. de Juillet 1693. par laquelle il donnoit à connoître, que ſuivant les privileges du pays de Brabant & d'Oultremeuſe, aucuns Sujets Eccleſiaſtiques ou autres de même pays, ne pouvant être évoquez ni convenus en Jugement pardevant le Juge Eccleſiaſtique ou autres hors ledit pays, le Reſcribent avoit donné commiſſion au Suppliant pour exercer la Juriſdiction Eccleſiaſtique dans ledit Condros, laquelle il avoit longues années paiſiblement exercé enſuite du placet dudit Conſeil, mais comme François Pirotte avoit préſenté Requête audit Reſcribent, pour que le Suppliant, auroit à lui envoier les actes du debat, que ledit Pirotte avoit pardevant le Suppliant contre Corneil de Haut Regard, au ſujet de la Cure de Waudre, afin d'en connoître, ledit Reſcribent, ſans conſiderer, qu'il ne pouvoit exercer aucune Juriſdiction ſur les Sujets du pays de Limbourg, avoit par appointement du 31. Mai. 1693. dit *communicetur præſens ſupplica Officiali noſtro Limburgenſi, ſine tranſmittendi nobis acta, interim quæcumque præjudicialia ſuſpendentes*, ledit Reſcribent avoit pour lors ordonné au Suppliant de lui envoier les actes d'un Procès ventilant pardevant lui; & après avoir examiné leſdits Actes, il les avoit renvoié avec la Sentence par écrit, avec ordre au Suppliant de la prononcer comme il l'avoit couché; mais comme le ſentiment dudit Suppliant & de ſes Aſſeſſeurs n'étoit conforme à ladite Sentence, il en avoit donné avis audit Reſcribent, dont il avoit eu pour réponſe, qu'il n'avoit pas envoié la Sentence pour la faire examiner de ſes Aſſeſſeurs, mais bien pour la prononcer, comme étoit à voir par la piece en étante; & quoique par toute civilité & raiſon, il avoit donné à connoitre au Reſcribent, qu'il ne lui étoit permis d'exercer aucune Judicature en ce pays, il ne laiſſoit pas pourtant à continuer de le troubler dans ſa Judicature avec menace de révoquer ſa commiſſion, raiſon pourquoi ledit Suppliant ſe retiroit vers ledit Conſeil, le Suppliant très-humblement d'être ſervie de lui vouloir accorder Lettres de maintenue *in forma*, avec clauſe de mandement, tenant lieu: Vû auſſi la reſcription y ſervie à l'encontre par le Reſcribent le 29 d'Octobre 1693. par laquelle il diſoit d'avouer, que ſuivant les privileges des pays de Brabant & d'Oultremeuſe aucuns Sujets Eccleſiaſtiques ou autres du même pays, ne pouvoient être évoquez ni convenus en jugement pardevant le Juge Eccleſiaſtique, ou autres hors ledit pays, & que pour cette raiſon & au lieu, & que le Reſcribent vaqueroit lui même en Brabant, pour prendre connoiſſance de toutes les cauſes des Brabançons, qui pourroient ſurvenir en ſon diſtrict, ainſi que l'Archidiacre de Haſbaye le faiſoit lui même ſes terres de l'Obeiſſance de Sa Majeſté, il avoit ſubſtitué le Suppliant en ſa place en l'an. 1691. pour exercer la Juriſdiction en ſon nom & de ſon autorité dans ledit Condros, ne croiant pas, que ſur cette ſubſtitution ſeroit ſuivi aucun placet, qui n'étoit pas auſſi néceſſaire, celui du 18. Avril 1671. ne pouvant ſervir pour ladite ſubſtitution faite par le Reſcribent dix années après, & en tout cas, ſuppoſant, que le placet de Sa Majeſté ſeroit requis pour que le Suppliant pourroit exercer la Juriſdiction en vertu de cette ſubſtitution, pardeſſus, que tout ce, qu'il auroit fait juſqu'à préſent, ſeroit nul & de nulle valeur, il étoit notoire, que ce placet ne pourroit changer la nature de ladite ſubſtitution; tellement, que le révoquable qu'elle étoit de ſoi & en vertu de la clauſe ſous laquelle elle avoit été faite *uſque ad revocationem noſtram duntaxat*, elle ſeroit devenue irrévocable, & qu'ainſi il avoit toujours demeuré libre au Reſcribent de la révoquer, comme il avoit fait, de maniere, qu'il n'y avoit aucune apparence de poſſeſſion, ſur laquelle il pourroit fonder ſa demande afin de maintenue, & qu'il avoit tort de ſe plaindre de ce, que le Reſcribent avoit été obligé de faire en meilleure adminiſtration & exécution de la juſtice, pour empêcher des coups, que le Suppliant méditoit de faire par une trop grande partialité pour l'une des parties, ce qui n'étoit pas de cette maniere, & ſourtout le Reſcribent s'étonnoit, d'autant plus du procédé du Suppliant, qu'il ne pouvoit ignorer qu'Antoine Delva aiant fait de même contre le prédéceſſeur du Reſcribent, & aiant même obtenu en ce regard Lettres de maintenue, icelles avoient été declarées ſub & obreptices & ſans effet, & lui non fondé ni recevable, & condamnez à deux tiers de dépens, ainſi qu'étoit à voir par la Sentence pareillement en étant, parmi qu'elles & autres raiſons débattans l'ulterieur contenu de ladite Requête d'impertinences, frivolité & dénégation, contendoit le Reſcribent à ce que levant l'interdiction accordée ſur ladite Requête, icelui pour avoir requis par icelle, ainſi qu'il avoit fait, ſeroit déclaré non fondé ni recevable, & condamnez ès dépens. Vû de ſuite la réplique, reſcription ultérieure, réplique ultérieure & duplique deſdites parties, ainſi que la Requête civile du Reſcribent du 23. Décembre 1694. avec les raiſons d'impertinence y alen contre ſervies de la part du Suppliant. Vû en outre la Sentence interlocutoire y enſuivie le 26. de Mars 1695. par laquelle ledit Conſeil, avant de faire droit, ordonnoit aux emprennans de venir *ad cauſam* pour &c. Vû en outre la concluſion deſdits emprennans, par laquelle ils diſoient en ſubſtance, que ſelon les loix & privileges fondamentales de ce pays, les Sujets du Roi, ſoit Eccleſiaſtiques ou ſéculiers, ne pouvoient être arrêtez, évoquez ni tirez en juſtice hors de ce même pays, mais ils devoient être traitez & jugez par des Juges du pays; qu'auſſi le Reſcribent n'ignorant pas cette verité, & ſçachant qu'il ne pouvoit faire en ce pays aucun Acte juriſdictionel en qualité d'Archidiacre du Condros, à raiſon qu'il devoit tenir & tenoit fixement réſidence dans la Ville de Liege, il avoit laiſſé continuer le Suppliant dans l'exercice de la Juriſdiction Eccleſiaſtique audit Condros, enſuite de la commiſſion lui donnée pour ce ſujet, & agréée par le Roy par Acte du 18. Avril 1671. juſqu'à ce, qu'il lui avoit pris envie d'ordonner au Suppliant de lui envoier les Actes & Pieces du Procès inſtruit devant lui Suppliant, entre le Procureur d'Office d'une, & Me Nicolas Gregoire d'autre part de les examiner, y porter Sentence, & en charger par ſa Lettre du 27. Juin 1693. le ſuppliant de la prononcer, à quoi le ſuppliant n'aiant voulu déférer, comme il ne pouvoit en aucune maniere, à moins de ſouſcrire à une empriſe évidente, le Reſcribent s'étoit voulu attribuer l'autorité de le déporter, en révoquant, comme il avoit prétendu de

de faire par Acte du 28. Aoust de ladite année, sa commission; mais comme l'une & l'autre choquoient également lesdites loix & privileges, le premier, parce que les Sujets du Roi ne pouvoient être jugez, qu'en ce pays, & par des Juges y domiciliez: Et le second, parce qu'il y doit être un Tribunal fixe pour les gens d'Eglise aussibien que pour le séculier; que les Juges y devoient juger avec une pleine & entiere liberté, & que partant ils ne pouvoient être révocables *ad nutum*, lesdits Emprenans concluoient, à ce, que l'entreprise du Rescribent énoncé & faite respectueusement par sa Lettre du 27. de Juin 1693. fut déclaré nulle, invalide & sans effet, lui ordonnant de la casser & mettre à néant avec dépens, déclarant de plus que la personne, qui se devoit établir dans la Province de Limbourg pour y exercer ladite Jurisdiction Ecclesiastique, y devoit tenir fixe domicile, & ne pouvoit être déporté ni révoqué *ad nutum* aussi avec dépens, ou qu'autrement &c. lequel écrit aiant été appointé de communication le 28. de Juin 1695. le Rescribent avoit servi à l'encontre son écrit de réponse, & conclusion contraire contenant en substance, qu'il ne vouloit aucunement tirer en dispute les loix & Privileges du pays, énoncez en l'article 1. dudit écrit, mais que le contenu du second article, où les Emprenans disoient, que les Sujets du Roi devoient être traitez & jugez par des Juges du pays, contenoit un équivoque; s'il entendoit par là, que les Sujets de Sa Majesté devoient être jugez par des Juges, qui tenoient leur Tribunal dans le pays, on admettoit très-volontiers ce point: mais s'il entendoit par là que les Sujets de Sa Majesté devoient être jugez par des Juges qui soient nez & domiciliez dans le pays, on dénioit absolument ce point pour ce, qui regardoit la Jurisdiction Ecclesiastique, le contraire étant avéré & établi par plusieurs exemples publics & par une usance immemoriale; qu'en premier lieu il ne pouvoit pas avoir un exemple plus solemnel qu'au regard des Archevêques de Malines, lesquels, quoique pour la plupart point nez dans le pays, n'avoient pas laissez pour cela d'exercer leur Jurisdiction dans toutes les parties du Brabant, qui étoient de leur Diocèse, aussi les Archevêques avoient leur Domicile & Palais en la Ville de Malines, qui étoit une Province separée de celle de Brabant, & nonobstant cela ils exerçoient & avoient toujours exercé leur Jurisdiction dans le Brabant; & combien que par succession de tems ils avoient établis un Official dans la Ville de Bruxelles, cela ne s'étoit fait, que pour plus grande commodité de ladite Ville, à cause que l'official, qui résidoit en la Ville de Malines, ne pourvoit pas commodément vacquer aux affaires de Bruxelles, aussi ledit Official, qui résidoit à Bruxelles, n'étoit pas délégué seul pour les affaires du Brabant, sa délégation primative étoit restrainte au district de Bruxelle & de l'Eau de saint Pierre; dans le reste du Brabant, comme Louvain, Tirlemont, Diest, Arschot, Leau, Saint Leonard, & autres quartiers, l'Official qui résidoit & étoit domicilié à Malines, avoit la délégation & Jurisdiction concurrente avec l'Official, qui résidoit à Bruxelles, mais l'Official qui résidoit à Malines, n'exerçoit pas dans la Ville de Malines la Jurisdiction, qu'il avoit sur les Habitans de la Province de Brabant; il exerçoit cette Jurisdiction dans un lieu, qu'il désignoit à cet effet dans la Terre & Province de Brabant, & ce pour, que les Sujets du Brabant ne pourroient pas se plaindre d'évocation. C'est en cette conformité que les Archidiacres de Liege, qui n'étoient nez ni domiciliez dans le pays de Brabant, étoient en possession immémoriale de juger par soi-même ou par leurs Substituts, de toutes les causes appartenantes à leur Jurisdiction ou district de Brabant: que l'article 3. dudit écrit contenoit plusieurs périodes, lesquelles il convenoit de considerer séparément, pour autant mieux les recontrer & y donner solution particuliere, les Emprenans disoient en premier lieu audit article, que le Rescribent ne pourroit faire en ce pays aucun Acte Jurisdictionnel en qualité d'Archidiacre de Condros, à raison qu'il tenoit sa fixe résidence en la Ville de Liege cette premiere partie dudit article étoit entierement abusive; au contraire il étoit libre au Rescribent d'exercer par soi même en Brabant la Jurisdiction Ecclesiastique, laquelle lui competoit sur les Sujets de Sa Majesté en sadite qualité d'Archidiacre; s'il vouloit exercer cette Jurisdiction par soi-même, il n'établiroit pas pour cela son Tribunal dans la Ville de Liege, il établiroit à cet effet son Tribunal dans la Terre de Brabant au district, qui étoit sujet à sa Jurisdiction Ecclesiastique, les Emprenans disoient en second lieu audit article, que le Rescribent auroit laissé continuer le Suppliant dans l'exercice de la Jurisdiction Ecclesiastique audit Condros, en suite de la commission à lui pour ce donnée & agréée par le Roi par acte du 18. Avril 1671. les Emprenans montroient audit article que le Conseil du Suppliant s'étoit mêlé & assisté pour faire dresser leur Ecrit; car pourquoi avançoient ils cette continuation figurée, sinon pour couvrier le tort du Suppliant, lequel étoit évident en ce, qu'il étoit notoire, que par la mort de feu l'Archidiacre, prédécesseur du Rescribent, la qualité d'Official, laquelle le Suppliant pouvoit avoir reçû de lui étoit venu à cesser étant notoire en droit, *quod sit idem Tribunal Episcopi & ejus Officialis, idem Tribunal Archidiaconale & ejus Officialis, atque adeo moriente Episcopo cessat qualitas ejus Officialis, uti & moriente Archidiacono*, dont il avoit en cette Archidiocèse de Malines un exemple tout nouveau, arrivé par le trepas de l'Archevêque Alphonse de Berges, par la mort duquel est venu à cesser la qualité d'Official en la personne du Curé du Beginage Martin Oudenhagen, qui étoit encore en vie. Si donc cette qualité étoit venu à cesser en la personne du Suppliant par la mort du feu l'Archidiacre, oncle du Rescribent, ainsi que cela étoit notoire en droit & usance journaliere, le Suppliant ne pouvoit pas prétendre présentement la qualité d'official du chef de feu le prédécesseur du Rescribent; tout ce, qu'il y pouvoit prétendre, devoit avoir sa source & sa force de la délégation faite par le Rescribent, & de la commission lui donnée à cet effet. Si les Emprenans vouloient examiner ladite commission, & tout ce qui étoit ensuivi, ils trouveroient sans doute plus de matiere pour se joindre au Rescribent, & pour emprendre de cause pour lui, que pour emprendre pour le Suppliant, ils trouveroient, que depuis que la premier commission du Suppliant étoit venue à cesser par la mort de feu l'Archidiacre de Condros, prédécesseur du Rescribent, le Suppliant ne s'étoit jamais mis en devoir pour obtenir des Lettres de placet, afin de pouvoir exercer au pays de Brabant sa nouvelle commission, & ainsi on laisse à considerer aux Emprenans, s'ils veulent continuer à défendre une personne, laquelle sans demander, moins obtenir des Lettres de placet, vouloit exercer au pays de Brabant une commission d'Official par lui obtenue du Rescribent, ils trouveroient au-dessus de cela dans sa délégation donnée par le Rescribent les mots *ad nostram revocationem*, sur lesquels on avoit raisonné dans les Ecrits précédens, & on diroit en general contre l'article 3. que le Rescribent n'avoit jamais douté du pouvoir, qu'il a de juger par lui meme au pays de Limbourg, auquel lui compete la Jurisdiction Ecclesiastique en qualité d'Archidiacre de Condros, nonobstant qu'il tenoit sa résidence en la Ville de Liege: si le Rescribent avoit délégué au Suppliant ladite Jurisdiction Ecclesiastique, cela n'avoit pas été fait par aucune obligation, mais par la volonté libre du Rescribent à l'instance & très instante priere du Suppliant: cela s'étoit aussi fait pour la commodité du Rescribent, afin qu'il ne seroit pas obligé d'aller lui même au pays de Limbourg pour y exercer la Jurisdiction à chaque cas, lequel y auroit pû arriver. Quant à ce que les Emprenans disoient en l'article 4. qu'il auroit pris envie au Rescribent d'ordonner au Suppliant de lui envoier les Actes & Pieces du Procès instruit pardevant le Suppliant entre le Procureur d'Office d'une, & Me Nicolas Gregoire d'autre part, le Rescribent avoit eu des raisons très-pressantes pour se faire informer de ladite procédure, le devoir du Rescribent n'étant pas de laisser agir ses substituts en toutes les cause comme ils le

trou-

trouvoient à propos; le devoir du Rescribent, qui est *oculus Episcopi*, pour le bien acquitter de sa charge, étoit de se faire du moins quelque fois informer de l'état de la partie du Diocese qui étoit sous sa Jurisdiction, & de l'état des causes qui font quelque bruit & éclat, comme a fait celle instituée contre le nommé Gregoire, mais il étoit abusif de dire, que le Rescribent y auroit porté Sentence, & qu' il auroit enchargé le Suppliant par sa Lettre du 27. de Juin 1693. de la prononcer, que c'étoit en vain, que les Emprenans figuroient cette pretendue raison, pour laquelle le Rescribent auroit révoqué la commission du Suppliant, le Rescribent ne croiant pas, qu' il devoit vérifier autre raison pour cette effet que sa seule volonté, puisque ces sortes de commissions, délégations ou substitutions, comme tous autres mandats, étoient révocables *ad nutum* de celui, qui avoit commis, délégué ou substitué; qu'aussi l' Acte de révocation insinué au Suppliant ne contenoit & n'avoit dû contenir aucune raison particuliere, bien loin, qu'il contiendroit la prétendue raison figurée par les Emprenans; au contraire, du 5. article le Suppliant auroit beaucoup mieux fait de se conformer au projet de Sentence lui envoiée de la part du Rescribent, lequel étoit suggeré par des hommes sçavans, désinteressez, sans faveur, ni dissimulation, le Rescribent n' aiant fait en cela qu'ensuite de son devoir & de sa conscience, enseigner & diriger le Suppliant pour qu'il auroit porte Sentence conforme à la disposition du droit, & proportionnée au méfait de celui, qui étoit accusé; par quel enseignement & direction personne n' avoit été évoqué ni jugé hors du pays: étant captieux de dire que le Rescribent l'auroit voulu déporter pour cette raison, il étoit vrai, qu'il avoit plû au Rescribent de déporter le Suppliant & de révoquer la commission, laquelle il lui avoit donnée, mais il ne s'ensuivoit pas de là que le Rescribent avoit revoqué ladite commission pour telle prétendue raison particuliere, & partant le Rescribent ne croioit pas d'avoir en aucune maniere contrevenu à aucune loi ou privileges de ce pays de Brabant, n'aiant, jugé personne hors du pays; les Archidiacres ni autres Juges Ecclesiastiques n' étant pas obligé de tenir résidence continuelle dans ce pays; & quant à ce que les Emprenans disoient, qu' il devoit y avoir un Tribunal fixe en ce pays pour les gens d' Eglise, aussi bien que pour les séculiers, la constitution de ce Tribunal dépendoit du Rescribent, à qui competoit la Jurisdiction ordinaire Ecclesiastique parmi la partie de la Terre de Brabant, qui étoit & avoit été de tout tems immémorial sous le district de Condros: que le Tribunal étoit le Tribunal du Rescribent & nullement de son Délégué, commis ou substitué, sinon pour le tems, qu'il lui plaisoit de continuer cette délégation, commission ou substitution; finalement quant à ce, qu' étoit dit sur la fin de l' article 9. quelles Juges ne pouvoient être revocables *ad nutum*, parce qu'ils devoient juger avec une pleine & entiere liberté, cet argument étoit trop general pour être de quelque solidité ou de considération; que tous les Echevins du plat pays de cette Province sont revocables *ad nutum*; ils ne laissoient pas pour cela d'etre Juges durant leur commission; tous les Juges déleguez étoient révocables *ad nutum* ensuite des termes du droit écrit, ils ne laissoient, pas cependant d'être Juges aussi long-tems que leur délégation duroit; & si la crainte, que leur commission étoit révoquée, étoit capable d'induire les Juges à faire une injustice, il seroit plus convenable de les voir bien tot révoquer, que de voir dans des Tribunaux des gens, qui par crainte de perdre un gain temporel, porteroient des Sentences contraires au mouvement de leur conscience, au moien de quoi le Rescribent concluoit à ce, que les Emprenans, pour avoir conclu ainsi qu' ils l' avoient fait sur la fin dudit Ecrit, fussent déclarez non fondez ni recevables *cum expensis*. Vû de suite l' Ecrit de réplique des Emprenans servi le 27. Septembre 1695. par lequel ils disoient en substance, que le Rescribent ne voulant tirer en dispute les loix & privileges du pays, il ne devoit faire passer pour équivoque ce qu' on avoit dit en conséquence des mêmes loix & privileges, que les Sujets du Roi devoient être traitez & jugez par des Juges du pays; non pas que par des Juges du pays, pour causes Ecclesiastiques, on vouloit entendre des Juges nez au pays, mais bien des Juges y domiciliez; que les peuples de ce pays aiant de tout tems eu en horreur d'être traitez par des Juges étrangers, n'avoient rien eu plus à cœur que de laisser à la posterité un usage par forme de loi, qui baniroit semblables jugemens, ce que les Princes avoient dû depuis confirmez & établis par leurs inaugurations & plusieurs pragmatiques, ensuite desquels tous ceux, qui ne résidoient pas, étoient inhabiles pour juger, parce que tout homme étoit reputé pour étranger qui n' y étoit pas habitué, quand même il en fût originaire, du moins en matiere de Judicature; & qu' ainsi tout Tribunal étoit censé étranger, qui étoit composé d' un Jugé étranger: *Primæ illæ tabulæ Cortenbergenses à Duce & proceribus Regionis solemniter Juratæ, quæ nobis tanquam Salonis axones, vel Lycurgi Rhetra religiosæ sunt, nihil studiosius inculcant, quam jus dicendum esse subditis & incolis per judices indigenas, eo loco, ubi forum sortiuntur, & secundum cujusque civitatis leges: interposita fide de non ferendo aut permittendo, ut quis adversus ea faciat:* Stockmans *in Tractatu suo defensio Belgarum*, *cap.* 1. *num.* 4. donnant par ce mot *indigenas* à connoitre qu' il faut, que les Juges soient inhabitans du pays, ce qu' il déduisoit plus amplement *num.* 7. *Cum olim tres causarum species ad audientiam Ecclesiasticam Leodensis, vel Cameracensis Episcopi deduci possent, videlicet de testamentorum validitate, de pactis matrimonialibus & rebus in pios usus donatis, seu per amortizationem subductis sæculari potestati; providerunt postea majores nostri de his etiam speciebus, & diserte à Principe stipulati sunt die 26 Aprilis 1515. ne ulla ex causa ad Tribunalia Ecclesiastica, municipes, vel incolæ Brabantiæ evocari possent, aut Jurisdictionem vicinorum Episcoporum agnoscere cogerentur, nisi apud delegatos eorum qui in Brabantia residerent; quæ nova cautio solemni principis sacramento firmata ad hanc diem religiose custoditur.* Que comme il ne se pouvoit introduire aucune coutume, ni prescription par quel laps de tems, que ce pouvoit être, contre & en préjudice des loix fondamentales du pays, renouvellées & fermentées dans toutes les inaugurations de nos Princes souverains, il étoit inutile d' alleguer des exemples & usances contraires; c' étoient de tolérances dont l' on ne pouvoit tirer aucune conséquence, & qui n' avoient même jamais été pratiquées par les Supplians ou ses prédecesseurs dans le pays de Brabant ou de Limbourg, où ils n' avoient jamais exercé par eux-mêmes aucune Jurisdiction Ecclesiastique, mais y avoient toujours établis des Juges qui y avoient de tout tems tenu leur fixe residence conformement les loix du pays, qui étoit ce que l' on prétendoit ici, sans qu' il étoit necessaire de toucher ici davant gela question, si par la mort de l' Archidiacre la qualité de son Official venoit à cesser, le Suppliant à qui elle concernoit promptement l' aiant assez établi par ses Ecrits précédens, nonobstant l'exemple du Curé de Beginage en cette Ville Martin Oudenhagen, lequel, comme on sçait, n' avoit plus continué la fonction d' Official après le trepas de l' Archevêque de Malines, parce qu' il n'avoit plus l'envie de porter le fardeau de cette charge; qu' il s'en étoit ainsi demis volontairement & de son propre mouvement, après quoi il avoit toujours tenu son propre domicile en cette Ville, si long tems qu'il avoit été revêtu de ladite charge, & jugé à l' exclusion de tous autres toutes les causes Ecclesiastiques qui s' étoient présentées; à l' exemple de quoi le Rescribent se devoit aussi regler, laissant le jugement libre & toutierer, & en toutes les causes au Juge d' Eglise établi audit Limbourg sans s' en attribuer la connoissance lui-même, qui n' avoit pas de qualité de juger en ce pays faute de résidence personnelle & de permission du Roi, comme Duc de Brabant & de Limbourg, de sorte que l' entreprise enoncée & faite respectivement par la Lettre du 17. de Juin 1693. étoit un attentat inexcusable sur les privileges du pays, icelle lettre faisant voir clairement malgré tout ce que le Rescribent

V. Espen. Supplem. in jus Eccl.

ſcribent en diſoit par le 48. article de ſon Ecrit, qu'il avoit enchargé la Suppliant de lui envoit les Actes & Pieces du Procès y mentionnez, de les examiner, en porter Sentence, & ordonner au Suppliant de la prononcer ; qui n'étoit pas ſeulement d'adminiſtrer juſtice entre les Sujets du Roi par un Juge étranger, comme l'étoit le Reſcribent habitué dans la Ville de Liege, mais auſſi la rendre hors les limites du pays ſous une Juriſdiction étrangere, l'une & l'autre également contre & en préjudice du droit public, dont l'obſervance avoit été jurée ſi ſolemnellement par toutes leſdites inaugurations, y compriſe auſſi celle du Roi notre Sire, que Dieu conſerve longues années. Que les Juges du platpays de cette Province ne l'étoient pas comme le Reſcribent l'alleguoit, n'étant point dans le pouvoir de ceux qui les établiſſoient de les démettre ſans cauſe légitime avant le tems ordinaire du changement, & ainſi il y avoit un Tribunal fixe non plus ni moins qu'en toutes les autres Villes de Brabant, de quoi l'on ne ſe contentoit pas encore au pays de Limbourg, puiſqu'il étoit notoire que tous les Juges, même juſqu'à ceux du plus chetif Village y ſont perpetuels : il étoit donc inutile de dire que les Juges deleguez, quoique révocables *ad nutum*, ſeroient Juges auſſi long-tems, que leur commiſſion duroit, attendu qu'il ne ſuffiſoit pas d'avoir des Juges, mais qu'il en falloit avoir conformément aux loix du pays, c'eſt à dire, des Juges, qui puiſſent juger toutes ſortes de cauſes avec une indépendance totale de celui, qui les établiſſoit, & une liberté toute entiere, & de ſuite compoſer un Tribunal fixe & ordinaire, ce qui ne ſe pouvoit pas trouver dans des Juges révocables *ad nutum*, à la faveur deſquelles & autres raiſons, &c. debattant l'ulterieure contenu dudit Ecrit d'impertinence & denégation, *quatenus contra*, perſiſtoient les Emprenans comme auparavant avec dépens. Vu en outre la duplique dudit Reſcribent, par laquelle il diſoit entre autres, que les peuples de ce pays n'avoient jamais eu en horreur les Juges étrangers, comme les Emprenans alleguoient, mais bien les évocations qui ſe faiſoient hors du pays, qui les obligeoient de plaider à grands frais, & ſans l'aſſurance de leurs perſonnes pardevant des Tribunaux étrangers établis hors du pays ; les inaugurations & pragmatiques des Princes ſouverains de ces pays avoient blamé & aboli les évocations, mais ni les inaugurations ni les pragmatiques n'aoient jamais blamé l'exercice de la Juriſdiction Eccleſiaſtique par ceux à qui elle competoit, nonobſtant qu'ils ne réſideroient pas dans le pays, c'eſt-à dire, nonobſtant, qu'ils n'y avoient pas ni domicile conſtitué ou abſolu, qui ſe nomme en Droit *domicilium incolatus & conſtituitur in eo loco ubi quis larem & rerum ſuarum ſummam conſtituit, lib. 2. cap. de municip. & originar.* pourvu, que cette Juriſdiction s'exerceroit dans le pays même, & que les Surceans du Brabant ne ſeroient pas évoquez hors du pays, ceux, qui avoient exercé cette Juriſdiction, aiant toûjours été tenus quant à cet effet pour domiciliez dans le pays, à raiſon de leur dignité & Juriſdiction, qu'ils y avoient tenue & exercé, ce domicile étant appellé en Droit *domicilium dignitatis*, enſuite de quoi un Prêtre eſt cenſé avoir domicile au lieu de ſon Benefice, un Magiſtrat au lieu, où il déſervoit ſa Magiſtrature, nonobſtant qu'il y auroit ailleurs ſon domicile conſtitué *ſive incolatus*, comme il étoit remarqué par Argentré aux Coûtumes de Bretagne, *art. 9. Gloſſ. 1. num. 6.* que les Emprenans avoient pourtant grand tort de dire, comme ils avançoient, que tout Tribunal étoit cenſé étranger, qui eſt compoſé d'un Juge, qui eſt étranger, ou au contraire les Juges, qui avoient Juriſdiction dans le pays étoient cenſez par l'exercice de cette Juriſdiction dans le pays avoir leur domicile dans le pays même ; que les Emprenans citoient en vain les Tables de Cortenberg, ou plûtôt les Paſſages de Stockmans, faiſant mention avec éloge deſdites Tables, où non-ſeulement ledit Stockmans ne parloit pas toûjours avec le même éloge deſdites Tables, comme par exemple en ſa Déciſion premiere num. 21. où il diſoit: *In Tabulis Cortenbergenſibus Joannis Brabantiæ Ducis annis 1312. 1313. quanta ruditas & infantia* ; mais auſſi leſdites Tables ne parloient aucunement de la Juriſdiction Eccleſiaſtique, auſſi Stockmans dans le lieu cité par les Emprenans entendoit par les mots *judices indigenas*, des Juges nez & domiciliez dans le pays, ce que les Emprenans même avoient dû avouer ne pouvoir être appliquez aux Juges Eccleſiaſtiques, leſquels ils avoient avoué ne devoir pas être né dans le pays, comme ce l'a été uſité dans le Brabant au regard des Juges ſeculiers : les mots *ſecundum cujuſque civitatis leges*, dont Stockmans ſe ſervoit audit paſſage, morquoient auſſi, qu'il y entendoit de parler des Juges ſéculiers, même il n'agiſſoit pas audit paſſage du cas en queſtion, mais il y agiſſoit pour déſaprouver les évocations, qu'il appelloit *peregrina judicia*, pour leſquels déſaprouver il n'emploioit pas ſeulement leſdites Tables de Cortenberg, mais auſſi le traité fait en l'an. 1251. entre Henry Duc & Prince de Brabant, & l'Evêque de Cologne, où il avoit été convenu, *ne occaſione debitorum, conventionum, vel pactionum, alter alterius res vel perſonas in civitate Colonienſi, vel in terra Ducis accipere poſſet vel arreſtare*, lequel Traité ne contenoit notoirement que les évocations, & nullement le ſujet du préſent débat. Les Emprenans ne pouvoient pareillement ſe prévaloir de ce, qui étoit déduit plus amplement par ledit Stockmans audit Traité *Defenſio Belgarum cap. 1. num. 7.* Car combien qu'il étoit véritable, *quod cum olim tres cauſarum ſpecies ad audientiam Eccleſiaſticam Leodienſis vel Cameracenſis Epiſcopi deduci poſſent, videlicet de Teſtamentorum validitate & de pactis matrimonialibus & rebus in pios uſus donatis, ſive per amortizationem ſubductis ſeculari poteſtati, providerunt poſtea majores noſtri de his etiam ſpeciebus diſertè à Principe ſtipulati ſunt ; ne ulla ex cauſa ad Tribunalia Eccleſiaſtica municipes vel incolæ Brabantiæ evocari poſſent* : néanmoins ce qui étoit ajouté en après, *aut Juriſdictionem vicinorum Epiſcoporum agnoſcere tenerentur niſi quod delegatos eorum qui in Brabantia reſiderent*, cela étoit ajouté par ledit Stockmans du ſien, & étoit contenu dans aucuns Edits des Princes ſouverains de ce pays, ni dans aucuns Concordats ou Traitez publics, même l'uſance immémoriale y'étoit directement contraire, car combien, que les Evêques de Liege, de Chambry, ou leurs Archidiacres avoient eu leurs déleguez, qui de tems en tems avoient réſidez dans le pays, ce nonobſtant lorſque les perſonnes, auxquelles competoit la Dignité & Juriſdiction principale, avoient voulu venir dans le pays, ils y ont toujours exercé leurs Juriſdictions & fonctions en dépendantes, ſans participation ou concurrence de leurs Déleguez, auſſi-bien, qu'il s'étoit toujours pratiqué au regard des Archidiacres de Malines, qui combien ils y établiſſoient un Official en Brabant, y venoient néanmoins exercer leur Juriſdiction par eux-mêmes, indépendamment de leurdit Official, quand ils les trouveroient convenir ; & pour montrer plus clairement, que ces mots *aut Juriſdictionem vicinorum Epiſcoporum agnoſcere teneruntur niſi apud delegatos eorum, qui in Brabantia reſiderent*, étoient ajoutés par ledit Stockmans du ſien & ſans aucun fondement, il convenoit de conſiderer les mots immédiatement ſuivant, par leſquels ils veut confirmer ſon diſcours, lorſqu'il diſoit, *quæ nova cautio ſolemni Principis juramento firmata ad hanc diem religioſe cuſtoditur* ; que cette prétendue confirmation par ſement du Prince, conſiſtoit dans l'addition de la joieuſe Entrée en datte du 26. Avril 1515. article 3. comme remarquoit le même Auteur à la page dudit num. 7. c'étoit donc ladite joieuſe Entrée qui devoit faire déciſion du diſcours tenu par ledit Stockmans, puiſqu'il s'y rapportoit lui même ; on verroit dans ladite joieuſe Entrée qu'elle empêchoit les évocations, mais on ne verroit pas, que leſdites joieuſes Entrées empêchoient que les Evêques de Liege & de Cambray, ou leurs Archidiacres, auxquels competoit la Juriſdiction

ction ordinaire Ecclesiastique, n'auroient pû exercer leur Jurisdiction ordinaire par eux mêmes dans les Tribunaux, qu'ils avoient établis dans le pays, que les mots de ladite joieuse Entrée sonnoient comme s'ensuit. *Item dat d' onderfaeten onser voorf. Landts van Brabant in den Biss bopdomme van Luyck ende Cameryck buyten den selven Lande van Brabant gelegen voor t' geestelyck gerechte met en sullen mogen Worden betogen van heure persoonen ofte goeden die in onsen voorf. Lande van Brabant gelegen ofte geseten syn, maer dat die inde Geestelycke Hovender selve Bisschoppen binnen den Lande van Brabant gestelt, getogen sullen Worden te rechte, alsoo lange als den geestelycken Hove in den selven onsen Lande van Brabant liggen sullen.* L'on voioit clairement par ladite joieuse Entrée que l'intention du Prince n'avoit été que d'empêcher les évocations, que pour le reste il ne faisoit aucune distinction entre les Evêques & leurs Déléguez, il disoit seulement que les Tribunaux Ecclesiastiques devoient être établis dans le pays, le tribunal ou la Cour Ecclesiastiques étant un lieu propre & convenable pour tenir rôle, comparition, & pour exercer d'autres Actes dependans de la Jurisdiction Ecclesiastique, & ce lieu devoit être établi dans le pays; que les mots propres de ladite joieuse Entrée, bien loin qu'ils pourroient servir pour exclure les personnes principales, montroient bien clairement, que tout le droit demeuré aux personnes principales *in verbis : maer dat die inden Geestelycke Hove der selve Bisschoppen binnen den Lande van Brabant gestelt* &c. Qu'il n'y est point dit que les Surceans du Brabant devoient être assignez pardevant les Cours Ecclesiastiques des Officiaux établies dans le pays, mais elle parloit bien clairement des Cours Ecclesiastiques des Evêques; marque évidente qu'elle ne vouloit rien deroger au droit des personnes principales, mais qu'à cet égard elle vouloit laisser le tout dans la disposition du droit commun, pourvû qu'il ne seroit pas contrevenu au point unique, dont y étoit traité, qui consistoit dans l'évocation, & partant c'étoit en vain que les Emprenans disoient qu'il ne se pouvoit introduire aucune Coutume ny prescription par quel laps de tems que ce pouvoit être contre & en prejudice des loix fondamentales du pays, renouvellées & fermentées dans toutes les inaugurations des Princes souverains de ce pays, puisqu'on avoit montré si ouvertement l'impertinence desdites Loix, pour l'intention des Emprenans; & qu'au contraire elles confirmoient la soutenue & intention du Rescribent: il ne pouvoit pas être inutile d'alleguer des observances contraires, comme vouloient soutenir les Emprenans; car, puisque l'observance donnoit l'esprit & la force à la loi *sitque consuetudo optima legis interpres, leg. si interpret. 37. ff. de legi.* lesdites observances contraires faisoient voir, que les Emprenans tournoient fort mal le sens & l'esprit de ladite joieuse Entrée, comme cela étoit montré ci-dessus, aussi les Emprenans ne pouvoient pas dire avec justice que ces observances contraires consistoient dans des Actes publics *qui exercentur in invitos, & contra cujuscumque conditionis personas*, où lesdites observances contraires consistoient dans des Actes pas seulement reiterez, même journaliers, aiant toûjours été pratiqué par le Rescribent & ses prédecesseurs dans la partie du pays de Limbourg, sujette à sa Jurisdiction en qualité d'Archidiacre de Condros, aussi-bien qu'il avoit toûjours été pratiqué par le présent Archidiacres de Hasbaye, & les Prédecesseurs dans la partie du Brabant, qui étoit sujette à sa Jurisdiction, les successifs Archidiacres de Condros ayant de tout tems immémorial visité par eux-mêmes la partie du pays de Limbourg qui étoit sujette à leur Jurisdiction, y aiant corrigé les abus, qui étoient venus à leur connoissance, y aiant porté à cet effet des Decrets & Sentences qu'ils avoient toûjours mis en exécution, s'ils y avoient établi des Juges pour pardevant eux être démenuées les causes de haute recherche, cela n'avoit été fait que pour commodité particuliere, parce qu'étant de résidence en la Cathedrale de Liege, ils ne pouvoient commodément faire par eux mêmes tous les devoirs qu'il convenoit de faire en ces sortes de causes, mais cela n'ôtoit ni ne changeoit rien dans leurs droits; cette Jurisdiction qu'ils donnoient à leurs Officiaux ou Députez n'étoit qu'une communication que lesdits Officiaux ou Députez exerçoient au nom de leurs principaux, dans les causes pour lesquels ils étoient commis *ad certas dumtaxat causas*, soit qu'ils seroient commis *ad universitatem causarum sive simpliciter, sive ad revocationem*: les Emprenans disoient qu'il n'étoit pas necessaire de toucher davantage la question, si par la mort de l'Archidiacre la qualité de son Official venoit à cesser, ils faisoient bien de ne pas toucher davantage ce point, qui se trouvoit clairement decidé au Droit Canon en faveur du Rescribent par les raisons ci devant avancées, *quod sit idem Tribunal Episcopi & ejus Officialis, idem Tribunal Archidiaconi & ejus Officialis.* Si les Emprenans vouloient toucher davantage ce point, ils feroient paroître autant plus clairement les raisons pour lesquelles leur principal devoit être condamné, étant impertinent de dire que le sieur Martin Oudenhaghen n'auroit plus continué la fonction d'Official après le trépas de feu l'Archevêque de Malines, parce qu'il n'auroit plus eu envie de porter le fardeau de cette charge, & qu'ainsi il s'en seroit demis de son propre mouvement, où cette qualité étoit venu à cesser par la mort de feu l'Archevêque Alphonse, & qu'on ne pourroit pas montrer que depuis ladite mort il auroit exercé quelque Acte de Jurisdiction. Il pouvoit bien être vrai qu'il n'auroit pas fait des devoirs pour solliciter sa continuation *sede vacante*, mais cependant il demeuroit toujours veritable que sa fonction d'Official étoit venu à cesser par la mort dudit Archevêque; que si les Emprenans ne se vouloient pas contenter dudit exemple, on leur pourroit encore montrer plusieurs autres, tant dans le Diocèse d'Anvers que dans l'Archidiocèse de Malines, comme aussi dans les Diocèses de Gand, de Bruges, de Ruremonde, auxquelles on a vû que la qualité d'Official étoit venu à cesser par la mort de l'Evêque. Les Emprenans ne devoient pas dire que ledit Oudenhaghen, qui avoit été Official de l'Archevêché de Malines en Brabant, auroit jugé, à l'exclusion de tous les autres les causes du Brabant; car en premier lieu ledit Archevêque Alphonse avoit jugé par lui-même plusieurs causes du Brabant, nonobstant, qu'il avoit sondit Officia en Brabant: & en second lieu le sieur Coriache, Chanoine de la Metropolitaine à Malines, qui en cette qualité & aussi à cause de sa fixe demeure avoit son domicile dans la Ville de Malines, avoit au même tems son Tribunal en Brabant en qualité d'Official de l'Archevêque, aiant établi le lieu d'assignations pour les adjournemens au Role & autres comparitions au quartier de Brabant, qui n'étoit gueres éloigné de Malines, & s'appelloit *Passebrugge*, où il avoit jugé en qualité d'Official toutes les causes de Louvain, Tirlemont, Diest, Arschot, Sichem, Leau, Vilvorde & autres quartiers du plat-pays aux environs, d'où les Emprenans montroient, qu'ils étoient très-mal informez de ce, qu'avoit été pratiqué dans le Diocese de Malines au sujet de l'exercice de la Jurisdiction Ecclesiastique, pour venir dire que ledit Oudenhaghen auroit jugé à l'exclusion de toutes les causes du Brabant, & partant c'étoit en vain, qu'ils vouloient regler le Rescribent à l'exemple dudit Oudenhaghen, le Rescribent ne devoit être reglé à l'exemple d'un Official, au regard duquel même les Emprenans avoient commis tant d'erreurs, devant au contraire être reglé à l'exemple d'une personne à qui competoit la Jurisdiction en chef *& jure dignitatis*, & ainsi à l'exemple des Archevêques de Malines, lesquels nonobstant, qu'ils avoient leur résidence à Malines, exerçoient & avoient toujours exercé leur Jurisdiction en Brabant quand bon leur avoit semblé, lesquels mêmes avoient toûjours député des Officiaux résidens

dans la Ville de Malines, avec pouvoir d'exercer la Jurisdiction en Brabant, lesquels Officiaux, quoique residens en la Ville de Malines, avoient toûjours exercé paisiblement ladite Jurisdiction en Brabant avec ce seul temperament, qu'ils ne pouvoient évoquer un inhabitant de Brabant pour comparoître en la Ville de Malines, mais que le lieu d'assignation devoit être désigné en Brabant. La Lettre du Rescribent, don étoit fait mention par les Emprenans, ne pouvoit être regardée ni comme une Sentence, ni comme un autre Acte juridique, & de suite l'on ne pouvoit attribuer à cette Lettre ni le nom d'attentant ni d'entreprise; que les evocations ne se faisoient pas par des Lettres particulieres ou familieres, comme étoit celle dons les Emprenans parloient; que le Tribunal, que le Rescribent avoit dans le pays de Brabant n'étoit pas moins pour le Rescribent, à qui en qualité d'Archidiacre competoit la Jurisdiction en chef *& jure dignitatis*, que pour son Official & Député; que ce Tribunal ne dependant de la résidence d'un Juge, il suffisoit, que le Juge y venoit exercer ses fonctions au tems necessaire & opportun; si les Juges établis étoient révocables *ad nutum* ou pas, cela ne regardoit aucunement les Emprenans qui n'avoient aucun droit sur la Jurisdiction Ecclesiastique, il suffisoit pour le Rescribent que les sacrez Canons, selon lesquels ladite Jurisdiction devoit être reglée, admettoit & approuvoit telle révocation; que les Juges du plat pays en Brabant se changeoient *ad nutum* de ceux, qui les avoient établis; si les Juges seculiers du plat pays en la Province de Limbourg étoient perpetuels, ce que l'on ignoroit, il étoit notoire, qu'on ne pouvoit tirer aucun argument des Juges seculiers aux Juges Ecclesiastiques; l'on avoit seulement allegué l'exemple des Juges du plat-pays en Brabant, pour montrer que c'étoit sans fondement & contre l'observance que les Emprenans vouloient soutenir avec tant de force, que les Juges en Brabant devoient être perpétuels; que les Emprenans ont de toute maniere grand tort de vouloir disputer au Rescribent d'exercer la Jurisdiction par soi-même, ainsi que lui & ses predecesseurs l'avoient toûjours fait à la vûe de tout le monde en la Province de Limbourg, & les Archidiacres de Hasbaye en la partie de Brabant qui étoit sous leur district; & même si les Emprenans ou autres vouloient contrevenir à cette observance, ce different ne devroit pas se décider pardevant ce Souverain Conseil, mais pardevant des Commissaires de Sa Majesté & de l'Evêque de Liege, ensuite du Concordat arrêté le 10. Mars 1541. entre l'Empereur Charles V. de glorieuse mémoire, & ledit Evêque où il y est dit tit. 9. art. 29. *Insuper visum est Commissariis antedictis, quòd, si super præmissis & articulis superius non decisis dubium emergat aut difficultas oritur inter Justitiarios Principum, talis difficultas terminari & sedari debeat mutuis communicationibus vel litteris, ita quòd una Jurisdictio aliam non turbet, vel impediat*; & partant le Rescribent excipiant sur ladite observance immémoriale, & debattant l'ulterieur contenu dudit écrit de réplique, de frivolité, impertinence & dénégation, concluant, persistoit comme devant. A tout eu égard, la Cour combinant les debats mûs par Requête du premier Suppliant du 31. Juillet 1693. & par la conclusion des seconds Supplians du 28. Juin 1695. & rejettant la Requete civile du Rescribent, ordonne audit Rescribent & à tous ceux, qu'il appartiendra d'établir, le cas y arrivant, en ladite Province de Limbourg, pour autant, qu'elle est sous ledit Archidiaconé du Condros, un Official ou Juge, qui y tiendra domicile fixe pour y administrer la Jurisdiction Ecclesiastique; le condamner de mettre à neant son entreprise énoncée & faite par son Decret du 30. Mai, & par sa Lettre du 27. de Juin, ambedeux dudit an. 1693. declare que parmi ce, les conclusions ulterieures prises au procès viennent à cesser, adjuge au premier Suppliant la maintenue par lui requise, & condamne le Rescribent en l'amende de ladite Requete civile rejettée, comme aussi en deux tiers des dépens pour ce engendrez à due taxation & moderation dudit Conseil, compensant le restant tiers pour cause. Ainsi fait en la Ville de Bruxelles le 10. de Mars 1700. *Signé* BODRY.

(P)

SENTENTIA SENATUS BRABANTIÆ CONTRA ARCHIdiaconum Hasbaniæ 26. Aug. 1720.

Le sieur Vander Heggen Pasteur d'Aubel, Suppliant.

Le Reverend Andrée Vigen, Chanoine de Notre-Dame de Maestrecht, Official délégué pour le District d'Outremeuse, sous l'Archidiaconat de la Hesbaye, Rescribent.

VEU au Conseil souverain de Sa Majesté ordonné en Brabant, la Requête du Suppliant y présentée, contenant: Que quoi qu'il seroit notoire, que dans la Province de Limbourg & pays d'Outremeuse, on ne pourroit établir aucun Siege ou Tribunal de Justice sur & au sujet des inhabitans de ladite Province & pays d'Outremeuse, que par ordre exprès & par la seule autorité de Sa Majesté, & que ceux, qui composoient les Tribunaux y duement établis, auroient dû être revêtus des qualitez à ce necessaires & requises, comme d'être originaires de ladite Province ou de celle de Brabant, avec adjonction d'y devoir tenir leux fixe domicile. Il étoit qu'en préjudice desdits droits & hauteurs de Sa Majesté, & en infraction des privileges des Habitans de ladite Province de Limbourg & pays d'Outremeuse, le Rescribent, qui tenoit son fixe domicile & résidence dans la Ville de Maestricht, G. J. Fabritius, Admodiateur de la Commanderie de l'Ordre Teutonique de saint Pierre Fouron, & y tenant aussi son fixe domicile, & Jacques-Joseph de Tiege, s'étoient émancipez de former de leur autorité privée entr'eux un prétendu Tribunal, par laquel ils prétendent d'exercer la Justice sur & au sujet desdits inhabitans, Sujets de Sa Majesté; sçavoir le Rescribent dans la prétendue qualité de Juge comme Official de l'Archidiacre d'Hesbaye, Chanoine de la Cathedrale de Liege, & y tenant son fixe domicile, ledit Fabritius dans la qualité de prétendu Greffier, & ledit de Tiege en celle de Fiscal, au moien de laquelle entreprise sur les droits & autorité de Sa Majesté, ils vexoient & molestoient lesdits Habitans, Sujets de Sa Majesté, par des voyes illicites, intentant a leur charge pardevant ledit prétendu Tribunal des Actions prétenduément Fiscales, afin d'en tirer des prétendues amendes, lorsqu'ils ne vouloient pas y comparoître, ni se soumettre à leur Jugement, ainsi qu'ils avoient fait au regard du Suppliant, & souffroient aussi que d'autres particuliers y intentoient des Actions, tant au sujet des maitres Ecclesiastiques qu'autres, comme avoit fait aussi Winant Fellery à charge du Suppliant, comme apparoissoit des pieces jointes à ladite Requête, aiant par leur prétendue Sentence du 19. Septembre lors dernier, décerné à sa charge une amende de quatre pistoles, sur laquelle ledit de Tiege dans sadite prétendue qualité de Fiscal a levé des exemplaires & fait sommer le Suppliant le 4. du mois d'Octo-

d'Octobre 1718. rapport aux Pieces y pareillement jointes, le tout en mepris & vilipendence du Decret de ce Conseil suprême le 15. Janvier 1718. y aussi joint, par lequel la Cour, sur la Requête y presentée par ledit Rescribent, après préalable avis de l'Office Fiscal, avoit declaré l'établissement dudit Tribunal Ecclesiastique pour les Habitans de la Province de Limbourg & pays d'Outremeuse dans la Ville de Maestricht nul & sans effet, & tous Actes jurisdictionels à y exercer contre eux invalides, leur défendant de s'y adresser ou comparoître, à peine que seroit pourvû à leur charge; comme aussi en mepris & vilipendence du Decret posterieur dudit Conseil du 13. Mai lors dernier donné sur la seconde Requête du Rescribent aussi jointe en copie, par lequel avoit été dit & declaré aussi après préalable avis de l'Office Fiscal, que le Rescribent illec Suppliant auroit à se conformer à l'appointement précedent & ci-devant reclamé; sujet pourquoi il supplioit très humblement que ledit Conseil seroit servi de pourvoir contre lesdits excès & attentats par la voie la plus prompte & la plus efficace, qu'il trouveroit convenir, attendu qu'il y avoit *periculum in mora* au sujet de ladite execution & pour suite d'icelle, *cum expensis, damnis & interesse*; & en cas de communication interim interdiction d'attenter ultérieurement; vû l'appointement margé sur ladite Requête le 14. Decembre 1713. par lequel la Cour, vû l'avis de l'Office Fiscal, ordonnoit, qu'icelle seroit communiquée à partie pour y dire en deans la quinzaine de la communication, & sans préjudice du ce, inhérant dans les appointemens du 15. Janvier & 13. Mai lors dernier, interdisoit à la meme partie de rien attenter, vû aussi l'Ecrit de rescription, avec réquisition & soutenue du Rescribent y a l'encontre servi; satisfaction & réplique du Suppliant & duplique du Rescribent. Le tout consideré, la Cour, à l'intervention de l'Office Fiscal, déclare que le Tribunal Ecclesiastique de la Hesbaye au pays d'Outremeuse doit être permanent; que les personnes qui le composent y doivent tenir fixe residence, & que tous les Actes Jurisdictionels exercez au contraire sont nuls & sans effet, interdisant à tous Sujets de Sa Majesté d'y deferer, à peine, qu'il sera pourvû à leur charge, parmi quoi ce procès vient à cesser, compensez les dépens pour cause. Ainsi fait en la Ville de Bruxelles le 26. d'Aoust. 1720. sub GHINDERTALEN.

(Q)

SENTENTIA SENATUS BRABANTIÆ.
18. Decemb. 1713.

Jouffrouvv Maria Magdalena Clerin, Suppliante.

D'heere Daniel Ludovicus de Fraye, Rescribent.

GESIEN in Syne Majesteyt Souvereynen Raede geordonneert in Brabant de Requeste der Suppliante aldaer gepresenteert den 15. April lestleden inhoudende, dat den Rescribent haeren man, onder pretext van eenen hoop abusive ende gesingeerde feyten, haere Suppliante hebbende opgeroepen voor den heere Officiael van den Geestelycken hove alhier, partye gereguleert synde ten thoon, sy Suppliante evenwel beraeden was geworden t'excipieren op posterieure reconciliatie, defererende over de feyten des concernerende, aen den Rescribent den Eedt decisief, op pene van relatie, gelyck dat verstaen was by vonnis van den elften July 1712. ende alhoewel daer inne geene het minste grief en was te vinden, soo verre dat daeromme den voorf. heere Officiael *super petitione de Apostolis* geensints getwyffelt en hadde te responderen *de refutatorys*, uytwesens d'Acte staende achter den selven vonnisse, soo hadde des niettegenstaende partye daer van geappelleert aen den heere Prelaet van Caudenbergh als gedelegueerden Rechter Apostoliq, die het voorf. vonnis positivelyck geconfirmeert hadde den vierden meert lestleden; waer van den Rescribent sich oock vervoordert hadde t'appelleren aen den heere Officiael van Gendt, als te sien waer, by de extravagante brieven van daegsel, met relaes daer onder staende, van synde; ende want niet soo notoir en was, als dat geene ingetene van desen lande van Brabant ende naementlyck niet van eenen anderen Brabander en mochten betrocken, belast oft becommert worden buyten den selven Lande van Brabant; obsterende daer aen de gulde Bulle, notoire privilegien, Edicten ende blyde incompste van onse Princen, synde tot dien sulcx by den Rescribent maer gespeculeert, om haer noch meer te stellen in onmacht van haer goet recht noch voorder te konnen vervolgen, ende illusoir te maecken del modique alimentarie van twee hondert vyftigh guldens s'iaers, haer oock by den voorf. jersten Vonnisse van den elften July 1712. geadjudiceert, sonder dat den Rescribent iet

V. Espen. Suppl. in Jus Eccl.

La Damoiselle Maria-Magdaleine Clerin, Suppliante.

Le sieur Daniel-Lois de Fraye, Rescribent.

VEU au Conseil Souverain de Sa Majesté, ordonné en Brabant la Requête y presentée par la Suppliante le 15. d'Avril dernier contenant: Que le Rescribent son mari aiant sous prétexte d'un amas de faits abusifs & controuvez, adjourné la Suppliante devant le sieur Official de la Cour spirituelle d'ici, parties étant reglé s à preuve la Suppliante avoit néanmoins été conseillée d'exciper sur reconciliation posterieure, déferant au Rescribent le serment decisif sur les faits ce concernans à peine de relation, ainsi que cela voit été entendu par Sentence du 11. d. Juin 1712. & quoiqu'en cela il n'y eût aucun grief, ensorte qu'à cette cause ledit sieur Official *super petitione de Apostolis* n'avoit aucunement balancé de répondre *de refutatoriis*, ainsi qu'il consistoit par l'Acte couché au pied de ladite Sentence, partie en avoit cependant appellé au sieur Prelat de Cauberg comme Juge délegué Apostolique, qui avoit positivement confirmé ladite Sentence le 4. Mars dernier, de quoi le Rescribent s'étoit aussi avancé d'appeller au sieur Official de Gand, ainsi qu'il se voioit par les Lettres surprenantes, Lettres d'adjournement en étantes. Et comme rien n'étoit si notaire, qu'un habitant de ce pays de Brabant ne pouvoit être attrait, chargé ou molesté hors du même pays de Brabant, nommément par un Brabancon, y obstant la Bulle d'or, les privileges notoires, les Edits & joieuses Entrées de nos Princes, étant d'ailleurs ceci uniquement inventé par le Rescribent pour mettre de plus en plus la Suppliante hors d'étant de pouvoir poursuivie ultérieurement son bon droit, & pour rendre illusoire la modique alimentation de deux cens cinquante florins par an, à elle aussi adjugé par ladite premiere Sentence du 11. Juillet 1712. sans que le Rescribent entendoit de contribuer en outre quelque chose pour les frais de tous

tous ces procès mal fondez, & autres débats inutils, qu' il suscitoit contre elle, concluant ainsi la Suppliante à ce que ledit Conseil seroit servi de déclarer, que les susdites Lettres d' adjournement étoient nulles, sans force & sans effet, & d' ordonner au Rescribent & à tous ceux, qu' il appartiendroit ou s' en voudroit entremêler, de se déporter desdites Lettres & adjournemens faits, & de les casser & réparer avec tout ce, qui en étoit suivi, avec tous dépens, frais & interêts, soufferts & à souffrir, & permission de les libeller. Vû aussi la rescription y l' encontre servie par le Rescribent, disant par icelle qu' il étoit véritable; que les parties avoient été en procès en matiere de divorce devant le Reverend sieur Official de l' Archevêque de Malines, où la cause étant reglée à preuve par Sentence interlocutoire, la Suppliante étoit venu poser quelques faits nouveaux en matiere de réconciliation prétendue, lesquels aiant été désavouez par le Rescribent, & la Suppliante ne pouvant trouver quelque preuve sur de tels faits abusifs avoit déféré au Rescribent le serment décisif, ainsi qu' elle soutenoit, le Rescribent avoit dit sur cette déclaration, qu' on lui pouvoit bien déferer le *Juramentum litis decisorium*, & qu' il étoit prét d' accepter la délation de tel serment; mais que le serment à lui déferé par la Suppliante n' étoit pas décisif de la cause, puisque la Suppliante, après que le Rescribent auroit fait ledit serment à lui déferé, elle voulut encore obliger le Rescribent à prouver les faits par lui posez au procès, & entendoit aussi de rester de son côté entier en matiere de preuve, qu' ainsi le Rescribent ne pouvoit être obligé d' accepter & de préter ledit serment uniquement sur quelques faits choisis, qui n' étoient pas décisifs de la cause. Sur ceci avoit été ému débat pardevant ledit sieur Official, lequel aiant été jugé par lui à charge du Rescribent, il en avoit appellé & introduit son appel devant le sieur Prélat de Cauberg en cette Ville, où la cause aiant été reglée *ad accordandum*, à raison des altercations des Aviseurs, & nul accord en étant suivi, ledit sieur Prélat avoit confirmé la premiere Sentence; mais comme ensuite du droit Ecclesiastique il y devoit avoir trois Sentences conformes, le Rescribent avoit aussi appellé de cette derniere Sentence & introduit son appel devant le Reverend sieur Official du Diocèse de Gand, laquelle introduction d' appel y faite ne pouvoit pas être contestée par ladite Suppliante, sous prétexte, qu' elle seroit par là évocée hors du Brabant; qu' il étoit vrai qu' ensuite de la Bulle d' or les Brabançons ne pouvoient être arrêtez hors du pays de Brabant, ni aussi en la premiere Instance être attraits en Justice hors du Brabant *in personalibus*: mais qu' ès causes Ecclesiastiques il auroit été de tout tems immémorial constamment observé, que les Habitans de ce pays appelleroient des Sentences rendues par le sieur Official de l' Archevêché de Malines, ou par d' autres Juges Ecclesiastiques d' ici, & introduiroient leur appel en vertu de la commission du sieur Internonce, pardevant les Evêques suffragans de l' Archevêché de Malines, ou pardevant leurs Officiaux: que les *Roles* des Officialitez, des Evêchez de Gand, Bruges & Rutemonde, étoient pleines des exemples continuellement & sans interruption à cet égard usitées: qu' ainsi ce constant usage continué publiquement & continuellement, étoit en ce point interprétatif de ladite Bulle d' or, les Habitans du Brabant n' étant pas par-là évoquez

voorder verstont te constribueren, tot de casten van alle de voorf. ongefondeerde processen, ende andere onnutte debatten die hy tegens haer was susciterende, soo concludeerde de Suppliante, ten eynde den voorf. Raedt gedient soude wesen te verclaeren dat de voorf. Brieven van daeghsel waeren nul, machteloos ende van onwéerden, ende aen den Rescribent, ende alle des raeckende oft willende bemoyen, t' ordonneren de selve Brieven ende gedaene voor sulcx te laeten vaeren, ende met den gevolge dyer te casseren ende repareren, met alle costen, schaden ende interesten, geleden ende te leyden, met permissie van die te libelleren, gesien oock de Rescriptie by den Rescribent daer tegens gedient, daer by seggende dat waerachtich was dat partyen gestaen hadden in proces in matiere van divortie voor den Eerweerdigen heere Officiael van het Aertsbisdom van Mechelen, alwaer de saecke synde by interlocutoiren Vonnisse gereguleert geworden ten thoon, de Suppliante hadde comen poseren eenige nieuwe feyten in gepretendeerde matiere van reconciliatie, de welcke synde wegens den Rescribent ontkent geworden, ende de Suppliante niet connende over sulcke abusivie feyten vinden eenige preuve, hadde daer ove den Rescribent gedefereert den Eedt decisief soo sy sustineerde; den Rescribent hadde over dese delatie geseght, dat aen hem wel conde gedefereert worden *Juramentum litis decisorium*, ende dat hy bereedt was de delatie van sulck dan gen Eedt aen te nemen, maer dat den Eedt by de Suppliante aen hem gedefereert, niet en was decisief van de saecke, terwylen de Suppliante, naer dyen den Rescribent den voorf. gedefereerden Eedt soude gedaen hebben, sy den Rescribent noch verstont te obligeren, om te proberen de feyten by hem ten processe geposeert ende sy van haeren cant in matiere van thoon oock verstont geheel te blyven; dat daer om den Rescribent nieten conde verobligeert worden aen te nemen ofte te presteren den voorf. Eedt, alleenelyck overseenige uyt gekipte feyten, die niet en waeren decisief van de saecke, hier over was voorgevallen altercatie voor den voorf. heere Officiael, den welcken daer in gewesen hebbende tot naerdeel van den Rescribent, hadde den selven daer van geappelleert, ende syn appel geintroduceert voor den heere Prelaet van Caudenberg binnen dese stadt, alwaer om de stubbelinge tusschen d' adviseuren, de saecke gereguleert geweest synde *ad accordandum*, ende geen accordt gevolght synde, den voorf. heere Prelaet hadde het jerste Vonnis geconfirmeert, doch alsoo volgens de Geestelycke Rechten moesten syn dry conforme Vonnissen, den Rescribent hadde van dit leste Vonnis oock geappelleert, ende syn appel geintroduceert voor den Eerweerdigen heere Officiael van het Bisdom van Gendt, welcke introductie van appel aldaer gedaen, de voorf. Supplant niet en conde bestryden, op pretext dat sy daer door soude beroepen worden buyten Brabant, het is wel waer, dat volgens de gulde Bulle, de Brabanders niet conden buyten den Lande van Brabant worden gearresteert, noch in d' eerste instantie worden *in personalibus* beroepen buyten Brabant, maer in materie van Geestelycke saecken was het van alle immemoriale tyden in constant gebruyck dat d' ingesetenen van dese Landen appelleren van Vonnissen gegeven door den heere Official des Aertsbisdom van Mechelen, oft andere Geestelycke Rechters alhier, hadden van sulcker Vonnissen connen appelleren, ende hun appel, uyt crachte van commissie van den heere Internuntius introduceren voor de Bisschoppen suffraganen aen het Aertsbisdom van Mechelen, oft voor de Eerweerdige heeren hunne Officialen, de *Rollen* van d' Officialiteyten der Bisdommen van Gendt, van Bruggen, ende van Ruermonde syn vol van d' exempelen, dyen aengaende gedurichlycken ende sonder interruptie geplogen, Dus dat dit standtvastich gebruck publieckelyck ende geduerichlyck gecontinueert, in dit point interpretatief was van de voorf. gulde Bulle, d' ingesetene van Brabant daer door niet geroepen wordende

dende buyten dese Nederlanden onder de gehoorsamheyt van Syne Majesteyt, noch oock buyten de paelen van het Aertsbisdom principaelyck, voor de Brabanders opgerecht, sulcke introductien niet connende aengesien worden voor evocatien, Terwylen den heere Officiael van het Aertsbisdom van Mechelen in Brabant, altyt in d'eerste instantie was nemende de kennisse, ende de citatien voor hem gedaen worden, ende het appel alleenelyck was gaende naer de suffragane Bisschoppen, oft hunne Officiaelen, die tot secours van het Bisdom van Mechelen gestelt waere, oock sulck appellen was eygentlyck niet eene evocatie, maer alleenlyck eenen middel van defensie, die van alle tyden, t'sedert het instellen van het Aertsbisdom, van Mechelen, ende van desselfs suffragane Bisdommen waer alsoo standtvastelyck ende gedurichlyck geplogen geworden, waer van d'interruptie oversulcx soude stryden tegen een recht door dit standtvastigh ende immemoriael gebruyck vasgestelt, mits welcke ende meer andere, &c. afflaende den voorderen inhoudt van de voors. Requete der Suppliante by ontkentenisse, frivoliteyt ende impertinentie, concluderende den Rescribent contendeerde ten eynde dat de voors. Suppliante, om by den dispositive van de voors. haere Requete geageert ende geconcludeert te hebben, soo, ende gelyck sy dat hadde gedaen, verclaert soude worden ongefondeert, ende niet ontfanckbaert *cum expensis*, Gesien de replycke der Suppliante; naerdere rescriptie, naerdere replycke, ende Duplycke der selve paetyen, op al geleth, T. Hoff ordonneert aen den Rescribent de brieven van daeghsel, met den devolgedier, ten procesle vermelt, te laeten vaeren, sonden cost ofte last, der Suppliante, hem geheel syn appel behoorelyck te introduceren voor den Officiael van Antwerpen in het *Rescriptum* van den heere Internuntius *primo loco* genoemt ende gecommitteert, condemnerende den voors. Rescribent in de costen, ter behoorelyche taxatie ende moderatie van den Hove, aldus gedaen binnen de Stadt Brussel den 18. December 1713. *sub* GHINDERTALEN.

hors de ce pays-bas de l'Obéïssance de Sa Majesté, ni aussi hors des limites de l'Archevêché, principalement érigées pour les Brabançons, telles introductions ne pouvant être envisagées pour des évocations, puisque le sieur Official de l'Archevêché de Malines en Brabant prenoit toûjours connoissance en la premiere Instance, & que les citations se faisoient pardevant lui, & que l'appel s'interjettoit uniquement vers les Evêques suffragans ou Officiaux, qui étoient établis pour secours de l'Archevêché de Malines: qu'aussi tel appel ne seroit proprement pas une évocation, mais seulement une voie de défense, laquelle de tout tems, depuis l'établissement de l'Archevêché de Malines & des Evêchez suffragans, auroit ainsi été constamment & contieuellement pratiquée, dont l'interruption seroit par conséquent contraire à un droit établi par cet usage constant & immémorial; parmi quoi & autres raisons, le Rescribent concluoit à ce que ladite Suppliante, pour avoir agi & conclu par le dispositif de ladite Requête, ainsi & de la sorte qu'elle l'avoit fait, seroit déclarée non fondée ni recevable *cum expensis*: Vû la réplique de la Suppliante, les rescription ultérieure, réplique ulterieure, & duplique des mêmes parties, le tout considéré, La Cour ordonne au Rescribent de se déporter des Lettres d'adjournement avec ce qui en est suivi, réclamées au procès sans frais ni dépens de la Suppliante; lui entier d'introduire dûement son appel pardevant l'Official d'Anvers, nommé & commis *primo loco* dans le *Rescriptum* du sieur Internonce, condamne ledit Rescribent es dépens, à dûe taxation & modération de la Cour. Ainsi fait dans la Ville de Bruxelles le 18. Décembre 1713. *sub* GHINDERTALEN.

SENTENTIA EJUSDEM SENATUS.
22. Decemb. 1714.

Joanna de Proost Suppliante, Egidius van Muldert Geinsinueerde.

GESIEN in Syne Majesteyt Souvereynen Raede geordonneert in Brabant de Requeste aldaer wegens de Suppliante gepresenteert den 20. Februaris lestleden, tenderende ten eynde den selven Raede gedient soude wesen, aen den Geinsinueerden t'ordonneren van promptelyck te desisteren van syn appel voor den heere Officiael van Iperen ende van de proceduren by hem aldaer innegestelt, ende de selve te laeten vaeren *cum expensis*, ende in cas van coicatie, den voors. Geinsinueerden t'interdiceren met de voors. proceduren voorts te vaeren, Gesien oock de rescripte by den Geinsinueerden daer tegens gedient, replycke ende duplycke der selve partyen, op al geleth, T'Hoff recht doende, ordonneert aen den Geinsinueerden promptelyck te desisteren van syn voors. appel voor den voors. heere Officiael van Iperen, ende van de proceduren by hem aldaer innegestelt, hem ordonnerende de selve te laeten vaeren, ende condemneert, den selven Geinsinueerden in de costen getaxaeert ter somme van achten vyftich guldens ende negen stuyvers, daer inne begrepen het rapport ende d'executorien. Aldus gedaen binnen de Stadt Brussel de 22. Decembris 1714. sub GHINDERTAELEN.

Joanna de Proost Suppliante, Egidius van Muldert Insinue.

VEU au Conseil souverain de Sa Majesté, ordonné en Brabant la Requête y présentée par la Suppliante le 20. Fevrier dernier, tendante à ce, que ledit Conseil fût servi d'ordonner à l'Insinué de désister promptement de son appel par devant le sieur Official d'Ipres, & des procedures par lui y introduites, & de se déporter d'icelles avec dépens, & en cas de communication, d'interdire audit Insinué de poursuivre lesdites procedures. Vû aussi la rescription y à l'encontre servie par l'Insinué, réplique & duplique des mêmes parties, le tout consideré, la Cour faisant droit, ordonne à l'Insinué de désister promptement de sondit appel pardevant ledit sieur Official d'Ipres, & des procédures par lui introduites, lui ordonnant de s'en déporter, & condamne le même Insinué ès dépens taxez à la somme de cinquante huit florins & neufs sols, y compris le rapport & les exécutoires. Ainsi fait en la Ville de Bruxelles le 22. Décembre 1714. *sub* GHINERTAELEN.

(R)

SENTENTIA SENATUS BRABANTIÆ quâ cassatur Sententia lata in Curia Romana 13. Decemb. 1700.

Den Raedt ende Procureur Generael, Suppliant.

Henricus Kruff sich qualificerende Canoninck der Collegiale Kercke van Kerpen Rescribent.

GESIEN in Syne Majesteyt souvereynen Raede geordonneert in Brabant, die Requeste by den Suppliant aldaer gepresenteert den 16. October 1698. by de welcke hy te kennen gaff dat als doen onlancx in de Colegiale Kercke van Ste Merten binnen Kerpen synde comen te vaceren eene Canonixdye ter Collatie *via electionis*, van het Capittel; sekeren Henricus Pelser aldaer woonende by synen Broeder oock Canoninck, hadde voor hem gehadt de hellicht der voisen van de Capitulairen, d' andere hellicht synde gevallen op den Rescribent, in welcke discordantie ende partagie van de Capitulairen den voors. Pelser sustinerende dat de collatie van de voors. Canonixdye was gedevolueert aen syne Pauselycke Heylygheyt hadde van de voors. Canonixdye aen hem te doen by de gedelegeerde in de Pauselycke Bulle, ende vervolgens tot d' exekutie der selve in desen Raede verergen de gewooneiyck brieven van placet; ende al wast dat daer door den voors. Rescribent, synde te voorens geraeckt in de possessie van de voors. Canonicxdye, noch eygentlyck niet en was daer inne geturbeert, ende want hy eenige turbatie daer naer hadde mogen ont moeten, hy den wegh van maintenue als dan soude hebben connen ingaen voor den voors. Raede als primativelyck Rechter competent over het possessoir beneficiel, en het welck moeste voorgaen het petitoir, waer over oock evenwel al soude moeten geprocedeert worden voor Rechters te delegueren binnen de Provintie, sonder dat d' eene partze d' ander daer buyten in die materie soude mogen betrecken, daer aen obsterende de notoire privilegien van desen Lande geconfirmeert selffs by de Pausen, soo hadde het nochtans aen den voors. Rescribent geliest, uyt crachte van de citatoriales daer aff synde, den voors. Pelser t' evoceren naer Roomen voor den *Auditor Rotæ*, Alexander Caprara, ende sulcx gelyck men condensien uyt dessels supplique aen syne Pauselycke Heylygheyt, om onder andere oock aldaer tegen den voors. Pelser gemainteneert te worden in de geaffecteerde possessie van de voors. Canonicxdye, waer sonder, soodanige evocatie *ad exterum judicium* hem evenvel niet en soude syn gepermitteert over andere poincten die het petitoir mochten raecken, gelyck oock niet aen den gevooceerden Pelser als Ingesetene van Kerpen tot Roomen te comen in litiscontestatie, d' welck den deesen verschrickt door de gedeurige censuren even licht hadde bestaen te doen, als den anderen hem verloopen hadde met den selven derwaerts te citeren, ende sulcx doende, vervallen was inde penen gestatueert by de Placcaerten der Princen van desen Lande, die haer extendeerden tot verbeure van lyff ende goet, soo wanneer imandt den anderen buyten s' Landts soude comen te daegen, des reltes tot de Blyde incomste van den Hertogh Wenceslaus van den Jaere 1355. *circa initium*, ende van den Hertoge Anthonis articulo veerthien; immers ten regarde van de Ecclesiastique persoonen alsulcke evo-

Le Conseiller & Procureur General, Suppliant.

Henry Kruff, se qualifiant Chanoine de l' Eglise Collegiale de Kerpen, Rescribent.

VEU au Conseil souverain de Sa Majesté, ordonnée en Brabant la Requête y présentée par le Suppliant le 16. Octobre 1698. par laquelle il donnoit à connoître que lors n' a gueres étant venu à vacquer dans l' Eglise Collegiale de S. Martin à Kerpen un Canonicat à la collation du Chapitre *via electionis*, certain Henry Pelser y demeurant chez son frere, aussi Chanoine, avoit eu en sa faveur la moitié des suffrages des Capitulaires, l' autre moitié étant tombée en faveur du Rescribent, en quelle différence & partage des Capitulaires le susdit Pelser soutenant que la collation du susdit Canonicat étoit dévolue à Sa Sainteté, avoit impetré d' icelle la collation du susdit Canonicat, à faire à sa person e par les déleguez dans la Bulle Papale, & de suite pour l' execution d' icelle avoit obtenu en ce Conseil les lettres ordinaires de placet; & quoique par là le susdit Rescribent, qui dès auparavant étoit entré dans la possession dudit Canonicat, ne fût point proprement troublé en icelle, & qu' au cas qu' en aprés il auroit rencontré quelque trouble, il auroit pû lors prendre la voie de maintenue pardevant le susdit Conseil, comme Juge primativement competant du possessoire beneficiel, qui devoit précéder le pétitoire; auquel néanmoins devroit aussi être procedé pardevant Juge à déleguer dedans la Province, sans que l' une partie pourroit attraire l' autre hors d' icelle en cette matiere, y obstant les privileges notoires de ce pays, confirmez même par le Pape. Il avoit néanmoins plû au susdit Rescribent d' évoquer le susdit Pelser à Rome, en vertu des lettres citatoriales accordées à cet effet pardevant l' Auditeur de la Rote Alexandre Caprara, & cela comme on pouvoit voir par sa supplique présentée à Sainteté, pour entre autres y être aussi maintenu dans sa possession affectée dudit Canonicat, sans quoi cependant telle évocation *ad exterum judicium*, ne lui seroit point permise sur d' autres points qui pourroient concerner le pétitoire, comme aussi ne seroit point permis à l' évoqué Pelser entant que habitant de Kerpen, de venir en litiscontestation à Rome; ce que celui ci, effraié par les censures continuelles, avoit entrepris aussi legement que l' autre s' étoit émancipé de l' y faire citer; & ce faisant, il avoit encouru les peines statués par les placats des Princes de ce pays, qui s' étendoient jusqu' à forfaire corps & biens au cas que quelqu' un viendroit à citer un autre hors du pays, comme il constoit par la joyeusé Entrée du Duc Winceslas de l' année 1355. *circa initium*, & du Duc Antoine article 14. & que du moins au regard des personnes Ecclesia-

Ecclesiastiques entreprenantes semblables évocations à la Cour de Rome on s' etoit toûjours servi du faisissement de leur temporel ensuite du placart du 12. Septembre 1485. Apres quoi l' Archiduc Philippe par son Edit du 20. Mai 1497. avoit encore défendu que nul, pour raison de Benefices étant en ces pays, n' attireroit les Sujets ni autres, résident par vertu des Bulles & Rescrits de Cour de Rome, sur peine de perdre le fruit & effet d' iceux d' être bannis hors lesdits pays, & d' être déclarez inhabiles de n' y pouvoir jamais tenir, jouir ou posseder des fruits d' aucuns benefices. tellement, que ladite citation faite audit Pelser de la part du susdit Rescribent sur des débats concernans ledit Canonicat de Kerpen, étoit directement entreprise contre ces placarts & privileges, qui au cas présent étoient d'autant plus enfrains que le susdit Rescribent par son Ecrit de rescription servi contre la Requête dudit Pelser, afin de maintenue touchant ledit Canonicat, présentée dans ledit Conseil, avoit la témérité d' exipier sur ladite procedure invalidement institué à Rome, & de se servir ainsi de son attentat pardevant ce Conseil même, ce qui seroit de très mauvaise conséquence s' il n' y fût pourvû promptement, pourquoi le Suppliant se retiroit vers le susdit Conseil, le requerant d' être servi de déclarer la susdite citation & poursuite judicielle intentée en Cour de Rome nulle & de nulle valeur, ordonnant au susdit Rescribent à & tous autres qu' il pourroit appartenir en quelque maniere, de les casser & réparer avec dépens, dommages & interêts, & permission de les libeller, & d' accorder là-dessus au Suppliant telle autre provision, que la Cour trouveroit convenir selon les loix du pays, interdisant par conséquent au susnommé Rescribent de reconnoître le susdit Juge, avec dépens; & en cas de communication d' interdire cependant tant à l' un qu' à l' autre, de n' y rien entreprendre ulterieurement. Vû aussi la rescription par le susdit Rescribent y à l' encontre servie, par laquelle il concluoit afin, que le Suppliant, pour avoir au dispositif de ladite Requête venu en Cour, conclu à cassation de la Sentence par le Rescribent obtenue en Cour de Rome le 21. Aoust lors dernier, seroit déclaré non fondé ni recevable, Vû à ce la réplique avec ampliation de conclusion ledit Suppliant, par laquelle il persistoit comme devant & ensuite de la permission par lui obtenue, concluoit afin que la Sentence Roiale du 21. Aoust 1698. avec tout ce, qui en étoit suivi seroit déclaré nul & de nulle valeur, ordonnant au Rescribent de la casser & reparer avec dépens & dommages, déclarant de plus icelui Rescribent inhabile pour pouvoir jamais posséder ledit Canonicat en question, ou autre Benefice quelconque en Brabant & pays y appartenans, avec dépens. Vû encore la rescription ulterieure, replique ulterieure, & duplique des susdites parties; comme aussi la Requête Civile du Rescribent du 26. Juin dernier, avec les raisons d' impertinence sur ce ensuivies de la part dudit Suppliant: Le tout considéré, la Cour rejettant ladite Requête Civile du Rescribent, declare la citation & poursuite judicielle intentée en Cour de Rome, comme aussi la Sentence du 21. Aoust 1698. sur ce ensuivie nulles & de nulle valeur, condamnant ledit Rescribent aux dépens à dûe taxation & modération de la Cour, ensemble à la peine de ladite Requête Civile rejettée. Ainsi fait en la Ville de Bruxelles le 13. Decembre 1700. sub signé, BODRY.

catien naer het Hoff van Roomen ondernemende, hadde men altyt gebruyckt het saisissement van hun temporeel, ingevolge van het placcaert van den 12. September 1485. waer naer den Aertshertogen Philippus by syn Edict van den 20. Mey 1497. hadde alnoch verboden *que nul pour raisons de benefices etant en ce pays, n' attireroit les Sujets ni autres resident par vertu des Bulles & Rescrits de Cour de Rome, sur peine de perdre le fruit & effet d' iceux; d' etre bannis hors lesdits pays, & d' etre declare inhabiles de n' y pouvoir jamais tenir, jouir ou posseder des fruits d' aucuns benefices;* soo dat de gemelde citatie van wegens den voorsz. Rescribent gedaen aen den voors. Pelser over questien raeckende de voors. Canonicxdye van Kerpen directelyx liep tegens die placcaerten ende privilegien, de welcke ten desen deste meer gekrenckt wirden, dat den voornomen Rescribent by syne schrifture van rescriptie gedient tegens de Requeste van den voors. Pelser ten eynde van maintenue over de gemelde Canonicxdye, in den voorschreven Raede gepresenteert, de vermetentheyt hadde van op de voors. nulle Roomsche rechvoorderinge t' excipieren, ende sich alsoo van syn attentaet voor desen Raede selfs te bedienen, t' gene van al te quaet gevolgh soude wesen by soo verre daer tegens niet promptelyck en wierde versien, keerde sigh daer omme den Suppliant totten voors. Citatie ende Rechtsvoorderinge voor het Hoff van Roomen aengestelt te verclaeren nul ende van geenden wierden, ordonnerende aen den voors. Rescribent ende alle andere die sulcx eenichsints soude mogen raecken, de selve te cassleren ende repareren met costen schaeden ende interessen, ende permissie van de selve te libelleren ende andersints aen den Suppliant daer over t' accorderen alsulcke provisie, als T' Hoff volgens s' Landts Wetten soude vinden te behooren; interdicerende aen den voornemen Rescribent des halvens den voors. Rechter tel herkennen met costen, ende ingevalle van communicatie ondertusschen soo aen den eenen als aen den anderen t' interdiceren jet voorders aldaer t' internemen. Gesien oock die rescriptie by den voors. Rescribent daer tegens gedient, by de welcke hy concludeerde ten eynde den Suppliant om by het dispositif synder voornemen Requeste venu en Cour gecontendeert te hebben tot cassatie van den vonnisse by den Rescribent voor het Hoff van Roomen becomen op den 21. Augusti als doen lest leden, soude verclaert worden niet gefondeert noch te ontfanckbaert. Gesien tot dien die replicque met amplicatie van conclusie des voors. Suppliant, by de welcke hy persisteerde als vooren ende naer vermogen van de permissie by hem becomen, concludeerde ten eynde dat de Sententie Rotale vanden 21. Augusti 1698. met allen t' gene daer uyt ende naer was gevolght soude worden verclaert nul ende van geender weerde, ordonnerende aen den Rescribent de selve te casseren, repareren costeloos ende schadeloos, verclaerende tot dien den selven Rescribent inhabil om immermeer de voors. Canonicxdye in questie oft eenigh ander beneficie in Brabant en toegehoorige Landen te besitten met costen; Gesien alnoch de naerdere rescriptie, naerdere replicque ende duplicque der voors. partyen, mitsgaders die Requeste Civile de Rescribent van den 26. Juny lestleden mette redenen van impertinentie van wegens den voors. Suppliant daer op gevolght, op alles geleth, T' Hoff reycierende de voors. Requeste Civile des Rescribent, verclaert de citatie ende Rechts-voorderinge voor het Hoff van Roomen aengestelt, mitsgaeders de Sententie van 21. Augusti 1698. daer op gevolght, nul ende van geender weerden, condemnerende den voors. Rescribent in de costen hier omme geresen ter behoorelycke taxatie ende moderatie van den voors. Raede, mitsgaeders in de pene van de voors. gereycieerde Requeste Civile. Aldus gedaen binnen dese Stadt Brussel den 13. December 1700. ondergeschreven, BODRY.

(S) SEN-

(S)

SENTENTIA SENATUS BRABANTIÆ 6. Maji 1716.

Isabelle Françoise Peronne Suppliante.

Sieur Robert Vander Schueren, Rescribent.

VEU au Conseil souverain de Sa Majesté ordonné en Brabant la Requéte y présentée par la Suppliante le 3. Décembre 1715. tendante à ce que ledit Conseil fût servi d'ordonner audit Rescribent de se déporter & desister de l'appel de la procédure par lui introduite pardevant le sieur Official de l'Evêché de Ruremonde, lui ordonnant aussi de l'abandoner, avec condamnation aux dépens & sans frais de la Suppliante, ainsi qu'il avoit été jugé par Sentences en estantes en datte respectivement du 22. Decembre 1713. & 18 Decembre 1714. & en cas de communication d'interdire cependant toute ultérieure poursuite pardevant ledit Official de Ruremonde, sur quoi il fût ordonné par apostille que ladite Requête seroit communiquée à partie pour y dire endedans la huitaine de la communication & sans préjudice de ce, la Cour interdisoit à la même partie interim de rien attenter. Vû aussi la rescription y à l'encontre servie par le Rescribent, la réplique & persistence & la duplique desdites parties: le tout consideré, la Cour ordonne au Rescribent de se déporter & desister de l'appel, & de la procedure par lui introduite pardevant l'Official de Ruremonde, lui enter de l'introduire pardevant l'Official d'Anvers, aussi nommé par le recrit du Seigneur Internonce: bien entendu que les dépens engendrez pardevant ledit Official de Ruremonde, *depuis la contestation y faite*, demeureront à la charge de la Suppliante, condamnant ledit Rescribent és depens de ce procés taxez à la somme de cinquante un florins cinq sols, y compris la moitié du rapport. Ainsi fait en cette Ville de Bruxelles le 6. Mai 1716. *jub* BODRY.

FIN.

BREVIS

BREVIS COMMENTARIUS AD DECRETUM GRATIANI.

DISSERTATIO PROOEMIALIS.

CAPUT PRIMUM.

De Authore hujus Operis, & vera ejus inscriptione & titulo.

GRATIANUM patriâ Clusinum, professione Monachum sancti Felicis Bononiensis, Ordine sancti Benedicti, opus suum, quod hodie vulgo dicitur, *Decretum Gratiani*, composuisse circa annum 1151. communis est opinio; & post Glossam ad Can. 31. c. 2. q. 6. & Correctores Romanos, veriorem credit Aubertus Miræus in scholiis ad Henricum Gandavensem de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 49.

Licet titulum hunc etiam notaverint Correctores Romani, monent nihilominus, "quod in plerisque vetustis hujus collectionis exemplaribus, „hæc tanquam inscriptio rubris literis posita sit: *Concordia discordantium Canonum*, addita in quibusdam dictione, *incipit*, sine ulla Gratiani mentione.

Notat quoque Stephanus Baluzius in Præfatione ad Dialogos Antonii Augustini de emendatione Gratiani §. 25. eandem inscriptionem extare in duobus codicibus MSS. Bibliothecæ Regiæ, & in uno S. Germani Parisiensis, & in alio Bibliothecæ Colbertinæ nec non etiam in antiquis editionibus; asseritque nec in pristinis editionibus expressum fuisse in fronte nomen Gratiani, tametsi de re satis constaret: "Prima, „quod sciam, (ait §. 28.) Editio Parisiensis an. „1508. *Gratiani* nomen in titulo habet hoc mo„do: *Decretum aureum divi Gratiani, cujus „titulus talis est: Incipit Concordantia discor„dantium Canonum.*

Et sane opus hoc jam pridem hunc titulum prætulisse, *Concordantia discordantium Canonum*, annuit quoque Innocentius III. in integra Decretali in tertia Decretalium collectione apud Antonium Augustinum titulo *de Electione, cap.* 3. cujus fragmentum extat in *c.* 20. *x. eodem.* In hac enim Decretali respiciens Innocentius ad ea, quæ Gratianus tractat Dist. 56. Utrum filii presbyterorum possint ad sacros Ordines promoveri; cum diversas in speciem Canonum sententias retulisset, ait: *Quidam vero ad concordiam discordantia revocantes, repugnantiam Canonum prædictorum quodam modo sopire videbantur, confitentes &c.* ubi non obscure ad opus Gratiani, quod tunc in pretio erat, reflectit.

Sic etiam in melioribus editionibus Antonii Contii vox illa, *Decretum*, utpote inepta, in multitudinis vocem mutata est. Demochares, *Decretorum collectanea*, contius, *Decretorum Canonicorum collectanea*, Inscripserunt, uti notavit Antonius Augustinus *lib.* 1. *de emendat. Gratiani, dialogo* 1. addens: "Decretorum vero collectio„nem esse hanc nemo negaverit, non unius Decre„ti explanationem. Sic etiam dicimus Decretorum „doctorem, non Decreti juris pontificii consultū.

In Corpore juris emendato jussu Gregorii XIII. omissa quoque est in titulo hujus operis vox, *Decretum*; diciturque simpliciter: *Concordantia discordantium Canonum:* quem titulum huic operi optimè convenire fatebitur, qui illius scopum & institutum attenderit.

Gratianus enim "non tantum Decretis colli„gendis (quod Burchardus, Ivo, aliique præce„dentes collectores fecerant) operam dedit; sed „Ivonis fortasse præfatione excitatus, eò potissi„mum incubuit, ut certis quæstionibus propo„sitis quid in utramque partem ex Canonibus, „qui inter se nonnunquam pugnare videbantur, „dici posset, ipse & afferret & explicaret; omni„umque eorum varietatem, quæ speciem dissen„sionis habebat, *ad concordiam* revocaret, inquiunt Correctores Romani in præfatione.

Unde nomen *Decreti* huic operi inditum sit, incertum est: verisimile admodum est, nomen illud à Gratiano ei impositum non fuisse: quandoquidem, uti supra notavimus, in veteribus libris vox *Decretum* non compareat.

Putarunt nonnulli eam vocem ex Burchardo aut Ivone acceptam; sed monet Antonius Augustinus in citato dialogo 1. quod veteres libri Ivonis non habeant titulum *Decreti*; sed vocentur *Exceptiones Ecclesiasticarum regularium:* Burchardi vero libri veteres Miss. careant inscriptione, & in editis habeatur, non *Decretum*, sed *Decretorum libri* 20. Et Ivo *Epistola* 74. opus Burchardi vocat, *Collectiones Burchardi.*

Interim undecunque collectioni seu operi Gratiani adhæserit inepta hæc vox *Decretum*, illud constat adeo tenaciter ei adhæsisse, & etiamnum adhærere, ut non obstante vocis ineptitudine, quin & emendatione Pontificia sub Gregorio XIII. quæ huic operi titulum dedit: *Concordia discordantium Canonum* non alio nomine appelletur, aut pene notum sit hoc opus, quam sub nomine

nomine *Decreti Gratiani*. Quapropter communi & vulgari loquendi modo me accomodans, hanc collectionem etiam *Decretum Gratiani* vocare volui, ne alias idiomate ignoto loqui viderer.

CAPUT II.

De operis hujus Divisione, Forma, & prima illius parte.

Opus suum Gratianus in tres principaliores partes divisit. prima pars continet centum & unam Distinctiones, quæ totidem sunt capita, sive sectiones, quibus materiam distinctam proponit; & subjectis Conciliorum & pontificum decretis, vel patrum sententiis conclusiones subjungit, & si quæ in eis varietas occurrit, eam exponere studet.

Videtur Gratianus in hac, uti & in tertia parte, specialiter nomen *Distinctionum* assumpsisse; quod licet & in secunda parte Canonum apparentem discordiam in concordiam revocare, intendat, tamen præcipuè in hac & tertia parte, distinguendo varias locorum temporumque circumstantias, id facere satagat.

In viginti primis distinctionibus tractat de origine, auctoritate, & variis speciebus Juris; idque confusè, adductis quibusdam divisionibus, primò in Jus Divinum & humanum; in naturale & positivum. Secundò in Jus scriptum & non scriptum, seu consuetudinarium. Tertiò in Jus Civile & Ecclesiasticum.

post hæc explicat præcipuas partes è quibus Jus Ecclesiasticum constat; quæ sunt Canones Conciliorum, de quibus agit Dist. 15. 16. 17. & 18. Item Decreta & Epistolæ Decretales pontificum, de quibus tractat Dist. 19. Ac tandem sententiæ SS. patrum, de quibus disserit Dist. 20.

Hæc ipse Gratianus paucis indicavit initio Distinctionis 21. dicens: *Decretis ergo Romanorum Pontificum, & sacris Canonibus Conciliorum Ecclesiastica negotia, ut supra monstratum est, terminantur.*

In reliquis Distinctionibus de Clericis & variis eorum gradibus, dignitatibus, promotionibus, eorumque officiis ac qualitatibus in ipsis ex præscripto Apostoli in epistolis ad Timotheum & ad Titum requisitis amplè discurrit.

Hinc Gratianus initio Distinctionis 21. verbis supra recitatis subjungit: "Ministri vero sacro„rum Canonum & Decretorum pontificum sunt „summi pontifices, & infra præsules, & reliqui „Sacerdotes, quorum institutio est in veteri testa„mento inchoata, & in novo plenius consumata.

Et sub initium Dist. 23. ait: "Breviter quæ „inter Ecclesiastica officia sit differentia demon„stravimus; nunc à summis incipientes, & usque „ad ultimum gradum descendentes, qualiter „quisque eorum debeat ordinari, Sanctorum au„ctoritatibus ostendamus.

Tandem ad calcem ultimæ suæ distinctionis indicat rursus, quæ præcedentibus distinctionibus tractaverit, dicens: "Hactenus de electione & „ordinatione Clericorum tractavimus, nunc ad „simoniacorum ordinationes transeamus.

Ex his haud obscurum est, non immeritò Gratianum, aliosque post ipsum Decretalium collectores, partem hanc Gratiani à distinctione 21. usque ad distinctionem 101. quæ & ultima est, vocasse *Tractatum Ordinandorum.*

Ita Gratianus Causa 1. q. 7. ad calcem Canonis 6. remittens lectorem ad Canonem, *Priscis igitur*, ait: *Require supra in tractatu Ordinandorum*; manifestè indicans Canonem 1. Distinctionis 55. qui incipit: *Priscis igitur*, &c. Et primæ Decretalium collectionis auctorem ad hunc tractatu Ordinandorum remisisse sat evidens est ex clausula finali *c. 9. de Electione* dictæ primæ collectionis.

Postquam enim actum est de Ordinatione Archiepiscopi, subjungitur hæc clausula: *Illud autem quod de Archiepiscopi Consecratione, Ordinatione, &c. ut in tractatu Ordinandorum*, Ex quo non obscurum est hujus collectionis auctorem remisisse lectorem ad Can. 1. Dist. 66. ubi hæc clausula occurrit, uti rectè notavit Antonius Augustinus in notis ad citatum capitulum 9. qui & occasione hujus clausulæ monet: "Ex hoc appa„ret, Bernardum Papiensem habuisse rationem „collectionis Gratiani, & noluisse repetere, quæ „is conscripsisset. Namque *tractatus Ordinan„dorum* appellari solet à Gratiano à Dist. 23. us„que ad quæstionem primam sive causam con„scripta.

CAPUT III.

De secunda parte Decreti Gratiani, item tractatu de Pœnitentia, & tertia parte de Consecratione.

Secunda pars Decreti Gratiani continet 36. Causas, & singulæ causæ continent suas quæstiones. Porro Causæ sunt quasi totidem hypotheses, sive casûs positiones, quarum occasione varias quæstiones format & proponit, quas frequenter in utramque partem allegatis Canonibus, discutit; suam deinde sententiam depromens.

Exempli gratia Causa prima proponit hunc casum: "Quidam habens filium, obtulit eum di„tissimo cœnobio: exactus ab Abbate, & à fratri„bus, decem libras solvit, ut filius susciperetur, „ipso tamen (beneficio ætatis) hoc ignorante. „Crevit puer, & per incrementa temporum & of„ficiorum ad virilem ætatem & Sacerdotii gra„dum pervenit. Exinde suffraganibus meritis in „Episcopum eligitur, interveniente obsequio & „paternis precibus; datâ quoque pecuniâ cuidam „ex consiliariis Archiepiscopi consecratur iste in „Antistitem, nescius paterni obsequii & oblatæ „pecuniæ. Procedente vero tempore nonnullos „per pecuniam ordinavit; quibusdam vero gratis „benedictionem sacerdotalem dedit. Tandem „apud Metropolitanum suum accusatus & convi„ctus sententiam in se damnationis accepit.

Hoc casu proposito septem exinde quæstiones „formatas proponit.

Partem hanc multo obscurius & perplexius quã præcedentẽ Gratianus compilavit; neque plerumque ordinis rationem, sive subsequentia cum antecedentibus connectendi occasionem annotavit.

In hac quoque secunda parte Decreti plurima intermiscet Gratianus, & diversissima occasione arrepta, distinctam prorsus materiam aggreditur, & nonnunquam principali suo proposito deserto, de ea materia discurrit.

Exemplum istud occurrit causâ 32. in qua uti & in sequentibus tractans de iis, quæ matrimonium concernunt, ad calcẽ canonis 19. quæst. 3. inseruit prolixum tractatum, *de Pœnitentia*; eo quod in citato Canone incidisset mentio de pœnitentia; uti enim à pluribus notatum est, totus hic tractatus de pœnitentia per modũ continui & unius discursus à

Gratia-

Gratiano insertus fuit inter dictum canonem 19. & can. 20. ejusdem quæstionis. Nam uti notavit Antonius Contius in initio hujus de pœnitentia tractatus: *In plerisque manuscriptis totus hic tractatus* de Pœnitentia *legitur uno continenteque contextu, non distinctis capitibus, ut in superioribus distinctionibus & causis, atque sequentibus.*

Idipsum notârunt correctores Romani ad initium quæstionis 3. causæ 33. dicentes: *Gratianus ad explicandam hanc tertiam quæstionem multa attulit. Quam per longam tractationem, qui eum secuti sunt in septem distinctionum separatio. In aliquibus verò in margine tantum est distinctio prima, secunda, &c.*

Verosimile ergo est, dispertitionem per distinctiones primùm in margine fuisse annotatam, ac dein in corpus esse derivatam, forsan typographorum incuria

Quidquid sit de occasione hujus divisionis, hodie tractatus hic in septem distinctiones dividitur vocaturque, *Tractatus de Pœnitentia.*

Verùm cùm hic tractatus omnino sit disparatus à materia, quam in secunda parte, ac notanter in hac causa 32. & sequentibus tractat Gratianus, hinc illum post absolutam hanc secundam partem inserendum judicavi, & nonnullis reflexionibus illustrandum.

Tertiam partem sui operis inscripsit Gratianus *de Consecratione*, eamque divisit in quinque distinctiones, in quibus, nullo quoque penè ordine servato, agit de Ecclesiarum consecratione, Missarum solemniis, de Sacramentis, præcipuè Eucharistiæ, Confirmationis, Baptismi, aliisque nonnullis ad ea reductis, uti infra in compendiosa hujus partis expositione dicetur.

CAPUT IV.

Ex quibus potissimùm constet Decretum Gratiani.

TRia potissimùm sunt, è quibus tanquam materia conflatur Decretum Gratiani.

Primi quidem generis sunt conciliorum canones, Pontificum & Episcoporum Decreta, Patrum aliorumque auctorum Ecclesiasticorum sententiæ, & Regum aut Imperatorum sanctiones, quæ exemplo Reginonis, Burchardi, Ivonis, aliorumque posteriorum canonum collectorum Gratianus collegit, & per varios titulos pro diversitate materiæ distribuit: quæ omnia simpliciter sub nomine *Canonis*, sive quod idem est, *Regulæ* allegantur, & in scholis & auctoribus passim sub hoc titulo citari solent, tametsi in ipso decreto habeantur sub nomine *Capitum.*

Alia sunt, quæ non simpliciter sub nomine *Capitis* exprimuntur, sed addita hac voce, *Palea.*

Quid hæc inscriptio significet, non convenit inter Canonistas. Nonnulli enim credunt, hanc vocem canonibus præfixam, ut notaretur esse paleam, id est levioris aut nullius momenti, adeoq; tanquam paleam à reliquo tritico esse separandã.

Verùm si quis conferat canones hac inscriptione notatos, cum iis, qui eadem carent, comperiet, multos illorum, utilitate & auctoritate hisce præstare.

Verosimilius proinde apparet, canones hac inscriptione insignitos esse quasdam additiones, non eodem tempore factas ad primam collectionem Gratiani; easque in margine primum fuisse adscriptas; quæ dein vel librariorum, vel etiam eorum, qui editioni superintendunt, aut, quod frequentius olim contingebat, scriptorum incuria vel ignorantia in textum irrepserunt; idque interdum sine additamento, interdum cum additamento istius vocis, *Palea*, ea forsan ratione, quod, ut quidam credunt, additionum auctor appellaretur *Palea.*

Hanc opinionem verisimilem reddit, quod monentibus Correctoribus Romanis in antiquis exemplaribus Gratiani paucas aut nullas esse paleas observetur; adduntq; in uno valde emendato exemplari capita illa, quæ paleæ inscribuntur: *apposita esse in margine sine ulla nota, sed non omnia, quæ in impressis: quamvis vicissim in illo additiones aliquæ sint, quæ in his non habentur. In alio litteris perantiquis descripto, paleæ ipsæ recentiori scriptura toti volumini præponuntur. In cæteris habentur aut omnes aut pleræque: & partim quidem cum paleæ nomine; partim verò sine ullo à cæteris discrimine.*

Similiter Antonius Aug. *lib. 1. de emendatione Gratiani Dialogo 2* ait: *Sed & video in veteribus Gratiani libris illa capita desiderari, & in Joannis Teutonici scholiis rarò ad verba eorum aliquid adscribi. Itaque existimo illa capita postea adjecta fuisse. Huc accedit, quod Bernardus Papiensis nonnulla ex his in librum suum retulit, quod de Gratiani capitibus non facile invenies.*

Monet quoque vir eruditus Steph. Baluzius in notis ad Antonium Aug. pag. 426. *non vidisse se hoc vocabulum (Palea) in antiquis Gratiani exemplaribus manuscriptis, nisi quod aliquando, sed id tamen rarò, diu postea scriptum est in notis marginalibus libro Sangermanensi adjectis. Idem vocabulum non reperitur etiam in prima editione Moguntina in fronte capitum, quæ eo nomine prænotantur in vulgatis editionibus: extat tamen, sed non adeo frequenter ut in vulgatis editionibus in antiqua editione Veneta. Istud verò non impedit, quin antiquitus adscriptum fuerit in libris Gratiani, cùm ejus diserta mentio extet apud Joannem Andreæ & alios veteres Juris-Consultos.*

Dicunt quoque Correctores Romani: *Falsam verò esse illorum opinionem, qui eas [Paleas] contemnendas putant, ex eo constat, quod multæ & in Decretalibus, & apud vetustiores Gratiano Collectores habentur; quod suis locis (ajunt) indicabitur.*

Tertiò constat Decretum Gratiani ex propriis ipsius Gratiani verbis, quibus casûs aut quæstionis positionem, vel suam circa quæstionem propositã opinionem, aut pro contraria opinione objectiones & argumenta expressit: quæ omnia non sub nomine capitis vel canonis, sed solùm sub nomine Gratiani, uti alterius cujuslibet privati scriptoris dicta, citari aut allegari solent, ut infra latiùs patebit.

CAPUT V.

Decretum Gratiani prodiit plenum erratis.

NOn tantùm summâ confusione laborare opus Gratiani, sed insuper infinitis propemodum mendis & erratis repletum primitus à Gratiano evulgatum esse, nemo negaverit; ostenduntque libri duo Antonii Augustini de emendatione Gratiani & innumeræ penè emendationes à Correctoribus Romanis appositæ. Genera erratorum compendio expressit Antonius Augustinus lib. 1 Dial. 1. *Sæpe erratum esse video* (ait) *in nominibus hominum, urbium, provinciarum, conciliorum & aliarum rerum,... sæpe falsæ sunt inscriptiones, & quæ Conciliorum sunt, Pontificum maximorum esse dicuntur; & quæ sunt unius Episcopi inferioris, Romano Pontifici, aut concilio*

lio Generali, vel Provinciali tribuuntur. Ex hoc genere sunt illa, quæ ex Concilio Martini Papæ aut Adriani Papæ sumpta esse feruntur, quæ vel Martino Bracarensi & Græcis conciliis, vel Engelramo Episcopo, vel Adriano ad Engelramum inscribi debuerunt. Multa Gregorii, Ambrosii, Augustini, vel Hieronymi verba esse dicuntur, quæ aut nusquam extant, aut aliena sunt. Illa quoque ipsa quæ inscriptiones habent veras, non rectè referuntur. Sæpe enim contrarias sententias referri scimus, sæpe valde præcisas. Jam verò, quæ ex Græcis fontibus manant, ex variis interpretationibus afferuntur, quasi sint aliorum scriptorum, ac sæpe aliud græcè quam latinè significant.

Exempla singulorum in magna copia suppeditant duo illi libri Antonii Augustini, nec non notæ correctorum Romanorum, quæ hodie in decreto Gratiani correcto ad Gratiani loca subduntur.

Primus itaque exundantior erratorum fons esse videtur, quod Gratianus, ex sæculi sui more, non ipsa concilia aut Regesta Pontificum, aliave SS. Patrum scripta revolverit & consuluerit; sed quæ in variis canonum aut scriptorum compilationibus reperit sine ullo discretionis examine in suam collectionem transtulerit.

Notavit id Antonius Augustinus lib. 1. Dial. 6. Cùm enim Petrus Galesius unus collocutorum dixisset: *Apud Gratianum ex Theodosianis legibus verba referri scimus, quæ sunt Pauli in libris Sententiarum & ejus interpretis Ariani: Gratianus C. 2. q. 6. c. 22. & aliis quinque capitibus, cùm ignoraret, quæ Pauli essent, quæque interpretis, omnia congessit. Respondet Antonius Augustinus: Sumpsit hæc Gratianus, non ex ipsis fontibus, sed ex Ivonis Panormia aut ex Decretis sive excerptis ejusdem.*

Itaque quidquid ab illis vel ex ignorantia, vel incuria, aut etiam interdum scienter erratum, aut commissum fuerat, in suum opus incautus retulit.

Præterea cùm ætate Gratiani nondum nota esset ars Typographica, & virorum eruditorum scripta Amanuensium operâ communicari ac divulgari deberent, horum imperitiâ & oscitantiâ, nonnunquam etiam audaciâ & præsumptione plurima quandoque mutabantur, aut mutilabantur, aliave ratione corrumpebantur: & hinc manuscriptorum codicum frequens varietas.

Cùm verò nonnunquam vel manuscriptorum deesset copia, vel non vacaret aut non luberet manuscripta inter se conferre, quâ collatione errores deprehendi potuissent, contingit, ut ex vitiato manuscripto errores ulteriùs fuerint propagati.

Hæc aliaque errata, quibus hoc Gratiani opus scatebat, priusquam manus correctrix fuisset apposita meritò movisse videtur Antonium Augustinum lib. 1. de emendatione Gratiani, Dial. 1. ut Petrum Galesium unum ex collocutoribus introduceret monentem, quod errata Gratiani attendens in veteri confirmetur opinione, qui frustra hunc scriptorem mendis purgari putet. *Te verò (ait) potius hortari, & si pateris, monere non desinam, ut in eam tantum rem incumbas, ut meliorem harum regularum sive Decretorum collectionem edas.*

Vix dubito, quin Antonius Augustinus facilè huic monito acquievisset, atque ab emendando hoc opere abstinuisset, nisi jam tum ea fuisset illius auctoritas, ut laborem non inutilem Ecclesiæ & Reipublicæ se præstiturum crederet, si illud à mendis, quantum possibile erat, repurgaret.

Ut ergo appareat, viros multum eruditos non frustra, nec infructuosè hujus operis expurgationi incubuisse & allaborasse; prius ostendam, quanto applausu & consensu opus illud non obstante sua confusione, non obstantibus etiam mendis erratisque non levibus, ubique pene in judiciis ac scholis publicis supra omnes præcedentes Canonum & Decretorum collectiones receptum & probatum fuerit.

CAPUT VI.

De Receptione Decreti Gratiani præ cæteris Canonum Collectionibus.

ANtonius Augustinus relatis laudatisque variorum Doctorum collectionibus, dicit: *Sed Gratianus eorum omnium luminibus obstruxit, multis quæstionibus & distinctionibus, additis ex jure civili Romanorum, quod tunc reviviscere cœperat, multis capitibus.*

Quin eò brevi pervenit, ut verè de Gratiano dixerit idem Antonius lib. 1. Dial. de emendatione Gratiani, quod, licèt verum esset, Gratianum nihil attulisse, quod non apud anteriores collectores reperitur, negari tamen non posset, quin felicior fuerit cæteris collectoribus. *Quos in tenebris diu fuisse novimus, dum hic omnium manibus versatur, multorum interpretum illustratur lucubrationibus, refertur denique in judiciis omnibus, atque à Theologis non minus quam juris utriusque peritis in pretio habetur.* Hæc ille.

Et sanè de Jurisconsultis res per se patet; cùm eorum commentarii vix ex alio, quàm ex Gratiani Decreto canones exhibeant; illudque passim ut juris & canonum præcipuum fontem respiciant. Et quia in scholis alios sibi vix prælegi canones audiunt, dum ad forensia properant, causis Ecclesiasticis instruendis aut decidendis ex hoc Decreto canones haurire solent. Si Theologorum, Scholasticorum quoque commentarios, præsertim antiquiores, respiciamus, auctoritates vix alias, quam ex Gratiano petitas reperiemus; atque hinc & in his & in illis lapsus frequens, dum Gratiani suppositititias merces à veris non distinguunt, à quo nec S. Thomas omnino est immunis.

Ulterius ea fuit Gratiani auctoritas, ut sequentes Decretalium collectores, ejus collectionem ut canonum codicem seu Decretorum corpus respicerent; atque eam vel remitterent, vel quod opportunum sibi videbatur, excerperent; parum solliciti, an ea, quæ Gratianus referret, sincera essent, an mutilata vel apocrypha. Exemplis paucis hæc declarâsse sufficiet.

Bernardus Papiensis auctor primæ collectionis Decretalium lib. 1. tit. 4. cap. 9. ait: *Illud autem, quod de Archiepiscopi consecratione,* &c. *ut in tractatu Ordinariorum.* „Ex quo apparet, ait Antonius Augustinus in notis ad primam collectionem Decretalium tit. 4. cap. 9. „Bernardum Papiensem habuisse rationem collectionis Gratiani, & noluisse repetere, quæ is „conscripsisset: namque tractatus Ordinandorum appellari solet à Gratiano, *a distinctione* „23. *usque ad quæstionem primam sive causam* „*conscripta.* Interpretes quoque veteres Alanus, „Vincentius, Tandrecus, Laurentius & cæteri, „cùm capita illius collectionis referunt, semper

„addunt

„addunt particulam, *supra*, perinde ac si post „Gratiani volumen hoc adscriptum esset. Si quis „hanc clausulam integram desideret, videat ca-„put 1. Dist. 66.

Et quidem in Decretalibus frequenter occurrit illa particula, *supra*, qua indicatum voluêre, citationem esse in collectione præcedenti, sive superiore, id est, Decreto Gratiani.

Hinc Bernardus Papiensis primus post Gratianum Decretalium collector, collectionem suam ita inscripsit: *Breviarium extra*, hoc est, *Extravagantium*, eo quod præcipua collectorum post Gratianum intentio esset colligere duntaxat, quæ extra Decretum Gratiani quasi *vagabantur*: quæ & propterea *Extravagantia* dicta sunt.

Hanc Bernardi Papiensis mentem expressit Vincentius Hispanus, vetus Decretalium interpres, cujus hæc sunt verba apud Antonium Augustinum in notis ad primam collectionem Decretalium. *Quia non omnia comprehendi poterant in Decretorum corpore, ut Dist.* 19. si Romanorum, *ideo Magister Bernardus Papiensis Præpositus hoc opus compilavit, cujus intentio est diversa*, Extravagantia *Romanorum Pontificum, & auctoritates novi & veteris Testamenti compilare sub titulis. Materia sunt ipsæ Constitutiones seu Decretales. &c.* Ut vel inde satis intelligi queat, qua in æstimatione apud Decretalium collectores fuerit Decretum Gratiani.

Neque multum erant solliciti, num per Gratianum relatum congrueret suo originali, & utrum ipsum originale esset authenticum, & non supposititium, aut saltem non interpolatum, modo Gratiani fide niteretur.

Exemplum sit in c. 1. *de Capellis Monach.* In prima collectione ponitur Decretum sub nomine Synodi Claromontensis sub Urbano II. etsi nusquam in Synodis sub Urbano II. tale Decretum reperiatur, uti ad Can. 2. c. 16. q. 7. notant Correctores Romani; sed satis erat à Gratiano hunc Canonem in citato Canone 2. ex illa Synodo referri.

Sic & Innocentius III. in c. 11. x. *de Renuntiatione* utitur auctoritate Canonis 2. pseudo-Synodi Photianæ, eo quod sub nomine Concilii legitimi Constantinopolitani eum retulisset Gratianus c. 7. q. 1. Can. 45.

Similiter in c. 13. x. *de Judiciis*, Constitutio tribuitur Theodosio Imperatori, quæ nullâ specie ei adscribi potest: eo quod Gratianus per errorem illam Theodosio tribuisset in Canone 35. c. 11. q. 1. ex more nempe illius temporis, quo non ad fontes, sed ad Gratianum recurri solebat, quod pluribus exemplis in reflexionibus, seu brevi hujus operis commentario ostendetur.

CAPUT VII.

Unde orta sit hujus Decreti communis receptio.

Mirum alicui non immeritò videri posset, quomodo opus privati Monachi, qualis fuit Gratianus, tanta confusione compactum, tot erratorum congerie nec non apocryphis monumentis refertum, ad eam auctoritatem & venerationem, de qua in capite præcedenti pervenire potuerit, tantoque Doctorum tam Theologorum quàm Juris peritorum consensu & applausu suscipi & laudari meruerit.

Duo potissimùm ad hoc opus, præ aliis Canonum Collectionibus, specialiter amplectendum, ejusque auctoritatem promovendam conduxisse à multis creditur.

Primum methodus tractandi & materia, quæ Decreto continetur.

Collectores enim ante Gratianum Canones Conciliorum & Pontificum Decreta, vel SS. Patrum aliorumque auctorum sententias simpliciter referebant. At Gratianus, cùm plures Canones, aut Patrum sententias inter se in speciem discordare vidit, varias interpretandi & conciliandi rationes excogitavit & proposuit; unde & ejus nomen accepit *Concordia discordantium Canonum*.

Ad hæc varias quæstiones in utramque partem discutit, ac discussas tandem resolvit.

Porro cùm sub idem tempus oriri cœpisset disciplina tractandi, quam vulgo dicimus *Scholasticam*, quæ in argumentationibus variisque quæstionibus in utramque partem discutiendis plurimum occupatur, non parum placuit Lectoribus illius temporis methodus Gratiani, utpote Scholasticum tractandi modum multum præferens.

Accessit & ipsa Gratiani materia. Gratianus enim præ reliquis Canonum collectoribus, jure civili Romano utitur, quod tum demum in Academia Bononiensi doceri & exponi cœperat; quo titulo Academiæ illius Doctoribus præcipuè Jurisconsultis Gratiani collectio præ reliquis placuit.

Alterum, quod ad diffundendam longe lateque operis famam juvit, erat Academiæ Bononiensis tum temporis nomen.

Cum enim in illa penè sola, ea ætate jus civile Romanorum in toto Occidente prælegeretur, ad ipsam undique juris studiosi magno numero confluebant; qui cùm à Juris Ecclesiastici Professoribus nihil præter Decretum Gratiani prælegi audirent, atque in illud Glossas ac Commentarios edi, illudque ut unicum sacri juris codicem consuli, magnam indubiè paulatim animis ipsorum illius existimationem instillavit.

Cumque studiorum curriculo absoluto ad proprios lares remeantes, hac circa Decretum existimatione imbuti, nihil præter canones in eo contentos, atque Glossas & Commentarios in eosdem deprædicarent, secum comportarent, non difficulter intelligitur, summam hoc potuisse auctoritatem operi illi apud varias gentes longè lateque conciliare, maximè accedente temporum illorum conditione, ubi sine ullo ferè examine tanquam authenticum recipiebatur, quidquid in collectoribus occurrebat.

Verùm licèt hæc ad commendandam Gratiani collectionem sive *Decretum* conducere potuerint, illud tamen præcipuum & penè unicum fuit, quod Gratianus in hoc opere non tantùm retulerit ea, quæ pseudo-Isidorus ad amplificandam auctoritatem Romanorum Pontificum confinxerat; sed & plura alia addiderit ad hunc finem conducentia, quæ ille suo tempore scribere ausus non fuerat, uti Commentario seu reflexionibus notabitur.

Igitur hoc Gratiani opus ita adornatum non dubium, quin admodum placuerit Romanis Pontificibus & eorum Curialibus; adeo ut mirum videri non debeat, si non minus ad hujus operis auctoritatem confictis Isidorianis Decretalibus. Atque ita verisimile est, & Decreti Gratiani, & falsarum Decretalium receptionem eodem fundamento potissimùm niti.

CAPUT VIII.

De emendatione Gratiani per Antonium Demochares & Antonium Contium.

Sub medium sæculi 16. Antonius Demochares & Antonius Contius, ille Theologus, hic Jurisconsultus, dolentes, opus, quod in scholis publicis prælegebatur, Commentariis illustrabatur; imò ad quod tanquam totius Ecclesiasticæ scientiæ instructissimum armamentarium passim & Theologi & Canonistæ recursum habebant, tot mendis & apocryphis scatere; illud à falsis inscriptionibus & mendis purgare & in meliorem ordinem formamque reducere studuerunt; atque apocrypha à veris monumentis secernere.

Imprimis itaque Antonius Contius capita sive Canones in Decreto Gratiani suis numeris distinxit: *Ante Contianam enim editionem certum est, capitum numeris nullum Gratiani volumen fuisse distinctum, uti monet Antonius Augustinus lib. 1. Dial. 18.*

Ulteriùs duo viri, ac præcipuè Contius, uti monet Franciscus Florens in Præfatione de methodo & auctoritate collectionis Gratiani p. 44. plurimas addiderunt notas eruditione refertas, quibus & veras Canonum inscriptiones sæpius restituerunt & apocrypha ac supposititia à veris ac genuinis feliciter separârunt.

Ad Canonem 1. c. 30. q. 5. qui desumitur ex pseudo Decretali Evaristi Papæ notat Contius, *Omnia istius Evaristi Decreta videri posse supposititia, ut dixi* (ait) *in Præfatione.*

Et ad Canonem 11. desumptum ex Epistola 2. Decretali Eleutherii Papæ monet: *Adulterinam esse hanc Eleutherii epistolam, quæ tamen extat in 1mo volumine Conciliorum, vel ex hoc fragmento liquet. Hæc enim sunt verba Constantini Imperatoris in L. 1. C. Theodosiano de judiciis, quæ plusquam centum post Eleutherium annis à Constantino rescripta, quæ illius epistolæ fabricator suppresso nomine compilavit, putans furtum semper celari posse, sed & tam infeliciter compilavit, ut verba textus cum verbis subjectæ illi præposteræ interpretationis in Alarici Breviario temerè miscuerit.*

Sed præ cæteris notanda nota apposita canoni 13. dist. 16. ubi loquens de 24. canonibus sub nomine Nicænæ Synodi extantibus in epist. Julii I. præter 20. canones Nicænos, qui vulgò extant, ait: *Sed illos esse supposititios, vel id ostendit, quod nemo, ne Gratianus quidem ipse, eos allegare ausus est. Additque hoc notandum: Multas autem supra in Præfatione rationes adduxi, quibus omnes, quæ Silvestrum præcesserunt, Decretales falsas esse ostendi.*

Hæc sanè nota non mediocrem hujus viri eruditionem insinuat, qui forsan Catholicorum primus aut forsan inter primos detexit & probavit, quod hodie communi eruditorum consensu probatum est; scilicet Decretales, primis illis Pontificibus adscriptas, esse supposititias.

Verùm Antonio Augustino verba illa: *Multas autem supra in præfatione rationes adduxi, &c.* visa sunt Molinæi esse non Contii.

Sed si alia, quæ jam ex Contio citavimus, cum hac nota conferantur, nequaquam obscurum erit. ea revera Contii esse non Molinæi, ut rectè advertit Franciscus Florens loc. cit. & Stephanus Baluzius in notis ad Antonium Augustin. p. 433. dicit, se non videre, quâ conjecturâ ductus Antonius Augustinus putaverit, hoc scholium non esse Contii sed Molinæi. Qua conjecturâ esse putaverit, non facile est divinare; at quâ conjecturâ putaverit non esse Contii, ipse sat indicat verbis, quæ immediatè subjungit: *Nihil enim*, ait, *ea de re Contius in præfationibus editis scripsit.*

Dum hæc scripsit Antonius Augustinus verisimiliter non aliam Contii editionem præter Antverpiensem anni 1570. viderat.

Monet autem Franc. Florens loc. supra citato; quod *Præfationem Contii mutilaverit Antverp. librorum censor, qui ex ea breve tantum nobis fragmentum reliquit: qua de re merito conqueritur Contius lib. 1. lection. variarum c. 1). in fine.*

Quærit Antonius Augustinus citato Dial. 20. sub finem: *Quid Romani isti de scholio Contiano censent?* Resp. Petrus Galesius collocutorum, "unus Delenda esse illa verba, *sed illos esse supposititios*, & quæ sequuntur: Multò verò magis ait, „eis displicuerunt, quæ postea scripsit: *Multas „autem supra in Præfatione rationes adduxi.* 'Et revera notam hanc, uti & plures alias à Contio appositas Correctores Romani sustulerunt; „cautiùs, inquit Florens, quàm Antverpiensis „censor, qui Præfationem quidem mutilavit, „notas verò supra citatas imperitè reliquit, qui„busidem dicebatur, quod in Præfatione.

At dicit ulteriùs Anton. Aug. aut ejus nomine Petrus Galesius: *Prædicto scholio contrarium scholium Contius c. 11. dist. 22. addidit; cùm occasione epistolæ Decretal. Anacleti ponitur hoc scholium: Scio quosdam istorum Pontificum a Petro proxime sequentium Decretales falsi insimulare, sed majorem ab his probationem requirerem; cùm & in omnibus, quotquot extant Canonum corporibus, ab Isidoro ex libro Damasi Urbis Romæ Episcopi collectis, hæ reperiantur.*

Hoc scholium in editione Contii Antverpiensi anni 1570. adscribitur Contio; sed monet hic rursum Franc. Florens, *Contii editioni notas ex editione Democharis plures admixtas fuisse in editione Antverp. absque delectu, ita non rarò inter se pugnantia inserantur; non enim eadem semper fuit sententia Democharis, quæ Contii, qui Contius longè eruditior, & ingeniosior erat.*

Hic per transennam observare licet quomodo imperiti, & incauti nonnulli censores interdum ipsa opera vel corruperint aliquid addendo, vel aliqua, quæ ipsis displicebant, delendo.

Fatendum est, hos correctores, signanter Antonium Contium, non exiguam & inutilem operam in emendatione Decreti Gratiani impendisse; nihilominus & illud fatendum, quod post omnem ipsorum laborem adhuc innumera penè essent emendanda & corrigenda.

Cæterùm præfationis Ant. Contii ad decretū Gratiani, cujus sæpe hoc capite meminimus, & à censore Antverp. pro majori parte truncatæ fragmentum magnum præfixum habetur Tom. 4. Operum Caroli Molinæi ultimæ editionis Parisiens. anni 1681. eoque continetur judiciū Contii de Epistolis Decretalibus primorum Pontif.

Ex hoc præfationis fragmento patescit hujus viri non modica juris notitia & eruditio: atque postquam candidè fassus est, se nolle improbè Gratianum ipsum ab omni reprehensionis ansa & occasione vindicare, *Candidè, inquit, in medium conferam ea, in quibus nobis vel dormitâsse, vel non satis ex fide, quæ receperat, explorasse aut perfecisse videri possit: ita tamen ut culpâ vel potius sæculi sui errore, ac profundâ rerum caligine prolapsum interpretari maluimus, quam dolo aut aliqua Pontificibus Romanis assentandi ambitione.*

Post hæc subjungitur: *Hujus autem generis sunt Epistolæ primorum Rom. Urbis Pontificum, Clementis, Lini, Cleti, Anacleti & sequentium usque*

usque ad Silvestrum, & deinceps usque ad Siricium, quas multo post tempore a nebulonibus quibusdam confictas & concinnatas certioribus mihi videor indiciis, quam quisquam hactenus deprehendisse.

Primo quod barbariore phrasi, aut stylo, aut compositione deteriore sint conscriptæ, quam ferret illorum temporum conditio; cum præsertim Leonis I. Gelasii, Innoc. Cœlestini & cæterorum, quorũ vera scripta extant, Epistolæ longe illis sint elegantiores, latiniores, religiosiores. 2. quod loci scripturæ, qui in illis allegantur, ex nova Hieronymi translatione, quæ nondum extabat, & quã nec ipse Hieron. nec alius ejus temporis scriptorũ catholicorum allegare tum ausus est, vigente adhuc 70. interpretum translatione. Et quomodo eam citare potuerunt, antequam esset? Tertium & vehementissimum indicium est, quod plerumque illic constituuntur & decernuntur, quæ longo post tempore primum ab Imperatoribus constituta, vel posterioribus Synodis fuerunt inducta. Unum autem pro omnibus insigne exemplum in medium proferam. Eleutherio uni ex illis Pontificibus Gratianus affingit Can. judi antem c. 30. q. 5. *quod & in primo tomo Conciliorum legitur in integra ipsius illi Epistola. Atque illa sunt legis Constantini verba (qui plus centum annis illo tempore posterior fuit,) perperam in eam Epistolam ad verbum fere translata cum pessimi interpretis glossemate. Nam extat ea lex in Breviario Alarici & Codicis Theodosiani sub titulo* de judiciis l. 1. *quod Breviarium habuit Gratianus, & ex eo multa in suum volumen transtulit.*

Ex his evidens est, hunc virum jam tum non dubitâsse de falsitate & suppositione harum Decretalium eamq; indubiè in ipsa integra sua præfatione pluribus argumentis adstruxisse; recteq; Franciscum Florentem dixisse, quod censor Antverpiensis hanc præfationem Contii vel integram prætermisisset vel pro majori sua parte truncasset

---

CAPUT IX.

De Correctione Romana & Antonii Augustini.

CUm in Synodo Trid. Decretum esset, ut Missalia, Breviaria, aliive libri ad Officium & Ritum Ecclesiasticum spectantes reviderentur & emendarentur, aut delerentur, si quid apocryphum, aut divini Officii majestati minus conveniens contineretur; unà cogitari cœptum est de ulteriore decreti Gratiani emendatione. Indecorum enim atque Ecclesiæ quodammodo probrosum videbatur, quod opus primam corporis seu Codicis Ecclesiastici partem conficiens, quodque in Academiis Catholicis publicè juventuti pro adipiscenda notitia disciplinæ Ecclesiasticæ prælegitur, & in judiciis pro decisione caussarum profertur, tot mendis crassisque erroribus & apocryphis citationibus esset refertum.

Et quidem Pius IV. sub quo Synodus Tridentina finem accepit, ac dein Pius V. ejus successor, selectis quibusdam viris hanc provinciam commiserunt; sed tanti molimnis erat hujus operis emendatio & correctio, ut sub his Pontificibus nihil ad perfectum perduci potuerit.

Tandem mortuo Pio V. ei successit *Hugo Boncompagnus* dictus Greg. XIII. patriâ Bononiensis, in eaque urbe olim canonum Professor, & qui tanquam Cardinalis emendando Decreto Gratiani jam fuerat admotus, sub quo strenuè huic operi absolvendo allaboratum est, ac tandem ultima manus apposita.

Catalogus Cardinalium & Doctorum, quibus à Pontificibus Roman. hæc cura demandata fuit, exhibetur ad calcem Dialogi ultimi libri prioris Antonii Augustini, de quibus loquens Franciscus Florens Gallus in præfatione de authoritate Gratiani, ait: *Doleo tamen & moneo nec abs re unicum* Gallum *Arnuldum Pontacum, & sero adhibitum. Reliqui omnes fuerunt aut Itali, aut Hispani.* Quàm fuerit hæc eruditi viri querimonia fundata, probant, quæ in hac emendatione desiderantur & in reflexionibus notabuntur.

Quæ in hoc negotio correctionis acta sint, exponitur in præfatione sive Monito ad Lectorem decreto Gratiani emendato præfixo. *Itaque & Romæ inquiunt, Vaticana Bibliotheca, & monasterii Dominicani supra Minervam, aliæque non paucæ excussæ sunt, & ex aliis urbibus atque regionibus invitati doctissimi homines, qui idem facerent, & si quid invenissent, quod ad hanc rem pertineret, ut sua pietate libenter communicarent, atque ad Pontificem mitterent.*

Breve Apostolicum missum ad hanc Lovaniensem Academiam, quo monentur Doctores, ut conferant operam suam pro emendatione Gratiani extat in volumine continente Acta ab anno 1567 usque ad annum 1580. fol. 108.

Index librorum variis ex locis missorum, & quorum opera hæc Gratiani emendatio subsidium accepit, post præfationem appositus est; in quo sub littera D. habetur, *Decretorum excerpta ex Bibliotheca S. Trudonis ab Alberto Leonino, nomine Universitatis Lovaniensis.*

Quid hic consecutum sit subjungitur: *Quà diligentia illud factum est, ut cum jam pro magna parte suum cuique tributum sit, ac propterea intelligi plerumque possit, quæ synodorum generalium, quæ summorum Pontificum, quæ Provincialium Conciliorum, quæ Patrum decreta ac sententiæ, atque inter hæc quæ S. Romanæ Sedi probata sint, quæ minime, vix quisquam errare, atque incerta pro certis sequi, certa pro incertis suspecta habere posthac queat.*

Quæ in emendatione citationum, quæ apud Gratianum non paucæ falsæ occurrebant, methodus servata sit, in eodem monito hoc ordine indicatur.

Primò. *Ubi error evidens erat, aut nonnulla Gratiani exemplaria cum veriore, atque ab aliis collectoribus allata citatione consentiebant, sublatis falsis inscriptionibus, veræ sunt restitutæ.*

Secundò. *Ubi vero, quamvis caput apud alium authorem esset inventum, fieri tamen poterat, ut illius quoque esset, quem Gratianus citaret (sunt enim haud raro decreta translatitia & sententiæ similes in bonis authoribus) retenta Gratiani citatione, satis visum est, locum, ubi habeatur, indicare.*

Et quoniam interdum aut capitis aliqua quidem pars illius authoris est, qui citatur, aliqua vero minimè, aut verba valde sunt mutata; id quoque est indicatum, adscriptumque præterea in margine, quo loco idem caput in Glossa Bibliorum Ordinaria, in libris Sententiarum, & apud cæteros collectores habeatur, eos præsertim, qui in hujus operis emendatione magno usui fuerunt.

Circa emendationem textûs, hæc ratio servata fuit. *Primo, initia capitum ob usitatas Doctorum citationes non sunt mutata, sed ubi ab originali discrepabant, in margine aut in notatione est indicata germana lectio.*

Hæc sanè cautio necessaria fuit, quia, ut supra monui, usque ad Contium, capita seu canones

non citabantur nisi per verba initialia, eo quod necdum essent numeris distincta; ideoque ni hæc ratio inita fuisset, loca è Gratiano apud antiquiores Contio relata vix reperiri potuissent.

Deinde hæc Glossæ ipsius habita ratio est, pergunt correctores in sua Præfatione, ut nihil in textu sit mutatum, ubi mutatio ipsa impeditura erat, quo minus quid sibi auctor Glossæ voluisset, animadverti posset: sed eodem modo aut in margine aut in notatione mendum est indicatū.

Ubi vero hæc non obstabant, hæc fere observata corrigendi ratio est: ut si videretur voluisse Gratianus auctorum, quos citaret, ipsa prorsus verba referre, ea ex ipso originali emendarentur, & interdum etiam non levi proposita utilitate, aliqua adderentur: nisi sicubi vulgata lectio visa est melior: nam tunc illâ retentâ, notatum est, quomodo originale ipsum habeat: sin autem Gratianus non eadem prorsus verba afferre voluerat, sed aut in summam quandam ipse redigere, aut ab aliis redacta, aut ab auctore Glossæ ordinariæ, ab Ivone & aliis collectoribus referre: tunc nihil fere emendatum vel additum est, nisi forte Patris illius, unde collector acceperat, restituta lectio magnam afferre visa esset utilitatem; multisque locis id notatum est, & verba ipsius originalis allata, ut lector identidem in memoriam hujus adhibitæ cautionis revocaretur, & labore ad originalia adeundi levaretur.

Methodum hactenus expositam exactè à correctoribus Romanis reipsa servatam esse, evincit textus notarum, & varietas, quæ inter decretum correctum & non correctum intercedit.

Eruditis omnibus hæc emendatio admodum grata fuit; at in emendationis forma, illud imprimis observatum desiderâssent, ut vulgatæ & veteres editiones Gratiani nunquam ita fuissent immutatæ, quin ejus saltem mentio facta esset; imo ut à variis eruditis auctorum correctoribus observatum est, tantum variantes lectiones annotassent; lectori permittentes examen & judicium, quæ è variis lectionibus verior videretur. Quin & hæc varietas lectionum nonnunquam obscuritatem, aut dubium, quod in canone occurrit, elucidare potuisset; aut etiā detegere fontem lectionis, quæ apud veteres auctores reperitur.

Illud quoq; nonnullis minus conveniens visum est, quod viri illi eam sibi libertatem sumpserint, ut inscriptionem Gratiani etiam interdum constantem in omnibus, tam editis quam manuscriptis codicibus suâ auctoritate mutaverint: quo factum, ut Gratiano tribuatur id, de quo nunquā cogitavit; nec amplius tam Gratiani quam correctorum opus habeatur. Exemplum suppeditat canon. 3. dist. 54. In omnibus enim antiquis editionibus habetur cum hac inscriptione, *ex Concilio Mogunt.* nisi quod Demochares & Contius pro *Moguntiensi* haberent, *Guntinensi*, qui & in margine notârunt: *Can. 8. Conc. Carthag. primi id habeatur.* Ex quo factum, ut correctores Romani videntes eam Democharis & Contii notam esse veram, deleta inscriptione, quæ in omnibus Gratiani editionibus habebatur, hanc ex Conc. Carthag. primo substituerint, cùm id potius in margine, ut Contius & Demochares fecerant, notari debuisset: hic quidem in nota subjecta veteris inscriptionis meminerunt, & unde ejus correctio desumpta sit, indicant, sed nec id ubique monendum censuerunt. Pro exemplo sit canon 34. dist. 50. In omnibus antiquis editionibus hanc præfert inscriptionem: *Rabanus Archiepisc. scribit ad Herisbaldum*; Correctores Romani nullâ suæ additionis factâ mentione, addiderunt in contextu Gratiani, lib. Pœnit. c. 1. hoc est, *ex libro Pœnit. c. 1.* quæ inscriptio non tantùm falsò attribuitur Gratiano, sed & falsa est; cùm è contra vera esset ipsius Gratiani. Nam nullus liber Rabani Pœnitentialis unquam inscriptus legitur *Heribaldo*; sed extat epistola Rabani ad Heribaldum, in qua præsens Canon extat, non capite primo, sed decimo; de quo consule Baluzium, tum in notis ad hunc Canonem, tum in præfatione ad citatam epistolam Rabani. Similiter inscriptio Canonis 4. dist. 18. ex emendatione Romana habet: *De his ita scribit Leo I. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ:* quæ inscriptio non tantùm adversatur omnibus Gratiani editionibus, adeoque Gratiano imponit, sed & manifestè falsa est, cùm ex contextu epistolæ compertum sit, eam nequaquam Leoni I. adscribi posse, uti observat in suis ad hunc Canonem notis Stephanus Baluzius; & fusè ac solidè probat Paschasius Quesnellus in dissert. 1, Operibus S. Leonis III. annexa; ibidem tamen monens eam videri esse Leonis III. adeoque veram esse potuisse Gratiani inscriptionem; quæ eam tribuit simpliciter Leoni, non exprimendo, num I num III.

Ex his aliisq; similibus non paucis sat intelligitur, quàm fundata sit nonnullorum querimonia, quod sublatis Gratiani inscriptionibus, aliæ substitutæ fuerint, & non potius, si quæ mutatio facienda judicaretur, ea in margine aut alibi annotata fuisset, intacto manente Gratiani contextu.

Verùm de eo major extat virorum eruditorum querimonia quod ipsum textum Canonum, prout à Gratiano referebantur, vel additione aliquorum verborum, aut eorum detractione sæpius mutaverint.

Exemplum sit Can 3. c. 8. q. 1. Ibi post verba, *judicio Episcoporum*, in codicibus Gratiani, etiam manuscriptis, uti correctores monent, sequebatur, *& electione Clericorum*, quæ sunt expuncta, inquiunt, quia neque in originali, neque apud cæteros collectores leguntur. Sed nonne satius fuisset, textum servare integrum, & in notis admonuisse, eam clausulam non extare in originali, neque apud cæteros collectores? Quidni fortassis Gratianus exemplar aliquod viderit Concilii Antiocheni, in quo clausula continebatur?

Interdum autem mutarunt contextum, monendo tantum in genere aliquid mutatum, quid verò illud sit subticentes. Exempli gratia in Can. 7. c. 34. q. 1. emendata & addita esse nonnulla ex originali & cæteris collectoribus notant, sed quid emendatum aud additū sit non exprimunt.

Quin imo quandoque aliqua addita sunt, ne quidem in genere ullius emendationis facta mentione. Plura exempla, qui volet, reperiet ex collatione decreti emendati cum emendato. Unū hoc pro specimine accipe. In Can. 4. dist. 22. post hæc verba: *Constantinopolitana Ecclesia quod dicunt, quis eam dubitet Sedi Apostolicæ subjectam?* Sequitur: *quod & D. piissimus Imperator, & frater noster Eusebius ejusdem civitatis Episcopus assiduè profitentur:* quæ clausula deest in omnibus antiquis Gratiani editionis exemplaribus, etiam apud Democharem & Contium, adeo ut evidens sit, eam à Correctoribus Romanis additam esse, nulla tamen additionis facta mentione, aut insinuatione.

Ex hac tum inscriptionum, tum textuum immutatione, fit, ut Gratiani collectionem integram hodie non habeamus; sed collectionē per Romanos Correctores in pluribus immutatam.

Præterea ex hac immutatione contingit, ut, quæ in antiquis auctoribus ex Gratiano citantur, & pro auctoritate afferuntur, in ipso decreto Gratiani non amplius reperiantur.

Denique

Denique quis ambigat, quin etiam & ipsa errata auctorum multum nonnunquam asserendæ & eruendæ veritati subserviant? præsertim auctoris, qui sæculis pluribus publicè in scholis & judiciis, atque à Theologis & Canonistis tanquam totius rei canonicæ absolutum & perfectum armamentarium habitus sit.

Hinc facile est concludere quod licet fatendū sit, Romanam hanc decreti Gratiani emendatam editionem in pluribus locis, conciliorum, Patrū, aliorumque auctorum, è quibus sua deprompsit Gratianus, textibus esse conformiorem, & à multis mendis & sordibus esse purgatam; tamen si ipsam Gratiani collectionem, ut à Gratiano edita est, & apud veteres Theologos & Canonistas recepta & laudata fuit, consulere velimus, recurrendum esse ad editiones, quæ Romanam editionem præcesserunt.

Interea quo Romæ emendationi decreti Gratiani allaborabatur, eidem sedulò quoque incumbebat Antonius Aug. Archiepisc. Tarracon atque duos libros Dialogorum de emendatione Gratiani scripsit, multa doctrina & eruditione refertos. Cum vero jam ferme ad finem operis perventum esset allata est ad illum Tarraconem editio Gratiani emendata per correctores Rom. Hinc additiones composuit, quæ in fine singulorum Dialogorum extant & ipsas Roman. correctiones exhibent. Hoc opus jam pridem non satis accuratè impressum, de novo reimprimi jussit Steph. Baluzius; additis tam ad ipsum Antonium Aug. quam Gratianum notis, quibus variantes præcipuè lectiones ex vetustissimis Grat. exemplaribus tā manuscriptis, quam editis, annotavit.

CAPUT X.

De Erratis Gratiani post Correctionem Romanam.

Gregor XIII. in Bulla edita in commendationem decreti Gratiani jam emendati injungit omnibus Christi fidelibus; *Ut quæ emendata & reposita sunt, omnia quæ diligentissime retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur aut imminuatur.*

Hac tamen Pontificis declaratione nequaquam effectum est, quin etiam post Romanam emendationem plura errata & apocrypha in Gratiano superesse, quæ omnem Romanorum notam effugerint, fateri debeamus.

Unde de Gratiano, etiam emendato, dixit Antonius Possevinus in Apparatu sacro lib. 1. *De Gratiano id sciendum est, eum sæpe errasse, tribuentem iis auctoribus opera, quorum non sunt.* Addit aliquot exempla.

Et ante ipsum Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Gratiano, plurima refert erratorum notabilia exempla, quæ ipsi correctores ne verbo quidem attigerunt; imò nonnulla ex iis pro veris ipsi agnoverunt.

Et quid plura, quis nescit pro apocryphis haberi veterum Pontificum decretales epistolas, aliaque plurima, quæ Isidorus vulgo *Mercator* summa audacia & impudentia confinxit & supposuit, quibus tamen Gratiani decretum plenum est? eaque omnem correctorum censuram evasère; imo tanquam ad sinceros fontes sæpius ab ipsis Correctoribus Romanis ad illa lector remittitur. Quin tantum abest, ut viri illi decretales illas pro apocryphis haberent, ut notas Antonii Contii, qui plerasque ut suppositítias rejiciebat, omittendas censuerint, neque earum notarum in hoc articulo ullam rationem habuerint.

Quid de canonibus quos sub nomine concilii Elibertani refert Gratianus, neque à correctoribus Romanis in dubium vocantur, quos vir eruditus Ferdinandus Mendoza *lib. 1. de confirm. Conc. Elibertitani c. 6.* suppositítios esse evidenter ostendit; imo plures illorum ex canonibus diversarum synodorum in unum conflatos esse?

Quis insuper ignorat, quot his ultimis sæculis prodierint castigatæ editiones plurimorum SS. Patrum, in quibus tanquam supposititia probata & rejecta fuêre quamplurima, quorum fragmenta sub nomine illorum Patrum Gratianus refulerat, & Correctores Romani pro indubitatis illorum Patrum operibus habuêre.

Nequaquam igitur post Romanam emendationem recipiendum ut sincerum, aut suo originali conforme, quidquid à Gratiano refertur; imo nec omnia, quæ ipsi notârunt aut mutârunt pro talibus habenda; cum certū sit, ut supra vidimus etiam correctores Romanos aliquibus attribuisse aliqua quæ posteriorum diligentior inquisitio reperit iis tribui non posse; aliaque tanquam apocrypha rejecta, quæ Romani Correctores pro sinceris monumentis susceperant.

Ex dictis quoque conficitur, nec post Correctionem Romanam inutilem esse correctionem & notas Antonii Contii.

Constat enim, quædam ipsum annotâsse tanquam apocrypha, quæ ut talia hodie etiam ab omnibus agnoscuntur, à Romanis tamen correctoribus nequaquam notata ut sunt, ut supra dictum est omnes illæ decretales epistolæ primis Pontificibus suppositæ.

Quædam deinde à Contio ex originali in margine ad supplendum fragmentum Gratiani notantur, quæ Romani correctores omiserunt.

Denique iidem correctores canones aut fragmenta à Gratiano relata interdum ex originali supplêverunt, nulla facta distinctione supplementi & textus Gratiani, ut propterea nesciri interdum possit, quid Gratianus voluerit. At Contius, dum ex fontibus, vel aliunde ad complendum aut elucidandum textum aliquid supplet, illud distincto à reliquo textu charactere notavit: quod tamen & in Contio reprehendit Antonius Augustinus: *Res enim, ait, est plena periculi, cum facile in his librarii labi soleant & aliena verba vel longius separata in nostrorum verborum numerum referre.*

Ita metuebat vir ille, ne textus alicujus auctoris admixtione alienorum verborum immutaretur.

CAPUT XI.

An decretum Gratiani publica auctoritate polleat.

Decretum Gratiani nullam publicam auctoritatem à suo posse mutuare auctore apud omnes in confesso est.

Cum enim Gratianus Monachus nulla in Ecclesia publica auctoritate esset donatus, eam suo operi dare non potuit.

Neque pariter decreto Gratiani publicam auctoritatem conciliat ejus in scholis publica prælectio: si enim Trithemio credimus, ante tempora Gratiani Panormia Ivonis utebantur Juristæ. Et quid notius, quam Theologis in Academiis pluribus prælectum fuisse opus magistri sententiarum, quod tamen publica auctoritate pollere nemo unquam dixit.

Quod vero nonnulli dicere voluerint decretū Gratiani ab Eug. III. sub quo vixit Gratianus, approbatum fuisse; *Cùm illud nullo* (præter unum

Tri-

Trithemium) probetur idoneo teste, inquit Boëtius Epo apud Duacenses olim canonum antecessor primarius *lib. 2. de jure sacro num.* 134. *Meritò rejicitur à nobis ut suspectissimum; cum neque diligentissimus in rebus talibus annotandis Antonin. Archiep. Flor. neque Platina in vitis Pontificum accuratissimus, neque quis probatus author alius qui quidem ad nostras venerit manus, id affirmet. Quin imo contra sentiunt interpretes ad unum omnes nostri tam civilis juris quam Pontificii, non ab ullo unquam Pontifice nominatim fuisse probatum Gratiani hoc decretum, sed sola consuetudine receptum, neque plus authoritatis adhuc habere, quam per se habeant authoritates ipsæ sive Pontificum sive Conciliorum, sive quorumlibet aliorum scriptorum, ex quorum fragmentis decretum suum Gratianus post Isidorum, & Burchardum & Ivonem & alios concinnavit: in propriis autem Gratiani verbis nihil esse magis authoritatis, quam quantum ratio & æquitas per sese patiantur: cum non plus tribuatur Gratiano, quam interpreti cuiquam alteri.*

Hæc ille, cui plenè consonat vir in re canonica versatissimus, quique summo studio libros duos Dialogorum de emendatione Gratiani summa eruditione confectos edidit, Antonius Aug. in præfatione ad canones Pœnitentiales: *Est etiam, inquit, delectus habendus & ratio authoritatis constituentium, in quo video multos juris Pontificii studiosos vehementer decipi, qui Gratiani collectionem parem vim cum Gregoriana habere putant; cum tamen Greg. IX. Pontificia authoritate usus, omnibus in eo volumine decretalium contentis vim legis statuerit. Gratianus unius magistri & monachi personam gerens, ea, quæ refert, non majori pollere potuit efficere authoritate, quam antea fuerunt. Itaque si quæ sunt ab eodem relata ex Pontificiis epistolis, aut ex Generalibus Conciliis sumpta ex suprema illa potestate, qua excellunt, apud omnes vim legis obtinent: sed quæ ex Provincialibus Conciliis, aut ex Episcoporum, aut aliorum sanctorum virorum libris aut epistolis accepta sunt ea generalem non habent authoritatem. Accidit autem sæpe, ut falsæ sint apud Gratianum inscriptiones singulorum capitum... ita fit, ut ne illa quidem capita vim legis obtineant, quæ dicuntur esse sumpta ex Romanorum Pontificum, aut ex Generalium Conciliorum decretis; sed necesse est adire fontes, unde emanarunt, ut certa ab incertis distinguamus.*

Observanda quoque hanc in rem vetus ac doctissima Theologorum Parisiens. dissertatio edita in confirmationem censuræ Episcopi Parisiensis contra aliquem è familia S Dominici, qui sustinuerat nihil reperiri apud S. Th. quod non esset credendum: cujus dissertationis hæc est summa; nec S. Th. nec Magistri sententiarũ nec Gratiani; imo nec cujuslibet alterius Doctor. adeo esse per omnia veram sententiam, quin & errare & labi quandoq; possit? quod nonnullis ex S. Th. Magistri sententiarum & Gratiani desumptis errorum exemplis ostendere conantur. Scripta fuit hæc Apologia an. 1277. & extat ad calcem Magistri sententiarum.

Decretum Gratiani ante correctionem Romanam authoritatem juris non obtinuisse facile omnes concedent; atque de eo duntaxat tẽpore loqui supra citatos authores prætendunt nonnulli, qui post hanc correctionem volunt illud authoritate Greg. XIII. ita esse probatum, ut canones sive capita Gratiani undecunq; desumpta juris auctoritatem acceperint; non secus atque capitula in decretalibus Greg. IX. relata; idque per Breve dicti Pontif. Greg. XIII. editioni Rom. correctæ præfixũ; in quo jubet, ut quæ emendata & reposita sunt, omnia quàm diligentissimè retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur aut imminuatur.

Verùm hæc non ad auctoritatem aliquam publicam decreto impartiendam spectant, sed ad cavendum, ne quis operi publico, auctoritate sive cura R Pont. purgato & correcto, privata auctoritate quidquam addere aut detrahere audeat.

Quam suam mentem apertius in aliis suis litteris eidem operi præfixis declaravit his verbis: *Nos oportune providere volentes, ut hoc jus canonicum sic expurgatum ad omnes ubique Christi fideles sartum tectum perveniat, ac ne cuiquam liceat eidem operi quidquam addere vel immutare aut invertere, nullave interpretamenta adjungere; sed prout in hac nostra urbe Roma nunc impressum fuit semper, & perpetuo integrum & incorruptum conservetur. Motu proprio, &c.*

Quid manifestius quam id unicè intendisse Pontificem, ne quidquam post Romanam correctionem corpori canonico à se emendato adderetur aut detraheretur, vel immutaretur.

Ad hæc, cum jam relata Pontif. verba totum Gratiani decretum respiciant etiam consequenter referuntur non tantùm ad ea quæ ex conciliis vel epist. Pontificum aut SS. Patrum aliisque monumentis desumpsit Gratianus, quæ sub nomine capitũ citat; sed præterea ad ipsas privatas Gratiani opiniones, quas auctoritatem juris habere, atque à Pontif. ita probatas esse ut ab iis recedere non liceret, nemo hactenus asserere ausus fuit.

Exempli gratia Gratianus in principio dist. 18. dicit: *Episcoporum igitur Concilia, ut ex præmissis apparet, sunt invalida ad definiendum & constituendum, non autem ad corrigendum. Sunt enim necessaria Episcoporum Concilia ad exhortationem & correctionem; quæ etsi non habent vim constitutionis, habent tamen auctoritatem imponendi, quod alias statutum est, & generaliter seu specialiter observari præceptum.*

Hanc Gratiani opinionem, quæ negat Episcoporum Conciliis auctoritatem constituendi, & etiamnum hodie decreto emendato continetur, quispiam dicet publica Ecclesiæ auctoritate probatam? Quam jam pridem his verbis improbavit ipsius Gratiani Glossographus: *Illud non est verum, quia Episcopi bene condere possunt Canones Episcopales, Archiepiscopi Provinciales; quia qualibet Ecclesia sibi potest statuere jus aliquod*

Gratianus *dist.* 1. *de Pœnit.* in utramq; partem disputat, an pro remissione peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ requiratur oris confessio ipsi Sacerdoti facienda, an verò sufficiat soli Deo confiteri: ac tandem allegatis multis Patrum sententiis post canonem 39. finit his verbis: *Quibus auctoritatibus vel quibus rationum firmamentis utraque sententia satisfactionis & confessionis innitatur, in medium breviter exposuimus. Utraque enim fautores habet sapientes & religiosos viros.*

Num hoc rursus Gratiani fluctuans in utramque partem judicium ab Ecclesia probatum asseremus? An non potius dicemus cum ipsis Romanis Correctoribus: *Certissimum est, & pro certissimo habendum, peccati mortalis necessariam esse confessionem sacramentalem, eo modo ac tempore adhibitam, quo in Concilio Tridentino post alia Concilia est constitutum.*

Plura alia Gratiani, quæ jam pridem improbavit Glossa, item S. Antoninus, & quæ tamen post emendationem Romanam supersunt, vide

citata

citata in notis subjectis Dial. 18. lib. 1. Antonii Augustini de emendatione Gratiani, & in summa S. Antonini p. 4. tit. 11. cap. 8.

His aliisque rationibus moti eruditiores passim tam Theologi quàm Canonistæ, idem plane judicium de relatis à Gratiano Conciliorum & Pontificum decretis, SS. Patrum aliorumque auctorum sententiis proferunt post Romanam editionem emendatam, quale ante eam datum fuit; nimirum singula, quæ in eo comprehensa sunt, ad suos fontes & origines revocanda esse; eo quod, ait Andreas Vallensis in prooemio Paratitlorum decretalium §. 8. num. 12. ratione auctorum, è quibus decreta desumuntur, major vel minor sit eorum auctoritas.

Vallensi succinit alter Academiæ nostræ doctor Henricus Zoesius in Præfatione ad decretales n. 10. qui ibidem ostendens decretum Gratiani à nullo Pontifice probatum, ait: "Neque item „rectè quis allegaverit, decretum à Gregorio „XIII. emendatum, retineri jussum, eique addi „aut detrahi quid vetitum esse: nam hoc nihil „ad confirmationem singulorum eo contento„rum, & non alio fine id factum, quàm ut fides „sit penes auctorem, nec alia Canonum ibi con„tentorum est auctoritas, quàm fontium unde emanârunt.

Sed ut nostrates Theologos, Canonistasque prætereamus, quid ipsi Romani, etiam recentiores sentiant, audiamus.

Fagnanus ad cap. 1. x. de Constitut. num. 38. probat opinionem Joannis Andreæ, quod generaliter decreta Conciliorum, decretales & leges civiles à Gratiano ibidem insertæ, non aliam habeant auctoritatem, quàm leges ipsæ, decreta vel decretales.

Et latius Cardinalis de Luca in Annotat. ad Concilium Trident. discursu 28. num. 8. "Decretum Gratiani non habet vim legis per se, utpote continens privatam collectionem plurium sententiarum SS. Patrum, sive aliquorum Decretorum Conciliorum Generalium vel Provincialium; necnon registrationem aliquarum legum civilium, quæ antiquitus ante inventionem vel communem receptionem, seu usum totius corporis civilis juxta compilationem Justiniani, sparsim circumferebantur, per manus aliquorum eruditorum, sive registrata habebantur in codice confecto per Gothicos Reges, qui in aliquibus Hispaniæ partibus regnabant; atque eatenus aliqui ex dictis Canonibus vim legis habent, quatenus per se eam auctoritatem circumferebant, ut sunt decreta aliquot Conciliorum, sive illæ sanctorum Patrum Traditiones, quas Ecclesia recepit.

His uno pene calculo subscribunt tam Theologi quàm Canonistæ; negantes auctoritatem juris volumini, quod & hodie post repurgationem factū, mendis erroribusque non paucis scatere sciunt.

CAPUT XII.

Quædam observanda circa Decretum Gratiani.

PRimò notandum circa hoc decretum quod Gratianus hoc suum opus demum composuerit & ediderit circa medium sæculi duodecimi.

Porro scitur, eo tempore in pretio fuisse collectionem pseudo-Isidori, cui insertæ erant falsæ decretales primis Pontificibus suppositæ, aliaque plura fictitia monumenta, necnon Canones Conciliorum in alienum sensum detorti.

Insuper & hoc constat, ætate Gratiani has falsas decretales, nec non reliqua fictitia monumenta tanquam authentica fuisse recepta, atque in illis expressam disciplinam pro disciplina Ecclesiæ & jure Ecclesiastico notanter in Academia Bononiensi, agnitam.

Hinc factum est, quòd Gratianus non tantum has epistolas decretales, aliaque conficta monumenta, necnon corruptos aut contortos Canones, ut authentica & sincera reputaverit, prout in collectione pseudo-Isidori, & apud præcedentes Canonum collectores, puta Burchardum, Ivonem, &c. extabant, & illis ut talibus usus fuerit; sed insuper disciplinam & praxim, quæ auctoritate horum falsorum monumentorum invaluerat, tanquam avitam & sinceram Patrum Canonicam disciplinam proposuerit, & propugnandam sive confirmandam censuerit.

Hinc ulterius contigit, Gratianum plurimos Conciliorum Canones, necnon veterum Pontificum decreta, puta sanctorum Leonis, Gregorii, &c. sanctorum quoque Patrum & aliorum sententias, quibus sincera & verissima disciplina per octo ut minus sæcula conservata, legebatur expressa, frequenter in alienum sensum vel aliqua detrahendo, vel addendo, aut etiam immutando, ad sui temporis disciplinam à pristina Patrum disciplina omnino alienam & diversam inflexisse. Ad hæc volens Gratianus Canones & Patrum dicta cum fragmentis falsarum decretalium, & aliis confictis monumentis conciliare, conciliandi rationem à Canonum & Patrum sententiis prorsus dissonam sæpius impendere coactus fuit. Ex hac autem conciliandi ratione non semel contigit, ut novum jus & Patribus ac auctoribus octo ut minimum sæculis ignotum, obtruserit, quod tandem huic decreto insertum, quasi pro jure etiam antiquitus usitato auctoritate Gratiani receptum fuit.

Imo Gratianus exhibens Canones aut decreta Pontificum, cernensque hæc non congruere praxi & disciplinæ, quæ auctoritate falsarum decretaliū suo tempore invaluerat, conciliandi rationem subjecit, quæ non tantum erat incongrua; sed evidenter dictis Pontificum & Patrum erat contraria, & omnem in illis expressam Ecclesiæ disciplinam evertebat.

Secundo notandum tempore Gratiani, ordinem judiciorum ad normam juris civilis in Ecclesiasticis Tribunalibus cœpisse sensim invalescere, atque ad eandem normam causas Ecclesiasticas per Judices Ecclesiasticos instrui & dijudicari.

Huic praxi se accommodans Gratianus plura ad hunc ordinem judiciarium forensem, primitus in Ecclesiasticis judiciis inusitatum, spectantia, præcipuè ex jure civili desumpta, suo decreto inseruit, quæ nullatenus ad disciplinam Ecclesiæ, in pristinis Canonibus & Patrum scriptis expressam, conducunt; sed unicè ad usum forensem, qui posterioribus sæculis auctoritate præsertim falsarum decretalium, & accedente Judicum Ecclesiasticorum cupiditate summopere increbuerat.

Præterea Gratianus ad exemplum pseudo-Isidori, & illius ætatis auctorum, huic pseudo-Isidori collectioni intitentium, omnia quæcumque reperit, quæ ad extendendam jurisdictionem Ecclesiasticam atque Clericorum à foro sæculari exemptionem conducere videbantur, sine ullo pene examine impendit; quin eundem in finem Canones nonnunquam & leges in alienū sensum detortos & mutilatos retulit; atque hinc in pluribus à Patrum disciplina & pristino Ecclesiæ regimine recessit; & variis quæstionibus

nibus ac controversiis Patrum ætate ignotis occasionem subministravit, prout in reflexionibus ad hoc decretum notabitur.

Interim & hoc fatendum est, quod his non obstantibus in decreto Gratiani inter omnia illa apocrypha & in alienum sensum detorta, reperiantur Canones & Patrum sententiæ, in quibus ipsa pristina Ecclesiæ disciplina optimam Ecclesiæ regendæ rationem repræsentans exhibetur.

Proinde si hi Canones & Patrum dicta separatim attendantur ab apocryphis & contortis, & interpretationibus ac conclusionibus Gratiani à Canonum & dictorum Patrum sensu alienis, hoc decretum Gratiani præ cæteris partibus & libris, quibus constat hodiernum Corpus Canonicum, utile esse poterit ad assequendam notitiam disciplinæ, quam Ecclesia in suis Canonibus seu Regulis jam pridem præscripsit, & quam Ecclesia semper retinendam optavit, & etiamnum hodie optat, in quantum temporum & locorum circumstantiæ permittunt, intactam conservari, atque ubi collapsa est, restitui; optans etiam ut Prælati Ecclesiæ reformationi allaborantes eam restaurent & revocent ad praxim.

Certum enim est quod Gratianus in pluribus, referat Canones conciliorum, necnon sanctorum Patrum dicta, quibus revera pristina Ecclesiæ disciplina continetur; & è quibus hæc oriri potest, modo quæ recentiori manu vel per pseudo-Isidorum aliumve recentiorem Canonum collectorem, aut etiam per ipsum Gratianum non sat novam ac recentiorem disciplinam, à Patrum disciplina secernentem addita aut intermixta sunt, resecantur.

Proinde non sine fundamento decreti Gratiani prælectio, præ reliquorum juris Canonici librorum prælectione, puta decretalium Gregorii IX. & sequentium Pontificum utilior & convenientior apparuit.

Hoc motivo inductus fuit Philippus II. Rex Catholicus ut, erectis in hac Academia pluribus juris Canonici prælectionibus, tandem illis de novo adjunxerit prælectionem decreti Gratiani; idque ut hâc prælectione collapsa Patrum disciplina restaurari posset, ut probant literæ ducis Sabaudiæ Gubernatoris Belgici nomine Regis datæ ad Collegium Doctorum Juris 22. Aprilis 1557. in quibus inter cætera hæc leguntur: „Honorabiles, docti & sincerè dilecti. Cum serenissimus Rex Dominus & cognatus noster observandus pro sua in bonarum disciplinarum, & „præsertim jurisprudentiæ studiis provehendis „propensione, nonnullorum Professorum stipendia augenda duxerit, novasque quasdam lectiones institui mandare cupientes, jussimus pro singulis litteras pro obtinenda debita stipendiorum „solutione congruas expediri. Verum cum præ „cæteris Majestati suæ cordi sit, ut novæ lectioni „decretorum rectè provideatur, *Quam Majestas „sua pro horum temporum (quibus disciplina Ecclesiastica graviter convellitur) necessitate cupit „ad primævam genuinamque suam revocari originem, sicut magis ad Ecclesiæ ædificationem, „quam litium judiciorumque disceptationem dirigatur*; dum diu multumque ad eam provinciam idoneus quispiam quæsitus esset, tandem „Majestas sua ob singularem Petri Xemenii commendationem, illum quantumvis reluctantem „eo impulit, ut conditionem eam susciperet, circa quem quidem ea suborta fuit difficultas, quod „duntaxat Baccalaureus sit in Jure Canonico & „altiorem gradum docendique auctoritatem „non haberet: verum non visum fuit hoc impedimentum tam egregium institutum debere remorari; & uti Regia Majestas de eo cum ipso dispensavit; sic etiam vos non gravatè eum ad „hanc possessionem admissuros esse confidimus, „eâ tamen conditione ut intra annum à die cœptæ possessionis Doctoralia insignia recipiat. „Cum hæc autem lectio non minus Theologiæ „operam dantibus quam juris Canonici studiosis „utilis futura videatur, talem ei horam assignari „à vobis volumus, quæ utrisque sit accommodata.

Huic lectioni hodie destinata est hora decima matutina; quæ cum frequentissimè per publicas disputationes, sive juridicas, sive Theologicas occupetur, contingit ut hæc lectio frequenter vel intermittatur, vel præsertim à Theologis frequentari nequeat; ut proinde ad mentem Regis potius ei assignanda esset hora, quâ nulla in jure Canonico aut Theologia prælectio habetur.

De sancto Carolo Archiepiscopo Mediolanensi in ejus vita legitur: „Ea Canonum scientia „ipsi perjucunda erat, quæ Patrum mores & acta „repræsentans, Ecclesiæ componendæ atque ordinandæ rationem continet: dolens autem eos „communi consuetudine tantummodo Canones „ad interpretandum seligi, qui ad lites judiciaque valent, constituit ipse, qui iis declarandis „præesset, unde sacra majorum instituta & ritus, „optimumque Ecclesiæ administrandæ genus „hauriretur.

Quantopere hic sanctissimus ac vigilantissimus Præsul pro reducenda avita Patrum disciplina sollicitus fuerit, eamque in multis tandem reduxerit, ejus acta, ac notanter in Conciliis Provincialibus sub ipso celebratis decreta abunde probant.

Cum vero tum temporis passim juventuti in scholis præter decretales Gregorii IX. aliorumque Pontificum nihil prælegeretur, neglecta decreti Gratiani prælectione, unde Patrum disciplina aliquatenus hauriri posset, non dubium quin S. Carolus exemplo sui Regis Catholici Philippi II. hujus decreti prælectionem instauratam voluerit; atque proinde dùm auctor vitæ dixit: „Constituit ipse, qui iis declarandis præesset, „unde sacra majorum instituta & ritus, optimumque Ecclesiæ administrandæ genus hauriretur; non alium intellexerit, quam qui decretum Gratiani prælegeret.

CAPUT XIII.

Quis sit præcipuus scopus Reflexionum in Gratianum.

Quantumvis plures viri eruditi jam pridem allaboraverint, idque non sine fructu in corrigendis erratis Gratiani, puta Correctores Romani, Antonius Contius, Antonius Augustinus, de quorum opera in hac correctione adhibita hac præfatione egimus; nihilominus plurima adhuc superfuisse corrigenda à pluribus notatum fuit, eaque, quantum potui, in his Reflexionibus annotare studui; quin tamen viri eruditiores, & in criticis magis versati adhuc plura sint reperturi non dubito, quin & opto ac spero quod ea, quæ adhuc desunt, sint suppleturi; atque tandem hoc opus ab erratis & apocryphis plene purgatum juventuti prælegeretur.

Quan-

Quantum verò ad Canones, quos vel truncatos, vel in alienum ſenſum detortos, aut authoribus non ſuis adſcriptos notavi, pro eorum ſincerâ le ctione & genuino ſenſu ad ipſos Canones remittendum lectorem brevitatis cauſa cenſui, unà tamen notans, in quo à ſenſu Canonis recedat Gratianus; quemadmodum & nonnunquam ad integra Patrum aut aliorum authorum ſcripta, quorum fragmenta Gratianus retulit; idque frequenter nonnullis additis aut detractis, quæ ſenſum eorum reddunt, vel obſcuriorem, vel à mente & ſententia authoris alienum.

In hoc autem præ reliquis collimavi, ut ex his, quæ in Gratiano leguntur, excerperem & annotarem, quæ priſtinam & SS. Patrum Eccleſiaſticam diſciplinam exprimunt ſive repræſentant, & qualiter ab hac Patrum diſciplina Gratianus deflexerit, quidque Gratiano occaſionem dederit ab ea deflectendi.

Inſuper ſingulatim ſtudui annotare puncta, circa quæ occaſione Gratiani nova ac recentior invaluerit diſciplina priſtinis ſæculis incognita.

Qui Decretum Gratiani attentius perlegerit, diffiteri non poterit in eo etiam hodie nonnulla admodum pernicioſa & ſcandaloſa occurrere aſſerta & principia, quæ omnino cavenda monui, & quantum ſcandali adverſariis Eccleſiæ noſtræ dederint, oſtendi; ut proinde non immerito cogitaretur, ut interim, donec à ſimilibus Decretum illud eſſet totaliter expurgatum, publicâ authoritate potius prælegeretur Codex Canonum vulgo Dionyſii Exigui jam pridem ab Eccleſia Romana receptus, & ab Adriano I. Papa Carolo Magno tanquam Codex Canonum, quo Eccleſia Romana utebatur, oblatus, in ſcholis prælegeretur: cui addi poſſent illa, quæ à poſterioribus noſtris Synodis pro temporum, & locorum conditione addita fuere; quemadmodum & prælectioni Juris Romani neceſſario, vel ſaltem admodum utiliter Principum Edicta nec non receptæ Provinciarum conſuetudines adduntur. De hujus Codicis authoritate & receptione videri poterunt, quæ dicta ſunt in Tractatu in Canones Part. 3. cap. 1.

BREVIS COMMENTARIUS AD PRIMAM PARTEM GRATIANI

Constantem centum & unâ Distinctionibus.

GRATIANUS inchoando opus suum, præmittit: *Ac primùm de Jure Divinæ & humanæ Constitutionis.*

Porrò notant hîc Correctores Romani verbo, *ac primùm:* "Hoc loco in „manuscriptis codicibus magna est varietas." Post hæc annotatis variantibus lectionibus tum in manuscriptis, tum in editis codicibus Gratiani occurrentibus, incerti, quæ inter has variantes lectiones magis conveniret textui Gratiani, subjungunt: "Veruntamen in hac tanta varietate, quæ, ut aliæ conjecturæ mittantur, „argumento esse potest, nullam hîc à Gratiano ipso positam esse rubricam; satis visum est, „retentâ vulgatâ lectione cæteras indicare.

Ex his habemus, prout in præfatione notavimus, admodum incertum esse, quæ huic operi, prout hodie habetur, à Gratiano sint inserta.

Notandum prætereà, quòd Gratianus hanc suam partem Decreti dividat in Distinctiones, quasi in totidem titulos, hisque præmittere soleat quasi quandam præfatiunculam, quâ indicet, quid sub titulo, seu distinctione tractare, seu discutere intendat.

DISTINCTIO PRIMA.

De Jure naturali & humano.

PRimæ distinctioni, seu primo titulo præmittitur hæc præfatiuncula: "Humanum „genus duobus regitur, naturali videlicet jure, „& moribus. Jus naturale est, quod in lege & „Evangelio continetur, quo quisque jubetur „alii facere, quod sibi vult fieri, & prohibetur „alii inferre, quod sibi nolit fieri: unde Chri„stus in Evangelio: *Omnia quæcunque vultis, ut „faciant vobis homines, & vos eadem facite il„lis: hæc est enim Lex & Prophetæ.*

Hâc præfatiunculâ non obscurè indicat Gratianus, scopum suum esse, hac distinctione notare differentiam inter jus naturale & humanum.

In probationem hujus differentiæ adducit Can. 1. verba S. Isidori Hispalensis *ex Lib. 5. Etymol. cap. 2.* "Omnes leges aut Divinæ sunt, „aut humanæ: Divinæ naturâ, humanæ mori„bus constant; ideoque hæ discrepant, quoniam „aliæ aliis gentibus placent. *Fas*, Lex Divina est: „*Jus*, Lex humana: transire per agrum alienum fas „est, jus non est. Relatis his verbis Isidori con„cludit Gratianus: Ex verbis hujus authoritatis „evidenter datur intelligi, in quo differant in„ter se Lex Divina & humana, cum omne quod „*fas* est, nomine *Divinæ* vel *Naturalis* legis ac„cipiatur: nomine vero legis humanæ mores „jure conscripti & traditi intelligantur.

Nequaquam obscurum est. Gratianum *legem Divinam*, quasi legem *naturalem* reputâsse: ideoque, dum dicit ex Isidoro: *Fas lex Divina est* voluisse dicere; omne, quod legi Divinæ seu juri *naturali* conforme est, *fas* dici: quod vero ei repugnat, *nefas* esse; quemadmodum veteres Gentiles etiam sumpsisse hæc verba, *fas* & *nefas*, ostendit Joannes d' Artis ad hanc Gratiani distinctionem: ibidemque notat ex Virgilio, quòd, sicuti jus naturale dicitur immutabile & æternum, ita & *Fas* immutabile & æternum dictum sit: "Hujus rei hæc ratio, inquit, reddi „potest, quia, ut ait Philo Judæus, *Lib. de „Abrahamo*, cum olim ante leges omnes etiam „Mosaicas, nondum distincta essent nomina „delictorum, aut egregiè factorum, nec pœnæ „ullæ constitutæ, aut præmia, sed prisci illi ho„mines ordinem naturæ sequerentur, quæ lex „procul dubio antiquissima omnium, ipsi eam „jus summum, *fasque* putaverunt, & conse„quenter, quod esset contra naturam, *nefas*: „ideoque duobus tantum illis verbis bona & ma„la opera designabant, *fas* & *nefas*, fatendum „& nefandum, aut abominandum.

Quid per fas & nefas intelligatur?

Itaque videbatur Gratianus, post notam ex Isidoro hanc inter jus humanum & naturale differentiam, huic distinctioni finem imponere potuisse; quandoquidem in præfatiuncula distinctioni præmissa, id unum hâc distinctione ostendere se velle dixerat.

Verum Gratianus more suo à scopo sibi præfixo facile recedens, Canoni primo hanc clausulam subnectit: *Est autem* Jus *generale nomen multas sub se continens species.*

Con-

Conformiter ad hanc clausulam hac distinctione verbis ex prædicto libro S. Isidori desumptis, plures species juris describit, quæ magis ad jus Civile, quam Ecclesiasticum spectant, & quæ distinctius & conformius ad ipsas leges exponuntur per interpretes juris Civilis ad titulos *de origine Juris*: item *de legibus & Constitutionibus* &c.

Inter hæc tamen notandus Can. 12. in quo ex Isidoro Hispalensi hæc leguntur: "Jus Quiritum „est propriè Romanorum, quod nulli tenent nisi *Quirites*, id est *Romani*.

Circa hoc notandum, quod Isidorus hæc præscripserit sub initium septimi aut finem sæculi sexti; quando jus illud *Quiritum* sive *Romanorum* nondum pro jure communi extra imperium Romanum erat receptum.

DISTINCTIO II.

De speciebus juris civilis. DIstinctione secunda progreditur Gratianus exponere varias species Juris civilis; idque rursus verbis ex libris S. Isidori desumptis; quæ etiam magis ad Jus Civile quam Ecclesiasticum seu Canonicum spectant, uti & notavit d' Artis ad hanc distinctionem; & de his latius & exactius tractatur à Commentatoribus Juris civilis sive Romani ad titulos supra notatos. Id unum hic notandum, quod Gratianus Canone 7. dicit de lege, quam *Satyram* vocat.

Quid lex satyra. *Satyra*, alias *Saturæ*, ut habet nota marginalis: *Lex est quæ de pluribus rebus loquitur, dicta à copia rerum & quasi saturitate.* Itaque Lex *Satyra*, seu potius *Satura* dicta fuisse videtur ea, quæ de pluribus simul rebus condita, vel ex multis aliis legibus confecta est.

Hanc improbabant Romani. Id admodum periculosum existimabant Romani; unde in legum sanctione, teste Festo, adscribebatur: *neve per Saturam abrogato aut derogato*, quod & hic notarunt Correctores Romani.

Ad hæc verba Festi reflectens d' Artis ait: „Ex hoc loco Festi colligas, quanta prudentia „cautum esset, ne leges de pluribus rebus diversis „sive quæ non essent ejusdem generis, simul una „rogatione ferrentur, ne sic aliqua sine discretione „reciperetur, sed unaquæque res serio examinaretur.

Multo magis improbanda in decretis Ecclesiasticis præsertim dogmaticis. Id si respectu Legum Civilium & Politicarum merito cautum fuerit, quanto magis servandum in legibus, Decretis vel Constitutionibus Ecclesiasticis; præsertim dogmaticis, id est dogmata vel materiam fidei spectantibus; ut ita singula dogmata clarè & distinctè, ac singulatim prævia diligenti discussione proponantur ut in eorum expressione nulla de sensu dubietas oriri possit: ne alias contingat ex eorum obscuritate fideles in varios circa dogmata sensus distrahi.

DISTINCTIO III.

Quid Canon? CUm in duabus præcedentibus distinctionibus egisset Gratianus de Legibus civilibus, hac tertia incipit nonnulla subjicere de Legibus Ecclesiasticis ut ipse monet ad initium distinctionis; aitque: "Ecclesiastica Constitutio *Canonis* no„mine censetur. Quid autem Canon significat „subjicit Can. 1 & 2. ex Isidoro dicens: Canon „græcè, latinè Regula appellatur. Regula dicta „est, ab eo quod rectè ducit, nec aliquando alior„sum trahit: alii dixerunt Regulam dictam vel „quod regat, vel quod normam rectè vivendi „præbeat, vel quod distortum pravumque cor„rigat.

DISTINCTIO IV.

HAc distinctione prosequens ex Isidoro materiam legum civilium, ait Can. 1. " Factæ „sunt leges, ut earum metu humana coërceatur audacia tutaque sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio „refrænetur nocendi facultas. *Scopus legum civilium.*

Deinde monet *parte* 2. hujus distinctionis, „quod in ipsa constitutione legum, maxime qua„litas constituendarum sit observanda, ut conti„neant in se honestatem, justitiam, possibilita„tem, convenientiam & cætera, quæ in eodem „libro Isidorus enumerat. *Requisita ad justitiam & æquitatem legum.*

Post hæc subjungit Can. 2. verba Isidori, in quibus hæc finalia notanda, præsertim pro lege Ecclesiastica ' *Manifesta* quoque, ne aliquid per „obscuritatem in captionem contineat, nullo „privato commodo, sed pro communi civium „utilitate conscripta.

Parte 3. Distinctionis monet: " Ideo in ipsa „Constitutione ista consideranda sunt; quia cum „leges institutæ fuerint, non erit liberum judi„care de ipsis, sed oportebit judicare secundum „ipsas. Id probat Can. 3 verbis sancti Augustini: „In istis legibus temporalibus, quanquam de his „homines judicent, cum eas instituunt, tamen „cum fuerint institutæ & formatæ non licebit ju„dici de ipsis judicare, sed secundum ipsas.

Deinde ad calcem hujus Canonis subjungit: „Leges instituuntur, cum promulgantur; fir„mantur, cum moribus utentium approban„tur: sicut enim moribus utentium in contra„rium nonnullæ leges hodie abrogatæ sunt, ita „moribus utentium ipsæ leges confirman„tur. *De necessaria legum publicatione.*

Quod hic asserit Gratianus, *leges institui cum promulgantur*, eatenus verum est, tam de Ecclesiasticis, quam Civilibus & politicis legibus, quod non obligent eos, pro quibus feruntur, priusquam ita rite fuerint promulgatæ, ut vi illius promulgationis possint hi quos lex concernit, in certam & publicæ auctoritati innixam notitiam devenire, uti latius exposui in Tractatu *de Promulgatione Legum Parte* 1. *cap.* 1. §. 1. & 2.

Quod vero addit Gratianus: *Firmantur cum moribus utentium approbantur*, &c. sano sensu intelligendum est: certum enim est leges, vim suam habere, postquam institutæ & rite promulgatæ sunt, etiam priusquam moribus utentium fuerint approbatæ; tametsi ex earum observantia postmodum illarum utilitas & necessitas amplius se manifestet; atque eatenus dici queat, *leges moribus utentium firmari*. *Quo sensu firmitas legum à moribus utentium dependeat.*

Quòd Gratianus ulterius asserit, quasdam leges hodie *moribus utentium in contrarium esse abrogatas*, verum est; sed in hujus probationem parum valet, quod Can. 3. adducit sub nomine Telesphori Papæ hanc enim decretalem esse è supposititiis Pseudo-Isidori mercibus, omnibus eruditis hodie persuasum est. *Adducta à Gratiano sub nomine Telesphori Papæ & SS. Ambrosii ac Gregorii apocrypha sunt.*

Interim in hoc suppositio Decreto illud notandum, ibidem statui, "ut septem hebdo„madas plenas ante sanctum Pascha omnes Cle„rici in sortem Domini vocati à carne jejunent, „hac subjecta ratione. " quia sicut discreta esse

„esse debet vita clericorum à laicorum conversa„tione; ità in jejunio debet esse discretio.

Huic decreto subjungit Gratianus Can. 4. sub nomine Ambrosii in *libro sermonum*: Verùm vel solum decretum hic sub nomine Telesphori citatum sufficienter probat, hunc sermonem merito referendum inter sermones S. Ambrosio falsò adscriptos; quales plurimos ei falsò adscriptos esse monet Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis.

Similiter fragmentum relatum sub nomine S. Gregorii Can. 5. non esse hujus Pontificis notarunt eruditi Monachi Benedictini operum S. Gregorii revisores, qui hoc fragmentum ad calcem Epistolarum columna 1302. ponunt sub hoc titulo, *fragmenta Epistolarum, quas Gratianus Gregorio tribuit*.

Illud autem quod hic rursus asserit, *leges confirmari moribus utentium*, non ita intelligi debet, quasi Principum leges de quibus agit Gratianus, demum obligarent postquam moribus utentium fuerint firmatæ; quandoquidem sciatur, in statu Monarchico leges suam vim & effectum accipere à voluntate Principis, non à voluntate populi: sed hoc verum est, quod ex moribus utentium, sive spontanea populi observantia, lex queat dici firmari, quatenus inde intelligitur legem hanc populo videri plane congruere, uti supra dictum est.

DISTINCTIO V.

INitio distinctionis hujus monet Gratianus: „Hæc quæ de privilegiis, & cæteris infra po„sitis scripta sunt, tam sæcularibus, quam Ec„clesiasticis legibus conveniunt: nunc ad diffe„rentiam naturalis juris, & cæterorum reverta„mur. Naturale jus inter omnia primatum ob„tinet tempore & dignitate. Ut id probet, sub„dit: Cœpit enim (naturale Jus) ab exordio ra„tionalis creaturæ, nec variatur tempore, sed „immutabile permanet.

Jus naturale immutabile.

Verum contra hæc, ac notanter contra assertam naturalis juris *immutabilitatem* format sibi Gratianus hanc objectionem: "Sed cum natu„rale jus in lege & Evangelio supra dicatur esse „comprehensum; quædam autem contraria his, „quæ in lege statuta sunt, nunc inveniantur con„cessa, non videtur, jus naturale immutabile „permanere.

Objectio contra juris naturalis immutabilitatem.

Quod autem in lege divina quædam præscripta mutata sint, probat Gratianus duobus exemplis ex lege Mosaïca desumptis dicens: "In lege „namque præcipiebatur, *ut mulier si mascu„lum pareret, quadraginta; si vero feminam, „octuaginta diebus à templi cessaret ingressu*: „Nunc autem statim post partum Ecclesiam in„gredi non prohibetur: item mulier quæ men„strua patitur, ex lege immunda esse reputabatur; „nunc autem nec statim intrare in Ecclesiam, nec „sacræ Communionis mysteria percipere; sicut „nec illa quæ parit, vel illud quod gignitur sta„tim post partum baptizari prohibetur.

Pro harum legum abrogatione seu cessatione adducit Gratianus quatuor Canones, sive fragmenta responsionis sancti Gregorii ad decimam interrogationem Augustini Anglorum Episcopi, quæ integra unà cum aliis interrogationibus & responsionibus ac epistola extat inter hujus Pontificis epistolas in editione Benedictinorum *lib. 10. epist. 14.*

In hac responsione latius adstruit Gregorius, legem Mosaïcam de *ingressu mulierum in templum vetito* post partum, tanquam legem mere cæremonialem esse abrogatam: unde sine ulla hæsitatione scribit: "Si mulier eadem hora, qua „genuerit, actura gratias intrat Ecclesiam, nullo „pondere peccati gravatur.

Solutio objectionis.

Idipsum & de mulieribus, quæ menstrua patiuntur, dicendum esse asserit: addit tamen, quod si ex veneratione ab Ecclesia abstinere voluerint, non esse prohibendas.

Secundum hæc respondit Innocentius III. Archiepiscopo Armachano, qui ipsum interrogaverat, *utrum mulieres statim post partum debeant Ecclesias ingredi, vel ab earum ingressu per dies aliquot abstinere?* "quod postquam um„bra leges evanuit, & illuxit veritas Evangelii, si „mulieres post prolem emissam acturæ gratias „Ecclesiam intrare voluerint, nulla proinde pec„cati mole gravantur, nec Ecclesiarum eis adi„tus est denegandus, ne pœna illis videatur ver„ti in culpas.

Addit insuper & hanc clausulam conformiter ad responsum sancti Gregorii à Gratiano rela„tum: Si tamen ex veneratione voluerint ali„quamdiu abstinere, devotionem earum non „credimus improbandam.

Cum autem mulieres passim ad tempus ex veneratione abstinerent, idque exemplo beatæ Virginis, licet huic legi purificationis legalis non subjectæ, tandem invaluit ut mulieres per aliquod tempus ab ingressu Ecclesiæ abstineant, & quasi purificationis diebus impletis, cum prævia sacerdotali benedictione in Ecclesiam inducantur: qui ritus & hodie *Purificatio post partum* dici solet. De quo latius in jure Ecclesiastico *part. 2. tit. 2. cap. 5.*

DISTINCTIO VI.

GRatianus initio hujus distinctionis ait: "Quia „vero de naturæ superfluitate sermo haberi „cœpit, quæritur an post illusionem, quæ per „somnium solet accidere, vel corpus Domini qui„libet valeat accipere, vel si sacerdos sit, sacra „mysteria celebrare.

Illusio nocturna an & quando à susceptione corporis Domini aut ejus oblatione impediat.

De hac re undecima fuerat Augustini Anglorum Apostoli interrogatio proposita sancto Gregorio; habeturque ad eam responsio sancti Gregorii sat prolixa, è qua duo fragmenta refert Gratianus Can. 1. & 2. in quorum primo resolvit sanctus Gregorius sollicitè inquirendum, unde hæc illusio nocturna oriatur, de qua latius tractare solent Theologi, qui sensu occurrente consulendi.

Interim ex responso sancti Gregorii habetur, ipsum existimasse majorem carnis munditiam requiri ad sacrificandum, quam ad simpliciter communicandum: postquam enim dixisset; „Cum è naturæ superfluitate vel infirmitate „evenit, omnino hæc illusio non est timen„da; quia hanc animus nesciens pertulisse „magis dolendus est, quam fecisse: deinde sub„jungit; cum vero ultra modum appetitus gulæ „in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco „humorum receptacula gravantur, habet exinde „animus aliquem reatum, non tamen usque „ad prohibitionem percipiendi sacri mysterii, „vel Missarum solemnia celebrandi; cum for„tasse aut dies exigit, aut exhibere mysterium „pro eo, quod Sacerdos alius in loco deest, „ipsa necessitas compellit: nam si adsunt alii, qui „implere mysterium valent, illusio per crapulam

„facta

„facta à perceptione sacri mysterii prohibere „non debet, sed ab immolatione sacri my„sterii abstinere, ut arbitror, humiliter de„bet.

Utinam id attenderent varii superiores, præsertim regulares, qui suos ad quotidie celebrandum adigunt, unico sæpe motivo, ut plura Missarum honoraria habere queant.

Gratianus solutionem objectionis contra juris naturalis immutabilitatem distinctione præcedente motæ, demum attulit ad calcem hujus distinctionis; eo quod & hac distinctione da eadem lege Mosaïca jam abrogata agere intenderet.

Abrogatio Legis Mosaicæ non officit juris naturalis immutabilitati.

Huic ergo objectioni respondet Gratianus: "In lege & Evangelio naturale jus continetur; "non tamen quæcumque in lege & Evan"gelio inveniuntur naturali juri cohærere pro„bantur. Sunt enim in lege quædam mora„lia præcepta, ut, *Non occides*: quædam my„stica, utpote sacrificiorum præcepta, ut de "agno, & alia similia his. Moralia mandata "ad naturale jus spectant, atque ideo nullam „mutabilitatem recepisse monstrantur. Mysti„ca vero, quantum ad superficiem à naturali "jure probantur aliena: quantum ad mora"lem intelligentiam, inveniuntur sibi annexa; "ac per hoc, etsi secundum superficiem vi„deantur esse mutata, tamen secundum mo„ralem intelligentiam mutabilitatem nescire pro„bantur. Naturale ergo jus ab exordio rationalis „creaturæ incipiens, ut supra dictum est, manet „immobile.

Deinde subjungit Gratianus: "Jus vero con„suetudinis post naturalem legem exordium ha„buit, ex quo homines convenientes in unum „cœperunt simul habitare.

Hisce indicare videbatur Gratianus, quod intenderet regredi ad materiam prosequendam, quam sub initium hujus primæ partis sui operis sibi proposuerat, scilicet exponere varias juris species earumque inter se differentias, adeoque hic de jure consuetudinario tractare vellet.

DISTINCTIO VII.

De auctoribus Legum parum accurate agit Gratianus.

VErum more suo omnia miscens Gratianus, & à proposito ordine facile recedens, subjicit distinctionem, in qua, prolatis duobus fragmentis ex lib. sancti Isidori, agit, de auctoribus seu conditoribus legum; & Can. 1. postquam monuit quod Moyses gentis Hebraïcæ primus omnium divinas leges sacris litteris explicuit, enumerat deinde eos, qui apud Græcos leges dederunt. ac dein Can. 2. ponit *nomina eorum qui Leges XII. tabularum exposuerunt*, uti habet summarium Canonis. Notat autem Antonius Augustinus *lib. 1. de emendat. Gratiani Dial.* 19. in pluribus hic erratum fuisse, nec dicere veretur: *Quæ de Codice Theodosiano scribuntur, Isidori & Gratiani ignorantiam detegunt*; quod ibidem latius ostendit. Cæterum indubitatum est, hæc exactius & fusius referri *in l. 2. ff. de origine juris*, & per interpretes hujus legis exponi.

DISTINCTIO VIII.

HAc distinctione videtur Gratianus reverti velle ad materiam sub initium distinctionis præcedentis sibi propositam, atque prosequi differentiam inter varias juris species; sed admodum obscure.

Differentia inter jus naturale & consuetudinarium, ac constitutum.

Et quidem in hujus distinctionis procemio indicat se velle ostendere differentiam juris naturalis, à jure consuetudinario & jure constituto: "Differt autem, ait, jus naturale à "consuetudine & constitutione: nam jure na"turali omnia sunt communia omnibus; quod "non solum inter eos servatum creditur, de „quibus legitur (*Multitudinis autem creden„tium erat cor unum & anima una.*) ve"rum etiam præcedenti tempore à Philosophis "traditum invenitur: unde apud Platonem illa "civitas justissime ordinata traditur, in qua quis„que proprios nescit affectus. jure vero consue„tudinis vel constitutionis, hoc meum est, illud „alterius.

Ultimum membrum, scilicet, jure consuetudinario sive constitutione, id est jure humano, *hoc meum; illud alterius esse*, probat Can. 1. ex tractatu sancti Augustini in Joannem, ubi sanctus Augustinus agit contra Donatistas, qui legibus imperatoris villas sibi ademptas & Ecclesiæ Catholicæ attributas conquerebantur, uti hic monent correctores Romani.

Quare cum Donatistæ dicerent, *villas nostras tulerunt, fundos nostros tulerunt*, ut ostendat Augustinus, ipsos post latas has leges Imperatorum nullum jus in ipsis habere, sed ad Ecclesiam Catholicam pleno jure pertinere, post nonnulla in probationem adducta, tandem ostendit res temporales nec ab Ecclesia, nec à privatis alio jure quam *jure humano*, sive Imperatorum possideri: "Jure humano "dicitur, ait, hæc villa mea est, hæc domus mea, "hic servus meus est: jura autem humana jura "Imperatorum sunt. Quare? quia ipsa jura hu„mana per Imperatores & reges sæculi Deus di„stribuit generi humano.

Præterea dicebant Donatistæ: "Sed quid "nobis & Imperatori? Respondet: Sed jam "dixi, de jure humano agitur & tamen Aposto"lus voluit serviri regibus, voluit honorari re„ges, & dixit, *reges reveremini*. Nolite dicere, „quid mihi & regi? Quid tibi ergo & possessio„ni? Per jura regum possidentur possessiones. „Dixisti, quid mihi & regi? Noli dicere posses„siones tuas, quia ipsa jura humana renunciasti, „quibus possidentur possessiones.

Principum potestas respectu rerum temporalium.

Merito hic attendendæ notæ correctorum Romanorum, quæ ostendunt, Gratianum à textu originali nonnihil recessisse. Interim ex hoc textu evidens est, Augustinum id unum voluisse, quod & Ecclesiæ & privati jure humano res temporales possideant, & quod sicuti jura humana auctoritate Principum ac Imperatorum instituta sunt, & diriguntur; ita Principes rerum temporalium superemimentem inspectionem & directionem retineant, quamvis penes Ecclesiam, & quosque etiam privatos sit rerum illarum proprietas, ut hic solidè adstruit Joannes *d'Artis* in Commentario hujus distinctionis.

Quid quid legi naturali reperitur adversum, vanum est & irritum.

Parte secunda hujus distinctionis uberius probare intendit Gratianus, quod *dignitate* jus naturale *simpliciter prævaleat consuetudini & constitutioni*, uti loquitur ad calcem Can. 1. additque: "Quæcumque enim vel moribus recep„ta sunt, vel scriptis comprehensa, si na„turali juri fuerint adversa, vana & irrita haben„da sunt.

In horum probationem refert Can. 2. quadam ex sancto Augustino *lib. 3. Confessionum cap. 8.*

Ut autem probet, quod si quædam moribus recepta sint, vel scriptis comprehensa, si juri naturali fuerint adversa, vana & irrita habenda sint, producit plura ex sancto Augustino & sancto Cypriano.

Et quidem Can. 4. ex Augustino *lib. 3. de Baptismo, cap. 6.* refert: "Veritate manifestata "cedat consuetudo veritati. Item: Nemo con-"suetudinem veritati & rationi præponat; quia "ratio & veritas consuetudinem semper exclu-"dit. Verum hæc à sancto Augustino reci-"tantur tanquam asserta per Episcopos in Concilio Carthaginensi sub sancto Cypriano circa quæstionem de validitate Baptismi per hæreticos collati, uti & in margine ad hunc Canonem notatur.

Interim hæc Episcoporum dicta probat sanctus Augustinus dicens "Plane respondeo: quis, dubitet veritati manifestatæ delere consuetudi, nem cedere? Quæ verba hic à Gratiano reci„tantur, sed tanquam ab eodem dicta.

Dein Can. 6. & 7. rursus in eandem sententiam recitantur plura ab Episcopis in allegato Concilio Carthaginensi dicta, quæ sub nomine sancti Augustini adfert. Et Can. 8. & 9 refert quædam ex Epistolis sancti Cypriani ad Pompeium contra Epistolam Stephani; item ad Jubaianum & Cæcilium, in quibus Cyprianus vehementer urget, veritati consuetudinem cedere debere; atque inter cætera in Epistola ad Pompeium scribit: "Consuetudo sine veritate ve„tustas erroris est, propter quod relicto errore „sequamur veritatem, scientes quia apud Esdram „veritas vicit, sicut scriptum est: *Veritas manet & „invalescit in æternum, & vivit & obtinet in sæ„cula sæculorum.*

Consuetudo veritati conformis retinenda.

Hæc à Cypriano & Episcopis Africanis dicta fuisse constat contra Stephanum, aliosque Episcopos, qui contra Cyprianum & Africanos Episcopos aliosque nonnullos sustinebant, Baptismum, ab hæreticis aut schismaticis extra Ecclesiam Catholicam collatum, esse validum: quod cum potissimum ex continua Ecclesiæ consuetudine probare prætenderent juxta illud Stephani adeo vulgatum: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est:* Cyprianus aliique ei juncti sustinebant consuetudinem veritati cedere debere: quod & S. Augustinus ultro etiam Donatistis (Baptismum extra Ecclesiam collatum ut invalidum rejicientibus) concedit; sed contra ipsos Donatistas sustinet & solide demonstrat, tempore suo tum auctoritate, tum ratione sat probatum esse, consuetudinem, quam Stephanus aliique ipsi juncti allegabant, nequaquam rationi & veritati adversam esse; sed omnino conformem, adeoque servandam: quia ut ipse Augustinus ait citato Can. 7. "Cum consuetudini veritas „suffragatur, nihil oportet firmius retine„ri.

Gratianus non satis ipsa verba Cypriani & Africanorum, quæ Donatistæ pro suo errore asserendo objiciebant sancto Augustino, à verbis Augustini distinguit.

Abusus eradicandi priusquam in consuetudinem transeant.

Præ cæteris autem hac distinctione relatis notari meretur relatum Can. 3. ex Epistola Nicolai I. Papæ Hincmaro Episcopo Rhemensi inscripta: "Mala consuetudo, quæ non „minus, quam perniciosa corruptela vitanda "est, nisi citius radicitus evellatur, in privi"legiorum jus ab improbis assumitur, & in"cipiunt prævaricationes & variæ præsumptio„nes celerrime non compressæ pro legibus vene„rari, & privilegiorum more perpetuo cele„brari.

Non dubium quin si Prælati nascentibus abusibus sedulo pastorali solicitudine invigilarent, radicitus facile evellerentur, qui eorum incuria radicem figentes quasi pro legibus habentur, ac admodum difficulter postmodum in totum evelli possunt.

DISTINCTIO IX.

Constitutum, sive jus humanum, naturali juri cedere debet.

POstquam ostendit Gratianus consuetudinem juri naturali cedere debere, hac distinctione multiplici auctoritate probare vult, quod & constitutio juri naturali cedat, ut & in procœmio distinctionis monet.

Hanc in finem profert sat longum fragmentum ex Epistola sancti Augustini ad Bonifacium comitem, in qua scribit Augustinus: „Imperatores quando pro veritate contra falsitatem constituunt bonas leges, terrentur „sævientes & corriguntur intelligentes: qui"cumque ergo, pergit Augustinus, legibus "Imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande „supplicium; quicumque vero legibus Imperato„rum, quæ *contra Dei veritatem* feruntur, ob„temperare non vult, acquirit grande præmi„um.

Idipsum late prosequitur ipse Augustinus, tum in fragmento hic per Gratianum prolato, tum in ipsa Epistola, cujus contextum immutato ordine Gratianum retulisse notarunt correctores Romani: interim intentum Gratiani solide idem adstruxit Augustinus.

Justum est ut Principes suis legibus pareant.

Hac Augustini auctoritate existimans Gratianus assertum suum sat esse probatum Can. 2. sub nomine Isidori Hispalensis refert fragmentum, quo probat, *justum esse, Principem legibus obtemperare suis: justa est enim eorum vocis auctoritas, si quod populis prohibent, sibi licere non patiantur.*

Auctoritas librorum Canonicorum.

Postquam ostendit Gratianus, consuetudinem legesque humanas veritati & juri naturali cedere, pluribus auctoritatibus, ac notanter sancti Augustini, adstruit dignitatem ac auctoritatem librorum sanctæ Scripturæ tam veteris, quam novi Testamenti.

Imprimis Can. 5. profert ex Epistola S. Augustini ad sanctum Hieronymum, sed corruptè, hanc notandam sententiam, quæ sanctæ scripturæ, sive librorum canonicorum auctoritatem super aliorum quorumcumque scriptorum libros extollit: "Sic habetur apud Augustinum, „*Epist.* 82. *alias* 19. Ego solis eis scripturarum, libris, qui jam canonici appellantur, didici "hunc timorem honoremque deferre, ut nul"lum eorum auctorem scribendo aliquid errasse "firmissime credam. Ac si aliquid in eis offen„dero litteris, quod videatur contrarium veri„tati, nihil aliud quam vel mendosum esse co„dicem, vel interpretem non assecutum esse quod "dictum est vel me minime intellexisse, non am"bigam. Alios autē ita lego, ut quantalibet sancti„tate doctrinaque præpolleant, non ideo verum „putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel „per illos auctores canonicos, vel probabili ratio-

ne,

„ne, quod à vero non abhorreat persuadere po-„tuerunt.

Et Can. 7. ex altera ejusdem Doctoris Epistola (quæ nunc est 40.) ad Hieronymum refert fragmentum, in qua Epistola sanctus Augustinus asserere non dubitavit, " Si ad scripturas san-"ctas admissa fuerint vel (Aug. *velut*) officiosa "mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis? "Quæ tandem de scripturis illis sententia profe-„retur, cujus pondere contentiosæ falsitatis ob-„teratur improbitas?

Denique ex eodem Augustino probare intendit, quidquid vel ex Episcoporum aliorumque sanctorum literis aut scriptis proferatur, id esse rejiciendum, si ostendatur sanctæ scripturæ adversum.

Pleraque à Gratiano adducta, desumpta sunt ex his, quæ sanctus Augustinus scripsit contra Donatistas: cum enim Donatistæ in justificationem sui schismatis & errorum, ac signanter circa invaliditatem baptismi extra Ecclesiam ab hæreticis aut schismaticis collati, non cessarent urgere auctoritatem sancti Cypriani aliorumque multorum Episcoporum Africanorum, qui invaliditatem hujusmodi baptismi sustinuerant, & conformiter ad eam opinionem baptizatos ab hæreticis aut schismaticis rebaptizabant, multis ostendit Augustinus, factum Cypriani & ipsi consentientium, Donatistarum schismati aut errori nequaquam patrocinari.

Fatetur quidem Augustinus, Cyprianum fuisse in ea opinione, seu errore & praxi, atque eam cum suis Episcopis in generali Synodo Carthaginensi sustinuisse: at unà asserit, se non dubitare, quin hic sanctissimus Episcopus & martyr ab opinione sua & praxi recessisset, si eam scripturæ sacræ, si verbo Dei scripto vel non scripto difformem esse monstratum fuisset.

Addit præterea pro majori Cypriani excusatione, hanc quæstionem de validitate baptismi extra Ecclesiam collati adeo tempore Cypriani fuisse intricatam, ut dicere non vereatur, *lib. 2. de Baptismo contra Donatist. cap. 4.* quod tale aliquid asserere non auderet, nisi universæ "Ecclesiæ concordissima authoritate firmatus; cui "& ipse (Cyprianus) sine dubio cederet si jam "illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium concilium soli-„daretur.

Tandem in libris contra Donatistas sæpius ostendit Augustinus, quod Cyprianus licet sententiam & praxim suam eo tempore, quo veritas nondum erat sufficienter eliquata, & universæ Ecclesiæ concordissima auctoritate aut plenario concilio solidata seu terminata fortiter sustinuerit constanter tamen cum contrarium sentientibus pacem & communionem servaverit in quem finem profert & laudat Augustinus ibidem cap. 2. sermonem à Cypriano pronuntiatum in exordio prædictæ Synodi Carthaginensis: " Cum, ait, »in unum Carthagine convenissent Kalendis Sep-"tembris Episcopi plurimi ex provincia Africa, "Numidia, Mauritania, cum presbyteris & dia-"conibus, etiam præsente plebis maxima parte, „& lectæ essent litteræ Jubaïani ad Cyprianum »factæ item Cypriani ad Jubaïanum rescriptæ "de hæreticis baptizandis, quidque postmodum "Cypriano Jubaïanus rescripserit, Cyprianus "dixit: Audistis collegæ dilectissimi, quid mihi „Jubaïanus Coepiscopus noster scripserit consu-„lens mediocritatem nostram de illicito & pro-„fano hæreticorum baptismo, quidque ego ei re-»scripserim, censens scilicet, quod semel atque "iterum & sæpe censuimus, hæreticos ad Ec-"clesiam venientes Ecclesiæ baptismo baptizari „& sanctificari oportere. Item lectæ sunt „vobis & aliæ Jubaïani Epistolæ, quibus pro sua »sincera & religiosa devotione ad Epistolam no-"stram rescribens, non tantum consensit, sed & "instructum esse gratias egit. Superest, ut "de hac ipsa re, quid singuli sentiamus, pro-„feramus, neminem judicantes, aut à jure com-»munionis aliquem, si diversum senserit, amo-"ventes: neque enim quisquam nostrum Epis-"copum se esse Episcoporum constituit, aut „tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem „collegas suos adigit: quando habeat omnis Epis-»copus pro licentia libertatis & potestatis suæ "arbitrium proprium, tamque judicari ab alio "non possit, quam nec ipse potest alterum ju-"dicare; sed expectemus universi judicium Do-„mini nostri Jesu Christi, qui unus & solus ha-„bet potestatem, & præponendi nos in Ec-„clesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro judi-„candi.

Cæterum sanctus Augustinus tum in hisce libris contra Donatistas, tum in Epistolis, è quibus fragmenta recitat Gratianus, sufficienter adstruit quorumlibet Doctorum, & etiam Episcoporum dicta & scripta cedere debere libris canonicis; & quod firmiter tenendum sit, nihil in eis falsi contineri, nec quidquam præcipi juri naturali contrarium, quod unum evincere voluit Gratianus.

DISTINCTIO X.

Huic distinctioni præfigit Gratianus hoc procœmium: *Constitutiones vero Principum Ecclesiasticis constitutionibus non præeminent, sed obsequuntur.*

Juxta Gratianum Constitutiones Principum constitutionibus Ecclesiasticis obsequi debent

In hujus probationem plurima mutilata, incerta, quin & apocrypha profert Gratianus uti cit a fragmentum sub nomine Nicolai I. relatum Can. 1. sufficienter probat correctio Romana. Similiter relata Can. 2. 3. & 4. sub nomine Symmachi & Felicis Papæ parum authentica norunt eruditi.

In hujus asserti probationem nonnulla apocrypha adducit.

Porro quod in hoc suo procemio asserit Gratianus, *constitutiones Principum Ecclesiasticis constitutionibus non præeminere, sed obsequi*, nec simpliciter, nec generaliter verum est nec auctoritates per Gratianum adductæ id probant, sed restringi debet ad Ecclesiasticas constitutiones de rebus *mere* spiritualibus ad directionem animarum directè & unice spectantibus; non autem de rebus temporalibus, aut his quæ regimen Reipublicæ spectant, ad ipsius populi, & Reipublicæ pacem & tranquillitatem conservandam vel procurandam, uti satis luculenter probat fragmentum Epistolæ Nicolai I. ad Michaëlem Imperatorem à Gratiano relatum hac distinctione Can. 8. in quo hæc differentia luculenter exponitur.

Constitutionibus Principum circa temporalia obsequi debent Pontifices.

Scribit enim ibidem Nicolaus I. quod Christus actibus & dignitatibus officia utriusque potestatis (secularis & Ecclesiasticæ) ita discreverit: »Ut & Christiani Imperatores pro æterna vita "Pontificibus indigerent & Pontifices pro cursu "temporalium tantummodo rerum Imperialibus "legibus uterentur; quatenus spiritalis actio à „carnalibus distaret incursibus; & ideo, *militans Deo minime se negotiis sæcularibus im-„plicaret*; ac vicissim non ille rebus divinis præ-

 sidere

„sidere videretur, qui esset negotiis sæcularibus „implicatus.

Hæc inter utramque potestatem differentia latius adstruitur infra *distinct.* 96. ubi eam latius explanabimus occasione famosæ Epistolæ Gelasii, cujus ibidem fragmentum adducitur.

Etiam quoad illa quæ spectant externam Ecclesiæ disciplinam.

Quin & Romanos Pontifices agnovisse, se subjectos legibus & constitutionibus Imperatorum, non tantum externum, temporale, ac politicum regimen Reipublicæ concernentibus, sed etiam externam & canonicam Ecclesiæ disciplinam spectantibus, evincit Epistola Leonis IV. inscripta Lothario Augusto, & hic à Gratiano relata Can. 9. " De capitu„lis vel præceptis vestris Imperialibus, vestro„rumque Pontificum prædecessorum irrefragabi„liter custodiendis, & conservandis, quantum „voluimus & valemus, Christo propitio & „nunc & in ævum nos conservaturos modis om„nibus profitemur; & si fortasse quilibet aliter „vobis dixerit, vel dicturus fuerit, sciatis eum „pro certo mendacem.

Hoc fragmentum Epistolæ pro adstruenda auctoritate *Capitularium* Regum Francorum adducit vir clarissimus Stephanus Baluzius in in doctissima sua præfatione ad hæc Capitularia Regum Francorum § 21. omissa voce, *Pontificum*, quæ in textu Gratiani manifestè redundat, & sensum reddit obscurum, uti ex nota Correctorum Romanorum liquet.

Hanc Leonis Epistolam spectare Capitularia Caroli Magni, Ludovici Pii, Lotharii & aliorum, quæ hodie vulgo dicuntur *Capitularia Regum Francorum*, ostendit ibidem Baluzius.

Qua autem occasione Leo Papa IV. hanc ad Lotharium Epistolam scripserit, exponit Baluzius in citata præfatione §. 23. " Primo, ait, ma„nifestum est ex textu Epistolæ, delatam adver„sus eum querelam fuisse ad Lotharium Impe„ratorem, tanquam is Capitularia Regum Fran„corum contemneret; ad quam criminationem „ille injuriam suam ulturus, ac sui securus, „respondit, *se ea velle irrefragabiliter in ævum „conservare*; magnum & impudens menda„cium esse quidquid contra dictum fuerat Im„peratori. Hanc interpretationem (pergit Ba„luzius) quæ alioquin manifesta est & cuivis „obvia, debemus Bartholomæo Brixiensi, cu„jus hæc sunt verba: *Lotharius audiverat, „quod Leo Papa nolebat leges servare Impe„riales, unde interrogavit de hoc Papam an esset „verum? Quare Leo scribit ei & dicit, quod vult „leges servare irrefragabiliter, & qui aliter dicit „mendax est.*

Cum autem hæc Capitularia, sive capitula seu præcepta non tantum res temporales, ac temporale & politicum regimen Reipublicæ concernerent; sed vel potissimum disciplinam exteriorem Ecclesiæ, rectè ibidem redarguit Baluzius Cardinalem Baronium, qui hanc Leonis Epistolam ita interpretatur, quasi Leo dicere duntaxat voluisset, conformiter ad supra relatam Epistolam Nicolai I. *Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum, Imperialibus legibus uti.*

DISTINCTIO XI.

Quæ sit vis consuetudinis?

PErgens Gratianus exponere, quæ sit legum & canonum vis & auctoritas, hac distinctione agit de consuetudine.

Consuetudo contra legem divinam aut naturalem corruptela est.

Imprimis certum est, consuetudinem, quæ est contraria bonis moribus, aut juri naturali, non tam pro consuetudine, quam pro ab usu & corruptela reputandam esse, uti supra notatum est, atque de hac intelligendus est Isidorus, cujus verba non sat exactè Gratianus Can. 1. retulit; sed in margine ita ex originali exprimuntur: *Quod malis jussionibus non sit obtemperandum.*

De simili quoque consuetudine intelligi creditur quod ex *lib.* 6. *cod.* QUÆ SIT LONGA CONSUETUDO, refertur Can. 4. & clarius exprimitur Can. 6. his verbis: *Consuetudinem laudamus quæ tamen contra fidem catholicam nihil usurpare dignoscitur.*

Monent hîc Correctores Romani quod hoc caput antea tribueretur sancto Augustino: „Verba, ajunt, hujus capitis, quod antea tri„buebatur B. Augustino leguntur in editione „Coloniensi inter decreta Pii I. decreto 7. & „in Epistola ejusdem Pii. Unde & ipsi huic canoni hunc titulum præfixerunt: *Pius Papa I. in decretis decreto* 7. non advertentes hæc verba non verius huic Papæ, quam Augustino tribui posse; hæcque decreta, necnon Epistolam inter merces pseudo Isidori rejiciendam.

Non eadem omnium consuetudinum est auctoritas.

Illud & hîc probat Gratianus, non omnium consuetudinum eandem esse vim & auctoritatem.

Et quidem quasdam esse consuetudines, quæ auctoritate, etiam scripturæ sacræ cedere non debeant utpote quæ ex traditione apostolica ad nos transmissæ habentur Eum in finem recitantur Can. 5. verba sancti Basilii ex lib. de Spiritu sancto *c.* 27. Monent autem Correctores Romani admodum mutilatum recitari hic textum Basilii: " Cæterum, inquiunt, quoniam „multis locis glossa obstitit, ne emendaretur, ne„cessarium visum est, integrum sancti Basilii lo„cum & Græce & Latine afferre.

Merito textus sancti Basilii legitur, prout hic integer per Correctores Romanos exhibetur; utpote in quo Basilius probat, præter ea, quæ nobis Apostoli scripto tradiderunt, etiam ea quæ ad nos verbo tradita, & per traditionem transmissa sunt, esse omnino servanda.

Quod addunt hic Correctores, quod *multis locis obstiterit glossa, ne emendaretur*, plurimis aliis locis idipsum monuerunt; per hoc indicantes eam ipsis visam fuisse glossæ auctoritatem, ut satius crediderint permittere mutilatum textum Gratiani, quam eum emendare, ne glossa textui mutilato aut corrupto apposita, obscura aut non intelligibilis redderetur; licet fatendum sit, glossas has sæpe parum convenientes; imo & frequenter admodum ineptas esse, & à vero sensu canonum alienas.

Sunt insuper consuetudines, quas universalis per orbem diffusa Ecclesia servat, & quæ ab Apostolis ad nos dimanatæ creduntur; aliæ verò quæ nec contra scripturam sacram, nec contra bonos mores esse noscuntur; ac variæ & diversæ pro varietate locorum & populorum reperiuntur, de quibus agit sanctus Augustinus Epistola ad Casulanum, cujus fragmentum hîc refertur Can. 7. ac præcipue in Epistola ad Januarium, cujus fragmentum hîc refertur Can. 8. sub nomine sancti Augustini lib. de *fide Christiana*, sed in margine notatur: " Hodie inter „opera sancti Augustini nullum extat sub hoc „titulo; in Epistola verò ad Januarium, quæ est

118.

„118. cap. 1. & 2. hæc eadem ſententia copioſè „exponitur.

Conſuetudo Romanæ Eccleſiæ quandoque diverſa eſt à conſuetudine aliarum Eccleſiarum. Id negans Gratianus à priſtina diſciplina receſſit.

Et revera in hac Epiſtola, quæ hodie eſt 54. ſanctus Auguſtinus duplicem hanc conſuetudinem luculenter exponit, uti ad ſequentem diſtinctionem notabitur, ubi & textus hujus Epiſtolæ refertur, prout etiam textus ſancti Gregorii, è quibus manifeſtum eſt, jam pridem conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ circa plura puncta concernentia Eccleſiaſticam diſciplinam fuiſſe diverſam à conſuetudine aliarum Eccleſiarum.

Proinde inter puncta, in quibus Gratianus à priſtina diſciplina receſſit, referendum, quod hic adſtruere videtur, ſcilicet conſuetudinem & inſtitutionem Eccleſiæ Romanæ *ubique* eſſe ſervandam; idque ex fragmento Epiſtolæ ſub nomine Nicolai I. Can. 2. cui fragmento hoc ſummarium præfigitur: *Non poteſt ſtatutis Pontificum conſuetudo cujuſquam refragari.*

Hic notandum plurima fragmenta ſub nomine Nicolai I. Papæ à Gratiano referri, quæ non alia quam ipſius Gratiani, aut alterius Canonum collectoris, è quo Gratianus exſcripſit, auctoritate nituntur: & quæ è Gratiano collecta ſub 20. titulis depoſita per Joannem Cochlæum extant *tom. 8. Concil. Generalium col.* 554.

Fragmento fictitiæ Epiſtolæ Julii I. Papæ relato in Can. 3 præmittit Gratianus hoc ſummarium: *A conſuetudine Romanæ Eccleſiæ, membris diſſentire non licet*, quo non obſcurè inſinuatur, aliis Eccleſiis tanquam membris non licere diſſentire à *conſuetudine Romanæ Eccleſiæ*, quod & menti & ſententiæ Gregorii adverſum eſſe, notabitur ad diſtinctionem ſequentem ex ejus Epiſtola ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum ibidem relata.

DISTINCTIO XII.

Variæ conſuetudinis ſpecies. Alia univerſalis, alia particularis.

HAc diſtinctione proſequitur Gratianus tractare de varia ſpecie *conſuetudinis*, ejuſque auctoritate.

Et quidem proponit Can. 11. ex Auguſtino Epiſtola nunc 54. ad Januarium, duplicem ſpeciem conſuetudinis: unam earum rerum quæ per *univerſalem Eccleſiam* obſervantur: alteram earum, quæ pro *locorum & Eccleſiarum diverſitate variæ & diverſæ reperiuntur.*

„Illa autem, ait Auguſtinus quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſervantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri.

Deinde allegatis quibuſdam ſimilium obſervationum exemplis, ad aliam ſpeciem conſuetudinum deſcendens, ait: “Alia vero, quæ „per loca terrarum regioneſque variantur, ſicuti eſt, quod alii jejunant ſabbato, alii verò non, alii quotidie communicant corpori & ſanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt, alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur alibi ſabbato tantum & Dominico, alibi tantum Dominico, & ſi quid aliud ejuſmodi animadverti poteſt; totum hoc genus rerum liberas habet obſervationes: nec diſciplina ulla eſt in his melior gravi prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quamcunque forte devenerit: quod enim neque contra fidem neque contra bonos mores injungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum inter quos vivitur, ſocietate ſervandum eſt.

Tum ſubjungit, quid circa hanc conſuetudinis varietatem ſibi conſulenti reſponderit ſanctus Ambroſius: “Cum ait, Romam venio jejunio ſabbato, cum Mediolani ſum, non jejuno: ſic etiam tu, ad quam forte Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi „cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam „tibi.

Occaſio autem conſulendi hac de re ſanctum Ambroſium fuerat mater ejus; ait enim ibidem: „Mater mea Mediolanum me conſecuta, invenit Eccleſiam ſabbato non jejunantem, cœperat fluctuare quid ageret: tunc conſului de hac re beatiſſimæ memoriæ virum Ambroſium. Cujus reſponſum, ait, cum matri renunciaſſem, libenter amplexa eſt.

Quædam conſuetudines, etſi inveteratæ, merito extirpandæ.

Deinde ex eodem Auguſtino ad Januarium Epiſtola nunc 55. ſubjungit Gratianus Can. 12. „Talia quæ neque ſanctarum ſcripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſuetudine univerſalis Eccleſiæ roborata ſunt; ſed diverſorum locorum diverſis moribus innumerabiliter variantur ita ut vix aut omnino nunquam inveniri poſſint cauſæ quas in eis inſtituendis homines ſecuti ſunt, ubi facultas tribuitur, ſine ulla dubitatione reſecanda exiſtimo. Rationem addit Auguſtinus: quamvis enim neque hoc inveniri poſſit, quomodo contra fidem ſint, ipſam tamen religionem, quam pauciſſimis & manifeſtiſſimis celebrationem Sacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit, ſervilibus oneribus premunt, ut tolerabilior ſit conditio Judæorum, qui etiamſi tempus libertatis non agnoverint, legalibus Sacramentis, non humanis præſumptionibus ſubjiciuntur.

Circa hæc duo fragmenta relata Can. 11. & 12. monent Correctores Romani ad priorem: “In hoc capite, quemadmodum & in ſequenti, multa ſunt emendata ex B. Auguſtino, ac nonnulla etiam addita.

Merito & ad poſteriorem addi poſſunt verba, quæ apud Auguſtinum præmittuntur verbis hic à Gratiano relatis, quæ & mentem ipſius Auguſtini de his obſervandis clarius exponunt: Quod autem inſtituitur, ait, præter conſuetudinem, ut quaſi obſervatio Sacramenti ſit, approbare non poſſum: etiamſi multa hujuſmodi propter nonnullarum vel ſanctarum vel turbulentarum perſonarum ſcandala devitanda, liberius improbare non audeo; ſed hoc nimis doleo, quod multa quæ in divinis libris ſaluberrime præcepta ſunt, minus curantur, & tam multis præſumptionibus ſic plena ſunt omnia, ut gravius corripiatur, qui per octavas ſuas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia ſepelierit.

Hæc merito attendant Epiſcopi, ut exemplo ſancti Auguſtini à ſuperſtitioſis & ad quæſtum inductis conſuetudinibus, ſuas Eccleſias purgare ſatagant.

Non locus conſuetudinem; ſed conſuetudo locum commendat.

Inſuper docet hic Gratianus, *quod non locus conſuetudinem, ſed conſuetudo locum commendet*, uti habet ſummarium Can. 10. ſive quod ea ſit accipienda conſuetudo, ſine differentia locorum, quæ plus omnipotenti Deo poſſit placere. In hujus probationem adducit, Can. 10. notandum reſponſum ſancti Gregorii ad Auguſtinum Apoſtolum Anglorum: interrogatio 3. Auguſtini hæc erat: “Cum una ſit fides, cur ſunt Eccleſiarum

siarum consuetudines tam diversæ, & altera consuetudo missarum est in Romana Ecclesia, atque altera in aliorum Ecclesiis tenetur?

Respondet Gregorius: " Novit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritam: sed mihi placet, ut sive in Romana, sive in Galliarum, sive in qualibet Ecclesia, aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicitè eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc in fide nova est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas; non enim pro locis res sed pro rebus loca nobis amanda sunt: ex singulis ergo quibusque Ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt elige, & hæc quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.

Manifestum hinc est, sanctum Gregorium nequaquam credidisse, consuetudinem aut institutionem Ecclesiæ Romanæ ab omnibus aliis Ecclesiis esse servandam, uti præcedenti distinctione ex falsis & incertis scriptis innuere videtur Gratianus, qui & Canoni primo hujus distinctionis desumpto ex supposititia decretali Calixti I. Papæ hoc summarium præfigit: *Nulli agere licet sine discretione justitiæ contra disciplinam Romanæ Ecclesiæ.*

Ecclesiæ ejusdem Provinciæ jam pridem sequebantur ritum Ecclesiæ Metropolitanæ

Scitur quidem jam pridem in pluribus locis id fuisse observatum, ut Ecclesiæ unius Provinciæ morem & ritum eundem sequerentur, notanter Ecclesiæ Metropolitanæ, quod & ævo sancti Leonis respectu Ecclesiarum, quæ jure Metropolitico Romano Episcopo subjiciebantur, quæ & *suburbicaria* dicebantur observatum fuisse constat ex Epistola sancti Leonis ad Episcopos per Siciliam constitutos, uti notavi in jure Eccles. *part.* 1. *tit.* 19. *cap.* 2.

Idipsum in quibusdam Hispaniarum Provinciis, jam pridem constitutum fuisse, ex decretis Concilii Toletani XI. & Bracarensis II. relatis respective hac distinctione Can. 13. & 14. constat.

Et quidem priori summarium præfixit Gratianus: *Omnes Provinciæ eundem in psallendo modum teneant, quem Metropolitanam sedem habere cognoverint.*

Ad ista per Gratianum relata decreta, nec non verba Gratiani reflectens in sua Analysi Ludovicus Hericourt, recte monet, hodie non observari hæc decreta, notanter in Gallia: *On de suit point*, ait, *à present ces decrets, surtout dans les Eglises de France, où chaque Diocese aison Breviaire & ses cerèmonies particulieres.*

De hac Ecclesiarum Gallicanarum disciplina vide dicta in jure Eccles. *part.* 1. *tit.* 16. *cap.* 9. ubi notavi quam fuerint tenaces Ecclesiæ Gallicanæ in retinendis suarum respective Ecclesiarum particularium Breviariis, & Ritualibus libris, dum Romani, præsertim post Concilium Tridentinum, prætenderunt, ut his particularibus Rituum libris abdicatis, ubique Ritus & Officium Romanum præscriberetur, prout latius deduxit in Supplemento ad citatum textum juris Eccles.

DISTINCTIO XIII.

In jure naturali nunquam potest dispensari.

Gratianus postquam de variis speciebus juris egit, pergit ad distinctionem 13. cui hoc procemium præfigit: " Item adversus naturale " jus nulla dispensatio admittitur, nisi forte duo " mala ita urgeant, ut alterum eorum necesse sit " eligi.

Ut primam partem adstruat, nullam auctoritatem adducit, supponens eam per se sat probatam, & à nemine in dubium vocandam. In probationem vero exceptionis, adducit Can. 1. decretum Concilii Toletani VIII. *cap.* 2. cui hoc summarium præmittit: *minus malum de duobus eligendum est.* Et Can. 2. recitat longum discursum sancti Gregorii in librum Job.

Recte hic monet Ludovicus Hericourt in sua Analysi, quod accipiendo verba Gratiani ad litteram, credere quis posset, aliquando licitum esse perpetrare minus malum ad evitandum majus; quod & falsum esse, & contra mentem Gratiani asserit: verba ejus sunt: *Il faut prendre garde au sens qu'on donnera à cette distinction, car elle peut donner occasion de croire, si on la prend à la lettre, qu'il y a des cas, dans lesquels il est permis de faire un petit mal, pour en eviter un grand: au lieu que les exemples rapportez justifient que l'intention du Compilateur n'a eté que de dire qu'il n'est pas permis de commettre un nouveau crime pour executer une permesse d'une chose qui est contre la loi naturelle.*

Et revera si integri textus hic à Gratiano citati legantur, apparebit, auctores nihil aliud voluisse, quam quod illicite aut inconsiderate promissum, possit & subinde debeat omitti, sive non adimpleri; quia implendo *majus malum* committeretur; sic autem non adimplendo non aliquod *minus malum* de novo committitur, sed male promissum, sine Peccato, quin & subinde meritorie, non adimpletur.

Interim fatendum est, admodum inadæquate locutum esse Gratianum, dum dixit: *minus malum de duobus eligendum est*: quia omissio promissi in illis circumstantiis nullum est malum, quamvis malum fuerit in promittendo.

DISTINCTIO XIV.

Utrum minus malum possit committi ut in alis majora mala evitentur.

Hac distinctione pergit Gratianus inquirere, an è duobus malis *minus* eligi possit: unde præmittit hunc titulum: " Verum hoc " (scilicet de eligendo minus malo in distinctio" ne præcedenti) in una eademque persona in" telligitur: cæterum an in diversis personis eadem " dispensatio locum habeat, videlicet ut commit" tantur minora, ne alii gravioribus implicentur, merito quæritur.

In hoc summario videtur apertius indicari, quod præcedenti distinctione dicere voluerit, posse ab aliquo *minus malum committi*, ne ipse majus aut gravius malum committat.

Quidquid sit de Gratiani opinione, certum est quod nunquam possit minus peccatum committi, ut evitetur majus; nec id probatur auctoritatibus à Gratiano hic adductis, uti notatum est ad distinctionem præcedentem.

Hac autem distinctione recte probat Gratianus, nihil contra jus naturæ aut Evangelium, sive nullum quantumvis leve peccatum posse perpetrari, ut alii à peccatis etiam enormibus retrahantur, uti probat Can. 1. auctoritate S. Augustini aperte docentis, non posse excusari factum Loth, tradentis filias suas Sodomitis ut iis abuterentur, ne viris sive hospitibus contumeliam inferrent; quantumvis id fecerit ob *compensationem malorum*, tradendo filias suas Sodomitis,

tis, ne enormius crimen Sodomiticum ab ipsis in viros seu hospites committeretur. « Quod, „ait Sodomitis Loth: *Sunt mihi duæ filiæ, quæ „nondum noverunt viros: producam illas ad vos, „utimini illis quomodo placuerit: tantum in vi„ros illos ne faciatis iniquum:* quoniam prosti„tuere volebat filias suas hâc compensatione, „ut viri hospites ejus nihil à Sodomitis tale „paterentur, utrum admittenda sit compensatio „flagitiorum vel quorumcunque peccatorum, „ut nos faciamus mali aliquid, ne alius malum „gravius faciat; an potius perturbationi Loth „non consilio tribuendum sit, quia hoc dixerit „merito quæritur; & nimirum periculosissimè „admittitur hæc compensatio: si autem pertur„bationi humanæ tribuitur, & menti tanto ma„lo permotæ, nullo modo imitanda: « ita hic Gratianus ex S. Augustino, *Lib. quæst. super Genesim.*

Post hæc quærit Gratianus parte 2. hujus distinctionis: *Quæ Constitutiones valeant temperari, vel quæ non?*

Hanc quæstionem resolvit unico Canone, prolato fragmento Epistolæ sancti Leonis ad Rusticum Episcopum Narbonensem, in qua scribit: « Sicut quædam sunt, quæ nulla „ratione possunt convelli, ita multa sunt, „quæ aut pro necessitate temporum, aut „pro consideratione ætatum oporteat tempe„rari.

Regula in dispensatione servanda. Addit autem hìc hanc notandam, & in dispensatione merito servandam regulam: « Illa „consideratione semper servatâ, ut in iis, quæ „vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus „sequendum, quod nec præceptis Evangelicis „contrarium, nec Decretis SS. Patrum invenia„tur adversum.

DISTINCTIO XV.

AD distinctionem decimam quintam procedens Gratianus monet in proœmio: « Quo„niam de jure naturali, & constitutione vel con„suetudine hactenus disseruimus, differentiam, „quâ invicem discernuntur, assignantes, nunc „ad Ecclesiasticas constitutiones stylum verta„mus, prout ex libris SS. Patrum colligere pos„sumus, breviter assignantes.

Quo tempore celebrata sint singula Concilia generalia. Hæc distinctio tribus duntaxat constat Canonibus. Primo Canone refert prolixum fragmentum sub nomine Isidori, Lib. 6. *de Etymologiis* cap. 16. cui hic titulus præficitur: *Quo tempore cœperint Canones Conciliorum Generalium.*

Verum quàm parùm authenticum sit hoc fragmentum, probant tum hìc notata per Correctores Romanos, tum quæ de hoc scripsit vir doctissimus Antonius Augustinus in dissertatione de veterum Canonum collectoribus cap. 16.

De authoritate Conciliorum generalium. Cæterum quo tempore, & quâ occasione singula Concilia generalia celebrata sint, accuratius notârunt, qui Conciliorum historias ex professo scripserunt.

De authoritate quatuor Conciliorum Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini & Chalcedonensis agit Can. 2. prolato fragmento ex Epistola sancti Gregorii, in qua de his quatuor Conciliis ita loquitur: « Sicut sancti Evangelii qua„tuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & „venerari me fateor.

Post hæc subdit Gratianus: « Quintum quo„que Concilium pariter veneror. Tum ibidem enumerat, quorum scripta in eodem Concilio fuerint damnata, scilicet Ibæ, Theodori & Theodoriti.

Cur nonnulli V. Concilium recipere recusaverint? Hæc sunt tria illa Capitula, quorum occasione nonnulli quintam Synodum non recipiebant: eorum enim condemnatio gravissimas, etiam inter Catholicos, excitavit contentiones, quin & Ecclesiæ scissuras; imo nec hodie super his Capitulis inter Theologos convenit; nonnullis opinantibus in hac condemnatione Synodum quintam erràsse, sensumque horum scriptorum non habuisse sat perspectum: potest enim juxta ipsos Synodus, etiam Oecumenica, in simili quæstione facti, quis sit sensus alicujus libri vel authoris, errare.

Cæterum Romanos Pontifices in sua ad Pontificatum assumptione, professos fuisse, octo ut minus sæculis, se omnia Decreta & definitiones Conciliorum generalium suscipere, constat ex libro Diurno RR. Pontificum; atque latius probavi in Supplemento ad partem 1. Tit. 15. cap. 1.

Observanda circa Decretum sub nomine Gelasii de libris Apocryphis. Canone 3. refert Gratianus prolixum Decretum sub hoc titulo: *Gelasius in Concilio habito Romæ cum 70. Episcopis scribit.* Huic Canoni præmittitur hoc summarium: *Quæ Concilia sancta Romana Ecclesia recipiat?*

Porro in hoc Gelasiano Decreto non agitur de Conciliis nisi in prima periodo, quæ finitur ad illa verba: *Custodienda & recipienda decernimus & mandamus.*

Cæterum in hoc Decreto, quod vulgo Gelasio adscribitur, tot variantes lectiones & inscriptiones, tum in antiquioribus, tum in recentioribus Decreti codicibus editis & manuscriptis, tum apud alios Canonum collectores occurrunt; ut vix sciri queat quid ipsum originale contineat, ut & notârunt Correctores Romani ad verbum, *mandamus:* « Post hoc verbum, inquiunt, in Decreto Gelasii sequitur continentur: item *Opuscula B. Cypriani, &c.* Sed Burchardus & Ivo, & Pannormia habent ut Gratianus. Ac certè in toto hoc capite tot modis discrepant collectiones ab originali, ut satis certo statui non possit, quæ vera & pura sit Gelasii lectio, nec magnoperè sit mirandum, si nonnulla sint, quæ difficultatem faciunt. Videri potuerunt notæ Stephani Baluzii.

DISTINCTIO XVI.

De Canonibus vulgo Apostolorum. HAc distinctione tractat Gratianus de Canonibus vulgo *Apostolorum*, de eorum numero, authore & receptione; sed adeo confusè, adductis & truncatis tot apocryphis monumentis, ut vix intelligi queat, quid dicere velit, uti ex notis Correctorum Romanorum patet.

De his parum accuratè Gratianus. Quæ de Canonibus sextæ Synodi hâc distinctione, & de tempore, quo singulæ Synodi habitæ fuerunt, Gratianus recitat, pleraque sumpta sunt ex parum authenticis monumentis, & notanter ex Præfatione collectioni Pseudo-Isidori præfixâ: de his potius consulendi, qui Conciliorum historias ex professo scripserunt.

DISTINCTIO XVII.

HUic distinctioni hunc titulum præfixit Gratianus: *Generalia Concilia, quorum tempore*

pore

Penes quem sit authoritas convocandi Concilia generalia.

pore celebrata sint, vel quorum authoritas cateris praemineat, sanctorum authoritatibus supra monstratum est. Authoritas vero congregandorum Conciliorum penes Apostolicam Sedem est.

Hâc itaque distinctione adstruere studet Gratianus authoritatem congregandorum Conciliorum penes Apostolicam Sedem esse.

Et sane, licet constet primis, ut minus octo sæculis Concilia, præsertim generalia, convocata fuisse per Imperatores, ut perspicuum est ex literis, quibus ipsi præfata Concilia indixerunt, & quemadmodum inter alios notavit Edmundus Richerius in Historia Conciliorum; nihilominus & hoc constat, sæculo IX. & sequentibus, signanter, postquam in authoritatem receptæ fuerunt falsæ Decretales, credi cœpisse, hanc convocandorum Conciliorum authoritatem penes Apostolicam Sedem esse; ut tandem in dictatu vulgo Gregorii VII. inter speciales prærogativas Romano Pontifici competentes, etiam hæc his verbis exprimatur: *Quod nulla Synodus absque pracepto summi Pontificis debet generalis vocari.*

Eam vindicavit Apostolicæ Sedi dictatus vulgo Gregorii VII.

Num autem hic dictatus, seu articulorum collectio sit revera Gregorii VII. incertum est. Hoc indubitatum est, uti & notat D. Fleury in sua Historia Lib. 63. num. 11. inter hos articulos reperiri nonnullos manifestè falsos (*manifestiment faux.*) Insuper & inter eos esse quosdam extractos è falsis Decretalibus & contrarios pristinæ disciplinæ; inter quos est indubiè hic supra relatus articulus; utpote, qui in falsis Decretalibus per Gratianum, notanter Can. 1. sub nomine Marcelli Papæ, & Can. 2. sub nomine Julii Papæ exprimitur eisdem verbis.

Quin nec id mirum, Gratianum hanc sententiam quasi indubitatam proponere; quandoquidem ipse eam suo tempore receptam, tanquam indubitatam videret; prout & hoc circa plures alios articulos Gratiano accidisse constat, utpote, qui passim neglectâ veteri disciplinâ, ad temporis sui disciplinam opus suum inflexit; præsertim quoad ea, quæ Romani Pontificis prærogativas respicere videbantur.

Distinctionem finit adducto Can. 7. fragmento Epistolæ sancti Gregorii, quâ declarat, quòd Episcopi sive in sedendo, sive in subscribendo sequi debeant ordinem, sive tempus ordinationis: *Verum*, ait, *tempus ordinationis non ad Ecclesias, sed ad personas refertur; sicut ex consuetudine Cardinalium sancta Romanæ Ecclesiæ, & Episcoporum uniuscujusque Provinciæ evidenter apparet.*

DISTINCTIO XVIII.

Conciliorum Episcopalium authoritatem contra pristinam disciplinam restringit Gratianus.

HAc distinctione prosequitur Gratianus tractare de Conciliis Provincialibus Episcoporum: præfigit autem hunc titulum: *Episcoporum igitur Concilia, ut ex pramissis apparet, sunt invalida ad definiendum & constituendum, non autem ad corrigendum: sunt enim necessaria Episcoporum Concilia ad exhortationem & correctionem, quæ etsi non habent vim Constitutionis, habent tamen authoritatem imponendi & indicendi, quod alias statutum est, & generaliter seu specialiter observari preceptum.*

Sane Canones hic à Gratiano relati, Conciliis Episcopalibus authoritatem non tantum corrigendi aut puniendi, sed & authoritatem Canones & Decreta edendi, attribuunt: neque ante Gratianum hanc authoritatem hisce Conciliis ullus negare præsumpsit, uti ostendit de Marca Lib. 6. cap. 14. *de Concord. Sacerd. & Imperii*, concludens num. 13. *Quapropter*, ait, *merito reprehendendus Gratianus, qui novum jus introducere conatus est in Decreto suo; nimirum posse quidem Concilia hæc causas judicare, & criminibus debitas pœnas imponere, non tamen novos Canones condere, non constituere aliquid vel definire, ut ipse loquitur in Distinct.* 18.

Verisimile est, Gratianum hanc limitationem circa authoritatem Conciliorum Episcopalium excogitâsse, ut Canones hîc relatos conciliare videretur cum fragmentis è falsis Decretalibus per ipsum præcedenti distinctione relatis, in quibus asseritur, *Non esse ratum Concilium, quod authoritate Romanæ Ecclesiæ fultum non fuerit*, uti habet summarium fragmenti falsæ Decretalis Julii I. relati Can. 2. vel ut habet summarium Can. 6. *Provincialia Concilia sine Romani Pontificis præsentiâ pondere carent.* Cum enim Gratianus videret non posse negari, Concilia Provincialia juxta Canones Antiochenos, aliosque, etiam bis in año, convocanda & celebranda esse, nullâ de authoritate aut præsentia Romani Pontificis ejusve approbatione, aut ejus Legati præsentia factâ mentione, conciliationis gratiâ, & ut interim ipsa Concilia quodammodo Romani Pontificis authoritati subjiceret effectumque sive executionem ab ejus approbatione dependentem redderet hanc circa eorum authoritatem condendi Canones limitationem adinvenit; quâ mediante, hæc Concilia sine authoritate Romani Pontificis celebrata omni fere pondere destituta essent, contrà pristinam consuetudinem per decem & amplius sæcula observatam.

Opinionem Gratiani amplexi sunt curiales Romani.

Licet autem assertum hoc à Gratiano omni authoritate destitutum inveniatur, nihilominus post evulgatum ejus Decretum, pro jure quasi receptum fuit, præsertim à Romanis curialibus, quia, uti rectè notavit D. Fleury in sua Historia Lib. 70. num. 28. non obstante, quod Gratianus plura contra Patrum disciplinam sine ulla authoritate asseruerit, & hactenus inaudita suo Decreto inseruerit; tanta equidem sæculis sequentibus ejus authoritas fuit, ut ipsius dicta quasi pro jure reciperentur. Verba ejus sunt: *Ainsi parle Gratien, mais de son chef, & sans alleguer aucune autorité de cette doctrine inouie jusques alors; & toute fois les siecles suivans l'ont embrassée sur sa parole: tout ce qui se trouve dans son decret a passé pour la plus pure discipline de l'Eglise, & on ne l'a point cherchée ailleurs pendant les trois siecles suivans.*

Et quidem Romanis annitentibus, præsentem Gratiani novam sententiam pro jure quasi invaluisse sæculis 12. 13. & 14. vel inde habemus, quòd his sæculis vix ulla legantur celebrata Episcoporum Concilia, nisi Sedis Apostolicæ Legati intervenirent, imò & præsiderent; nec Decreta nisi per ipsos probata, quin & formata, ederentur; uti notavi in *jure Ecclesiast. Part. 1. Titul. 21. cap. 3.* & latius in Supplemento.

Quin nec hodie ab hac Gratiani sententia recedunt Romani: licet enim agnoscant, Synodos Provinciales posse convocari & celebrari absque

speciali

Quin & ad eam opinionem conantur inflectere decretum Concilii Tridentini.

speciali licentia Sedis Apostolicæ, aut præsentia Legati; quin & decreta ab eis concipi & condi; nihilominus insistendo Gratiani decreto, sustinent hæc decreta publicari non posse, & consequenter non obligare, nisi prævie fuerint Romæ revisa & examinata, uti probat declaratio Congregationis Cardinalium pro interpretatione Concilii Tridentini data anno 1594. his verbis expressa: *Decreta, quæ in Conciliis Provincialibus conduntur, publicari non debent inconsulto Romano Pontifice.*

Hujus declarationis meminit Petrus de Marca lib. 6. cap. 14. num. 13. notatque, quòd hæc Congregatio per hanc declarationem auctoritatem Conciliorum Provincialium quibusdam limitibus circumscribendo, verbis decreti Concilii Tridentini vim apertam intulerit, uti & latius deduxi in supplemento ad *partem* 1. *juris Eccles. tit.* 20. *cap.* 3. *num.* 3.

Cæterum de tempore, quo hæc Concilia Provincialia celebranda sint ex præscripto Canonum, quæ hic à Gratiano referuntur; nec non de obligatione Episcoporum ad ea accedendi, uti & de causis, quæ ab accessu excusant, & forma, quâ hæc excusatio intimanda sit, plenius deduxi in jure Ecclesiastico part. 1. tit. 20.

DISTINCTIO XIX.

De auctoritate decretalium Romanorum Pontificum.

HAc distinctione agit Gratianus de epistolis decretalibus Romanorum Pontificum, earumque auctoritate.

Itaque initio distinctionis ait: *De epistolis decretalibus quæritur, an vim auctoritatis obtineant, cum in corpore Canonum non inveniantur.*

Hic à Gratiano intelligi famosas decretales per pseudo-Isidorum primis Pontificibus suppositas; & per corpus Canonum codicem Dionysii Exigui manifestum est ex his, quæ producit pro resolutione quæstionis, & notanter pro asserenda decretalium auctoritate.

Adfert enim Can. 1. pro resolutione quæstionis propositæ prolixum fragmentum epistolæ Nicolai I. Papæ ad Episcopos Galliæ, inter quos tunc temporis & eruditione, & auctoritate, ac zelo pro tuenda Ecclesiastica disciplina eminebat Hincmarus Rhemensis: in hac epistola contendebat Nicolaus contra hos Episcopos adstruere harum decretalium authoritatem, licet in codice Canonum non reperirentur.

Utrum objectionem Episcoporum Galliæ, ac signanter Hincmari Rhemensis contra harum confictarum decretalium auctoritatem sat solidè solverit Nicolaus, meritò ambigi posset. Cæterum responsum Nicolai probavit Gratianus, atque de harum decretalium auctoritate, sinceritate & veritate nullatenus dubitans, eas in confirmationem suorum dictorum sparsim adducit; notatque D. Fleury, quòd iis innixus in omnibus faveat novellis prætentionibus curiæ Romanæ, *Il favorise*, ait in sua Historia Ecclesiastica lib. 20. num. 28. *par tout les nouvelles pretentions de la Cour de Rome, fondée sur les fausses Decretales.*

Opinio Gratiani de harum decretalium auctoritate.

Post hæc pro adstruenda in generali omnium sanctionum Sedis Apostolicæ auctoritate, adducit sub nomine Agathonis quædam verba sub hoc summario: *Omnes sanctiones Apostolicæ Sedis irrefragabiliter sunt observandæ.*

V. Espen. Comment. ad Decret. Grat.

Ad hanc Gratiani sententiam reflectens Ludovicus Hericourt in sua Analysi monet, quod sicuti tempore Nicolai I. contendebant Episcopi Gallicani, decretales vim legis non habere, dum in *codicem Canonum* non erant relatæ; ita etiam hodie prætendant? *Que les Bulles des Papes, n'ont force de loi en France, que quand elles ont ete confirmees par des Lettres Patentes enregistrees du Parlement, acceptees par les Pasteurs, & publiees dans leurs Dioceses.*

Eandem quoad Bullas Pontificias esse praxim Belgicam, latè ostendi in tractatu de Promulgatione Legum, seu Placito Regio.

Ut Gratianus eam auctoritatem decretorum Sedis Apostolicæ amplius confirmet, profert Canone 3. decretum, cui hoc præfigitur summarium: *Tolerandum est jugum, quod à sancta Sede imponitur, licet importabile videatur.*

Id autem in decreto his verbis exprimitur: „In memoriam B. Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam & Apostolicam Sedem; ut quæ nobis Sacerdotalis est mater dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ magistra rationis: quam servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur jugum, tamen feremus, & piâ devotione toleremus.

Hoc decretum juxta Correctionem Romanam extat quasi desumptum ex *Capitulis Caroli Imperatoris*; notaturque extare apud Burchardum sub nomine *Concilii Triburiensis cap.* 30. quod & notavit Stephanus Baluzius in additione ad cap. 16. lib. 2. Petri de Marca *de Concordia Sacerdotii & imperii*; ubi monet verisimiliter Patres Triburienses verba illa mutuâsse ex legibus Caroli, atque ita legem fecisse suam, quam approbaverunt: "Sed utcumque, ait, se res habeat magni momenti sunt verba istius capitis: nam cum auctor vellet gratificari Romano Pontifici in causis Ecclesiasticæ disciplinæ; videretque hoc pacto nonnullas tentari contra consuetudines receptas, usus olim erat in Concilio Sardicensi Osius Cordubensis Episcopus, ut Episcoporum dejectorum appellationes ad Romanam Sedem approbari curaret ab eadem synodo, nimirum adducta reverentia, quæ B. Petro, sedique ejus debetur.

Monet præterea, quòd hæc formula, *& nomen beati Petri* ad conciliandam Sedi Apostolicæ & ejus decretis majorem reverentiam frequenter assumatur.

Canone 4. adducit Gratianus supposititium decretum sub nomine *Stephani Papæ* sub hoc summario: *Quidquid Romana Ecclesia statuit vel ordinat ab omnibus observandum est.*

Quin imo Canone 6. refert verba S. Augustini tanquam sumpta ex lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 8. cum hac epigraphe: *Inter Canonicas Scripturas decretales epistolæ connumerantur:* quibus videtur indicare Gratianus, quasi Augustinus etiam has decretales (de quarum auctoritate hâc distinctione agitur) inter *Canonicas Scripturas* connumerâsset; quod & Correctores Romani observâsse videntur: postquam enim monuerunt, caput hoc apud Augustinum aliter haberi, quàm retulit Gratianus; post ibidem relatam Augustini sententiam addunt: *Quæ quidem beati Augustini sententia, non ad decretales Romanorum Pontificum; sed ad Canonicas & sacras Scripturas referenda est.*

Addit Canone 7. textum ex epistola S. Leonis ad Episcopos Viennenses sub hoc summario: *Ministerii*

nisterii divini se exortem intelligat, qui à soliditate Petri recedit.

An Pontifices in suis decretis recedere possint à Patrum decretis & Evangelicis præceptis

Quantumvis autem Gratianus hac distinctione omnia etiam apocrypha,& ad alienum sensum detorta impenderit ad adstruendam &amplificandam auctoritatem decretalium & decretorum Sedis Apostolicæ; nihilominus ad calcem hujus Canonis 7.(in quo refertur fragmentum epistolæ S.Leonis magnificè de Petri prærogativa loquentis;) subdendum censuit sequens monitum: *Hoc autem intelligendum est de illis sanctionibus vel decretalibus epistolis, in quibus, nec præcedentium Patrum Decretis, nec Evangelicis præceptis aliquid contrarium invenitur.*

Hoc monitum videtur Gratianus subjecisse ob ea quæ de Anastasio II. Papa erat dicturus: immediatè quippe post monitum subdit: *Anastasius enim secundus favore Anastasii Imperatoris, quos Acacius post sententiam in se prolatam Sacerdotes vel Levitas ordinaverat, rite fungi acceptis officiis debere decrevit.*

In his quæ de Anastasio Papa refert Gratianus, erravit.

Post hæc Canone 8. relato sub hac inscriptione: *Anastasius secundus ad Anastasium Augustum epistola* 1. *cap.* 7. *&* 8. ita subdit Gratianus: "Quia ergo illicitè & non canonicè; sed „contra decreta prædecessorum & successorum „suorum hæc rescripta dedit, (ut probant Felix & „Gelasius, qui Acacium ante Anastasium excom„municaverunt,& Hormisda,qui ab ipso Anasta„sio tertius,eundem Acacium posteam damnavit;) „ideo ab Ecclesia Romana repudiatur, & à Deo „percussus legitur fuisse.

Dein Canone 9. refert, quomodo hic Papa favore Anastasii Imperatoris ad Pontificatum evectus sit, volueritque contra decreta suorum prædecessorum Acacium jam damnatum in suam communionem recipere; atque fuerit eam ob causam reprobatus; & à Deo percussus, quod in summario Canonis ita exprimitur: *Anastasius II. à Deo reprobatus, nutu divino percussus est.*

Verum hic notant Correctores Romani, Gratianum in his,quæ hic de Anastasio II. Papa dixit, in multis errasse; monetque Stephanus Baluzius in notis ad citatum Canonem 9. "Certum est, „permulta in hoc capite esse, quæ non congru„unt cum fide historiæ; neque tamen propterea „accusandus est Gratianus, cùm ille non sit au„ctor istius narrationis, quam accepit ex veteri li„bro Pontificali Romanæ Ecclesiæ.

Et ante hos Didacus Covarruvias *lib.* 4. *variar. Resolut. cap.* 13. solidè evicit, Gratianum errâsse in his, quæ de hoc Pontifice attulit Can. 9. sed & una monet num. 1. "Cæterum Albertus „Pighius *lib.* 4. *de Ecclesf. Hierarch. cap.* 8. mul„tam adversus Gratianum excandescit in iram, „pio quidem animo, & ferventissimo in Aposto„licæ Sedis majestatem zelo: quippe qui omni „conatu contendat, summos Pontifices, qui post „Petrum sedem illam obtinuere, à labe hæresis „prorsus immunes fuisse.

Errorem hunc Gratiani etiam notavit Antonius Augustinus Lib. 1. Dial. 6. cùm enim unus collocutorum dixisset: "Non persequar hæc latius; „cùm id satis acerbè Albertus Pighius & alii pro„sequantur; Respondet Antonius Augustinus: *Modestiam in eis requiro, sed causæ suæ inserviunt*

Non sine fundamento proinde notarunt hìc Correctores Romani, quòd circa ea,quæ de Anastasio II.Papa dixit Gratianus, *in multis erraverit:* sed optandum esset, ut in notandis cæteris Gratiani erroribus tam soliciti fuissent: At verendum, ne de ipsis dici queat, quod de Pighio alisque dixit Antonius Augustinus; *sed causæ suæ inserviunt.*

Interim ex his, quæ occasione Anastasii Papæ scripsit Gratianus, dubitari non potest, quin supposuerit & existimaverit,fieri posse,ut aliquid inveniatur in decretis Romanorum Pontificum, quod *Decretis præcedentium Patrum aut Evangelicis præceptis contrarietur:* quod & aliis locis sat apertè indicavit, uti in sequentibus notabitur.

De his autem quæ Canone 10. dicit Gratianus de Maximo Cynico, & à Correctoribus Romanis circa hæc annotantur, videri poterunt notata ad Canonem 4. synodi Constantinopolitanæ primæ in tractatu Historico-Canonico Part. 2. cap. 1. §. 13.

DISTINCTIO XX.

De auctoritate decretalium comparata ad expositiones S. Scripturæ.

HAc distinctione disserit Gratianus de auctoritate decretalium Romanorum Pontificum comparata ad expositiones sacrarum litterarum: „Nunc,inquit, quæritur de Expositionibus (aliàs „Expositoribus) sacræ Scripturæ, an exæquentur, „an subjiciantur eis: quo enim quisque magis ra„tione nititur, eo majoris auctoritatis ejus ver„ba esse videntur: Plurimi autem tractatorum, „sicuti pleniori gratiâ Sancti Spiritus,ita amplio„ri scientiâ aliis præcellentes,rationi magis adhæ„sisse probantur: unde nonnullorum Pontificum „constitutis Augustini,Hieronymi,atque aliorum „tractatorum dicta videntur esse præferenda.

In judiciis ferendis prævalet auctoritas Prælatorum: in interpretandis SS. Scripturis prævalet auctoritas SS. Patrum.

Deinde immediatè ita prosequitur: "Sed aliud „est causis terminum imponere: aliud sacras Scrip„turas diligenter exponere. In negotiis defini„endis, non solùm est necessaria scientia, sed eti„am potestas. Unde Christus dicturus Petro: „*Quodcunque ligaveris super terram, erit liga„tum & in cœlis, &c.* prius dedit sibi claves regni „cælorum; in altera dans ei scientiam discernendi „inter lepram & lepram, in altera dans sibi pote„statè ejiciendi aliquos ab Ecclesia vel recipiendi.

His præmissis quæstionem ita resolvit: "Cum „ergo quælibet negotia finem accipiant, vel in „absolutione innocentium, vel in condemna„tione deliquentium; absolutio verò vel con„demnatio, non scientiam tantùm, sed eti„am potestatem præsidentium desideret; appa„ret, quod divinarum tractatores Scriptura„rum, etsi scientiâ Pontificibus præemineant, „tamen, quia dignitatis eorum apicem non „sunt adepti, in sacrarum quidem Scriptura„rum expositionibus eis præponuntur; in causis „verò definiendis secundum post eos locum „merentur.

Censet itaque Gratianus in decidendis sive judicandis causis & edendis decretis expositiones S. Scripturæ, etiam SS. Patrum, cedere decretis & decisionibus, utpote quibus auctoritas ligandi & solvendi; necnon causas decidendi data est: at in sacrarum Scripturarum expositionibus eis Pontificum decreta postponi.

Idem censuerunt Patres Concilii Toletani XIV.

Hanc sententiam de expositionibus sacrarum Scripturarum per SS. Patres factis præferendis summorum Pontificum decretis, sæculo septimo secuti Episcopi Hispani leguntur: cùm enim anno 686. in Concilio Toletano XIV. præsidente S. Juliano Archiepiscopo Toletano concepissent confessionem fidei 16. Capitulis constantem, eamque ad Benedictum II. Papam misissent, intellexerunt in hac confessione quatuor Capitula Benedicto displicere.

Igitur

Igitur rursus biennio post congregati in Concilio Toletano XV. decreverunt hæc quatuor Capitula conferre cum dictis SS. Patrum; at cum post factam collationem ea reperissent consona doctrinæ & expositionibus SS. Ambrosii Augustini, & Fulgentii, pronuntiant: "Quos quia celebres in toto orbe Doctores feriata Ecclesiarum „Dei vota percenseant, non illis est succensendum, sed potius succumbendum; quia omne „quod contra illos sapitur, à rectæ fidei regula abhorrere sentitur.

Deinde subjicere non verentur: "Jam vero si „post hæc, & ab ipsis dogmatibus Patrum, quibus hæc prolata sunt, in quocumque dissentiant, „non jam cum illis est amplius contendendum, „sed, majorum directo calle inhærentes vestigiis, „erit per divinum judicium, amatoribus veritatis responsio nostra sublimis, etiamsi ab ignorantibus æmulis, censeatur indocilis. Hæc latius habentur, tom. 6. Conc. colum. 1303.

Hæc dirigi contra Romanos, quorum super articulis judicium postulaverant, contextus probat, & notavit D. Fleury in sua historia lib. 40. num. 40.

Ex quibus evidens est, hos Patres non secus ac Gratianum existimasse, quod dum agitur de sensu Scripturæ sacræ, expositiones SS. Patrum decretalibus Pontificum simpliciter cedere non debeant.

Distinctionem hanc absolvit Gratianus tribus Canonibus, quorum primo exhibetur fragmentum epistolæ Leonis IV. ad Episcopos Britaniæ, quæ extat integra tomo 10 Conciliorum Generalium colum. 30. Huic fragmento præmittit Gratianus hoc summarium: *Aliorum scripturæ Romanorum Pontificum decretis non sunt præponendæ;* scilicet in *judiciis* & *causis* decidendis, uti ex verbis Gratiani præcedentibus, necnon contextu relati fragmenti manifestum est. Unde in integra epistola, huic fragmento præfigitur hoc summarium: *Per quæ decreta debeant judicare Episcopi.*

Quæ sint decreta juxtaq; causas debent decidere Episcopi

Quæ autem sint decretales Pontificum, per quas judicare debeant, in principio declaratur his verbis: *Quæ habentur apud nos simul cum Canonibus*, sive, uti legitur in integra epistola, & hic in nota marginali, *in Canone.*

Porro ex Canonibus Conciliorum & decretis Pontificum, quæ hic recitat Leo, & de quibus testatur, quod his ipsi Romani in *judiciis* uterentur, esse Canones Conciliorum, & decretales & decreta præsulum Romanorum, quæ in codice *Dionysii Exigui* continebantur, manifestum est; & consequenter ea ætate hunc codicem apud Romanos auctoritatem adhuc obtinuisse, ut juxta Canones & decreta Romanorum Pontificum in eo contenta judicare deberent Episcopi, quod & notavit de Marca, *lib. 3. de Concord. Sacerd. & Imper. cap. 4. num. 5.* qui ibidem recte reflectit, Leonem auctoritatem falsarum decretalium primis Pontificibus suppositarum non agnovisse:

Sæculo IX. codice Dionysii Exigui utebatur Ecclesia Romana.

„Etenim supposititiis antiquorum Pontificum „epistolis, ait, quæ jam à sexaginta annis sub Isidori nomine consarcinatæ, per Europam sparsæ vulgabantur, locum inter Canones dare noluit; hæc est enim verborum illorum sententia, „cum de regulis decretalium loquitur, id est, *Quæ „habentur apud nos simul cum illis in Canone* statimque non Anacleti, non Evaristi, cæterorumque Pontificum ψευδεπιγράφους epistolas enumerat, „sed Sirici, Innocentii, Zozimi & aliorum Pontificum, quæ habentur in collectione Dionysii.

V. Espen Comment. ad Decret. Grat.

Post hæc merito monet: "Quare quod Leo „Pontifex ad cætera decreta Sylvestri Canones „adjungit, omnino delendum est; quia, sine dubio vitio scriptoris in textum irrepsit, præsertim cum illa tempestate nondum Canones *Sylvestri* nec apud Sedem Apostolicam, nec apud „provincias recepti fuissent, ut docet Hincmarus.

Post relatos Canones & regulas decretalium, quæ in collectione Dionysii continebantur, subjungit Leo:" Isti omnino sunt, & per quos judicant Episcopi, & per quos Episcopi simul judicantur & Clerici. Judicium non obscurum quod Leo censuerit auctoritatem harum decretalium Romanorum Pontificum, urgendam non esse; eo quod cum aliis Conciliorum Canonibus insertæ non reperiantur in Canone sive codice Dionysii Exigui, quo tunc utebatur Romana Ecclesia. Proinde probasse videtur Leo argumentum quo eo sæculo IX usus fuisse legitur Hincmarus Rhemensis contra Nicolaum I. Papam auctoritatem falsarum decretalium urgentem; quia in *codice Canonum* non haberentur descriptæ, uti supra ad *Distinctionem* 19. notatum est.

Decreta relata sub nomine Nicolai & Innocentii sunt suspectæ fidei.

Circa decretum sub nomine Nicolai I. hic relatum Canone 2. ad asserendam decretalium auctoritatem, exigui ponderis est, uti tum ex dictis præcedenti distinctione; tum ex notatis circa fragmenta sub nomine hujus Pontificis per Gratianum sparsim producta videri poterit.

Non majoris ponderis est decretum sub nomine Innocentii Papæ relatum, Can. 3. uti ex nota Correctorum Romanorum intelligi potest: expresse enim monent, nec inter epistolas Innocentii I. reperiri, nec Innocentio II. adscribi posse; eo quod idem referat Burchardus Innocentio II. anterior; ac proinde solius Burchardi fidei (è quo Gratianus verisimiliter transcripsit) innitatur.

DISTINCTIO XXI.

Postquam Gratianus viginti distinctionibus egit de Canonibus ac decretis Pontificum, quibus negotia Ecclesiastica terminantur, hac distinctione & subsequentibus usque ad finem hujus primæ partis sui decreti, tractare aggreditur de Ministris Ecclesiæ eorumque origine, institutione officiis, qualitatibus, electione ac ordinatione, uti ipse in Proœmio huic distinctioni præfixo exponit.

Hic incipit tractatus Ordinandorum: unde sit dictus.

Distinctionem exorditur Canone 1. per prolixum fragmentum desumptum ex *lib. 7. Etymol. cap. 12.* S. Isidori, cui hoc præmittit summarium *Unde nomina Ecclesiasticorum graduum sumantur.*

Unde sumantur nomina Clericalium graduum.

Et sane Isidorus in hoc fragmento exponere conatur, incipiendo ab ipso Clericatu, unde singuli gradus, sive ordines suum nomen mutuaverint; atque ostendit omnes à suis officiis sive ministeriis nomen accepisse; hancq; Isidori expositionem hodie tam Theologi quam Canonistæ amplectuntur

De Primatu Romani Pontificis

Post hæc agit Gratianus hac distinctione de primatu Romani Pontificis; profertque Canone 2. fragmentum epistolæ 2. Anacleti ad Episcopos Italiæ sub hoc summario: *Romana Ecclesia à Christo primatum accepit;* extatque integra, *tom. 1. Concil. General.* cum duabus aliis eidem Pontifici adscriptis, sive per pseudo Isidorum affictis, uti ibidem notavit Labbæus: proinde nihil solidi ex hac conficta epistola pro primatu Ecclesiæ Romanæ à Christo collato concludi potest.

Varia hic supposititia referuntur

Hoc merito hic notatur, quod licet hic epistolarum decretalium confictor totus fuerit ad ampli-

plificandas Romani Pontificis prærogativas; nihilominus postquam dixit: " In Novo Testamento post Christum Dominum à Petro "Sacerdotalis cœpit ordo: quia ipsi primo "Pontificatus in Ecclesia Christi datus est, Do„mino dicente ad eum: *Tu es Petrus, & super* „*hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, &* „*portæ inferi non prævalebunt adversus eam,* "*& tibi dabo claves regni cœlorum.* Hic ergo "ligandi atque solvendi potestatem primus ac„cepit à Domino; primusque populum virtute „suæ prædicationis adduxit: addere non dubi„taverit: Cæteri vero Apostoli cum eodem pa"ri consortio honorem & potestatem accepe"runt. De hac pari auctoritate & potestate in „cæteris Apostolis, eorumque successoribus, latius actum est in supplemento ad *partem* 1, *ju*„*ris Eccles. tit.* 16. *cap.* 1.

Profert Canone 3. fragmentum sub nomine *Gelasii urbis Romæ Episcopi omnibus orthodoxis*, præfixo hoc summario: *Primatum Romanæ Ecclesiæ non aliqua synodus, sed Christus instituit.*

In margine autem ad initium Canonis notatur: *in decretis cum* 70. *Episcopis:* quibus verbis indicare voluit notator, verba hujus Canonis reperiri in decreto vulgo *Gelasiano de libris Canonicis & apocryphis* quod creditur editum à Gelasio in Concilio Romano cum 70. Episcopis, de quo videri poterunt notata ad Canonem 3. Distinctionis 15.

His præmissis tertia parte distinctionis monet Gratianus: " In his omnibus, quanto gradus cel„sior, tanto major auctoritas invenitur: in ma„joribus siquidem est regendi & jubendi pote„stas, in minoribus obsequendi necessitas.

Ut id probet, subjicit Canone 5. 6 7. 8. & 9. quinque fragmenta unius & ejusdem epistolæ Nicolai I. ad Michaëlem Imperatorem, quæ integra extat tom. 8 Concil. General.

Hanc partitionem advertens Antonius August. lib. 2 Dial. 12. " Poterat, inquit, si ex fonte „hausisset, uno capite omnia verba referre; sic or„dinem quoque epistolæ servasset, quod minime fecit. Quis dubitet Gratianum in adeo multiplices incidisse errores, quia sua ex fonte non hausit?

An Pontifex à nemine possit judicari?

In hac epistola potissimum probare contendit Nicolaus, Romanum Pontificem à nemine judicari posse, eumque in finem inter alia impendit acta suppositii Concilii, quod habitum dicitur in causa Marcellini Papæ, quod hodie passim ut fictitium rejicitur.

Recte hic notat Ludovicus de Hericourt, quod ex hoc principio, quod Papa sit primus inter Episcopos sive primatum habeat male concludat Nicolaus, Papam non posse judicari nec ab Episcopis, nec à Conciliis; eo quod inferiores non habeant auctoritatem in superiores: verba ejus sunt: *De ce principe, que le Pape est le premier de tous les pasteurs, le Pape Nicolas I. conclut que les Papes ne peuvent être jugez par des Eveques, ni par des Conciles; parce que les inferieurs n' ont point d' authorité sur les superieurs: c' est cependant mal à propos que les Ultramontains ont voulu conclure de ces authoritez, que le Pape ne pouvoit être jugé meme par se Concile Occumenique, pour ce qui regarde la foi, & la reformation generale: car ne Concile General tenant son pouvoir de Jesus-Christ, & représentant l' Eglise universelle a une jurisdiction sour tous ceux qui la composent.*

DISTINCTIO XXII.

Quæ inter Ecclesias primum locum obtineat? Quæ secundum, &c.

HAc distinctione inquirit Gratianus quæ sint inter Ecclesias reputandæ & habendæ majores: " Quia ergo, inquit, major à minori judica„ri non debet, videndum est, quæ inter cæteras "Ecclesias primum locum, quæ secundum vel ter"tium obtineat. Romana Ecclesia, sicut supra „dictum est, primum locum inter cæteras obti„net, Alexandrina secundum, Antiochena Eccle„sia tertium ab ea locum accepit.

Quod Romana Ecclesia primum locum inter cæteras obtineat probat Canone 2 per fragmentum epistolæ Nicolai II Mediolanensibus inscriptæ, & Canone 2. per fragmentum fictitiæ decretalis Anacleto suppositæ, quam & ipse Gratianus in multis mutilavit, uti ex notis Correctorum Romanorum patet, qui & ibidem reflectentes ad nomen *Cephas* in hac ficta decretali occurrens, multis hujus nominis significationem exponunt.

Cum autem Gratianus in proœmio hujus distinctionis secundum locum inter Ecclesias assignasset Ecclesiæ Alexandrinæ & tertium Ecclesiæ Antiochenæ conformiter ad Synodum Nicænam, post a ad sui temporis disciplinam reflectens, quæ secundum locum jam tum Episcopo Constantinopolitano assignabat, profert Canone 3. decretum Concilii Constantinopolitani I. quo decernitur: " Constantinopolitanæ civitatis Episco„pum habere oportet Primatus honorem post „Romanum Episcopum, propterea quod sit no„nova Roma.

Prærogativa concessa Episcopo Constantinopolitano non sine difficultate admissa fuit.

Ad hunc Canonem monent Correctores Romani: " Canon hic ex iis est quos Apostolica Ro„mana Sedes à principio & longo post tempore „non recepit. Hoc pluribus ibidem auctoritati"bus adstruunt, ac dein ex his concludunt: " "Quanquam Constantinopolitani Episcopi, Im„peratorum potentia freti, secundum locum Pa„triarchalium sedium sibi usurparunt; idque tan„dem pacis & tranquillitatis causa fuit ipsis con„cessum.

Quantumvis autem constet, Episcopum Constantinopolitanum ad majorem sensim dignitatem fuisse elevatum, postquam hæc civitas facta est imperialis; nihilominus & hoc constat, quod Romana Ecclesia inter Patriarchales semper manserit prima & *primatum* obtinuerit: quem in finem profert Gratianus Canone 4. fragmentum epistolæ S. Gregorii ad Joannem Episcopum Syracusanum, quæ est 12. lib. 4. in editione Benedictinorum, sub hac epigraphe: *Apostolicæ Sedi Constantinopolitanum constat esse subjectum.*

An recte arguantur Correctores Romani à Baluzio

Circa hunc Canonem plura notavit Stephanus Baluzius; atque imprimis monet, quod integra clausula incipiens à verbo *D. Piissimus*, usque ad verbum *profitentur*, desit in omnibus Gratiani antiquis exemplaribus & editionibus, etiam apud Democharem & Contium: " Adjecta ergo „est, ait à Correctoribus Romanis contra om„nium codicum & editionum fidem: & tamen "iidem cum soleant admonere, si quid propria "auctoritate ex originalibus, ut ajunt, addant in „contextu Gratiani, nihil hic admonuerunt, sed „locum hunc uno tenore ediderunt interpolatum „ac si Gratianus ita legisset. Qua audacia non vi"deo fieri quicquam posse audacius Merito tamen "hic consulenda est notata PP. Benedictinorum „ad citatam epistolam S. Gregorii nov. Edit. ubi „excusare nituntur Correctores Romanos.

Verum est quod hic notat Baluzius, in editione Antonii Contii prædictam clausulam non haberi quod vero idem Baluzius asserit eam in omnibus anti-

antiquis exemplaribus non haberi, ac per Correctores Romanos contra fidem omnium exemplarium adjectam, falsum id esse notat Petrus Gussant in notis ad hanc Epistolam Gregorii, ibidem de hac clausula ita disserens: *In nonnullis exemplaribus Gratiani deest hac clausula, scilicet in editione Parisiensi anni 1542. in Venet. 1588. & quibusdam aliis perpaucis: sed maxima pars tam M.SS. quam editorum Gratiani exemplarium eam continet; & merito, cum non aliter potuerit legere Gratianus quam legeret apud S. Gregorium; nam in omnibus M.SS. & editis ipsius Registri hac clausula continetur; & ita eam legerunt, quotquot occasione data hanc epistolam retulerunt, ut infra memorabimus; imo & ipse Jamesius, qui nullam vellicandi Gratianum & Correctores Romanos occasionem praetermittit, eandem clausulam retulit; utpote quae in sex M.SS. Anglicanis reperiatur: unde apposite sed prudenter suo more Correctores Romani clausulam hanc, quae in corruptis quibusdam exemplaribus deerat, restituerunt, ex incorruptis nimirum Gratiani codicibus, & ex purissimis S. Gregorii fontibus; neque vero monendos ea de re lectores duxerunt; nempe quia corruptos illos Gratiani codices, aut non viderunt, aut si viderunt, tanquam rem notis indignam, contemnendos censuerunt.*

Monet praeterea Baluzius post Baronium, in hac S. Gregorii epistola, non agi de Episcopo Constantinopolitano; sed de *Primate Byzantino* in Africa; adeoque Epigraphen praefatam, nec huic Canoni, nec epistolae convenire.

Can. 36. Trullanus multipliciter corruptus recitatur à Gratiano.

Canone 6. retulit Gratianus Canonem 36. Concilii Constantinopolitani II. vulgo in Trullo his verbis: "Renovantes sancti Constantinopolitani decreta Concilii petimus, ut Constantinopolitana Sedes similia privilegia, quae inferior Roma habet, accipiat; non tamen in Ecclesiasticis rebus magnificetur ut illa: sed haec secunda post illam existens, prius quam Alexandrina Sedes numeretur, dein Antiochena, & post eam Hierosolymitana.

Post haec subjicit Gratianus: "Hinc datur intelligi, quod Alexandrina Ecclesia de secunda facta sit tertia, & Antiochena de tertia sit quarta, nisi forte quis duas contendat esse secundas, ut Constantinopolitanam & Alexandrinam parem suae dignitatis velit locum obtinere.

Hic Canon, prout jam relatus est, legitur in decreto Gratiani in editione Antonii Contii ex editione Antuerpiensi anni 1570. quin & haec fuit constans lectio hujus Canonis apud Gratianum usque ad factam ac institutam Romanam correctionem sub Gregorio XIII. adeoque facile per quatuor saecula.

Certum est quod Gratianus in relatione hujus Canonis prodiderit vel suam crassam circa Canones ignorantiam; vel magnum pro amplificanda Ecclesiae Romanae praerogativa pruritum: quandoquidem aperte Canonem in alienum detorserit sensum.

Ac imprimis uti notavit Contius, & post ipsum Antonius Augustinus pro, *inferior Roma*, in Canone legitur *senior Roma*. Deinde in Canone fit mentio synodi Chalcedonensis, quam Gratianus omisit. Praeterea ita Canonem expressit & interpretatus est, ut quatuor duntaxat viderentur Patriarchae, scilicet Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus, subtracto è numero Patriarcharum Romano Episcopo, quasi hic in tantae esset dignitatis fastigium elevatus, ut inter Patriarchas numerandus non esset; cum tamen in Canone Trullano aperte inter Patriarchas primus numeretur: & in Novella 123. Justiniani quinque ordine designentur; sic tamen ut Episcopus Romanus constanter numeretur primus; adeo ut ejus primatus semper etiam à Graecis agnitus sit.

Auctoritate Gratiani desiit Pontifex Romanus inter Patriarchas numerari.

Gratianum caeco modo etiam errantem secuti Canonistae, Romanum Pontificem sensim è numero & ordine Patriarcharum expunxerunt, & quatuor duntaxat Patriarchas numerarunt; quos tandem secutus est Innocentius III. *in cap. Antiqua 23. X de Privilegiis*; ubi antiqua Patriarchalium Sedium Privilegia renovans, quatuor duntaxat expressit tanquam Patriarchales; sed Ecclesiam Romanam inter eas nequaquam reponit; sed de hac dicit: "Quae disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium & magistra.

Sed praecipuum circa hujus Canonis inversionem, an ex ignorantia an ex proposito commissam, Gratiani attentatum, versatur circa clausulam qua Episcopo Constantinopolitano praerogativa assignatur, quae in Canone per affirmationem ita legitur expressa: *Et in Ecclesiasticis ut ille rebus magnificat*: Gratianus vero negative hoc modo expressit: *Non tamen in Ecclesiasticis rebus magnificetur ut illa*: Hunc crassum errorem Gratiani, sensum Canonis plane invertentem, attendentes Correctores Romani pro hisce, *non tamen*, posuerunt, *necnon*, atque ita in decreto Gratiani correcto hodie legitur.

Tempore Concilii VIII. adhuc inter Patriarchas numerabitur.

Hanc distinctionem concludit Gratianus per fragmentum Canonis 21. Concilii VIII sub Adriano II. relatum hic Canone 7. Evidens est tum ex contextu Canonis tum etiam ex hoc fragmento, Sedem Romanam inter Sedes seu Ecclesias *Patriarchales* fuisse adhuc illo tempore numeratam, eique primum, Constantinopoleos autem secundum locum esse assignatum; atque de omnibus definivisse Concilium: "Neminem prorsus mundi potentum quemquam eorum qui Patriarchalibus praesunt Sedibus inhonorare aut movere à proprio throno tentare, sed omni reverentia & honore dignos judicare.

DISTINCTIO XXIII.

Exponit Gratianus in proœmio hujus distinctionis de quibus in ea & sequentibus usque ad finem hujus primae partis tractare intendat: "Breviter, ait, quae inter Ecclesiastica officia sit "differentia monstravimus, nunc à summo incipientes, & usque ad ultimum gradum descendentes, qualiter quisque eorum debeat ordinari, sanctorum auctoritatibus ostendamus.

Quae observanda in electione Romani Pontificis?

Primum agit de electione summi Pontificis, idque prolato. Canone fragmento prolixo decreti Concilii Lateranensis sub Nicolao II. quod integrum extat tom. 9 Concil. General.

Decretum Nicolai II. de hac electione ejusque occasio & historia describitur.

Porro pro intellectu hujus decreti, quo nova forma in electione Romani Pontificis praescribitur, praenotandum quod Stephanus Papa immediatus hujus Nicolai II. praedecessor, decretum edisset de electione novi pontificis, relatum in vita hujus Pontificis ex Leone Ostiensi tom. 9 Concil. General. colum. 1087: "Post haec congregatis intra Ecclesiam Episcopis, ait historicus, clero populoque Romano, sub districta nominis inhibitione constituit ut si antequam Hildelbrandus Romanae tunc Ecclesiae subdiaconus ab Imperatrice ad quam pro quibusdam Reipublicae negotiis

„gotiis communi consilio mittebatur, rediret, se „mori contingeret, nullus omnino Papam eligere auderet: sed usque ad illius reditum Sedes „Apostolica intacta vacaret, ejus demum ordi„nanda consilio.

Verum non obstante hoc decreto, mox à morte hujus Pontificis, non exspectato reditu *Hildebrandi*: " Gregorius Lateranensis & Tusculanen„sis Comes, comperto Romani Pontificis obitu, „sociato sibi Gerardo Galesense, & Romanis po„tentibus aliquot, noctu cum armatorum turbis „Ecclesiam una pervadunt & Joannem Velitren„sem Episcopum, Mincium postea cognomina„tum Papam constituunt *Benedicti* nomine illi „imposito.

Ita ex Leone Ostiensi in vita Stephani legitur, additurque, quod nonnulli cardinales, inter quos & Petrus Damiani, huic electioni resistere & reclamare cœperunt; sed cum hi, qui elegerant, essent fortiores, *Hi omnes timore perculsi per varia loca fugere.*

Postquam autem Hildebrandus (qui postmodum fuit Pontifex dictus Gregorius VII.) à sua ad imperatricem legatione redisset, & Florentiæ mortem Papæ Stephani, ac electionem contra hujus decretum factam intellexisset, ad novam electionem processum est; & in pontificem elegerunt Episcopum Florentinum, qui dictus fuit Nicolaus II.

Hæc electio placuit Romanis & Germanis: Attamen de consilio hildebrandi factum est, ut per Principes Romanos, missa legatione ad Imperatricem, approbatio Regis Henrici, adhuc impuberis, postularetur; hæcque obtenta est; ac insuper nomine Regis demandatum Gothofredo Marchioni Tusciæ, ut hunc electum in urbem ducat, & Benedictum invasorem sedis ejiciat, quod & effectum est; & ita auctoritate Regis schisma extinctum, & electus in Pontificem sub nomine Nicolai II. pacifice Sedem Apostolicam tenuit.

Itaque primo sui Pontificatus anno, scilicet anno 1059. mense Aprili, synodum celebravit Romæ in Ecclesia Lateranensi cum centum & tredecim Episcopis, plurimis Abbatibus, Presbyteris & Diaconis; ipse eidem personaliter præsidens dixit: *Novit beatitudo vestra, dilectissimi fratres, & coepiscopi, inferiora quoque membra Christi non latuit, defuncto piæ memoriæ domino Stephano prædecessore nostro, hæc Apostolica Sedes, cui auctore Deo deservio, quot adversa pertulerit, quot denique per simoniacæ hæresis trapezitas repetitis malleis crebrisque tunsionibus subjacuerit; adeo ut columna Dei viventis jamjam pene videretur concussa nutare, & sagena summi piscatoris, procellis intumescentibus cogeretur in naufragii profunda submergi.*

Quæ fuerit præcipua ratio edendi illud decretum.

Evidens est, hæc præcipue respicere ad ea, quæ occasione electionis Joannis Episcopi Velitrensis in Pontificem sub nomine Benedicti contigerant: & quia prævidebatur in hac Romana Ecclesia, ob multitudinem ambientium Pontificale fastigium, id ipsum frequenter posse contingere, huic periculo occurrere volens hic Pontifex, præsenti decreto statuit, ut, " obeunte hujus Romanæ univer„salis Ecclesiæ Pontifice, in primis Cardinales „Episcopi diligentissime simul de electione tra„ctantes, mox Christi Clericos (alias Episcopos) „Cardinales adhibeant; sicque reliquus clerus & „populus ad consensum novæ electionis accedat, „nimirum præcaventes, ne venalitatis morbus „aliqua occasione subrepat: & ideo religiosissimi „viri præduces sint in promovenda Pontificis „electione reliqui autem sequaces.

Quinam eo tempore ad electionem Romani Pontificis concurrunt.

Ex his intelligitur, quod licet Clerus populusque Romanus ab electione novi Pontificis non videretur totaliter exclusus, tamen Episcopi & Clerus Cardinalis præcipuas partes, & pene totales in hac electione jam habere cœpissent, quodque *reliquus Clerus & populus ad consensum novæ electionis accederet*: quæ non obscure insinuant, novam electionem per Episcopos & Clericos Cardinales factam, cui reliquus Clerus & populus ad consensum accederet.

Nequaquam proinde negari potest, in hoc decreto non parum à forma & ritu electionis Romani Pontificis prioribus octo ut minus sæculis constanter servata recedi: antiquitus enim, nulla distinctione facta, inter Clerum Cardinalem & reliquum Clerum ac populum, ad hanc electionem, non secus atque ad cæterorum Episcoporum electionem, Clerus populusque vocabatur, eorumque consensu ac suffragiis electio perficiebatur; & consequenter, etiam in electione Romani Pontificis obtinebat sententia S. Leonis, quæ in hoc decreto proponitur: " Nulla ratio sinit, „ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Cleri„cis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à „comprovincialibus Episcopis cum Metropoli„tani judicio consecrati.

In Ordinatione Romani Episcopi Cardinales Episcopi vicem Metropolitani supplent.

Additur in hoc decreto: " Quia vero Sedes „Apostolica cunctis in orbe terrarum præfertur „Ecclesiis, atque ideo super: se Metropolitanum „habere non potest, Cardinales Episcopi procul „dubio Metropolitani vice funguntur, qui vide„licet electum Episcopum ad Apostolici culminis „apicem provehant.

Fatetur igitur Pontifex, quod licet Sedes Apostolica *Metropolitanum supra se habere non possit* nihilominus Episcopi Cardinales simul convenientes queant vice Metropolitani fungi, & quasi tanquam auctoritate synodi Provincialis electionem probent & electum ordinent: unde licet Romanus Pontifex inter Episcopos nullum agnoscat superiorem, qui ipsum judicandi auctoritatem habeat inde tamen perperam concluditur, quod Synodus *Generalis* ex omnibus Episcopis composita & Ecclesiam universalem repræsentans hanc auctoritatem non habeat, uti perperam conclusisse Nicolaum I. ad Canonem finalem distinctionis 21. notavimus.

Romani Pontificis electio ab Imperatore erat probanda.

Monet autem nominatim Pontifex ut electio hæc fiat: " Salvo debito honore & reverentia di„lecti filii nostri Henrici, qui impræsentiarum „Rex habetur, & futurus Imperator, Deo conce„dente, speratur, sicut jam sibi *concessimus*, & suc„cessoribus illius, *qui ab hac Apostolica Sede per„sonaliter hoc jus impetraverint.*

Indubie ea ætate adhuc Romanis persuasum erat, quod electus in Romanum Pontificem ordinandus non esset, nisi electio Imperatori, sive Regi Romanorum fuisset intimata, & ab eo probata, quemadmodum & in hac electione Nicolai factum fuerat, uti supra dictum est, atque eo tendit clausula decreti, *Salvo honore & reverentia dilecti filii nostri Henrici, &c.*

Romani prætenderunt ex privilegio Sedis Apostolicæ jus illud Imperatori concessum fuisse.

Sed & hoc ex integro contextu hujus clausulæ nequaquam obscurum est, auctores hujus decreti prætendisse hoc jus Regis, sive Imperatoris esse personale privilegiũ à Sede Apostolica impetrandum, quod & notavit D. Fleury in Historia Eccles. lib. 60. num. 31. ubi relata hac clausula Decreti, ait: *On fait ici passer pour un privilege personel*

le

le droit de l'Empereur, pour approuver l'election du Pape, quoique dans la suite de cette Histoire nous avons vû ce droit établi depuis plusieurs siecles: il semble que la Cour de Rome voulut se prevaloir de la minorité du Roi, Henri. De hoc Jure Regis & Imperatoris videri possunt dicta in supplemento ad *Part.* 1. *Juris Eccles. tit.* 13. *cap.* 3. *numero* 3.

Etiam extra Romam electio Pontificis fieri potest.

Declaratur deinde in prætato decreto, Quod „si pravorum atque iniquorum hominum ita per „versitas invaluerit, ut pura sincera atque gratuita „fieri in urbe non possit electio, Cardinales Epis„copi cum religiosis clericis catholicisque laïcis „licet paucis jus potestatis obtineant eligere A„postolicæ Sedis Pontificem, ubi congruere vide„rint plane, postquam electio fuerit facta, si bel„lica tempestas, vel qualiscumque hominum co„natus malignitatis studio restiterit, ut is qui ele„ctus est in Apostolica Sede juxta consuetudinem „inthronizari non valeat; electus tamen sicut ve„rus Papa, obtineat auctoritatem regendi Roma„nam Ecclesiam, & disponendi omnes faculta„tes illius quod beatum Gregorium ante suam „consecrationem fecisse cognovimus.

Electus in Pontificem, an regere possit Ecclesiam ante ordinationem?

Hæc respicere ad ea quæ in hac electione contigerant, ex prænotatis nequaquam obscurum est; sed notandum hoc decreto à pristina disciplina recedi, dum electo in Romanum Pontificem datur plenum jus regendi Ecclesiam, & proventus recipiendi, ac administrandi, antequam in Episcopum sit consecratus seu ordinatus. Primitus enim, tametsi rite electus, pro Pontifice non habeatur, nisi in Episcopum esset ordinatus, uti notavi in supplemento ad *Partem* 1. *Juris Eccles. tit.* 14. *cap.* 5. *num.* 7.

Denique concluditur decretum, adjecta pœnarum & multiplicium censurarum comminatione in decreti contraventores. Ex quo habemus quod ætate hujus synodi, id est sæculo undecimo, post receptas decretales cœperit decretis Romanis inseri censurarum comminatio.

De examine ordinandi in Episcopum.

Post hæc Gratianus multa miscet; atque imprimis Can. 2. refert formulam examinis juxta quam examinandus sit qui in Episcopum eligitur hæc formula, ex antiquo Ordine Romano descripta coincidit cum formula, juxta quam ex præscripto moderni Pontificalis Romani Episcopus in sua consecratione per consecratorem examinandus & interrogandus est, uti notavi in *Jure Eccles. Part.* 1. *tit.* 15. *cap.* 3. *num* 5. & deinde *num.* 6. notavi hoc examen in meram ritualem cæremoniam adhiberi; hocque plurimum differre à serio illo examine quod, sancti Patres in electione Episcoporum tantopere desiderarunt.

De qualitatibus requisitis in Clericis.

Dein Canone 3. profert Gratianus prolixum fragmentum ex S. Isidoro Hispalensi sub hoc titulo: *Qualis esse debeat Clericorum conversatio;* quod merito à clericis legitur, & in eo descripta præcepta & monita reperient, quæ singulatim exposui in *Jure Eccles. Parte* 1. *tit.* 2.

Satius est habere paucos sacerdotes bonos, quam multos insidoneos.

Rursus Canone 4. notandam admodum ac verissimam profert sententiam ex epistola 2. decretali per Isidorum Clementi I. supposita; „Tales ad ministerium eligantur clerici, qui di„gne possint dominica Sacramenta tractare: me„lius est enim Dominii Sacerdotii paucos habere „ministros, qui possint digne opus Dei exercere „quam multos inutiles qui onus grave ordinato„ri adducant.

Hic habemus, quod in præfatione monuimus, plura in suppositis & confictis per Isidorum vulgo Mercatorem notanda occurrere utilia, si hæc ab adjectis & inspersis ab Isidoro fœtidis mercibus sedulo secernantur.

Promissio specialis plus attenditur quam generalis.

Notandum etiam quod Canone 6. refertur ex Concilio Toletano: „Quamquam omnes „qui sacris mancipantur Ordinibus, canoni„cis regulis teneantur adscripti, expedibile ta„men est, ut promissionis suæ vota sub cau„tione spondeant, quos ad promotionis gra„dus Ecclesiastica probat disciplina: *Solet e„nim plus timeri quod* SINGULARITER *polli„cetur, quam quod* GENERALI *sponsione con„cluditur.*

De ritu collationis singulorum ordinum.

Prosequitur Gratianus ostendere, qualiter singuli inferiores ordines conferantur prolatis eum in finem pluribus Canonibus sub nomine Concilii vulgo Carthaginensis IV. in quibus ritus singulorum, qui & hodie in usu est, exprimitur; & una designatur functio singulis ordinibus propria uti in *Jure Eccles. Parte* 1. *tit.* 1. & *Parte* 2. *tit.* 9. exposuimus.

De usu orarii jam pridem usitato.

Miscet & alia nonnulla Gratianus, atque inter cætera Canone 9. ex Concilio Bracarensi II. refert: „Ecclesiastica & antiqua institutione præ„fixum novimus, ut omnis sacerdos, cum ordina„tur, *orario* utroque humero ambiatur, scilicet ut „qui imperturbatus, præcipitur consistere inter „prospera & adversa, virtutum semper ornamen„to, utroque circum septus appareat hu„mero.

Ex eodem Canone intelligitur, eo tempore fuisse, quosdam presbyteros, qui tempore sacrificii *orarium* non assumerent, quare subjungit: „Proinde modis omnibus convenit ut quod quis„que percepit in consecratione honoris, hoc reti„neat & in oblatione vel perceptione suæ salutis, „scilicet, ut cum sacerdos ad solemnia missarum „accedit, aut per se Deo sacrificium oblaturus aut „sacramentum corporis & sanguinis Domini „nostri Jesu Christi sumpturus, non aliter accedat, „quam orario utroque humero circumseptus si„cut & tempore ordinationis suæ dignoscitur „consecratus; ita ut de uno eodemque orario cer„vicem pariter & utrumque humerum premens „signum in suo pectore præferat (sive perferat) „crucis.

Quæ vestis nomine orarii intelligitur

Quæ sacra vestis hic intelligatur nomine *orarii*, incertum est. Illud constat non fuisse eandem semper & ubique hujus ornamenti formam & significationem; uti videri potest apud *du Change* in Glossario mediæ & infimæ Latinitatis & ab eo citato, verbo, *orarium.*

Orarii usus in multis coinciditcum hodierno usu stolæ

Admodum verisimile est, in hoc Canone sumi pro *stola* sacerdotali, prout in Ecclesia Latina pro hoc ornamento sumptum fuisse tempore Caroli Magni habemus ex Alcuino, qui eo tempore scripsit, quamvis forsitan non ejusdem tunc esset formæ cum nostris hodiernis stolis sacerdotalibus.

Nec dubium apparet, quin ii qui modernas rubricas & sacrarum vestium usum præscripserunt, ea, quæ de orario hic præscripta repererunt, hodierno ornamento, quod stola dicitur, applicuerint, crediderintque *orarium* pro stola sumi.

Nam imprimis sicuti hic dicitur quod non liceat sine orario sacrificium offerre; ita nec hodie sine *stola* sacrificium *utroque humero circumseptus.*

Præterea juxta modernum ritum, licet stola cervicem non premat, tamen ex præscripto Ritualium observatur, ut stolam primum cervici, seu capiti imponat presbyteri.

Denique requirunt modernæ rubricæ, ut quemadmodum de orario dicitur in Canone, presbyter stolam de utroque humero pendentem in *modum crucis* plicatam per cingulum quo præcingitur, in pectore præfigat.

Ut proinde vix dubitari possit, quin auctor hodierni ritus respexerit ad hunc aliosque à Gratiano relatos Canones; atque ex hoc Canone etiam invaluisse, quod hodie presbyteri laïcaliter communicantes, ut feria quinta in Cœna Domini, etiam *stola* ex utroque humero pendente, induti communicent: dicitur enim in Canone, ut presbyter *sacramentum corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi sumpturus non aliter accedat, quā* ORARIO *utroque humero circumseptus.*

Inferiores ministri orariis uti non sinuntur. Et quare?

Meminit & *Orarii* Gratianus hac distinctione Can. 27. & 28. relatis ibidem Canonibus Laodicenis, quorum priore decernitur, *ministrum* (sive subdiaconum) *non oportet uti* ORARIIS: & Canone sequenti: *Non oportet lectores aut psalmistas* ORARIIS *uti, & sic legere aut psallere.* Rationem hujus inhibitionis reddit Zonaras; Ne subdiaconi, lectores vel psalmistæ utentes *orario* videntur *diaconi Officium usurpare:* Diaconis enim *orarium* dabatur, ut eo, ad exequenda sua officia & ministeria uti possent, uti ex Balsamone, Zonara aliisque fusius intelligi potest.

Probat & id Canon Concilii Toletani IV. relatus à Gratiano distinctione 25. Canone 3. sub hoc summario: *Sacerdos utrumque humerum orario ambit; Diaconus vero sinistrum tantum, ut ad ministerium expeditius discurrat.*

Quæ pristini orarii forma, & qualiter ab hodierna stolæ forma differat.

Ex quibus intelligitur, *orarium* eo tempore ejus formæ ejusque latitudinis fuisse ut in diaconis integrum humerum sinistrum tegeret; ejusque liberum usum impediret: in presbyteris vero utriusque humeri sive lateris liberum usum non permitteret; atque propterea necesse quodam modo erat, ut in elevatione Hostiæ & Calicis presbyter in utroque humero circumseptus *orario*, per assistentes ministros juvari deberet; ut scilicet liberum utriusque humeri sive lateris in hac elevatione usum haberet.

Hinc & hodiernus ritus remansit, levandi casulam sacerdotis in elevatione sacræ Hostiæ & Calicis. Similiter & hoc ex veteri disciplina remansit, quod nec subdiaconi, nec lectores aut psalmistæ *orario* sive stola utantur; item quod diaconi stolam in solo humero sinistro pendentem gestent: imo nonnulla in missis solemnibus per alios ministros proclamantur, quæ juxta veterum Patrum disciplinam solis diaconis erant propria, & per alios nequaquam expleri solebant; & quibus eorum etiam in ordinatione tradita instrumenta & sacræ vestes correspondebant. At hodie hæc omnia in mere externos ritus, qui vix ab aliquo intelliguntur transierunt; idque ob collapsam Patrum avitam disciplinam, uti in Jure Ecclesiastico sparsim notavi.

De usu Dalmaticæ.

Interserit hic Gratianus Canone 10. ex epistola Gregorii de veste, quæ dicitur Dalmatica, quæ hodie omnibus Episcopis est communis; sed tempore S. Gregorii, Episcopis Gallicanis à Romano Pontifice usum illius gratiose indultum fuisse, intelligitur ex hac epistola; quod & notavit D. Fleury in Historia Eccles. lib. 36. num. 10. cæterum de vario usu & forma hujus vestis videri potest du Cange, verbo, *Dalmatica.*

Qualiter autem unusquisque sit ordinandus, prosequitur hic Gratianus; atque incipiens Canone 7. ab ordinatione *Episcopi*, pergit pluribus Canonibus ex Concilio vulgo Carthaginensi IV. referens ibidem formam ordinationis, quæ etiam hodie quoad singulos ordines servatur.

De ministro Ordinum.

Hoc notandum quod omnium ordinum, etiam quatuor minorum, *Minister* dicatur Episcopus; de psalmista autem, seu cantore dicatur. Canone 20. Psalmista, id est *Cantor* potest absque „licentia Episcopi sola jussione presbyteri officium suscipere cantandi dicente sibi presbytero: „*Vide ut quod ore cantas, corde credas; & quod* „*corde credis, operibus comprobes.*

Admodum verisimile est, tempore editi hujus Canonis, officium psalmistæ, sive cantoris non fuisse reputatum inter officia minorum ordinum, saltem in Ecclesia Latina, uti notavi in Jure Eccles. Parte 2. tit. 9.

De coma Clericis vetita.

Nonnulla hic adjungit Gratianus de his, quæ clericos specialiter decent; atque inter cætera ex supposititia decretali Aniceti Papæ: *Ut Clerici juxta Apostolum comam non nutriant; sed desuper caput in modum sphæræ radant.* Et Can 22. ex Concilio Agathensi: *Clerici qui comam nutriunt, ab archidiacono, etiamsi noluerint, inviti detondeantur.* Quin & Can. 23. refert sub nomine Concilii Romani sub Gregorio II. *Si quis ex Clericis relaxaverit comam, sit anathema.* Denique sub nomine Concilii Martini Papæ refert Canone 32. *Nec oportet Clericos comam nutrire, & ministrare sed attonso capite patentibus auribus.* Hæc per errorem hic adscribi Martino Papæ aut ejus Concilio; sed esse desumpta ex collectione Martini Bracarensis scitur, & hic in margine notatur.

Cæterum de hac vetita comæ nutritione, necnon de rasione verticis in modum *sphæræ*, de qua in citata decretali Aniceto supposita latius egi in supplemento ad *Partem 1. Juris Eccles. tit. 2.* ubi ostendi quis sit verus Ecclesiæ scopus & spiritus in capillorum attonsione, quæ in pristinis & recentioribus synodorum decretis, & in collatione tonsuræ clericalis, jam dictæ rasioni verticis respondentis, exprimitur.

Clerici inferiores vetantur ingredi loca destinata superioribus.

Quemadmodum vetitum fuit Subdiaconis aliisque ministris inferioribus *orario* uti; ne eo utentes Diaconorum munia sibi arrogare velle viderentur; ita & *Diaconium*, seu *sacrarium*, aut *secretarium* intrare vetantur Can. 26. & 30. eo quod hæc loca Diaconis essent destinata & ipsis propria.

Subdiaconis & Clericis inferioribus vetitus sanctorum vasorum contactus.

Insuper additur, quod ministris seu subdiaconis non liceat *sacra vasa* contingere; quia proprium erat diaconorum officium vasa sacra cum oblationibus populi cum solemni pompa & ritu deferre ad altare; uti ex Morino notavi in Tractatu Historico Canonico *Parte 2. §. 12. ad Canonem 21. Laodicenum*; atque ibidem notavi, hic nequaquam agi de simplici & privato contactu sacrorum vasorum, sed de horum solemni gestatione ad altare, quæ tum temporis diaconis erat propria.

Sed & hoc scitur, circa hæc non eandem fuisse omnium Ecclesiarum & ætatum disciplinam; ac præsertim in multis fuisse Ecclesiæ Græcæ & Latinæ rituum diversitatem; qua proinde attentâ, non adeo difficilis erit Canonum conciliatio, qui subdiacono contingere vasa sacra permittere videntur: quales Canones sunt hic relati Can. 31. & 32. ex Concilio Bracarensi & collectione Martini Bracarensis.

De Ritu nuptiarum.

Concludens autem Gratianus distinctionē hanc adjungit etiam aliqua can. 33 de nuptiarū ineundarum ritu: Sponsus & sponsa, ait, cum benedi-

cendi

„cendi sunt à sacerdote, à parentibus suis vel pa-„ranymphis offerantur, qui cum benedictionem „acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius „benedictionis in virginitate permaneant.

Hoc decretum post Correctionem Romanam legitur sub hoc titulo: *item ex Concilio Carthaginensi IV. cap.* 14. monet autem Stephanus Baluzius in notis ad hunc Canonem :" Caput illud "nullam habet in scriptionem in antiquis Gratia-"ni exemplaribus & editionibus, etiam usque ad "Democharis & Contii tempora; sed quia De-„mochares & Contius in margine adnotaverant, „sumptum esse ex Canone 13. Concilii Cartha-"ginensis hinc audaces facti Correctores Roma-"ni, eam observationem transtulerunt in textum "Gratiani, fari coacti, quæ nunquam sciverat: „accepit enim haud dubie ex Burchardo aut Ivo-„ne, apud quos esse dicitur caput 101. Concilii „apud Valentias.

Hic rursus habemus, nos post Correctionem Romanam non habere opus hoc, prout à Gratiano editum fuit. Ulterius quod non è fontibus sua sumpserit, sed ex præcedentibus collectionibus, notanter Burchardi & Ivonis.

DISTINCTIO XXIV.

De examine Ordinandorum.

IN procemio hujus distinctionis, ait Gratianus:" Qualiter Episcopus sit examinandus,& "qualiter ipse simul cum reliquis infra ipsum con-"stitutis sit ordinandus, breviter monstratum est: "nunc autem videndum estde sacerdotibus & re-„liquis, an sine examinatione sint promovendi. „De his ita scribit Paulus ad Timotheum: *Ma-„nus nemini cito imposueris, & nihil sine praju-„dicio facias in alteram partem declinando.*

Huic præfatiunculæ in moderna decreti Gratiani editione subjicitur decretum sub nomine Sylvestri Papæ *in synodo Romana cap.* 9. sed imprimis norunt hodie eruditi, acta hujus synodi esse supposititia. Præterea in hoc qualicunque decreto nihil de examine Ordinandorum occurrit,de quo tamen se velle tractare in præfatiuncula monuit Gratianus; quin nec summarium huic decreto præfixum legitur; quale tamen cæteris decretis passim adscripsit Gratianus; ut proinde verisimile sit hoc decretum manu recentiore esse adjectum; quod & probat nota Correctorum Romanorum; utpote qui monent hoc caput quidem inveniri in exemplaribus Vaticanis: *Nam in antiquioribus.* inquiunt, *non est:sed post versiculum*, declinando, *sequitur continenter*, nullus ordinetur, scilicet decretum Concilii III. Carthaginensis sub hoc summario: *Ante probationem nullus ordinetur Clericus*,conficiens hodie Canonem 2 qui præfaitunculæ Gratiani omnino conveniebat.

Formula examinis ante Ordinationem instituendi.

Hinc manifestum est,admodum esse incertum, quid in hoc opere possit Gratiano reipsa adscribi. Inter ea quæ de hoc Ordinandorum examine hic adfert Gratianus, præcipuum est vulgare decretum Concilii Nannetensis relatum Can. 5. in quo forma examinis ab Episcopo servanda præscribitur, eo pene modo quo hodierna formula in Ritualibus & synodis est præscripta de qua latius actum in *Jure Eccles. Parte* 3. *tit.* 9. *cap.* 9. ubi ut à ostendi quod & hodie ex mente Ecclesiæ desideretur testimonium populi, de quo hic Canone 6. cujus est hoc summarium: *Alias autem sine clericorum videlicet consilio & populi testimonio nullum Episcopus ordinare præsumat.* Ex quibus admodum verisimile fit, Ritualium nostrorum auctores plurima è Gratiano decreta mutasse.

Quod Canone 6. refertur tanquam ex Concilio *Martini Papæ*, constat esse desumptum ex collectione & versione Canonum Græcorum Martini Bracarensis; estque Canon. 9. Nicænus, de quo videri possunt dicta in Tractatu Historico Canonico *Parte* 2.*cap.* 1. §. 2. *ad Can.* 9. & 10. *Nicanos & §.* 9. *ad Can. Neocæsariensem.*

DISTINCTIO XXV.

De muniis singulorum Ordinum Ecclesiasticorum.

GRatianus hac distinctione imprimis profert prolixum fragmentum epistolæ S. Isidori Episcopi Hispalensis ad Ludifredum, ut ostendat quid ad Episcopum, quid ad unumquemque inferiorem pertineat clericum.

Epistolà hac de re sub nomine Isidori male refert Gratianus.

Notant Correctores Romani quod integra hæc epistola habeatur in codice Bibliothecæ Monasterii Dominicanorum; sed Gratianum integram hanc epistolam non vidisse, aut consuluisse ostendunt,quæ ad hoc fragmentum ex ipsa epistola annotarunt Correctores Romani: atque inter alia notant ad verbum, *clamare*, " In epistola „S. Isidori & apud Ivonem ita legitur: *Ipse* (dia-„conus) *hortatur orare, ipse clamat & pacem ipse annuntiat.* Quæ lectio officium diaconi, tam juxta veterem, quam modernam disciplinam clarius exprimit, quam Gratiani lectio uti intelligi potest ex his quæ de diaconorum officio notavi in *Jure Eccles. Parte* 1. *tit* 2. *cap.* 3.

Insuper monent iidem Correctores ad verbum "*Archipresbyter*," Hinc usque ad verba, *ad "Primicerium*, non sunt in ipsa epistola Isidori, "neque in Panormia, neque apud Burchardum, „& *extra cap.* 1. *de Offic. Archipresbyteri* citan-„tur ex Concilio Toletano.

Verissima est hæc annotatio Correctorum; illa scilicet non haberi in epistola Isidori, neque in Panormia Ivonis, sed tamen habentur in decreto Ivonis, prout hodie extat Parte 6. cap. 20.

Occasio recentis disciplinæ de subjectione Archiepresbyteri respectu Archidiaconi.

Verum notat ad hunc locum Ivonis Joannes Molinæus doctor Lovaniensis:" Hæc non ha-"bentur in codice Regio, suspectaque mihi per-"petuo visa sunt, quod Archipresbyter subdatur "Archidiaconis; quod" vetustum non esse, in „Canonibus Conciliorum vel mediocriter versa„tus nemo ignorat.

Admodum verisimile est, Gratianum incidisse in exemplar decreti Ivonis, cum prædicta clausula, atque inde hoc fragmentum in suum decretum cum eadem clausula transtulisse.

Refertur quidem in decretalibus Gregorii IX. *in cap.* 1. *X. de Offic. Archipresbyteri*, clausula hæc de superioritate & auctoritate Archidiaconi super Archipresbyterum sub nomine *Concilii Toletani*; sed in nullo Concilio Toletano reperitur; nec Garcias Loisa voluit ea verba pro Canone Concilii Toletani agnoscere, unde verisimile est, ex decreto Gratiani in decretales dimanasse.

Quidquid sit,non dubium, hunc esse unum ex articulis, qui occasione decreti Gratiani contra Patrum disciplinam invaluit & receptus est, ut nimirum Archidiaconus præcedat Archipresbyterum, vel uti legitur apud Gratianum & in decretalibus, *ut Archipresbyter sciat se esse sub Archidiacono, & ejus præceptis, sicut Episcopi sui obedire.*

Cæterum quæ hic ex epistola Isidori de functionibus ordinum singulorum referuntur, consonant his quæ in moderno Pontificali Romano recitantur,uti ostendi in *Jure Eccles. Parte* 2.*tit.* 9. *de Sacramento Ordinis*: ut vel inde admodum probabile sit, quod sicuti Pontifices in suis decretalibus secuti sunt decretum Gratiani,ita etiam confecto-

co. f. ctores Pontificalis Romani eodem usi fuerint.

Post hæc, interjecto fragmento falsæ decretalis Clementi I. affictæ, necnon decreto Concilii Toletani IV. quo præcipitur ut Diaconus sive Levita *orarium* duntaxat ferat in sinistro humero, de quo diximus ad distinctionem 23. post hæc, inquam exponit de quibus agendum sit in sequentibus: Nunc autem, ait, per singulos gradus ordine recurrentes, qui, ex quibus ordinibus, in quem gradum conscendere possint, qui post lapsum valeant reparari, vel qui non: quibus culpis à proprio gradu mereantur dejici, quo accusante, quibus testificantibus possint convinci, cujus sententia sint absolvendi vel condemnandi breviter consideramus; ac primum à Pontificali gradu incipientes, qualem oporteat eum esse, qui in Episcopum est ordinandus, diligenter investigemus. Apostoli regulam secuti, quam in hujusmodi re Timotheo & Tito scribit dicens: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse*: id est non obnoxium reprehensioni: hoc ad Timotheum: ad Titum autem: *Oportet Episcopum sine crimine esse*, quod, ut Hieronymus scribit ad Oceanum, idem est.

De qualitatibus ordinandi in Episcopum.

Deinde prolixum discursum subjungit, in quo ostendere vult; quæ dici debeant delicta *mortifera*, quæ *venialia*: illa quidem *igne æterno punienda*; hæc autem *igne transitorio purganda*. Hic discursus conflatus est ex segmentis interpolatis & à suis originalibus dissonis, atque adeo obscure dispositis, ut vix intelligi queat quid velit, uti ex notis Correctorum Romanorum manifestum est.

Hoc interim sat indicat Gratianus, quod ordinandus in Episcopum debeat omni tempore post baptismum fuisse *sine crimine*: relatis enim Can. 6. verbis S. Hieronymi ex ejus commentario in epistolam ad Titum, quibus docet, quod ex mente Apostoli, Episcopum oporteat esse sine crimine, sive irreprehensibilem: Non quod eo tantum tempore, ait, quo ordinandus est, sine ullo sit crimine, & præteritas maculas nova conversatione diluerit, sed quod ex eo tempore quo in Christum renatus est, nulla peccati conscientia remordeatur.

Ordinandus in Episcopum debet fuisse immunis à crimine post baptismum.

His, inquam, relatis, concludit Gratianus distinctionem his verbis: "Ecce qui ordinandus est in Episcopum, non solum tempore suæ ordinationis, sed etiam omni tempore post baptismum à crimine immunis esse debet.

Rationem hujus puritatis in Episcopo necessariæ subjicit ibidem. Hieronymus: "Quomodo enim potest præses Ecclesiæ auferre malum de medio ejus, qui in delicto simili corruerit? aut qua libertate corripere peccantem potest, cum tacitus sibi ipse respondeat, eadem admisisse quæ corripit?

Ratio hujus puritatis in Episcopo requisitæ.

DISTINCTIO XXVI.

PErgens Gratianus describere & exponere qualitates ac conditiones, quæ in ordinando in Episcopum juxta Apostolum in epistola ad Timotheum & ad Titum requiruntur, agit hac distinctione de ea, quæ per Apostolum exprimitur his verbis; *unius uxoris vir*.

De qualitate Episcopi his verbis expressa unius uxoris vir.

Id unum Gratianus hac distinctione quærit, utrum ad sensum Apostoli censeatur verus bigamus, qui plures quidem habuit successive uxores; sed unam *ante baptismum*, & alteram *post baptismum*; ita ut post susceptum baptismum unam duntaxat duxerit & habuerit uxorem.

An sit bigamus censendus qui duas uxores habuit, unā ante, al. teram post baptismum.

Sub initium distinctionis videtur Gratianus eam amplecti sententiam, quæ requirit ut quis ad mentem Apostoli sit bigamus, quod duas duxerit successive uxores post baptismum: dicit enim; *Sequitur in utraque epistola*, UNIUS UXORIS VIRUM, *post baptismum videlicet, non ante baptismum.*

Variat hac de re Patrum sententias refert Gratianus.

Unde & in probationem adducit Can. 1. fragmentum. Epistolæ S. Hieronymi ad Oceanum, ubi hic doctor claris terminis scribit; quod is ad mentem Apostoli sit dicendus *unius uxoris vir* sive monogamus, qui *post baptismum* unam duntaxat uxorem duxit & habuit: Si enim & ante conjugem habuit, quæ obierit, non ei imputatur, cui prorsus novo homini, nec stupra, nec alia, quæ ante fuerunt, jam obsunt.

Verum immediate post relatum hunc textum S. Hieronymi, subjicit sententiam S. Augustini sub hoc summario: *Qui ante baptismum habuerit unam, & post baptismum aliam ordinandus non est.*

In eandem sententiam plures allegat Patrum auctoritates, notanter Innocentii I. nec non S. Ambrosii, quorum sententiam amplectitur, sic loquens ad calcem Canonis 4." Unde datur intelligi, quod bigami dicuntur, non solum qui post baptisma conjugia frequentant; sed etiam, qui ante baptismum alteram habuisse probantur; bigamus vero in sacerdotem ordinari non debet: non quia deliquerit secundam accipiendo uxorem; sed quia prærogativa exutus est sacerdotii. Et nominatim hæc sententia in decretalibus Gregorii IX. est expressa, atque in Ecclesia signanter Latina generaliter recepta, uti latius notavi in Jure Eccles. Parte 2. tit. 10. cap. 2. ubi & ostendi, Græcorum Patrum sententiam consonam fuisse sententiæ S. Hieronymi supra expressæ, eamque non obscure traditam esse in Canonibus vulgo *Apostolorum*, quodque Patres Græci rationem fundamentalem hujus irregularitatis crediderint plane diversam esse ab ea, quæ à Patribus Latinis, notanter ab Augustino fuit & hodie recepta est.

DISTINCTIO XXVII.

HAc distinctione Gratianus à suo instituto deflectens, arrepta occasione eorum, quæ de bigamia dixerat, hac distinctione quærit, utrum ordinati diaconi aut presbyteri debeant servare continentiam.

De castitate in Presbyteris & Diaconis requisita.

Et quidem Canone 1. profert Canonem 10. Ancyranum ex versione Martini Bracarensis sub nomine Martini Papæ, uti notavit Antonius Augustinus *lib.* 1. *de emendat. Grat. Dial.* 10.

Porro Martinum Bracarensem in hujus Canonis versione à verbis & sensu Canonis recessisse, & ad suæ ætatis & Ecclesiæ Hispanicæ praxim (ad cujus usum suum codicem conscripsit) inflexisse recte notavit Antonius Augustinus, quam versionem hic secutus est Gratianus, uti & monuit idem auctor.

Legit enim Martinus, & post ipsum Gratianus; Diaconus qui eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit non posse in castitate permanere, hic non ordinetur. In Canone autem de diaconis qui ita protestati fuerint, sic pronuntiatur: *Hi si postea ad nuptias venerint, maneant in ministerio.* Quæ omnino contrarium sensum reddunt. Cui sensui inhæsit Gratianus eo quod versionem Martini, quam apud Ivonem repetit secutus fuerit; & non attenderit ad textum Canonis originalem, prout ab ipsomet

ipsomet sequenti distinctione Can. 8. relatus est. De hac Gratiani oscitantia latius egimus in *Tractatu scholiorum in Canones Part. 3. cap. 2.*

Variæ circa hoc punctum Patrum sententiæ.

Post hæc pro resolutione propositæ quæstionis varias adducit auctoritates, quarum aliæ supponunt, matrimonium contractum post emissum votum castitatis esse validum; aliæ verò invalidum esse supponere videntur.

Ut illas concilii t Gratianus, distinguit inter votum simplex & solemne. At in eo à Patrum disciplina deflexit.

Has auctoritates volens conciliare Gratianus, ad calcem Canonis 8. ait: " Hic distinguendum „est, quod voventium alii sunt *simpliciter* voven„tes, de quibus Augustinus & Theodorus locuti „sunt: alii sunt, quibus post votum *benedictio* ac„cedit *Consecrationis*, vel *propositum Religionis*, „de quibus Hieronymus & Nicolaus & Calixtus „scripserunt.

Verum hic recessisse Gratianum à pristina Patrum disciplina, notavimus in *Jure Eccles. Parte 2. tit. 13. cap.* ubi etiam ostendimus hujus distinctionis inter votum simplex & religionis, sive solemne, nullam mentionem quoad effectum dirimendi subsequens matrimonium in pristinis Canonibus occurrere: *Verum à Gratiano non incongruè hic impensam esse*, eo quod suo tempore *invalescere cœpisset.*

Refertur quidem hic Canone 3. sub nomine Theodori in Pœnitentiali, textus cum hac vocula, *simplex*; sed monent Correctores Romani: „Abest vox ista ab omnibus manuscriptis, & infra „27. q. 1. c. 1. *si quis votum*, etiam ab impressis. „In aliquot tamen pervetustis, est glossa interli„nearis. Admodum verisimile est, eam vocem à glossographo recentiore manu in margine appositam, in textum irrepsisse.

Correctores Romani ad verba sub nomine S. Augustini relata Canone 2. monent: " Verba „propria hujus capitis non sunt inventa apud bea„tum Augustinum; sententia tamen habetur in „libello, *de bono viduitatis*: omnino autem intel„ligendum hoc est de voto *simplici*, ut Gratianus „in fine hujus distinctionis exponit. Indubiè hi Correctores hanc restrictionem adjicientes, verisimiliter non ad verba aut sententiam Augustini respexerunt, sed ad sui temporis receptam disciplinam, & opinionem, quæ eam Gratiani distinctionem inter votum *simplex* & solemne jam receperat.

Sententia tamen ejus tandem recepta fuit.

DISTINCTIO XXVIII.

De voto castitatis à Subdiaconis emittendo.

HAc distinctione Gratianus tractat de voto castitatis ab ordinandis emittendo.

Sub initium distinctionis asserit: *Ad Subdiaconatum accedentes non sine voto castitatis jubentur admitti*; quod ibidem Canone 1. probat autoritate S. Gregorii in epistola Petro Diacono inscripta.

Non eadem fuit omnium Ecclesiarum in hoc puncto disciplina.

Verum ex eadem epistola constat, etiam ævo S. Gregorii, non ubique, imo nec in omnibus Italiæ Ecclesiis, eam continentiæ legem subdiaconis fuisse præscriptam; quod & ipse Gratianus advertit, uti ex dicendis patebit, qui & non semel hâc distinctione monet, non eandem fuisse quoad diaconos & presbyteros omnium Ecclesiarum, notanter Græcæ & Latinæ, disciplinam; unde & sub finem distinctionis, pro conciliatione canonum, qui circa hoc punctum disciplinæ non videntur convenire, monet in his esse distinguendum ex loco, vel ex tempore; imo occasione hâc acceptâ tribus subsequentibus distinctionibus ostendit, canones esse considerandos & examinandos *ex causa, ex loco, ex tempore & ex persona.*

DISTINCTIO XXIX.

HAc distinctione profert Gratianus tria fragmenta, ut probet canones disciplinam exteriore præscribentes considerandos esse & ponderandos *ex causa, ex loco, ex tempore & ex persona.*

Canones ex temporum, locorum & personarum circumstantiis expendendi.

Notandum in hanc rem dictum S. Isidori relatum canone 1. " Sciendum est, ait, quòd plera„que capitula ex causa, ex persona, ex loco, ex „tempore consideranda sunt, quorum modi, quia „medullitus non indagantur, in erroris labyrin„thum nonnulli intricando impinguntur, cùm „ante judicant, quàm intelligant, ante inculpant, „quàm iterando lecta perquirant.

Et sub nomine Gregorii dicitur canone 2. *Regulæ sanctorum Patrum pro tempore, loco, & persona, & negotio instante necessitate traditæ sunt.*

Nec enim dubitandum est, quin Regulæ seu canones exteriorem Ecclesiæ disciplinam concernentes pro temporum, locorum, personarum, & etiam causarum consideratione & necessitate editi fuerint, & nonnunquam temperati; aut eâdem postulante consideratione aut necessitate, mutati.

Ob neglectam considerationem sæpe à vero Canonum sensu aberrat.

Quòd, si ipse Gratianus & subsequentes canonum & decretalium glossatores ac interpretes juxta hæc processissent; atque canones secundùm has omnes circumstantias expendissent, non ita à vero sensu canonum aberrâssent; imo nec eorum sensum invertissent, nec disciplinam his expressam reprobâssent: uti & in Analysi rectè notavit Ludovicus Hericourt. Postquam enim monuit quod in examinandis canonibus oporteat attendere causas, item circumstantias, temporum, locorum & personarum, subjungit: *Ceux qui ne prennent point cette sage precaution en lisant les Conciles & l'Histoire Ecclesiastique, tombent souvent dans l'erreur, & condamnent des usages, dont ils ne connoissent par les raisons.*

DISTINCTIO XXX.

Nonnunquam quædam de se licita propter abusum vetantur.

HAc distinctione ostendere vult Gratianus, subinde quædam *ex causa* per canones vetari, quæ aliàs ex se licita & honesta, quin & multum laudanda sunt, eo quòd quidam his abutantur. Eum in finem hic refert canones synodi Gangrensis celebratæ sub initium sæculi IV. contra quemdam Eustachium ejusque discipulos; in quibus plura de se bona & licita vetantur; quia his ad suos errores & superstitiones abutebantur, uti latius ostendi in sæpius citato tractatu Historico Canonico Part. 2. cap. 1. §. 10. ubi & singillatim notavi errores & superstitiones illorum hæreticorum, quibus hi canones opponuntur; necnon qualiter hi canones in multis à textu Græco difformiter referantur à Gratiano; quod & ex observationibus Correctorum Romanorum liquet.

DISTINCTIO XXXI.

Circa Canones, tempus, quo conditi sunt, considerandum est.

GRatianus ostendere pergens, quæ circa Canones sint consideranda, sub initium hujus distinctionis, ait: *Tempus quoque est considerandum:* ut autem id probet, subdit: *Quia nondū erat institutum, ut sacerdotes continentiam servarent.*

In probationem subjungit canone 1. fragmentum epistolæ S. Gregorii, in qua hic Pontifex agens de subdiaconis per Siciliam constitutis, asserit: *Ante triennium subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis uxoribus miscerentur.*

Ex

Lex continentiæ non fuit eodem tempore ubique subdiaconis imposita.

Ex his evidens est, quòd circa hunc articulum de servanda continentia à subdiaconis, alia esset Ecclesiæ Romanæ disciplina, & alia Ecclesiarum Siciliæ, quantumvis hæ essent ex Ecclesiis *suburbicariis* Romano Episcopo jure Metropolitico subjectis, uti omnibus eruditis notum est.

Cùm nonnulli prætenderent compellendos subdiaconos, qui ante hanc *à triennio* editam constitutionem erant ordinati, servare continentiam, & à suis uxoribus, quas duxerant, separandos, scribit Gregorius: "Quod mihi „durum atque incompetens videtur, ut, qui usum „ejusdem continentiæ non invenit, neque castitatem ante promisit, compellatur à sua uxore separari, atque per hoc (quod absit) in deterius „cadat.

Non dubium igitur rectè hìc à Gratiano notari, legem continentiæ per Canones non eodem tempore ministris Ecclesiæ fuisse impositam: sed rectè monent Correctores Romani, ex hac epistola id duntaxat probari de *subdiaconis*; non autem de presbyteris aut diaconis, ut indicare videbatur Gratianus dicens: *Nondum erat institutum, ut sacerdotes continentiam servarent.*

Indubitatum quippe est, etiam ante tempora S. Gregorii, saltem in Ecclesia Latina, presbyteris & diaconis legem continentiæ fuisse impositam, quod & probant auctoritates Patrum & Conciliorum, quæ à Gratiano proferuntur, & ipse Gratianus etiam fatetur.

Eademque lex etiam subdiaconis sensim post tempora S. Gregorii *generatim* in Ecclesia Latina, non secus ac presbyteris & diaconis imposita fuit, etiam antequam subdiaconatus inter sacros ordines haberetur, uti observatum est in *Jure Eccles. Parte* 1. *tit.* 1. *cap.* 3. in tantum quidem, ut, si ante ordinationem uti non possent, uti probant auctoritates à Gratiano hìc relatæ.

Ratio impositæ continentiæ ministris altaris.

Rationem hujus decreti reddit Gratianus ad calcem Canonis 1. dicens: "Causa hujus „institutionis munditia sacerdotalis fuit, ut li„berè cunctis diebus orationi possint vacare: si „enim (ut Paulus ait) ab uxoribus est cessan„dùm, ut expeditius orationi vacemus; mini„stris utique altaris, quibus quotidiana necessitas „orandi incumbit, nunquam conjugali officio „vacare permittitur.

Hanc rationem ante Gratianum jam pridem reddiderunt Patres, quorum dicta hìc referuntur, atque inter alios breviter expressit venerabilis Beda relatus Canone 2. "Sacerdotibus, ut semper „altari queant assistere, semper ab uxoribus con„tinendum, semper castitas observanda præcipi„tur: quæ ratio pluribus adstruitur ab Innocen„tio I. & S. Hieronymo verbis Canone 4. 5. 6. „& 7. relatis.

Circa ea, quæ ad calcem Canonis 7. subjicit Gratianus de Canone synodi Gangrensis, meritò consulitur observatio Correctorum Romanorum & Tractatus noster Historico Canonicus Parte 2. cap. 1. §. 10. ad Canonem 1. Gangrensem.

Uxori ante ordinationem ductæ de necessariis providendum.

Deinde monet Gratianus ad calcem Canonis 9. quòd licet Episcopus, Presbyter, Diaconus, aut Subdiaconus non possit post ordinationem uxore suâ, quam ante ordinationem suam legitimè duxerat, uti, eam tamen contemnere non possit: *Hoc est ab animo & cura sua abjicere, quin & necessaria provideat.* Probat id auctoritate Leonis Canone 10.

Tandem ad calcem Canonis 11. ait: "Ut igitur „ex his auctoritatibus apparet, sacerdotes uxo„ribus, quas in laicali habitu, vel in minoribus „ordinibus constituti sibi legitimè copulârunt, „necessaria ministrare, debita verò reddere non „valent.

Historia de Paphnutio à Gratiano relata.

Post hæc Canone 12. objicit sibi Gratianus famosam & vulgarem historiam de Paphnutio Episcopo & Confessore relatam per Socratem & Sozomenum, & ex his in historia tripartita, è qua eam hìc recitat Gratianus.

Hæc historia, prout hìc relata est, probat huic sancto Confessori nequaquam placuisse, ut per synodum Nicænam lex ederetur, quâ interdiceretur presbyteris & diaconis uti suis uxoribus, quas ante ordinationem suam duxerant; quin & ab hac lege ferenda Patres Nicænos dimovisse.

Quantumvis non eadem sit de veritate hujus historiæ eruditorum sententia, nihilominus hoc sat constat, Gratianum de ejus veritate non dubitâsse, atque credidisse tempore synodi Nicænæ, licitum fuisse presbyteris & diaconis liberè uti suis uxoribus, quas ante ordinationem suam duxerant; quin & ibidem refert Canone 13. decretum Synodi VI. sive *in Trullo*, quo idipsum presbyteris & diaconis permittitur.

Varia fuit Ecclesiæ Latinæ & Græcæ disciplina circa usum uxorum ante ordinationem ductarum.

Hæc ut cum præcedentibus conciliet, ad calcem hujus Canonis subjecit: "Hoc autem *ex* „*loco* intelligendum est. Orientalis enim Ec„clesia (cui sexta synodus regulam vivendi præ„scripsit) votum castitatis in ministris Altaris non suscepit.

Hanc conciliandi rationem probat verbis Ste„phani Papæ relatis Canone 14. Aliter se Orien„talium traditio habet Ecclesiarum, aliter hu„jus sanctæ Romanæ Ecclesiæ: nam earum sa„cerdotes, diaconi, atque subdiaconi matri„monio copulantur: istius autem Ecclesiæ, vel „Occidentalium nullus sacerdotum à subdiaco„no usque ad Episcopum licentiam habet conjugium sortiendi.

Quantumvis non constet de veritate hujus epistolæ, certum tamen est, hodie Ecclesiam Orientalem, permittere presbyteris, diaconis, ac subdiaconis usum conjugii ante ordinationem legitimè contracti, ut notavi in Tractatu Historico Canonico *Parte* 3. *cap.* 3. §. 7. *ad Canonem* 13. Trullanum; atque adeo etiam hodie quoad hoc punctum aliam esse Orientalis Ecclesiæ à praxi Ecclesiæ Latinæ disciplinam.

DISTINCTIO XXXII.

Ex dictis distinctione præcedenti concludit hìc Gratianus: *Servanda ergo continentia ab omnibus in sacris ordinibus constitutis.*

Circa continentiam subdiaconorum non erat olim eadem ubique disciplina.

Profert hunc in finem fragmentum epistolæ S. Leonis, è quo habetur, quòd eo tempore esset consuetudo Romanæ Ecclesiæ, ut subdiaconi à suis uxoribus abstinere deberent; quamvis ea lex in pluribus Ecclesiis nondum esset subdiaconis imposita, uti & monent Correctores Romani, & ad distinctionem præcedentem notavimus: ex quo habemus disciplinam Romanæ Ecclesiæ non semper fuisse in omnibus aliis Ecclesiis receptam.

Notandum, quòd Canone 3. retulit ex epistola S. Gregorii ad Augustinum Anglorum, in

Tempore S. Gregorii Clerici in sacris non constituti poterant, uti conjugio & stipendia ab Ecclesia recipere.

in qua respondit Gregorius quod "si qui sint „Clerici extra sacros ordines constituti, qui se „continere non possunt, sortiri uxores debent, „& stipendia sua exterius accipere." Dein aliquibus interjectis concludit: "De eorum ergo „stipendio cogitandum, atque providendum „est, & sub Ecclesiastica regula sunt tenendi, ut „bonis moribus vivant, & canendis psalmis invigilent, & ab omnibus illicitis cor & linguam „& corpus, Deo authore, conservent.

Ex his nequaquam obscurum est, quòd ætate S. Gregorii ea esset disciplina, ut Clerici in minoribus ordinibus constituti, ordinum illorum functiones obeuntes, possent non tantum matrimonio jungi, sed insuper quod, postquam essent matrimonio juncti, in ministerio Ecclesiæ manere, & tanquam ejus ministris necessaria vitæ stipendia illis essent suppeditanda.

Post erectos titulos beneficiorum disciplina illa mutata est.

Porro hæc disciplina sensim post erectos titulos beneficiorum mutata est, atque receptum est, ut si Clerici extra sacros ordines constituti, beneficium Ecclesiasticum obtineant, matrimonio jungantur, beneficium ipsorum mox à contracto matrimonio vacare censeatur; nec ullum ad proventus Ecclesiæ jus retinere dicantur.

Auditio Missæ Presbyteri concubinarii probibita.

Insuper hâc distinctione agit Gratianus de incontinentia Clericorum extra matrimonium, quæ sæculis decimo & sequentibus in tantum invaluerat, & tam altas radices egerat, ut his eradicandis, decreta Episcoporum aut Conciliorum non sufficerent; ut tandem statutum legamus, ut nullus Missam audiat Presbyteri, qui concubinam habere scitur, uti hic Canone 5. & 6. retulit Gratianus.

Cum vero ad calcem Canonis 6. formâsset sibi hanc objectionem, quòd principia harum „authoritatum contraire videntur Hieronymo & „Augustino, & cæteris, qui Christi Sacramenta, „neque in malo homine fugienda ostendunt; „tum prolixo discursu probat, præsertim authoritate S. Augustini, valorem & effectum Sacramentorum à bonitate vel malitia ministrorum non dependere, tandem ita concludit: "Prohi„bentur ergo de manibus talium Sacerdotum „Sacramenta suscipi, non quia (legendum *quin*) „sint vera quantum ad formam & effectum: sed „quia dum hujusmodi Sacerdotes se à populo „contemptos viderint, rubore verecundiæ facilius ad pœnitentiam provocentur.

Clerici incontinentes ab ordinum gradu dejiciendi.

Subjicit deinde decreta, quibus jubentur dejici à suorum ordinum gradu, qui post susceptos sacros ordines non castè vixisse probantur: atque inter, alia Decretum *Urbani II.* Canone 2. his verbis expressum: *Erubescant impii & aperte intelligant, judicio Spiritûs sancti eos, qui in sacris ordinibus, Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu, sunt positi, nisi mulieres abjecerint, & castè vixerint, excludendos ab omni eorundem graduum dignitate.*

Conjugati ad sacros ordines promoveri nequeunt sine consensu uxoris.

Canone 14. ex Epistola sub nomine Leonis IX. refertur, quod si quis in minore ordine constitutus uxorem duxerit, & postmodum ad Subdiaconatum promoveri velit: *Nequibit hoc sine consensu uxoris suæ, ut fiat de carnali deinceps spirituale conjugium, nemine eos ad hoc cogente; neque permittitur postea uxor jungi eidem marito suo carnaliter; nec cuiquam nubere in vita, aut post mortem illius.*

Hic videmus quod jam pridem permissum fuerit, etiam in Ecclesia Latina, ut conjugati possent ad sacros ordines de consensu uxoris assumi; licet non possent post ordinationem uxore suâ uti: quæ disciplina etiam per decretales recepta est sub titulo *de conversione conjugatorum*, ubi & videri possunt conditiones, quas hodierna disciplina in hac conversione requirit.

De vetita conversatione Clericorum cum mulieribus.

Cum autem continentia cum mulierum familiaritate vix integra servari queat, subjicit hic Gratianus authoritates, quibus Clericis hæc familiaritas, ejusque periculum exponitur.

Refert hunc in finem Canone 16. Decretum Synodi Nicænæ, quæ non permittit *his, qui in Clero sunt*, subintroductam *habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, aut etiam idoneas personas, quæ fugiant suspiciones.*

Deinde Canone 17. refert quædam sub nomine S. Hieronymi in Epistola ad Nepotianum, & alibi, uti hodierna habet inscriptio; quæ clausula inquiunt Correctores Romani, indicat: *Caput hoc esse collectum ex variis B. Hieronymi locis, in quibus de vitanda mulierum consuetudine agitur.*

Inter hæc monita merito hoc notandum: *Fœminam, quam bene conversantem, mente dilige, non corporali frequentia.*

Cæterum de vetita Clericorum & mulierum cohabitatione & familiaritate videri possunt dicta in *Jure Eccles. Parte* 1. *Tit.* 2. *cap.* 3.

De Diaconissis.

Circa ea, quæ ex Canone 2. Laodiceno extra materiam hujus distinctionis, recitat Gratianus Canone 19. de fœminis, quæ apud Græcos *presbyteræ*, apud Latinos *viduæ* dicebantur, consuli potest Tractatus Historico Canonicus parte 2. cap. 1. §. 12. ad hunc Canonem Laodicenum.

DISTINCTIO XXXIII.

De irregularitate ex bigamia secundùm disciplinam Græcorum.

HAc distinctione Gratianus multa inter se miscet; atque inprimis ex Canone 17. vulgo Apostolorum refert: *Si quis post Baptismum acceptum secundis nuptiis copulatus fuerit, aut concubinam habuerit, non potest fieri Episcopus, non Presbyter aut Diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deserviunt.*

Nequaquam obscurum est, hunc Canonem conceptum esse juxta opinionem & disciplinam Græcorum, qui irregularitatem resultantem ex his verbis Apostoli, *unius uxoris vir*, petebant ex suspicione incontinentiæ ex secundis nuptiis resultante, uti supra notavimus; ideoque requirebant, ut quis *post Baptismum* nuptias intrâsset, irregularis ad mentem Apostoli esset.

Quare & videmus æquiparari quoad hanc irregularitatem eum, qui post acceptum Baptismum *secundis nuptiis*, vel ut habet textus Græcus, *duobus conjugiis implicatus fuerit*, & eum, *qui concubinam habuerit*, hoc est, qui post Baptismum in fornicationem fuit prolapsus: *Eum, qui post Baptismum bigamus fuerit, vel fornicatus sit*, ait *Balsamon*, *prohibet Canon Episcopum fieri, vel sacerdotale quidpiam exercere: quæ enim ante Baptismum admissa sunt, omnis generis peccata prætermittit, cum factus sit novum opus solâ gratiâ Spiritûs S.*

A sensu Canonis Apostolici recedit Gratianus.

Itaque à vero sensu, & etiam verbis Canonis recessit Gratianus monens ad calcem Canonis, quod "concubina intelligenda sit præter uxo„rem, ut iste sit sensus capituli: (si quis post ac„ceptum sacrum Baptisma secundis nuptiis fue„rit copulatus, aut concubinam duxerit,) di„stinguendum est, antequam uxorem duxerit, sive post mortem uxoris: quasi hic ageretur de eo, qui

qui post Baptismum duxerit suam concubinam in uxorem, cum evidens sit, Canonem simpliciter loqui de eo, qui post Baptismum concubinam habuerit, etiamsi nullam nec primam, nec secundam uxorem post Baptismum habuerit.

De impedimentis ordinationis.

Multa hic intermiscet Gratianus ad materiam hujus distinctionis non pertinentia; refertque inprimis Canone 2. prolixum fragmentum, quo exprimuntur ea, quæ impediunt aliquem in Episcopum ordinari, idque sub nomine B. Gregorii: at monent Correctores Romani: *Hoc caput sumptum est ex cap. 72. libelli de Ecclesiasticis dogmatibus, qui inter opera B. Augustini ex eo alibi sæpissimè ab ipso Gratiano citatur.* Quis autem sit author hujus libelli, inter omnes non convenit, uti monent Correctores Romani: plures enim Gennadio tribuunt; & videntur in eam opinionem inclinare eruditi Monachi Benedictini in novissima editione operum S. Augustini, in monitione huic libello præfixa in Appendice Tom. 8.

Adjungit & ibidem Gratianus aliqua ex falsa decretali Pio I. Papæ adscripta de non admittendis ad sacras functiones, qui aut in terram arrepti à dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, quòd scilicet similes sacris altaribus adstare prohibeantur, de quibus latè agit Ferdinandus Mendoza in Tract. de confirmando Concilio Eliberitano Lib. 2. cap. 59. extatque *Tom. 1. Concil. general.*

DISTINCTIO XXXIV.

Domesticarum etiam personarum nimia familiaritas Episcopo vitanda.

HAc distinctione dicit Gratianus se velle ostendere, quod *domesticarum quoque personarum immoderatam familiaritatem Episcopum vitare oporteat.*

Sæpius notatum est, admodum esse familiare Gratiano, à materia & scopo sibi propositis recedere, & ab his plane diversa immiscere, quod & hic ipsi contigit: in probationem enim ejus, quod sibi ostendendum Gratianus assumpserat, nihil occurrit præter unicum fragmentum Canone 1. relatum sub nomine Epistolæ Nicolai Papæ, cujus varia admodum notatur inscriptio, uti monet Antonius Augustinus *de emendat. Gratiani Lib. 2. Dial.* 15. atque ibidem indicat, hactenus citatæ Epistolæ *fontem desiderari.*

In fragmento hic relato scribere dicitur Nicolaus, de quodam Episcopo juvene, quod nimiâ familiaritate agat cum sua filia, quam vero similiter ante ordinationem suam habuerat: quia in hac Epistola de incontinentia non arguitur Episcopus; ut non appareat, quo titulo hæc familiaritas cum propria & legitima filia possit dici *suspecta*, quemadmodum ibidem insinuatur per rigorem, quo contra eum procedendum esse scribit author hujus Epistolæ; ut vel ex hoc capite merito de ejus sinceritate ambigatur: una quoque colligitur, quam parum attenderit Gratianus, num ea, quæ refert scopo suo conveniant. Accusabatur quoque in hac Epistola Episcopus tanquam *venationi* addictus, scribiturque ut moneatur ab ea abstinere, proferturque eum in finem vulgare dictum Hieronymi: *venatorem nunquam legimus sanctum.*

Venatio Clericis interdicta.

Hâc occasione subjiciuntur hic Canone 2. & 3. duæ Paleæ sub nomine Concilii Aurelianensis IV. contra Clericos venatores. Hæc autem non reperiri in hac Synodo monent Correctores Romani, unà tamen notant, utramque hanc *Paleam* sub nomine ejusdem Synodi extare in decretalibus Gregorii IV. sub titulo *de Clerico venatore.* Ut hinc rursus pateat collectorem decretalium more illius temporis sine ulteriori discussione, authoritate Gratiani, pro genuino reputâsse, quidquid in decreto reperiret. Cæterum tumultuosas illas bestiarum venationes specialiter jam pridem etiam Clericis vetitas esse scitur.

Absona hic miscet Gratianus de concubinis.

Vix intelligi potest, qua occasione hâc distinctione agat Gratianus de concubinis; atque quæ jam referat, ac notanter Canone 4. ex Concilio Toletano, quæ probare videntur licitum esse non conjugatis habere concubinas loco uxoris, aut saltem hujusmodi non conjugatos concubinam habentes non esse à communione repellendos.

Cæterum certum est, quod Gratianus nullatenus crediderit, Concilium Toletanum concubinatum, prout hodie sumitur, reputâsse licitum, sed concubinam ibidem accepisse pro vera uxore, sed minus solemniter ducta, uti in præfatiuncula huic Canoni præfixâ se explicat Gratianus:

Quid per concubinam intelligat?

Concubina autem hic ea intelligitur, quæ cessantibus legalibus instrumentis unita est, & conjugali affectui adsciscitur, hanc conjugem facit affectus, concubinam vero lex nominat.

Idipsum latius prosequuntur Correctores Romani prolixo discursu huic Canoni subjecto; & plura dixi in *Jure Eccles. Parte 3. Tit. 4. cap. 4.* ubi ostendi concubinatum, id est consuetudinem carnalem soluti cum soluta semper fuisse reputatum grave crimen. Hic rursus notandum Gratianum non sat advertisse num ea, quæ proferuntur, proficere possint in ædificationem legentium, ac notanter juventutis.

De bigamis non ordinandis extra ordinem confusè agit Gratianus.

Post hæc rursus plura intermiscet multum inter se confusa de bigamis non admittendis ad ordines: ac inter cætera notandum, quod Canone 8. ex Aurelianensi seu potius ex Gerundensi Synodo anni 517. refert Gratianus: *Si quis de laicis post uxorem, aliam cujuscunque conditionis cognoverit mulierem, in Clericum nullatenus admittitur.*

Admodum verisimile est, hujus asserti authorem respexisse ad interpretationem Græcorum, qui irregularitatem per Apostolum expressam his verbis: *unius uxoris vir*, non è mystica aliquâ significatione, sed ex suspicione incontinentiæ: desumendam existimabant, uti supra notatum est.

Unde & inepta apparet explanatio Gratiani huic Canoni subjecta, qua restringere vult Canonem ad eum, qui pellicem, vel meretricem cognoverit *maritali affectu*, cum Canon simpliciter loquatur de eo, qui post uxorem, scilicet mortuam, cognoverit aliam.

Irregularitatem bigamiæ desumunt Patres Græci ex suspicione in continentiæ.

Profert & Canone 2. Decretum Concilii Neocæsariensis in hæc verba: *Si cujus uxorem adulterium commisisse, cum esset laicus, evidenter fuerit comprobatum, hic ad ministerium Ecclesiasticum admitti non potest. Quod si in Clericatu jam eo constituto, adulteravit, dato repudio dimittere eam debet: si vero retinere ejus consortium velit, non potest suscepto ministerio perfrui.* Eundem Canonem refert Canone sequenti ex versione Martini Bracarensis sub hac inscriptione: *ex Concilio Martini Papæ.*

Interim ex hoc Canone rursus habetur, irregularitatem ab his Patribus Græcis desumptam fuisse ex incontinentia uxoris, quodammodo in ipsum maritum redundante. Similiter quæ ex Canone 18. vulgo Apostolorum retulit Canone 15. sub nomine Hieronymi de vidua, ejecta, mere-

meretrice ac ancilla, & irregularitate, ex matrimonio cum illis contracto, resultante. evidenter supponunt opinionem (quæ & fuit Hieronymi) petentium fundamentum irregularitatis, provenientis ex nuptiis cum vidua, ex suspicione incontinentiæ in vidua, uti & notavi in Tractatu Historico canonico *Parte 3. cap. 3. §. 4. ad Canonem 17. vulgo Apostolorum.*

Bigami sunt incapaces omnis beneficii. Quod sub nomine S. Ambrosii dicitur canone 14. scilicet, *Neque Clericum quemquam debere esse, qui secunda conjugia sortitus est*, conforme hodiernæ disciplinæ, quæ nec ad simplex beneficium, etiam primam dumtaxat tonsuram requirens, bigamum admittit, quamvis nesciam de hoc in Synodo Nicæna tractatum, uti in hoc canone refertur, multò minùs quidquam decretum fuisse.

Ad calcem canonis 16. subjicit Gratianus: „Sed postea temporum defectui condescendens „Papa Martinus in minoribus ordinibus eos „constitui permisit, non regulam præfigendo.„ In margine notatur: „Hæc verba *non regulam* „*præfigendo*, absunt a b aliquibus exemplaribus.„ & canoni 18. hæc præmisit Gratianus: „Neces„sitate tamen exigente usque ad Subdiaconatum „*bigamus* potest promoveri.

Verùm hic erravit Gratianus: neque enim *Martinus Papa* quidquam hac in re remisit: quæ enim canone 17. & 18. adducit Gratianus sub nomine *Martini Papæ Romani*, non sunt hujus Pontificis, sed Martini Bracarensis, qui desumpsit ea ex Concilio Toletano primo, sed qui decreta hujus Concilii ad sui temporis disciplinam inflectendo nonnihil mitigâsse videtur: de qua pristina disciplina, & cui hodie dispensandi cum bigamis auctoritas competat, videri possunt dicta in *Jure Eccles. Part. 2. tit. 10. cap. 2.*

DISTINCTIO XXXV.

PRoposuerat sibi Gratianus describere qualitates & conditiones necessarias in assumendis ad sacras functiones; ac signanter in ordinando Episcopo, idque eo ordine, quo eas expressit Apostolus in epistolis ad Timotheum & ad Titum.

Itaque quia in præcedentibus distinctionibus exposuerat qualitatem in Episcopo per Apostolum requisitam in verbis, *unius uxoris vir*, hac distinctione prosequens descriptionem Apostoli, probare intendit, quòd ordinandus in Episcopũ debeat esse *sobrius, non vinolentus.*

De sobrietate requisita in clericis. Gratianus plures hanc in rem Patrum & Canonum auctoritates adducit, quibus non tantùm Episcopos, sed omnes sacrarum functionum ministros, oportere esse sobrios & non vinolentos probatur, præsertim quia sine sobrietate, & magna in cibo & potu moderatione, castitas & continentia, de qua in præcedentibus egerat, vix in tuto esse possunt: hinc illud Apostoli: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*: item illud Sapientis relatum canone 3. sub nomine S. Hieronymi: *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas.* Et illud ejusdem canone 5. *Venter mero æstuans citò despumat in libidines; ubi ebrietas, ibi libido dominatur & furor.*

Quantopere ebrietatem in clericis non tantùm pristini Canones & SS. Patres; sed & nostræ ætatis Synodi & sancti Episcopi exhorruerint, latiùs ostendi in *Jure Eccles. Parte 1. tit. 2. cap. 3.*

DISTINCTIO XXXVI.

HAc distinctione dicit Gratianus, ordinandum in Episcopum debere esse *prudentem: Prudentem autem Episcopum, ait, oportet intelligi; non solùm litterarum peritia, verùm etiam, sæcularium negotiorum dispositione, (aliàs) dispensatione.* *De doctrina & prudentia in Episcopo requisita.*

Prolatis canone 1. & 2. fragmentis epistolarum sub nomine Gelasii & Zozimi Papæ; in quibus dicitur, *illiteratos* non posse ad clericatûs ordinem promoveri: *Quia litteris carens, sacris non potest aptus esse officiis*; vel, ut ait Zozimus: *Qui Ecclesiasticis disciplinis per ordinem non est imbutus, & temporum approbatione divinis stipendiis eruditus; nequaquam ad summum Ecclesiæ sacerdotium aspirare præsumat; & non solùm in eo ambitio inefficax habeatur; verùm etiam ordinatores ejus careant eo ordine, quem sine ordine contra præcepta Patrum crediderant præsumendum.*

Post hæc subjungit Gratianus prolixum discursum, in quo tum ex veteri, tum ex novo Testamento ostendit, quod *sacrarum litterarum* oporteat Episcopum habere notitiam: ac tandem concludens ait: *Ex quibus omnibus liquidò colligitur, quòd non sufficit Prælatis bona conversatio, & morum honestas, nisi addatur scientia doctrinæ.* *De scientia sanctarum litterarum ei necessaria.*

Distinctionem finit, prolato fragmento sub nomine Hieronymi, in quo inter alia, meritò ab Episcopis & Pastoribus hæc notanda occurrunt: *Si quis vult Pontifex non tam vocabulo esse quam merito; imitetur Moysen, imitetur Aaron. Quid enim dicitur de eis? quod non discedunt de tabernaculo Domini. Erat ergo Moyses indesinenter in tabernaculo Domini. Quod autem opus ejus erat? ut aut à Deo aliquid disceret, aut ipse populum doceret: hæc duo sunt Pontificis opera, ut, aut à Deo discat, legendo scripturas divinas, & sæpius meditando, aut populum doceat, sed illa doceat, quæ à Deo ipse didicerit, non ex proprio corde, vel humano sensu, sed quæ Spiritus S. docet.* *Quæ populum docere debeat Episcopus*

Monent autem Correctores Romani, hoc fragmentum non quidem esse Hieronymi; sed extare in *Homilia 6.* Origenis in Leviticum, quas quidem Homilias cum aliis multis Hieronymus fecit Latinas.

Monent præterea: *Frequenter Gratianus, ea, quæ sunt Origenis, Hieronymi nomine citat, vel quia præcipui Ecclesiæ Doctoris authoritas majus pondus habet, vel quia Hieronymus eo, quo dictum est, modo illa vertendo, pene sua fecerat.*

DISTINCTIO XXXVII.

HAc distinctione quærit Gratianus, an sæcularibus litteris, eos (Episcopos) oporteat esse eruditos? *An clericis literarum sæcularium studium, & librorum Gentilium lectio conveniat?*

Plura, licet sat confusè, profert, quibus probari videtur, quòd personis Ecclesiasticis librorum Gentilium, Poëtarum ac Philosophorum lectio vetita sit: profertque Canone 7. ex Rabano, quod legitur de B. Hieronymo. *Quòd cùm libros legeret Ciceronis, ab Angelo est correptus, eo quod vir Christianus Paganorum figmentis intenderet.*

Post hæc adductis nonnullis ex scriptura sacra concludit: *Ex quibus omnibus colligitur, quod* non

non est ab Ecclesiasticis sacularium literarum quarenda peritia.

Sed immediatè objicit sibi: *Contra legitur, quod Moyses & Daniel omni scientia Ægyptiorum & Chaldaorum eruditi fuerint.* Quibus & nonnulla addit, per quæ ostenditur, sæcularium rerum notitiam posse esse utilem; ac notanter Canone 8. verba venerabilis Bedæ: *Turbat, ait, acumen legentium & deficere cogit qui eos à legendis sacularibus litteris* omnimodo *æstimat prohibendos; in quibus, si qua inventa sunt* utilia, *quasi sua sumere licet: alioquin nec Moyses & Daniel sapientia, vel litteris Ægyptiorum paterentur erudiri, quorum tamen superstitiones simul & delicias horrebant; nec ipse Magister Gentium aliquot versus Poetarum suis vel scriptis indidisset, vel dictis.*

Ad calcem hujus Canonis, hæc subdit Gratianus: *Cur ergo legi prohibentur, qua tam rationabiliter legenda probantur: sed saculares, ait, litteras quidam legunt ad voluptatem, Poetarum figmentis, & verborum ornatu delectati: quidam vero ad delectationem eas addiscunt.* Ex his statuendum, magna cum moderatione lectioni librorum Gentilium esse incumbendum, præsertim à clericis.

DISTINCTIO XXXVIII.

Ignorantia sanctarum litterarū & Canonum in clericis perniciosa.

HAc distinctione pergit Gratianus ostendere, quàm periculosa & perniciosa sit ignorantia, signanter *sacrarum Scripturarum* & *Canonum* in Sacerdotibus, qui ad docendum & ad æternam salutem ducendum sunt ordinati.

In probationem hujus asserti, præcipuè notandum decretum Concilii Toletani IV. relatum hic Canone I. in quo jam pridem Patres hujus Concilii docere non sunt veriti: "Ignorantia mater cunctorum errorum, maximè in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt: Sacerdotes enim legere *sanctas Scripturas* frequenter admonet Paulus Apostolus dicens ad Timotheum: *Attende lectioni, exhortationi & doctrina, & semper permane in his.*

His præmissis concludunt Patres: *Sciant igitur Sacerdotes* Scripturas sanctas & Canones; *ut omne opus eorum in pradicatione & doctrina consistat; atque ædificent cunctos tam Dei scientia, quàm operum disciplina.* Et Canone 4. refert vulgare hoc S. Cœlestini dictum: *Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare.*

Quàm necessaria sit notitia sacrarum Scripturarum Ecclesiasticis, ac notanter Episcopis, exposuerunt Patres Synodi VII. sive Nicænæ II. Canone 3. qui hic extat Canone 6. qui & addunt: *Substantia enim summi Sacerdotii nostri sunt eloquia divinitus tradita, id est, vera divinarum Scripturarum disciplina, quemadmodum magnus perhibet Dionysius: quod si disceptaverit, & ita libenter facere & docere minime sponderit, nullatenus consecretur;* ait enim prophetice Deus: *Tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.*

Plura hanc in rem profert Gratianus, fatendum tamen est, inter hæc esse nonnulla mutilata, uti ostendunt annotationes Romanæ, quædam apocrypha, puta, *Canones* ex falsa decretali Zepherini Papæ & Canone 6. ex suppositia decretali Clementis I. monent quoque Correctores Romani ea, quæ leguntur Can. 13. 14. & 15. à multis antiquis exemplaribus abesse.

DISTINCTIO XXXIX.

An sæcularium negotiorum peritum oporteat esse Episcopum.

HAc distinctione ostendere vult Gratianus, quòd ordinandus in Episcopum debet etiam habere notitiam negotiorum sæcularium: *Debent namque, ait, Prælati subditis non solum spiritualia, sed etiam carnalia subsidia ministrare, exemplo Christi, qui turbas sequentes non solum verbo docebat; sed etiam virtute sanabat, & corporalibus alimentis reficiebat. Ut autem Prælati hac omnia plenè possint perficere, sacularium negotiorum oportet eos habere solertiam, ut eorum cautela & Ecclesia serventur indemnes, & cuique necessaria pro suo modo ministrentur. Unde quidam in Episcopum electus à B. Gregorio pro sua simplicitate repellitur, ne ejus occasione res Ecclesia dilapidarentur.*

In probationem sui asserti subjicit fragmentum hujus epistolæ S. Gregorii ad clerum & nobiles Neapolitanos, quæ si integra legatur apparebit, quòd de singulari casu & specialibus circumstantiis ageretur; quodque S. Gregorius de simplicitate electi amplius informari vellet, antequam pronuntiaret eum ob simplicitatem ab Episcopatu excludendū: ut proinde appareat, S. Gregorium censuisse, haud facilè aliquem ab Episcopatu excludendum ob defectum industriæ in administrandis bonis temporalibus, modò reliquæ qualitates in Episcopo requisitæ adessent.

DISTINCTIO XL.

GRatianus qualitates in Episcopo necessarias prosequens, probat hac distinctione, *Episcopum oportere esse ornatum & hospitalem: Per ornamenta Episcopalia, ait, virtutes debent intelligi, qua à Domino eis promittuntur, cum dicitur: Sacerdotes ejus induam salutari.*

Sublimitas Cathedræ sanctum non facit, sed requirit.

Unde præcipuus videtur esse Gratiani scopus ostendere, quòd *non loca, sed & mores sanctum faciunt Sacerdotem*, uti loquitur in procemio hujus distinctionis.

Hanc in rem profert Canone 1. fragmentum sub nomine *Symmachi Papæ*; quod non esse Symmachi sed Ennodii diaconi, notant correctores Romani. In hoc fragmento scribitur: *Quod illi (Petro) concessum est pro actuum luce, ad illos pertinet, quos par conversationis splendor illuminat;* quibus significare apertè voluit, merita Petri in ejus duntaxat transire successores: quos *par conversationis splendor illuminat*: quod scopo & proposito Gratiani omnino congruit.

Decretum falsò adscriptum Symmacho Papæ.

Verùm huic asserto directè contrariatur, quod in eodem fragmento immediatè subjungitur: *Quis enim sanctum dubitet esse, quem apex tanta dignitatis attollit? in quo si desunt bona acquisita per meritum, sufficiunt, qua à loci decessore præstantur; aut enim claros ad hac fastigia erigit, aut qui eriguntur, illustrat.*

Posterior pars decreti directè contraria est sententiæ Gratiani.

Hæc simpliciter & in sensu obvio accepta nequaquam obscurè significant, quòd locus seu cathedra Petri in ea sedentem sanctum faciat, licèt ipse propriis meritis careat, sive vita & conversatione sanctus non sit: *Quia, ait, si desunt bona acquisita per meritum, sufficiunt, qua à loci decessore præstantur.* Ita & hunc locum intelligendum notavit D. Fleury in Historia Ecclesiastica lib. 30. num. 55.

Optan-

Optandũ ut ejusmodi decreta in codi e Ecclesiæ non referrentur.

Optandum esset, ut similes expressiones omisisset Gratianus, aut eas saltem Correctores Romani erasissent potius quam tantam eisdem auctoritatem attribuissent ut nec studiosæ juventuti errandi occasionem præberent; quæ si sublimitas cathedræ aut loci quemquam sine propriis meritis sanctum redderet, neque sectariis nostris prætextum darent per similes expressiones in codice Ecclesiæ relatas Romanæ Ecclesiæ crimen impietatis affingendi, uti non ita pridem hac auctoritate contra Sixtum V. usus est nominatissimus jurisconsultus Franciscus Hotomannus unus è secta Calviniana in scripto, cui titulus *fulmen Brutum*, ubi asserere non veretur, quod Pontifex Romanus. *Etiam profiteri & palam prædicare ausus est, tantam esse vim, tantamque sanctitatem sedi suæ, ut quicunque impius, perjurus, sceleratus, in ea consederit, confestim ex illa sessione sanctimoniam hauriat.* Cujus nefariæ blasphemiæ, *inquit*, testimonium hoc extat in Can. non nos Dist. 10.

Incertus auctor Canonis, si Papa.

Adducit Gratianus Canone 6. tanquam ex dictis *Bonifacii martyris*: *Si Papa suæ & fraternæ salutis negligens, deprehenditur inutilis & remissus in operibus suis, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi & omnibus, nihilominus innumerabiles populos catervatim secum ducit, primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus hujus culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus*, Quia cunctos ipse judicaturus, à nemine est judicandus.

Quis hujus Canonis sit auctor, nescitur. Imprimis vel ex ipsa epigraphe habetur nequaquam hunc Canonem esse scriptum per Bonifacium martyrem; quandoquidem dicatur id solum haberi ex *dictis* Bonifacii martyris. Videntur id ipsum vidisse Correctores Romani; monentque quod Nauclerus Gen. 26. testetur hoc fuisse dictum Bonifacii martyris; sed quam exigui ponderis sit hoc testimonium, facile intelliget qui attenderit, Nauclerum demum sæculo XV adeoque sex vel septem sæculis post obitum Bonifacii scripsisse. Subjungunt deinde hi Correctores, *Quod Deus dedit presbyter Cardinalis titulo Apostolorum in Eudoxia tempore Victoris Papæ III. libros quatuor de rebus Ecclesiasticis composuit, qui in Bibliotheca Vaticana servantur. Et lib. 1. cap. 231. ex gestis Bonifacii martyris & Archiepiscopi Moguntini, sedis Apostolicæ Legati hæc sanctissimi illius viri de Romano Pontifice ac sede Apostolica verba refert, in quibus est hoc caput.*

Verum non majoris auctoritatis esse hujus auctoris testimonium inde intelligitur, quod hic demum dicatur scripsisse hoc fusum opus sub Pontificatu Victoris III. qui demum sedit sub finem sæculi undecimi, & consequenter duobus aut amplius sæculis à morte hujus Bonifacii. Interim ex hoc auctore habetur, quod hic Bonifacius fuerit Archiepiscopus Moguntinus & *Legatus sedis Apostolicæ* quem scitur fuisse strenuum jurium sedis Apostolicæ promotorem, ipsumque sub Zacharia Papa floruisse.

Proinde non immerito notavit Antonius Augustinus lib. 2. *de emendat Gratiani Dial.* 3. quod caput, quod apud Gratianum, *ex dictis Bonifacii martyris* inscribitur, & ab Ivone, *Ex gestis Bonifacii martyris Legati Romanæ Ecclesiæ, à nobis repertum est.* Admodum verisimile est, Gratianum id ex Ivone descripsisse: è quo vero Ivo id desumpserit, hactenus ignoratur.

V. Espen. Comment. ad Decret. Grat.

Prima pars dicti Canonis unde desumpta.

Quoad priorem Canonis partem admodum probabile est in eam conficiendam à confictore hujus decreti impensam fuisse sententiam, quam legerat in conficta, & hodie ab omnibus eruditis rejecta synodo vulgo *Sinuvessana*, quæ celebrata dicitur in causa *Marcellini* Papæ, in qua idem de Romano Pontifice declaratur, nimirum quod *iste à nemine judicandus sit, qui omnes judicat.*

Præbuit prætextum sectariis convellendi primatum Romani Pontificis.

Hoc Gratiani assertum, & juventuti in scholis publicis propositum; idque auctoritate summi Pontificis, vix dici potest, quantopere sectariis subservierit, ut sedis Apostolicæ *primatum* in invidiam adducerent, uti videri potest ex Hotomanno loco citato. Et ipse sectariorum Coriphæus Martinus Lutherus inter articulos è corpore juris Canonici excerptos, ob quos asserebat, hoc corpus tanquam perniciosis erroribus refertum & juventuti noxium, esse merito flammis exurendũ, reipsa anno 1520. die 7 Decembris Wittenbergæ, publice convocata studiosa juventute igne absumptum est. Octavus porro articulus constabat verbis hujus Canonis.

Supponit præfatus Canon posse esse à fide devium, & ut talem judicari.

Interim clausula in hoc conficto decreto his verbis expressa: *nisi deprehendatur à fide devius*, manifeste probat, quod ea ætate non dubitaretur, quin Papa deprehendi posset *à fide devius*; atque eo casu posset ab aliquo judicari: cum enim in præcedentibus dictum sit, Papam à nemine posse judicari, evidens est per clausulam subjectam significari, quod à fide devius judicari posset.

Cum autem veteres glossographi & decretalium commentatores pressius inhærerent decreto Gratiani, non mirum, quod vix apud ipsos vel unum reperies, qui dixerit Papam *à fide devium* deprehendi non posse, aut à fide devium judicari non posse.

Hinc non videmus Pontifices, aut Curiam Romanam obstitisse in Concilio Constantiensi aut Basileensi, quo minus declararetur, Papam subjici Concilio generali in materia *fidei*; sed duntaxat obstitisse ne declararetur subjacere decretis Concilii quoad ea quæ concernunt reformationem morum. Quin & constat Paulum IV. ad hunc Canonem respexisse, in famosa illa Bulla, quæ incipit: *Cum ex Apostolatus officio*; estque XIX. in Bullario Romano, ubi dicit: *Papa omnes judicat, à nemine in hoc mundo judicandus, potest, si deprehendatur à fide devius, redargui.* Verum & hoc constat quod hic Pontifex non dixerit *judicari*, sed *redargui*; cum tamen evidenter Canon à Gratiano relatus aperte supponat Papam à fide devium posse judicari, uti supra notatum est.

Sub initium distinctionis refleximus, præcipuum Gratiani scopum fuisse hac distinctione ostendere, quod *non loca sed virtutes sanctum faciant*, quod plures Patrum auctoritates hic relatæ probant.

Non loca sed virtutes sanctum faciunt.

Imprimis notandum dictum, sub nomine S. Hieronymi Canone 2. " Non sanctorum filii „sunt, qui tenent loca sanctorum; sed qui exer„cent opera eorum. Et S. Gregorii Canone 4. „Non loca vel ordines creatori nostro nos proxi„mos faciunt sed ei nos merita bona jungunt, aut „mala disjungunt. At præ reliquis attendenda sunt verba S Chrysostomi seu Auctoris operis imperfecti Canone 12. " Multi sacerdotes, & pauci „sacerdotes, multi nomine pauci opere. Videte „ergo quomodo sedetis super cathedram non lo„cus sanctificat hominem, sed homo locum; „non omnis sacerdos sanctus, sed omnis

„sat ctus sacerdos; qui bene sederit super cathe-„dram, honorem accipit ab illa; qui male sederit, „injuriam facit cathedræ: ideoque malus sacerdos „de sacerdotio suo crimen acquirit non dignita-„tem: in judicio enim sedens, siquidem bene vix-„eris, & bene docueris, omnium judex es: si „autem bene docueris & male vixeris, tui solius „condemnator eris: nam bene vivendo & bene „docendo, populum instruis quomodo debeat vi-„vere: bene autem docendo & male vivendo, „Deum instruis quomodo te debeat condem-„nare.

Quin & ex relatis auctoritatibus probatur, peccati gravitatem crescere *propter altitudinem dignitatis*, uti loquitur S. Chrysostomus Canone 5. sive Auctor operis imperfecti.

Notabile Augustini dictum de duplici modo considerandi dignitates Ecclesiasticas.

Denique Can. 7. refertur vulgare dictum & merito omnium Episcoporum & ministrorum Ecclesiæ mentibus & cordibus insculpendum ex epistola S. Augustini ad Valerium: *Ante omnia peto, ut cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita & maxime hoc tempore facilius & lætius & hominibus acceptabilius Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctorie atque adulatorie res agatur; sed nihil apud Deum miserius, & tristius & damnabilius. Item nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster imperator jubet.*

Ex his nequaquam obscurum est, quod Gratianus non advertit ad verba nomine Symmachi relata Canone 1. quandoquidem evidens sit Gratianum asserere voluisse, cathedram, seu locum sedentem in eo sanctum non facere.

DISTINCTIO XLI.

De moderatione servanda à clericis in exterioribus.

PRæcedenti distinctione ostendit Gratianus, Episcopum oportere esse *ornatum virtutibus*; nec cathedræ fastigium, aut dignitatis magnitudinem aliquem facere *sanctum*, sed requirere sanctum. Hac distinctione probare intendit, eum oportere præterea esse *ornatum in exterioribus*: „Habitu videlicet & incessu, ut nec fulgidis, nec „sordidis se vestibus ornet, ut enim ait Hierony-„mus, nec affectatæ sordes, nec exquisitæ deliciæ „laudem pariunt, quod tam de vestibus quam de „cibis intelligendum est.

Plures Patrum auctoritates profert Gratianus, quibus rectus usus harum rerum corporalium describitur, ac notanter S. Augustini, qui in harum rerum usu id vel præcipue attendendum præscribit, ut non excedatur meta consuetudinis *bonorum*, inter quos vivitur, uti loquitur: Canone 1. quod notanter in usu vestium locum habet.

Circa usum ciborum illud maxime obtinet, quod ibidem ait: *In omnibus enim talibus non usus rerum, sed libido utentis in culpa est.* Nonnullis in probatione m hujus sui asserti adductis, ita concludit Augustinus: "Nam in omnibus hu-„juscemodi rebus non ex earum rerum natura, „quibus utimur; sed ex causa utendi, & modo „appetendi, vel probandum, vel improbandum „quod facimus.

Adducit quidem Gratianus hæc, ut probet, Episcopum oportere esse ornatum in *exterioribus*, sive moderatum. Sed notandum, quod Augustinus locis hic allegatis nequaquam agat, qua moderatione his rebus transeuntibus uti debeant Episcopi, aut cæteri Ecclesiæ ministri, qui specialiter obstricti sunt præire populo in moderato harum rerum usu; sed generaliter de Christianis, quid in earum rerum usu vitare & præcipue attendere debeant.

Regula hac de re à Concilio Carthaginensi præscripta.

Regulam in his rebus transitoriis & exterioribus ab Episcopis servandam habemus expressam in Concilio Carthaginensi IV. cap. 15. & hic à Gratiano relatam Canone 7. " Episcopus „vilem supellectilem & mensam ac victum pau-„perem habeat, & dignitatis suæ auctoritatem „fide, & vitæ meritis quærat.

De hac regula per synodum Tridentinam rursus innovata videri possunt dicta in *Jure Eccles. Part. 2. tit. 32. cap. 4.* & de moderato usu in vestibus clericorum *Parte 1. tit. 2. cap. 2.*

Refertur & hic Canone 5. ex Concilio Gangrensi Canon finalis editus contra Eustathium, ejusve discipulos, qui pietatem in externo & affectato habitu constituere dicebantur, uti in Tractatu Historico Canonico *Parte 2. cap. 1. § 10. ad Canonem 12. Gangrensem* videri potest.

DISTINCTIO XLII.

Episcopum oportere esse hospitalem.

PRosequens Gratianus virtutes in Episcopo necessarias eo pene ordine quo per Apostolum, in epistolis ad Timotheum & Titum leguntur expressæ per Apostolum, verbo *hospitalem*, in proœmio hujus distinctionis ostendit, quod se debeat *in pauperes* exhibere *hospitalem*, qui alios ad hospitalitatem debet invitare.

" Quomodo, ait, hospitalitatis exhortator „poterit esse, qui domum propriam hospitibus „claudit: si enim sacerdos primum à seipso, & à „domestica Ecclesia sua debet exigere, quod postea „populum doceat, necesse est ut pauperes hospitio „recipiat, quo ad hospitalitatem facilius suo ex-„emplo attrahat.

Indubitatum est, quod hic à Gratiano de exercitio & virtute *hospitalitatis*, recte observatum est, similiter & de cæteris pietatis & charitatis exercitiis per Episcopos populis proponendis & persuadendis esse observandum, ut scilicet, *ipsi prius sint eorum observatores, quam exhortatores.*

Nomine hospitalitatis intelligitur omne opus misericordiæ in pauperes.

Cæterum & hoc scitur, sub nomine *hospitalitatis* pauperibus exhibendæ, omne opus misericordiæ pauperibus & indigentibus exhibendum comprehendi; ita ut hic id unum significetur Episcopum esse oportere misericordem & liberalem in pauperes.

Porro hæc Episcoporum in pauperes liberalitas & hospitalitas speciali titulo respicit bona & proventus Ecclesiasticos, quorum dispositionem, seu dispensationem Ecclesia Episcopis ita commisit, ut ex his necessaria cum moderatione ac frugalitate acciperent, reliqua vero in pauperes & pios usus distribuerent tanquam *patrimonium pauperum*, uti latius ostendi in *Jure Eccles. Parte 2. tit. 32. cap. 3.* Ex quo consequens esse probavi, clericos ex patrimonio divites, non posse mente Ecclesiæ, reservato patrimonio, ex proventibus Ecclesiasticis, utpote *patrimonio pauperum*, vivere.

Notandum monitum Chrysostomi circa exercitium hospitalitatis.

Illud ad notandum quod refert Gratianus ex S. Chrysostomo Canone 2. in exercenda hospitalitate non nimirum anxie conditionem personæ inquirendam; " Non enim, ait, ex vita eorum, „quos accipis, mercedem tibi retributurus est „Deus; sed ex voluntate tua, ex liberalitate, ex hono-

„ex honorificentia multa, ex misericordia, ex „bonitate.

De Agapis in Ecclesia institutis solitis.

Intermiscet hic Gratianus nonnulla de vetitis conviviis exhibendis in Ecclesiis, qualia primitus inter Christianos in Ecclesiis celebrata fuisse omnibus notum est, & tanquam mutuæ charitatis & dilectionis symbola, Agapæ dicta fuere. De his conviviis videri possunt dicta in Tractatu Historico Canonico *Parte* 2. *cap.* 1. §. 12. *ad Canones* 27. & 28. synodi Laodicenæ, qui hic à Gratiano, licet nonnihil mutilati, referuntur Canone 3. & 4.

DISTINCTIO XLIII.

Sacerdotem in omnibus oportet esse pudicum.

GRatianus prosequens qualitates per Apostolum in Episcopo requisitas, hac distinctione ait: " Pudicus quoque debet esse sacerdos, „ut & moribus & verbis pudorem indesinenter „exhibeat.

Hanc in Episcopo virtutem ut adstruat, nullam hac distinctione, aut Patrum, aut Canonum auctoritatem adducit: indubie quia in præcedentibus distinctionibus adstruxerat, continentiam in Episcopis & Ecclesiasticis personis esse necessariam.

Multis adstruitur in Episcopis obligatio docendi populum verbum Dei.

Adjungit Gratianus in procemio hujus distinctionis aliam qualitatem in Episcopo requisitam: " Debet, inquit, etiam *gratiam do-„cendi* habere: quia, ut Hieronymus ait: „*Innocens & absque sermone conversatio*, „*quantum exemplo prodest, tantum silentio* „*nocet: nam latratu canum & baculo Pa-„storum lupi sunt arcendi.* In ipsa autem „doctrina discretum oportet esse rectorem, ne „aut tacenda proferat, aut proferenda tace-„at. Hæc Gratianus in procemio hujus di-„stinctionis.

Ut hanc in Episcopis & Pastoribus qualitatem esse necessariam probet, adducit Canone 1. prolixum fragmentum ex libro S. Gregorii de cura Pastorali Parte 2. cap. 4. quo S. Pontifex multis adstruit, Episcoporum & Pastorum obligationem annuntiandi populo veritatem Evangelicam: " Sit rector, ait, »discretus in silentio, utilis in verbo, ne aut "tacenda proferat, aut proferenda retices-"cat....... sæpe namque rectores improvidi, „humanam amittere gratiam formidantes, lo-„qui libere recta pertimescunt, & juxta ve-»ritatis vocem nequaquam jam gregis custo-"diæ, Pastorum studio, sed mercenariorum "vice deserviunt; quia veniente lupo fugi-„unt, dum se sub silentio abscondunt. Hinc »namque eos per Prophetam Dominus incre-»pat, dicens: *Canes muti, non valentes* "*latrare*: hinc rursus queritur dicens: *Non* "*ascendistis ex adverso, neque opposuistis mu-„rum pro domo Israel, ut staretis in prælio* „*in die Domini.* Ex adverso quippe ascen-»dere, est pro defensione gregis, voce li-"bera, hujus mundi potestatibus contraire, "& in die Domini in prælio stare: est pra-„vis decertantibus ex justitiæ amore resistere. „Pastorem enim recta timuisse dicere, quid »est aliud, quam tacendo terga præbuisse, "qui nimirum, si pro grege se objicit, mu-"rum pro domo Israël hostibus opponit. Hoc „ibidem latius prosequitur, & Pastoribus verita-„tem populo exponere formidantibus imminens „periculum ingens exponit.

Dein Canone 2. & 3. prolatis fragmentis desumptis ex suppositiciis decretalibus Clementis I. & Anacleti, Canone 4. refert iterum verba S. Gregorii ex Epistola ad Venentium: „Ephesiis Paulus dicit: *Mundæ sunt manus meæ* »*à sanguine omnium vestrum: non enim sub-*"*terfugi, quominus annuntiarem omne con-*"*silium Dei vobis*: mundus ergo à sangui-„ne eorum non esset, si eis Dei consilium an-„nuntiare noluisset: quia cum increpare delin-„quentes noluerit, eos procul dubio tacendo „pastor occidit.

Plura de hac qualitate & officio Episcoporum adduxi & exposui in *Jure Eccles. parte* 1. *tit.* 16. *cap.* 9.

DISTINCTIO XLIV.

De sobrietate in Episcopo requisita

INter qualitates Episcopi Apostolus requirit, ut sit, *non violentus*. De hac qualitate agere intendens Gratianus hac distinctione, monet in procemio: " Cum autem *violen-„tus* esse prohibetur, gulæ intemperantiam »nequaquam habere permittitur: neque enim "ebrietas prohibetur, & voracitas permitti-"tur: utrumque enim inter opera tenebra-„rum Apostolus connumerat, scribens Ro-„manis: *Non in commessationibus & ebrieta-„tibus.*

Hac itaque occasione pluribus hic agit de vetitis, non tantum clericis sed & laicis commessationibus, necnon de conviviis, & qualiter hæc à Christianis, ac notanter à clericis sint instituenda.

Commessationes & convivia in honorem martyrum reprobantur.

Inter auctoritates profert Canone 1. notabile fragmentum ex epistola sancti Augustini ad Aurelium, in qua deplorat, quod eo tempore in Africa: " Commessationes & ebrie-»tates ita concessæ & licitæ putarentur, ut in "honorem etiam beatissimorum Martyrum, "non solum per solemnes dies (quod ipsum „quis non lugendum videat, qui hæc non „carnis oculis inspicit?) sed etiam quotidie „celebrentur.

De modo agendi cum multitudine peccantium ex Augustino.

Post hæc scribit Augustinus, quod ubi vitium aliquod adeo multitudinem infecit, ut quasi pro lege invaluerit, debeat contra illud per Episcopos & Pastores agi: " Non »aspere, inquit, quantum existimo, non du-"riter, non modo imperioso ista tolluntur: "magis docendo, quam jubendo, magis mo-„nendo, quam minando. Sic enim agendum „est cum multitudine peccantium. Severitas »autem exercenda est in peccata paucorum. Et "si quid minamur, cum dolore fiat, de "scripturis comminando vindictam futuram, „ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus „in nostro sermone timeatur: ita prius move-„buntur speciales aut spiritualibus proximi; quo-„rum auctoritate, & lenissimis quidem, sed in-„stantissimis admonitionibus cætera multitudo „frangatur.

Frequentatio popinarum clericis vetita.

Quia commessationes & ebrietates frequentius in cauponis, seu tabernis caupanariis contingunt, & occasionem sumunt, hinc Gratianus nonnullos Canones subjicit, quibus vetatur clericis tabernas intrare. Consuli poterunt, quæ de hoc vetito tabernarum introitu tum ex pristinis tum ex recentioribus synodis notavi in *Jure Eccles. Parte* 1. *tit.* 2. *cap.* 4.

Modus christianus in-

Plura hic quoque interserit Gratianus de conviviis, quia moderatione hac, signanter à clericis

stituendi convivia. clericis, sint instituenda: atque inter alia referuntur Canone 6. ex S. Gregorio: „ Convivia, quæ ex intentione impendendæ charitatis fiunt, rectè vestra fraternitas in suis epistolis laudat: sed tamen sciendum est, quia tunc ex charitate veraciter prodeunt, cùm in eis nulla absentium vita mordetur, nullus ex irrisione reprehenditur, nec in eis inanes sæcularium negotiorum fabulæ, sed verba sacræ lectionis audiuntur: cùm non plus quàm necesse sit, servitur corpori; sed sola ejus infirmitas reficitur, ut ad usum exercendæ virtutis habeatur. Hæc itaque si vos in vestris conviviis agitis, abstinentium, fateor, magistri estis.

Quæ Canonibus 8. & 9. referuntur sub nomine Concilii Nannetensis, in nullo Concilio Nannetensi reperiri notat Baluzius ad dictum canonem 8. monetque hoc caput extare in capitulis Hincmari Rhemensis; extantque inserta tomo 8. Conciliorum Generalium, atque meritò attendentur, dum certis diebus per suas Decanias unà cùm suo Archipresbytero Pastores conveniunt.

Convivia ex pecuniis collatis prohibentur. Canone 10 recitat canonem 55. Laodicænum ex versione Isidori, & rursus canone 12. ex versione Martini Bracarensis, quamvis eum repræsentet tanquam ex Concilio Martini Papæ. Pro sensu hujus canonis non inutiliter legentur diversæ illius versiones tum Græcorum, tum Latinorum, quæ tamen videntur eundem sensum & eandem rationem exprimere, quam non malè reddidit Zonaras dicens: „ Ex collatione convivia peragere, hoc est, à pluribus, ut exquisitis epulis mensæ instruantur, pecunia collata convivia apparari; quòd ea res ebrietatis voracitatisque ac aliorum criminum causam præbeat, nullo modo licere canon decernit.

DISTINCTIO XLV.

Episcopum non oportet esse percussorem. GRatianus prosequens qualitates, quibus debet esse ornatus Episcopus, & vitia ac defectus, à quibus oportet eum esse immunem, hac distinctione exponit eam, quam Apostolus expressit in verbis: *Non percussorem.*

Superior mansuetudine magis quàm potestate agere debet. Authoritates hac distinctione per Gratianum adductæ, hoc penè unum evincunt. Episcopos & Pastores in arguendis subditis, magis exhortando & monendo procedere debere cum mansuetudine & patientia, quam potestate & puniendo; ut patres se magis quàm judices, & potestatem puniendi habentes, exhibeant. Unde in procemio distinctionis ait: „ Non „enim oportet Episcopum ita esse irascibilem, „& perturbati sensus, ut percutiat, qui debet „esse patiens; sed sequatur eum, qui dorsum „posuit ad flagella.

Inter cætera à Gratiano relata notari meretur, quod retulit canone 6. ex epistola sancti Leonis ad Episcopum Thessalonicensem, suum per Illyricum Vicarium: „ Licet, ait, non- „nunquam accidant, quæ in sacerdotalibus „sunt reprehendenda personis, plus tamen er- „ga corrigendos agat benevolentia quàm seve- „ritas, plus cohortatio quam comminatio, plus „charitas quam potestas: sed hi, qui, *quæ sua* „*sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi*, facilè ab „hac lege discernuntur: & dum dominare magis, „quam consulere subditis quærunt, placet ho- „nor, inflat superbia, & quod provisum est ad „concordiam, tendit ad noxam.

Itaque hac distinctione Gratianus conatur instruere Episcopos & Pastores, qualiter in arguendis & exhortandis subditis procedere debeant; „ Ut regat disciplinæ vigor man- „suetudinem, & mansuetudo ornet vigorem; „& sic alterum commendetur ex altero, ut „nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo „dissoluta, uti loquitur sanctus Gregorius ca- „none 14.

Cavendus Episcopis spiritus dominandi. Præ cæteris autem cavendus Episcopis dominatus, sive spiritus dominandi in subditos: hinc ad calcem canonis 13. concludit Gratianus: „ Percussores ergo, qui præmissis „authoritatibus ab Episcopali officio removen- „tur, non quilibet corporaliter flagellantes, „sed prætermissa mansuetudine ad verbera „semper parati intelligendi sunt; qui per fla- „gella non vitia corrigere, sed timeri appe- „tunt: quibus Petrus scribit: *Ne suis domi-* „*nantes in clero, sed forma facti gregis ex animo.*

DISTINCTIO XLVI.

Episcopum non oportet esse litigiosum. HAc distinctione dicit Gratianus, quod juxta Apostolum, non oportet Episcopum esse *litigiosum*. Duplicem hujus prohibitionis adfert rationem „ Parte 1. Parati, ait, „ad lites, in subjectos tumidi intonant; quod „ex arrogantia & superbia provenire manife- „stum est.

Multiplex hujus prohibitionis ratio. Id probat canone primo authoritate sancti Gregorii in verbis: *Hoc habet proprium doctrina arrogantium, ut humiliter nesciant inferre, quod docent; & recta, quæ sapiunt, rectè ministrare non possunt. In verbis enim eorum proditur, quod cum docent, quasi in quodam sibi videntur sublimitatis culmine residere: eosque quos docent, ut longè infra se positos, veluti in imo respiciunt, quibus non consulendo loqui, sed vix dominando dignantur.*

Ad calcem hujus canonis inchoans Gratianus secundam partem distinctionis ait: *Ecce, quare litigiosi prohibentur in Episcopos ordinari: est & alia causa hujus prohibitionis: litigiosi namque vel adulationibus animos Principum sibi conciliant, vel fratribus suis detrahendo, infamiæ notam ingerunt, vel inter fratres discordiam seminando, seditionem nunquam facere cessant, quæ omnia in Prælatis damnabilia esse probantur.*

Profert hanc in rem fragmentum ex libris moralium S. Gregorii, ubi hos adulatores & vitia peccatorum palpantes dicit esse eos, de quibus per Prophetam dicitur: *Væ! qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus & faciunt cervicula sub capite universæ ætatis.*

Quæ præterea hac distinctione adduntur: omnia penè ex canonibus Concilii vulgò Carthaginensis IV. referuntur, diriguntur que contra clericos, qui proditionibus & adulationibus vacant, qui fratribus non probanda objiciunt, ut habet canon 3. & 4. Et canonum 5. 6. & 7. hoc est summarium: *Removeatur ab officio clericus maledicus, scurra.*

DIS-

DISTINCTIO XLVII.

Ratio connexionis hujus distinctionis cum præcedenti.

CONnexionem hujus distinctionis cum præcedenti exponit Gratianus in procœmio distinctionis. *Quod autem in fine hujus capituli* usurarii *ordinari prohibentur, inde est, quod usuram exercentes, cupiditati deservire probantur*: cupidi *autem ab Apostolo ordinari prohibentur; quia tales facilè à justo deviarent.*

Clericum non oportet esse cupidum aut usurarium.

Itaque Canone 1. & 2. recitat Canonem vulgò Apostolorum, & Nicænum, quibus clericis usuræ interdicuntur; addens nonnullas Patrum sententias contra recipientes usuras.

Porro, cum hac distinctione intenderet agere Gratianus de qualitate Episcopi per Apostolum expressâ his verbis: *non cupidum*, atque ea occasione egisset de usurariis, eò quòd usuræ receptio ex lucri cupiditate oriatur, & usurarii cupidi habentur, etiam nonnullas Patrum sententias contra rerum temporalium cupiditatem, & avaritiam, filiam cupiditatis, adjungit.

Cupiditas bonorum temporalium perniciosa præsertim in clericis.

Inter cætera Canone 6. ex S. Leone: *Virum Catholicum, & præcipuè Domini Sacerdotem sicut nullo errore implicari; ita* nulla *oportet* cupiditate *violari, dicente sanctâ Scriptura:* post concupiscentias tuas non eas; *mens enim potentia (aliàs pecunia) avida, nec abstinere novit à vetitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum.*

Et Canone 8. recitat verba S. Ambrosii, quibus ostendit imprimis, quàm densas tenebras menti humanæ offundat temporalium cupiditas: *Sicut ii,* (ait) *qui per insaniam mente translati sunt, non jam res ipsas, sed passionis suæ phantasias vident; ita etiam mens avari semel vinculis cupiditatis adstricta, semper aurum, semper argentum videt, semper redditus computat, gratius intuetur aurum quàm solem; ipsa ejus oratio & supplicatio ad Dominum aurum quærit. Post hæc refellit ordinariam avarorum prætensam justificationem. Quid injustum est, si cum aliena non invadam, propria diligentius servo? O impudens dictum! propria dicis? quæ? ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti? quando in hanc ingressus es lucem? quando de ventre matris existi? quibus quæso facultatibus, quibusque subsidiis stipatus ingressus es?* Plura ibidem notanda adjungit, meritò à divitibus hujus sæculi, ac notanter ab Ecclesiasticis seriò expendenda.

Episcopus ordinandus non est, qui domui suæ præesse nescit.

Gratianus hac distinctione ad calcem Canonis 8. aggreditur aliam qualitatem in Episcopo necessariam, & per Apostolum expressam his verbis: *Domui suæ bene præpositum, habentem filios sibi subditos in omni castitate, non in accusatione luxuriæ.*

Plura de hac qualitate ex sacra Scriptura subjungit Gratianus, ac tandem suum discursum ita concludit: *Jure ergo, qui domui suæ nescit præesse, in Episcopum ordinari prohibetur; quia, qui in re minima, de qua sibi familiarior debet cura inesse, fidelis non est, quomodo in Ecclesia Dei, (ubi tot sunt & alieni) solicitam diligentiam adhibet? unde Hieronymus: non enim justus polluitur ex vitiis filiorum, sed libertas ab Apostolo Ecclesiæ Principi reservatur, ut talis fiat, qui non timeat propter vitia liberorum extraneos reprehendere.*

Quo sensu justus non polluitur ex vitiis filiorum.

Monet autem Gratianus, finalia verba ex sancto Hieronymo relata, quibus significatur, justum non pollui ex vitiis filiorum, intelligenda esse: *si non erit, quod sibi imputetur.*

In hujus probationem adducit quædam ex SS. Augustino Canone nono & Cypriano Canone decimo, quibus probat, quòd, licèt Prælatorum summa sit cura & vigilantia in exhortando & arguendo, nihilominus non omnes convertantur. *Quantumlibet vigilet*, ait Augustinus, *disciplina domus meæ, homo sum, & inter homines vivo: nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit, quàm arca Noë, ubi tamen inter octo homines unus reprobus inventus est.*

Ex paucis interjectis addit hoc notandum: *Simpliciter autem fateor charitati vestræ coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam; ex quo Deo servire cœpi, quomodo difficilè sum expertus meliores, quàm qui in monasteriis profecerunt; ita non sum expertus pejores, quàm qui in monasteriis ceciderunt; ita ut hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum*: Justus justior fiat, & sordidus sordescat adhuc.

Et Cyprianus Cornelio Papæ scribit: *Quod ad nos attinet, conscientia nostra convenit, Frater, dare operam, ne quis nostra culpa de Ecclesia pereat: si quis autem ultro & crimine suo perierit, & pœnitentiam agere, atque ad Ecclesiam redire noluerit, nos in die judicii inculpatos futuros credimus, qui consuluimus sanitati, illos solos in pœnis remansuros, qui noluerint consilii nostri salubritate sanari.*

DISTINCTIO XLVIII.

Neophytus in Episcopum non ordinandus.

PRosequens Gratianus qualitates Episcopi per Apostolum expressas, agit hac distinctione de *non neophyto* in Episcopum ordinando: *Causa hujus prohibitionis*, ait Gratianus, *est secundùm Apostolum, ne elatus in superbiam, tanquam religio Christiana plurimum eo egeret, incidat in ruinam diaboli.*

Quis dicendus Neophytus.

Hanc qualitatem tanquam necessariam in assumendis ad ministerium Ecclesiasticum, signanter Episcopale, expressit & requisivit jam pridem Synodus Nicæna Canone secundo, quem hìc refert Gratianus ex versione Isidori, de quo videri poterit Tractatus Historico-Canonicus Parte secunda, capite primo, paragrapho septimo ad præfatum Canonem, ubi latiùs exposui, qui ex mente Patrum Neophyti sint reputandi.

DISTINCTIO XLIX.

Ratio ob quam à vitiis immunes debent esse sacerdotes.

EXistimabat Gratianus, quod hactenus sufficienter ostendisset, insequendo Apostolum, à quibus vitiis debeant esse immunes, qui in Episcopum sunt ordinandi, ideo in procœmio hujus distinctionis exponit rationem, ob quam necessarium sit, ut assumendi ad sacerdotium à vitiis sint immunes: *Qui enim intercessores pro populo ad Deum parantur, necesse est, ut ejus gratiam bene vivendo mereantur*: unde Gregorius ait in Pastorali: Solicitè formidandum, ne qui placare posse iram Dei creditur, hanc ipse ex proprio reatu merea-

mereatur: cuncti enim liquidò novimus, quia, cùm is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. Qui ergo adhuc desideriis terrenis adstringitur, caveat, ne districti iram Judicis graviùs accedens, dum loco delectatur gloriæ, fiat subditis auctor ruinæ. Solerter ergo se quisque metiatur, nec locum regiminis assumere audeat, si in se adhuc vitium damnabiliter regnat, nec is, quem crimen depravat proprium, intercessor fieri appetat pro culpis aliorum.

Profertur hic prolixum fragmentum ex libro S. Gregorii de cura Pastorali, quo Gregorius exponit vitia, à quibus Sacerdotes in novo Testamento debent esse immunes; & virtutes, quibus eos oportet esse ornatos; mysticè defectus & qualitates corporis in Sacerdotibus veteris legis, ad vitia & virtutes animæ in Sacerdotibus novæ legis reducendo. Meritò à Clericis attentè legetur.

DISTINCTIO L.

An lapsi in crimen post ordinationem peracta pœnitentia in susceptis ordinibus continuare vel ad majores ascendere queant. Varias auctoritates in utramque partem adducit Gratianus.

POstquam in præcedentibus ostendit Gratianus, quòd criminibus irretiti Sacerdotes ordinari non possint, nunc quærit hac distinctione: *Utrum post peractam pœnitentiam, vel in propriis ordinibus remanere, aut ad majores gradus conscendere valeant?*

Hanc distinctionem in plures partes dividit Gratianus. Prima parte refert plures Patrum sententias & canones, quibus probatur, lapsos in crimen absolutè ab ordinibus propriis absque spe restitutionis deponendos esse, & ab accessu majorum prohiberi.

His relatis tum in secunda parte, quæ incipit post canonem duodecimum producit sententias & canones, quibus probari videtur post actam pœnitentiam in propriis gradibus licitè posse administrare, & ad majores posse ascendere.

Hac in speciem canonum & sententiarum contrarietate proposita, quærit in tertia parte post canonem 24. *Quomodo igitur hujusmodi auctoritatum dissonantia ad concordiam revocari valeat, breviter ait, inspiciamus. Sunt quidam, quos non odium criminis, sed timor vilitatis & amissio boni gradus, & ambitio celsioris ad pœnitentiam cogit. Hos sacri canones irrecuperabiliter (aliàs irreparabiliter) dejiciunt: quia qui simulatione pœnitentiæ, vel affectatione honoris à Deo non consequitur veniam, nec ab Ecclesia reparationem meretur.*

Ut illas conciliet, distinguit inter peccata occulta & manifesta

Verùm & ipse Gratianus verisimiliter intelligens, quàm parum hæc distinctio consona esset sententiis Patrum & Canonibus in prima parte relatis qui omnem spem restitutionis ad proprios ordines, & ascensum ad majores adimunt, etiam post *peractam* pœnitentiam, dicit post canonem 32. *quòd possint & aliter distingui præmissæ auctoritates: quorum enim crimina* manifesta *sunt, ante vel post ordinationem, à sacris ordinibus dejiciendi sunt, quorum autem peccata* occulta *sunt, & satisfactione* secreta *secundum Sacerdotis edictum purgata, in propriis ordinibus remanere possunt.*

Nonnullis interpositis canonibus concludit: *Præmissis auctoritatibus lapsis permittitur, ut post pœnitentiam in suis ordinibus reparari valeant. ad majorem autem conscendere post lapsum nulla eis auctoritate permittitur; imo penitus prohibetur. Dein citato in probationem hujus sententia Canone Ilerdensis Concilii objicit sibi exemplum S. Petri: Qui post trinam negationem, non solùm in gradu sui Apostolatus remansit; verùm etiam in Pastorem totius Ecclesiæ à Christo institui meruit.*

Sed contra hoc exemplum S. Petri sibi objicit post Canonem 53. *Quod pœnitentes ad sacros ordines promoveri non debeat: non ergo lapsi post pœnitentiam ad majora pertingere possunt.*

Tum citatis nonnullis Canonibus, qui pœnitentes ab ordinibus excludunt, ac signanter hoc decreto Innocentii I. *Canones apud Nicæam constituti, pœnitentes etiam ab infimis officiis clericorum excludunt.* Hanc conciliandi rationem subjicit: *Hoc non de quibuslibet pœnitentibus, sed de illis tantùm qui post actam pœnitentiam sæcularis militiæ cingulum accipiunt.*

Item inter pœnitentiam solemnem & non solemnem.

Verùm rursus advertens, hanc conciliandi rationem non convenire Canonibus pœnitentes à sacris functionibus simpliciter & in perpetuum removentibus, aliam adjungit ad calcem Canonis 61. *Potest & aliter intelligi, ait, Est quædam pœnitentia, quæ* solemnis *appellatur, quæ semel tantum in Ecclesia conceditur*, de qua Ambrosius ait: *Sicut unum est baptisma, ita & unica est pœnitentia.*

Deinde allegatis nonnullis Canonibus de modo imponendi & agendi hanc solemnem pœnitentiam, concludit: *Hanc pœnitentiam nulli unquam clericorum agere conceditur; atque ideo hujusmodi pœnitentes ad clerum admitti prohibentur.*

Itaque Gratianus, ut in quæstione hac, an lapsi in crimen, vel etiam publicè pœnitentes, possint ad sacros ordines promoveri, aut in susceptis post actam pœnitentiam ministrare, Canones inter se contrarios conciliare volens, distinxit inter crimina *occulta*, & crimina *publica*: item inter pœnitentiam *solemnem* & *non solemnem*: atque lapsos in *occulta*; item pœnitentes *non solemniter*, posse post peractam pœnitentiam in ordinibus susceptis ministrare, & ad majores ascendere: secus verò lapsos in crimina *publica*, aut pœnitentes *solemniter*.

At illa conciliatio Patrum regulis & pristinis Canonibus nullatenus congruit.

Hac distinctione credidit Gratianus, Canones in speciem contrarios conciliari posse. Verùm distinctionem inter *occulta* & *publica* crimina non congruere Patrum Regulis, eamque demum sæculo decimo aut circiter, occasione falsæ decretalis Calixti I. necnon corruptæ epistolæ S. Gregorii ad Secundinum invaluisse, pluribus ostendi in *Jure Eccles. Parte* 2. *tit.* 10. *cap.* 7. & latiùs in Dissertatione de Canonicis Parte 2. cap. 2. §. 4. & sequentibus. Similiter distinctionem inter pœnitentiam *solemnem* & *non solemnem* esse recentiorem, nec pristinis Canonibus applicabilem, monstratum est in *Jure Eccles. Parte* 2. *tit.* 6. *cap.* 2. ubi & ex Morino observatum est, Gratianum in has præposteras Canonum concordias incidisse, eò quòd secutus nonnullos præcedentes Canonum collectores, nec tempora satis distinxerit, nec genuina à falsis & apocryphis scriptis separaverit.

Idipsum quoad distinctionem inter publica & occulta crimina notavit dominus Hericourt in Analysi decreti Gratiani, unà notans, Gratianum

Interim Canonistæ & Theologi in hoc puncto Gratianum sunt secuti.

num ad hanc & similes distinctiones permotum occasione falsarum decretalium. Quomodo autem authoritate Gratiani, quam secuti sunt Canonistæ & Theologi scholastici, distinctiones illæ invaluerint, & disciplina iis conformis stabilita sit, notatum est locis supra citatis, ubi hodierna disciplina circa lapsos in crimen exposita est: ibidemque notavimus, quòd in hoc puncto etiamnum disciplina per Gratianum proposita, licet à pristina Patrum disciplina deflectat, nequidem in omnibus servetur.

DISTINCTIO LI. & LIII.

Quidam ab ordinibus arcentur ob functiones Clericis minus convenientes.

POstquam Gratianus ostendit criminosos ad ordines non assumendos, descendit ad eos, qui non quidem ob crimina, sed ob certas functiones, sive conditiones Clericis minus convenientes à sacris prohibentur ordinibus. Idipsum monet Gratianus in procemio hujus distinctionis dicens: "Ecce quod criminosi „vel non *verè pœnitentes*, vel publicam pœni„tentiam agentes à sacris prohibentur ordini„bus: adjecit quoque sancta Mater Ecclesia, ut „curiales aut post Baptisma militantes, aut in „foro decertantes à sacris prohibeantur ordini„bus. Hàc itaque distinctione prædicta tria personarum genera attingit.

Tales inprimis sunt curiales.

Quantum ad *curiales*, extat Epistola 24. Innocentii I. cujus fragmentum reperitur in Canone 1. hàc distinctione. Et rursus Canone 2. ex Epistola 4. ejusdem Pontificis, ubi dicitur: *De curialibus autem manifesta ratio est, quoniam etsi inveniantur hujusmodi viri, qui debeant Clerici fieri, tamen quoniam sæpius ad curiam repetuntur, cavendum ab his est, propter tribulationem, quæ sæpe de his Ecclesiæ provenit. Eadem ratio tangitur in Canone ex Epistola ejusdem Papæ.*

Item, qui rationibus publicis sunt obligati.

Fragmentum Epistolæ sancti Gregorii Lib. 7. Epist. 1. quæ hanc *curialium* à sacris ordinibus exclusionem spectat, & cum præcedentibus sub eadem distinctione debuisset referri, retulit Gratianus *sub distinctione* 53. In hac Epistola sanctus Gregorius scribit Episcopis per Siciliam constitutis: *Legem quam piissimus Imperator dedit, ne fortasse hi, qui militiæ vel rationibus sunt publicis obligati, dum causarum suarum periculum fugiunt, ad Ecclesiasticum habitum veniant, vel in Monasteriis convertantur, vestræ studui fraternitati transmittere, hoc maximè exhortans, quod hi, qui sæculi actionibus implicati sunt, in Clero Ecclesiæ præpropere suscipiendi non sunt, quia dum in Ecclesiastico habitu non dissimiliter, quam vixerant, vivunt, nequaquam student sæculum fugere, sed mutuare: quòd si etiam tales quoque Monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi prius à ratiociniis publicis absoluti fuerint: si qui vero ex militaribus viris in Monasteriis converti festinant, non sunt temere suscipiendi, nisi eorum vita fuerit subtiliter inquisita: & juxta normam regularem debent in suo habitu per triennium probari, & tunc Monachicum, Deo authore, suscipere.*

Plures jam pridem fuère de curialibus ad Clerum aspirantibus Imperatorum constitutiones, quarum una notanda extat *in L.* 4. *Cod. de Episcopis & Clericis* sumpta ex *L.* 7. *Cod. Th. de Cohortatibus*, ad quam videndæ notæ Jacobi Gothofredi, uti & ejusdem notæ ad *L.* 49. *Cod. Th. de Decurionibus.*

Interim hìc notandum ex Innocentio I. & sancto Gregorio, quantâ moderatione & exactiore præ cæteris probatione similes personæ ad clericatum vel etiam habitum monasticum sint recipiendæ.

Præterea qui fuerunt milites.

De militantibus non ordinandis est Canon 1. ex Epistola 24. cap. 2. Innocentii I. ubi & ratio additur: "Qui cum potestatibus obedie„runt, *sæva* necessario sunt præcepta execu„ti. Quin & Canone 4. ex Concilio Toletano I. discitur: "Si quis *post Baptismum mili„taverit*, & chlamydem sumpserit, aut cin„gulum ad necandos fideles, etiamsi gravia „non admiserit, si ad Clerum admissus fue„rit, Diaconii non accipiat dignitatem. Re„ctè hìc notant Correctores Romani hæc ver„ba, *ad necandos fideles*, non esse in origi„nali.

Denique decertantes, sive postulantes in foro sæculari.

Militantibus adjungit Gratianus *in foro decertantes*, sive loquitur Innocentius I. in Canone 1. "Qui post acceptam Baptismi „gratiam, in forensi exercitatione versati sunt, „& obtinendi pertinaciam susceperunt. Et in Canone 2. inter genera laïcorum, qui ad clericatum pervenire non possunt, reponit: "Si quis fidelis causas egerit, hoc est postula„verit.

De hac irregularitate in foro postulantium, seu causas agentium, quæ his Canonibus videtur expressa, vide in *Jure Eccles. Parte* 3. *Tit.* 6. *cap.* 2.

Hæ irregularitates hodie ab usu recesserunt.

Cæterum hodie nec curialitas, nec patrocinium in curia forensi & civili irregularitatem *per se* inducit, neque curiales aut causarum patroni indigent dispensatione, ut ordines suscipiant, quod & notavit D. Hericourt in Analysi ad hanc 51. *distinctionem* Gratiani.

Interim, quod supra circa admissionem curialium ad sacros ordines notatum est, etiam circa militantium seu postulantium in foro ad sacros ordines admissionem merito observandum.

DISTINCTIO LII.

Quid agendum illi, qui per saltum ordinatus est.

INter distinctionem 51. & 53. quæ ad unam eandemque materiam spectant, mediat hæc distinctio. Quid in ea probare intendat Gratianus exprimit in procemio: *Qui vero prætermissis aliquibus gradibus non superbiâ, sed negligentiâ, ad majorem ascenderit, tamdiu à majoribus abstineat, quousque congruo tempore prætermissos accipiat.*

Quandoquidem in præcedentibus de susceptione ordinum non egerit Gratianus, sat intelligitur, ipsum nullam habuisse rationem connexionis hujus distinctionis cum præcedenti, quam tamen insinuat per particulam, *vero*.

Interim ostendere vult, quòd ordo omissus supplendus sit, & à functione ordinis superioris sit abstinendum, quousque omissus ordo sit suppletus: prolato eam in rem Decreto Alexandri II. quo decernitur, ut qui ordine præpostero per negligentiam ad Presbyteratus ordinem est promotus, omisso ordine Subdiacona-

conatus; ab officio Sacerdotali prohibeatur, donec proximo quatuor temporum jejunio Sub-Diaconatus ministerium sibi rite impositum fuerit.

Non eadem fuit semper circa hoc punctum disciplina. Quidquid sit de hoc Alexandri Decreto, admodum verisimile, illud à Gratiano suo Decreto insertum occasionem præbuisse opinioni, & disciplinæ hodie receptæ, quòd quasi ad *validitatem* ordinis superioris suscepti requiratur, ut suppleatur ordo inferior omissus, idque contra pristinam disciplinam, uti non semel notavimus in Jure Ecclesiastico.

DISTINCTIO LIV.

De ordinatione servorum. HAc distinctione latè agit Gratianus de ordinatione *servorum*, ostenditque, quomodo in hac ordinatione sit procedendum, ne jura Dominorum lædantur, nec Ecclesiæ noceatur; atque ex omnibus tandem concludit: *Ecce, quomodo servi ad Clericatum assumi valeant, vel quomodo non admittantur.* Plura apocrypha, necnon mutilata fragmenta hac distinctione referri vel solæ annotationes Romanæ ostendunt.

Cæterum ex relatis à Gratiano & hoc constat, non eandem omnium Ecclesiarum circa hanc ordinationem disciplinam fuisse, uti & notavit D. Hericourt: & hodie in Belgio horum Canonum nullus est usus; eo quod propriè dictos servos Belgium non agnoscat, de quibus tamen propriè dictis servis Canones agunt.

DISTINCTIO LV.

De irregularitate ex defectu corporis. COrpore vitiatos à sacris ordinibus prohiberi, probare intendit Gratianus hâc distinctione, uti constat ex proœmio. Ex his, quæ in hanc rem profert, sat manifestum est, ac signanter ex fragmento Epistolæ Innocentii I. relato Canone 6. non ob quemlibet defectum membri juxta sacros Canones ab ordinibus prohiberi; sed duntaxat, qui sibi ipsis defectum membrorum procurarunt, sive *in causa* fuerunt, uti in citata Epistola loquitur Innocentius, & manifestè supponunt Canones vulgo Apostolorum hìc relati Canone 4. & 5. necnon Canon Nicænus relatus Canone 7. ipseque Gratianus idipsum vidisse apparet; quandoquidem ad calcem Canonis 3. moneat: "Corpore autem vitiati intelliguntur *non casu*, sed *propriâ voluntate abscissi.* Idipsum & modernæ disciplinæ sat conforme esse deduxi in *Jure Ecclesiast. Parte 2. Tit. 10. cap. 5.* una tamen ibidem notavi, defectum corporis etiam *sine culpa* defectuosi, interdum defectuosum reddere irregularem; eò quòd defectus corporis impediat, quo minus ipsas functiones ordinis vel absolutè, vel non sine irreverentia aut scandalo exercere queat.

DISTINCTIO LVI.

De irregularitate ex defectu natalium. AGit Gratianus hâc distinctione de filiis Presbyterorum non ordinandis. Profert hanc in rem Canone 1. Decretum sub nomine Urbani II. *Presbyterorum filios à sacris altaris ministeriis removemus, nisi aut in cœnobiis, aut aut in Canonibus religiosè probati, fuerint conversati.*

Hoc Decretum esse editum in Concilio Melphensi sub hoc Pontifice habito notat post Sirmundum Stephanus Baluzius, monuimusque in *Jure Eccles. Parte 2. Tit. 10. cap. 3.* non extare antiquius de hac irregularitate Decretum; ibidemque ostendimus justis de causis hanc irregularitatem tandem extensam ad *omnes illegitimos natos.* Profert quidem hìc Gratianus Canone 10. fragmentum sub nomine Bonifacii Martyris, qui ante tempora Urbani II. vixit, sed nihil pro hac irregularitate probat, uti ex integro Canonis contextu constat.

Decretum relatum Canone 2. sub nomine Damasi Papæ apocryphum esse insinuavit Antonius Contius in nota marginali, & post ipsum Antonius Augustinus de emendat. Gratiani Lib. 1. Dial. 6.

Quædam relata à Gratiano non conducentia ad ædificationem legentium Cæterum ex relato hoc, licet apocrypho Decreto, intelligitur, Gratianum in sui operis confectione, non sat attendisse, num à se relata & adducta ad ædificationem legentium conducerent: quis enim non potius offendetur, quam ædificabitur, dum legit, etiam florentissimis Ecclesiæ sæculis, Presbyterorum aliorumque illegitimos filios ad summum Pontificatum assumptos fuisse, quod falsum esse Historiæ Ecclesiasticæ certissimè evincunt.

DISTINCTIO LVII.

De irregularitate baptizati in ægritudine. PRogreditur Gratianus enumerare eos, qui à sacris ordinibus prohibentur; atque hâc distinctione agit de irregularitate illius, qui in *ægritudine baptizatus est*, prolato Canone 12. Neocæsariensi, quo vetatur ordinari in Presbyterum, qui in *ægritudine* constitutus Baptismum suscepit. ***Vera ratio hujus irregularitatis.*** Circa hunc Canonem notandum, ex communi Græcorum sententia, quæ & textui Canonis plane conformis apparet, hanc irregularitatem nequaquam fundari in nullitate, aut invaliditate Baptismi in ægritudine collati; sed in eo, quòd ille, qui usque ad ægritudinem Baptismum petere distulisset, non sat probâsset fidem suam ex voluntate descendere, sive ejus ad Christianismum conversionem esse omnino sinceram.

Magna Patrum solicitudo circa admittendos ad Sacerdotum. Præterea notari meretur Gratianum ex versione Isidori finalem clausulam proferre disjunctivè hoc modo: *Nisi forte postea ipsius studium, & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit;* cum tamen in originali, & similiter in versione Herveti & Dionysii exigui legatur conjunctivè per, *&*: ac ita legisse Balsamonem ex ejus constat commentario: *Utrumque*, ait, *debet concurrere, virtutis scilicet studium, & raritas hominum; si enim unum eorum desit, Canon observabitur.*

Hìc merito attendant Episcopi, quantâ circumspectione processerint Patres in promovendis ad Sacerdotium.

Ex his, quæ ad calcem dicti Canonis proferunt Correctores Romani, ex historia Eusebii, probari videtur, quòd hæc species irregularitatis, etiam sæculo tertio tempore Cornelii Papæ nota fuerit.

DISTINCTIO LVIII.

An, & quomodo Monachi ad officium Ecclesiasticum admitti possint? HAc distinctione probare intendit Gratianus, id, quod in præfatione illius habetur: *Item ex Monachali habitu nullus assumitur ad Ecclesiasticum officium, nisi fuerit oblatus voluntate proprii Abbatis.*

Hoc

Hoc assertum probare vult auctoritate S. Gregorii lib. 1. indict. 1. epist. 18. Porro ex contextu epistolæ constat, S. Gregorium agere de Monachis, qui ab Episcopo ex monasterio tollebantur, *permittente* Abbate, ad officium Ecclesiasticum extra monasterium administrandum: unde immediatè in epistola subjungitur: « Quisquis autem ex prædicto „monasterio ad Ecclesiasticum ordinem perve„nerit, ulterius illuc nec aliquam potesta„tem, nec licentiam habeat habitandi. Vide „notas Gussanvilei ad citatam epistolam; qui ibidem notat, quod juxta pristinam disciplinam Monachi ex monasterio ejecti seu recessi, Monachi esse desinerent; vel si ad clericatum aut officium Ecclesiasticum per Episcopos essent assumpti extra monasterium, nullum jus retinerent revertendi ad monasterium; imò Monachi esse desinerent. Citat & hic Gratianus Canonem 13. Concilii Carthaginensis V. sed evidens est ex contextu Canonis, illum ad hunc casum non spectare, uti videri potest ex Tractatu Historico Canonico *Parte* 2. *cap.* 3. §. 7. ad Canonem 80. codicis Africani, ubi etiam notavimus, quòd in editione decreti anni 1515. 1550. item 1572 post hæc verba, *Vel in suo* MAJOREM *monasterii constituere*, sequitur, *sine licentia Abbatis & Monachorum* unde Glossa casum Canonis exprimens, ait: *Dicitur in hoc Canone, quod Episcopus non potest* alienum *Monachum promovere ad Clericatum, vel facere Abbatem in suo monasterio, nisi de voluntate proprii Abbatis.*

Juxta pristinam disciplinam Monachus ad officium Ecclesiasticum assumptus desinebat esse Monachus.

DISTINCTIO LIX.

Ad sacerdotium assumendi prius in inferioribus ordinibus probari debent.

DIstinctione hâc ostendit Gratianus, ordinandum non esse in summum sacerdotem, nisi in inferioribus ordinibus antea probatus & Ecclesiasticis disciplinis prius fuerit imbutus. Ex sententiis Pontificum hîc relatis evidens est, nequaquam ipsos requisivisse præcedentes inferiores ordines in eo, qui ad sacerdotium assumitur, quasi ab his validitas sacerdotii dependeret; sed ut in ordinum inferiorum functionibus versatus & exercitatus, sacerdotio dignus & idoneus probaretur, uti & ostendi in *Jure Eccles. Parte* 2. *tit.* 9. *cap.* 5.

DISTINCTIO LX.

Assumendus in Archipresbyterum vel Archidiaconum, debet esse presbyter vel diaconus.

HActenus ostendit Gratianus, qui possint ad sacerdotii ordinem promoveri, & qui non: « Nunc autem considerandum est, „ex quibus ordinibus, in Archipresbyterum „vel præpositum sint eligendi: ut ipse mo„net initio hujus distinctionis: & quidem hic ostendit, nullum in Archipresbyterum aut Archidiaconum esse ordinandum, nisi presbyterum aut diaconum; neque in Episcopum, nisi sacris ordinibus fuerit initiatus: sed vel sola nomina *Archipresbyteri*, *Archidiaconi* & similia, quæ hic occurrunt, evincunt, hæc esse recentioris ætatis, ideoque vel hoc solo argumento concluserunt eruditi, decretum relatum Canone 2. nequaquam attribui posse Calixto Papæ I. uti nec relatum Canone 4. Urbano I. utpote quorum ætate, nec nomina, nec dignitates, aut hæc disciplina adhuc nota essent. Verum est, decretum hic Canone 4. sub nomine Urban I. relatum, etiam referri sub nomine hujus Pontificis per Innocentium III. in *Cap.* A MULTIS ⁊ *de ætate & qual. ordin.* sed scitur, Innocentium III. aliosque sequentes Pontifices (è quorum decretalibus constant libri Juris Canonici) secutos fuisse simpliciter & sine discussione auctoritatem Gratiani: ut propterea etiam plura parum authentica in decretales & libros Juris Canonici irrepserint.

Sufficit ut ordinandus in Episcopum sit subdiaconus.

Insuper quia Gratianus nullum sacrum ordinem speciatim requisivit in ordinando in Episcopum; sed duntaxat dixerit, nullum esse ordinandum in Episcopum, qui *non sit sacris ordinibus initiatus*, invaluit, quod sufficiat, ut ordinandus in Episcopum saltem sit *subdiaconus*, licet ordinandus in Archipresbyterum debeat esse presbyter, & in Archidiaconum diaconus; ita ut vel ex his pateat, disciplinam per Gratianum expressam simpliciter esse receptam.

DISTINCTIO LXI.

Multo tempore prius probandi, qui ad Episcopatum assumendi sunt.

AGit rursus hâc distinctione Gratianus contra subitas ordinationes; ostendens, quòd *laici* non sint in Episcopos eligendi, sed per singulos ordines prius sint probandi. Proferuntur hic à Gratiano plures notandæ Patrum sententiæ de non eligendis in Episcopos: « Ni„si quorum ætas à puerilibus exordiis usque „ad perfectiores annos, per disciplinæ Eccle„siasticæ stipendia cucurrerit, ut unicuique „testimonium prior vita præberet, nec posset „de ejus provectione dubitari, cui pro labori„bus multis, pro moribus castis, pro actibus „strenuis, celsioris loci præmium deberetur: uti loquitur S. Leo relatus Canone 5. qui totus meritò legendus ab his, qui ad electionem aut nominationem Episcopi concurrunt; cui & meritò adjungendum, quod ex epistola Hormisdæ Papæ refertur Canone 3.

His prolatis Patrum & Canonum sententiis, objicit sibi: « Quod beatus Nicolaus ex „laico electus est in Episcopum: beatus Se„verus ex lanificio assumptus est in Archi„Episcopum: beatus Ambrosius, cùm nondum „esset baptizatus, in Archiepiscopum est ele„ctus. Sed sciendum est, ait, quòd Eccle„siasticæ prohibitiones, proprias habent „causas, quibus cessantibus, cessant & ip„sæ. Ut enim laicus in Episcopum non eli„geretur, hæc causa fuit: quia vita laicalis „Ecclesiasticis disciplinis per ordinem non eru„dita, nescit exempla religionis de se præ„stare aliis, quæ in se ipsa experimento „non didicit. Cum ergo quibus laicus me„rito suæ perfectionis clericalem vitam tran„scendit, exemplo beati Nicolai, & Severi, „& Ambrosii, ejus electio potest rata habe„ri.

Quid ab Episcopis attendendum in dispensatione super interstitiis.

Hæc Gratiani ratiocinatio meritò attenditur ab Episcopis, ubi de dispensatione super *interstitiis* agitur, & latius exposui in *Jure Eccles. Parte* 2. *tit.* 9. *cap.* 5.

In electionibus ad officia Ecclesiastica qui præferendi.

Nonnulla adjungit Gratianus, quibus probare vult, « Quod Clerici alterius Ecclesiæ „non sint præferendi in electione iis, qui be„ne militant in propriis Ecclesiis, ut loquitur ad calcem Canonis 11. & quidem conformiter ad hoc Gratiani probatum assertum,

tum, etiam hodie in Ecclesiis, in quibus penes Canonicos, sive capitula salvum hactenus est jus electionis ad Episcopatum & dignitates, eligi non solet, nisi sit Canonicus ejusdem Ecclesiæ.

DISTINCTIO LXII.

Qui concurrere debeant ad electionem & ordinationem Episcoporum.

B*Reviter monstratum est*, ait Gratianus *in procemio hujus distinctionis*, *ex quibus ordinibus*, *in quos gradus sunt eligendi* : *nun videndum*, *à quibus sunt eligendi & consecrandi.*

Huic monito immediatè subjungitur : *electio Clericorum est*, *consensus Principis*, *petitio plebis.* Ita legitur in editis antiquis Gratiani exemplaribus, quam lectionem & retinuit Antonius Contius, additâ tamen ad vocem *Principis*, hâc notâ marginali : *videtur legendum*, CLERI : in decreto correcto ita hodie legitur : *electio Clericorum est petitio plebis* : subjecto hoc monito ad vocem, *est* : "In „vulgatis codicibus sequebatur : *consensus Prin*„*cipis* : in manuscriptis vero partim legitur, *con*„*sensus plebis*, partim *petitio plebis*, atque ita est „emendatum.

Nec sanè hæc Romana correctio dissona apparet à textu Leonis, quem immediatè in probationem sui asserti Gratianus subjicit : nam scribit S. Leo Rustico Archiepiscopo Narbonensi : "Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos „habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, *nec* „*à plebibus sunt expetiti*, nec à Provinciali„bus Episcopis cum Metro politani judicio sunt consecrati : nullâ *Principis* factâ mentione, cujus nec in hac distinctione mentio occurrit. Quidquid sit de genuina lectione Gratiani, hoc constat, multis sæculis obtinuisse, ut populus unà cum Clero ad electionem Episcopi concurreret, nec electus in Episcopum consecrari posset, nisi prius haberetur Principis consensus : quod & in Ecclesia Romana servatum fuisse ostendi in supplemento *Juris Eccles. Parte* 1. *tit.* 13.

DISTINCTIO LXIII.

HAc distinctione contendit Gratianus, quòd Laici nullo modo se debent inserere electioni. Verùm, quia in hac electionis materia varia fuit Ecclesiarum disciplina : eamque varietatem uti & ordinem temporis in recitandis Decretis & Canonibus negligens more suo Gratianus, materiam hanc non parum intricavit ; atque rationes Canonibus & textibus conciliandis parum convenientes attulit.

An laici ab electione Episcopi sint excludendi.

Hanc materiam, variamque diversis temporibus receptam disciplinam exponere studui in *Jure Eccles. Parte* 1. *tit.* 13. & latius in ejus supplemento : ibidemque notavi, Gratianum sensum Canonis 13. Laodiceni planè invertere, dum illum hâc distinctione Canone 6. adducit, ut probet, Laicos ab electione Episcopi excludi ; uti & ostendi in Tractatu Historico Canonico *Parte* 2. *cap.* 1. §. 12. ad citatum Canonem Laodicenum ; ibidem probans, quòd Patres hoc Canone nequaquam Laicos ab electione excluserint ; sed duntaxat improbaverint *tumultuosas* electiones, sive per tumultuantem plebem factas.

Varia fuit circa hoc punctum disciplina.

Interim hîc notandum, epistolam Nicolai, cujus fragmentum Canone 4. refert Gratianus, nullibi reperiri, uti notat Antonius Augustinus *lib.* 2. *de emendatione Gratiani Dial.* 14.

Cæterum vix dubium, quin ex hoc fragmento hîc à Gratiano relato curia Romana prætenderit, etiam eo tempore Pontifici Romano jus competiisse cognoscendi de persona ad Metropolitanam Ecclesiam assumenda.

DISTINCTIO LXIV.

POst hæc vult Gratianus ostendere, A „quibus, vel quo tempore sacri ordines „sint tribuendi : vel quibus in locis Patriar„chæ, Primates, Archi Episcopi, Episcopi, „Chori-Episcopi, & reliqui Sacerdotes sint or„dinandi.

A quibus, quo tempore & quo loco ordinandi Clerici?

Et ab hac distinctione incipiens, ostendit, Episcopos à comprovincialibus, consentiente Metropolitano, esse ordinandos ; conformiter ad Canonem 4. Nicænum hîc à Gratiano Canone 1. relatum. Videri potest præfatus Tractatus Parte 2. cap. 1. §. 7. ad citatum Canonem, ubi ostendi Canonem hunc non solùm de ordinatione, sed & de electione Episcoporum agere ; idque conformiter ad disciplinam illius temporis, quâ ordinatio mox peragebatur à facta electione.

Episcopi à comprovincialibus cum Metropolitano ordinandi.

Quod vero Canone 2. refertur sub nomine *Anacleti*, scitur esse ex suppositiitiis decretalibus Isidori, qui more suo huic decreto inseruit lasciniam Canonis Nicæni, sed adjectâ clausulâ à disciplina istius temporis prorsus alienâ ; scilicet, *auctoritate Apostolicâ* : quasi Patres Nicæni statuissent, Episcoporum electionem ab omnibus comprovincialibus Episcopis esse faciendam, *auctoritate Apostolicâ*.

Interim de hac disciplina videri possunt quæ dixi in *Jure Eccles. Parte* 1. *tit.* 13. *cap.* 1.

De auctoritate Metropolitani in ordinatione Episcopi.

Plura hîc quoque adducit Gratianus, quibus ostendit, Episcopum ordinari non posse sine consensu Metropolitani conformiter ad canonem Nicænum, cujus verba hîc recitat canone 8.

DISTINCTIO LXV.

HAc distinctione ostendit Gratianus, ordinationem Episcopi fieri debere ab omnibus comprovincialibus, aut saltem majore eorum parte, consentiente quoque *Primate* Provinciæ, si sit.

Quod hîc ostendit Gratianus, Episcopum ab omnibus Episcopis comprovincialibus esse eligendum : quodque, si omnes præsentes adesse nequeant, scripto tamen, aliove modo consensum suum electioni factæ præstare debeant, conforme est Canonibus Nicænis ; ut & quod in pluribus hîc à Gratiano relatis decretis asseritur : *Quod si duo aut tres contradicant*, *prævaleat sententia plurimorum.*

A quibus eligendi Episcopi?

Similiter, quod de consensu Metropolitani, ejusque in hac electione auctoritate legitur, congruit quoque Canonibus Nicænis.

Ad calcem Canonis 8. ita concluditur : His auctoritatibus datur intelligi, quod Episcopi à suis comprovincialibus debeant ordinari : sed quæritur, ait, si

Quid agendum casu quo unicus

Episcopus in Provincia superstes.

si in Provincia plurimi Episcopi fuerint, & contigerit forte *unum*, remanere Episcoporum, quid fieri debeat: ille quia solus est, ordinare non potest Episcopum: comprovinciales enim non habet, cum quibus Episcopum consecrare valeat.

Pro resolutione hujus casus subjicit Canonem 5. Sardicensem: "Si forte unus tantum in pro„vincia remanserit Episcopus ad consecrationem „Episcopi de vicina provincia convocentur" de varia lectione & intellectu hujus Canonis vide sæpè citatum Tractatum Historico Canonicum parte 3. § 5. ad citatum Canonem Sardicensem. De varia ejusdem Canonis lectione agunt quoque Correctores Romani, unà ostendere conantes Canones Sardicenses Latine editos fuisse; nec non eosdem ab Ecclesia Græca receptos.

DISTINCTIO LXVI.

De ordinatione Metropolitani.

HAc distinctione tractat Gratianus de electione Archiepiscoporum; contenditque, Archiepiscopum eligendum & ordinandum à suis Episcopis comprovincialibus: producens in probationem fragmentum decretalis sub nomine Aniceti Papæ.

Adducta hic à Gratiano sunt supposititia.

Verum vel solum nomen *Archiepiscopi*, quod tempore Apostolorum, uti & tempore Aniceti Papæ, adhuc ignotum erat; quemadmodum etiam nomen, Episcoporum *comprovincialium*, qui nondum eo tempore erant determinati, manifeste evincunt, eam decretalem esse suppositítiam; uti & fabulosa esse, quæ Canone 2. hic narrantur de ordinatione S. Jacobi. Quapropter forma ordinationis Archiepiscopi per comprovinciales, quæ postmodum invaluit, nullatenus dici potest exemplo Apostolorum inducta; uti falsarum harum decretalium confictor, & hunc secutus Gratianus, insinuare voluerunt.

DISTINCTIO LXVII.

A quibus Presbyteri sint ordinandi.

IN procemio hujus distinctionis hoc summarium ponit Gratianus: "Presbyteri verò & Chorepiscopi ab *uno* Episcopo ordinari possunt.

In hujus probationem adfert fragmentum falsæ decretalis Anacleto Papæ suppositæ in quo nihil de ordinatione Chorepiscopi legitur.

Refert autem Canone 2. ex Concilio Hispalensi: "Episcopus Sacerdotibus & Ministris solus „honorem dare potest; solus auferre non potest.

Gratianus nullam hic auctoritatem adfert, quæ de *Chorepiscopis* loquitur, cum tamen insinuet in procemio, se velle etiam ostendere à quo *Chorepiscopi* sint ordinandi. Admodum verisimile est? Gratianum præ oculis habentem disciplinam sui temporis, Chorepiscopos posuisse inter simplices Presbyteros, quantumvis primitus videatur, eos etiam charactere Episcopali fuisse insignitos.

DISTINCTIO LXVIII.

HAc distinctione sub initium ait: "Quæritur de illis qui ordinantur ab his quos non con„stat fuisse Episcopos, an iterum sint consecrandi „an non?

Quid agendum, ubi dubitatur de validitate factæ ordinationis.

Pro hujus quæstionis resolutione, prolatis duobus fragmentis sub nomine Gregorii I. & Gregorii III. ad calcem Canonis 2. quæstionem ita „resolvit: "Quod ergo consecratus, in eodem „ordine iterum consecrari prohibetur, de eo „intelligendum est, qui consecratus est ab illo, „quem *certum* erat, consecrandi jus habere: „qui autem ab illo consecratur, quem non con„stat jus consecrandi habuisse, iterum consecran„dus est: quia si ille consecrandi jus non habuit: „iste ex olei effusione nil consecrationis accepit: „& quia in ipso ordine consecratus non erat, „nunc quasi primum ad consecrationem veni„ens ab Episcopo sacerdotalem benedictionem „& consecrationem consequitur. Si autem jus „consecrandi habuit, in prima unctione conse„cutus est consecrationem: in secunda non rei„teratur consecratio, sed sola unctio: sicut, de „quo dubium est, an sit baptizatus, vel non, de„bet baptizari: qui, si prius baptizatus non fue„rat, consequitur gratiam baptismi: si autem „baptizatus erat nihil accepit in secunda unctio„ne, nec pertinet hoc ad reiterationem baptismi, „sed ad cautelam salutis.

Nulla fit mentio conditionis adjiciendæ in reiteratione ordinationis.

Nihil hic dicitur de *conditione* in reiteranda ordinatione aut baptismo adhibenda, quæ verisimiliter tempore Gratiani nondum erat ubique in usu.

Addit Gratianus: "Hoc & de Ecclesiis con„secrandis similiter observandum est Citato decreto sub nomine Concilii Nicæni: sed nihil simile in Concilio Nicæno legitur, & intuenti textum facile apparebit, illud non congruere disciplinæ istius ætatis: imo quod hic de iteranda consecratione ob *effusionem sanguinis* asseritur, nec hodie receptum est, sed sufficit hoc casu simplex reconciliatio; uti & in alio casu sequente in Canone expresso: quemadmodum notavi in *Jure Eccles. Parte 2. tit. 16. cap. 4.*

Adducta à Gratiano de Chorepiscopis suppositítia sunt.

Denique hac distinctione notare volens Gratianus differentias inter Episcopos & *Chorepiscopos* citat hanc in rem Epistolas Leonis & Damasi Pontificum: & quidem hodie prior post Correctionem Romanam adscribitur Leoni I. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ; at in antiquis codicibus Decreti legebatur simpliciter: *Leo Episcopus omnibus Episcopis*: ostenditque Paschaseus Quenellus post Jacobum Sirmundum & Joannem Morinum, hanc Epistolam nullatenus posse tribui S. Leoni I. neque ei adscriptam fuisse ante editam collectionem Isidori vulgo *Mercatoris*, in cujus collectione primum sub hujus Pontificis nomine comparuit.

Alteram Epistolam Damaso Papæ adscriptam suppositítiam esse passim agnoscunt erudit. Cæterum quidquid sit de Chorepiscopis, eorumque à cæteris Episcopis differentia hoc equidem nequaquam obscurum videtur, quin Gratianus crediderit, aut saltem supposuerit, Chorepiscopos fuisse simplices Presbyteros ab uno solo Episcopo ordinandos.

DISTINCTIO LXIX.

An Abbates Tonsuram & minores ordines conferre possint.

HUic distinctioni hoc summarium præfigitur: „Tonsura Clerici de manu Abbatis suscipi „potest, si eidem Abbati manus impositio ab E„piscopo facta noscatur.

In probationem hujus asserti adducit Gratianus Canonem 14. Synodi VII. canon hic dividitur in tres partes. Parte priori redarguuntur illi, qui in *parvula* etiam ætate, Tonsura clericatus accepta, *Sed nondum ab Episcopo manus impositione percepta, super ambonem irregulariter in collecta legebant.* Parte secunda dicitur: *Lectoris autem manus impositionem est licentia Abbati in* proprio

proprio Monasterio solummodo faciendi; si duntaxat eidem Abbati manus impositio facta nescatur ab Episcopo secundum morem præficiendorum Abbatum, dum constet illum esse Presbyterum. Ita legitur in versione Anastasii Bibliothecarii quam Gratianus secutus est. Cæterum de sensu hujus canonis vide Tractatum Historico-Canonicum Parte 3, cap. 3. §. 9. ad canonem 14. Synodi VII.

DISTINCTIO LXX.

Clericus sine titulo Ecclesiastico ordinari non debet.

HUic distinctioni hoc summarium præmittit Gratianus: " Ab Episcopis alterius civitatis ,,clericus ordinari non poterit, nec etiam à pro- ,,prio *absolute* ordinandus est.

In probationem secundi membri, de prohibita absolute ordinatione producit canonem Chalcedonensem, quo cavetur: *Neminem absolute ordinari Presbyterum vel Diaconum, vel quemlibet in Ecclesiastica ordinatione constitutum, nisi manifeste in Ecclesia civitatis, sive possessionis, aut in martyrio, aut in monasterio, qui ordinatur, mereatur ordinationis publicata vocabulum. Eos autem, qui absolute ordinantur, decrevit sancta Synodus, vacuam habere manus impositionem, & nullum tale factum valere ad injuriam ipsius, qui eum ordinavit.*

Notant hic imprimis Correctores Romani pro his verbis, *Nisi manifeste*, in Græco legi, *nisi proprie in Ecclesia civitatis, vel pagis, aut martyrio aut Monasterio, qui ordinatur pronuntietur.*

Monent & ibidem dicti Correctores: " Quod ,,in ordine Romano fiat mentio talis pronuntia- ,,tionis Episcopi nomine per Archidiaconum fa- ,,ctæ: *De Tit. S. Stephani, eligimus Petrum ad* ,,*Lectorem ad eundem Titulum.*

Ex his manifestum est, id unum per concilium Chalcedonense fuisse decretum, ut nullus ordinaretur *absolute*, id est sine titulo Ecclesiastico, sive designatione alicujus Ecclesiæ, cui adscriberetur, & in quo functiones sui ordinis obiret.

Origo tituli patrimonialis.

Verum Gratianus pro verbis, *vel pagi*, legit, *sive possessiones*; ex qua erronea lectione, sive versione Glossographus conclusit, juxta hunc canonem sufficere titulum profanum, sive patrimonialem; quem secuti sunt Canonistæ; ac tandem hic titulus patrimonialis invaluit, & per synodum Tridentinam saltem dispensative admissus fuit, uti latius exposui in *Jure Eccl. Parte 2. tit. 9. cap. 6.*

DISTINCTIO LXXI.

Clericus ab alieno Episcopo sine dimissoriis non ordinandus.

DE clericis non ordinandis ab Episcopo alterius civitatis sine proprii Episcopi consensu agit hac distinctione Gratianus, neque sine litteris commendatitiis clericum extra suam Ecclesiam ministrare posse.

In probationem prioris partis sui asserti plures canones profert, ac signanter canone 1. decretum synodi Sardicensis; circa quod notandum quod inspectis verbis hujus canonis, videatur duntaxat loqui de non transferendo ministro alterius Ecclesiæ sine assensu proprii Episcopi licet Gratus Primas Africæ qui Concilio Sardicensi interfuit, testatus sit, Patres hujus Concilii hoc quoque intellexisse de *Laico* alterius Ecclesiæ, atque ita canonem hunc sensim fuisse acceptum, etiam in Africa, & etiamnum hodie hic & ubique sic observari.

Clericus extra suam Ecclesiam sine commendatitiis ministrare non potest.

In probationem secundæ partis sui asserti producit Gratianus *Canone* 7. Canonem 13. Chalcedonensem & *Canone* 9. Canonem 7. Antiochenum, de quibus videri potest Tractatus Historico Canonicus ad præfatos Canones ubi ostendi illos à Gratiano corrupte referri.

Cæterum quid de hoc pristina disciplina obtinuerit, quæ hodie, signanter jure decretalium, & ex dispositione Concilii Tridentini observanda sint, deducimus in *Jure Eccles. Parte 2. tit. 5. cap. 9.*

DISTINCTIO LXXII.

De litteris dimissoriis sive exeat.

GRatianus hac distinctione probare intendit, quod Episcopus dimissorias litteras tribuere non debet nisi rogatus, uti monet in procemio.

In probationem hujus asserti profert Canone 1. sub nomine Leonis Papæ: Episcopus subjecto sibi Sacerdoti, vel " alii clerico, nisi ab ,,ipso postulatus, dimissorias non faciat.

Hic non agi de litteris dimissorialibus, prout hodie sumuntur, sed potius de litteris, quæ clericis dantur, ut à sua diœcesi ad aliam transeant, sive exeant, quæ hodie vocantur, *exeat*; nequaquam obscurum est ex verbis quæ immediate subjiciuntur: Ne ovis quasi perdita aut errans inveniatur.

Porro adducta Canone 2. id unum probant nullum ab alieno Episcopo esse ordinandum sine consensu proprii Episcopi.

DISTINCTIO LXXIII.

De formula dimissoriarum litterarum supposititia.

HAc distinctione Gratianus profert formulas dimissoriarum litterarum, quasi à Nicæna synodo præformatas, & ab Attico Episcopo Constantinopolitano editas.

Verum nec in Synodo Nicæna similem formulam editam legimus, neque ab Episcopo Constantinopolitano ullibi præscripta habetur.

Qua forma hæ litteræ concipi soleant, nec non quæ circa eas sint merito notanda & observanda notavi in *Jure Eccl. Parte 2. Tit. 9. cap. 3.*

DISTINCTIO LXXIV.

An invitus possit ordinari.

QUærit Gratianus hac distinctione " De his ,,qui ab Episcopis Promoveri contemnunt, ,,an inviti sint sublimandi, an non

Auctoritates in speciem contrarias recte conciliat Gratianus.

Prolatis quibusdam in speciem contrariis, scilicet S. Gregorii & Concilii Carthaginensis, hanc conciliandi rationem subjungit: " *Verum illud Gregorii de his intelligendum est, qui* non causa necessitatis *sed causa ingratitudinis callide ab Episcopis suis promoveri queruntur: illud autem Carthaginensis Concilii de his intelligitur, qui nolunt obtemperare Episcopis suis* propter necessitatem *Ecclesiæ volentibus eos ad altiora promovere.*

Et revera in Epistolis S. Gregorii, è quibus fragmenta apud Gratianum desumpta sunt, agitur de quodam honorato, quem specie honoris in Presbyterum ordinare volebat, ut eum officio Archidiaconi privaret, quemadmodum id non semel factum legitur: de quo videri possunt Janus à Costa in commentario ad *cap. 2. X de Judiciis*, & ab eo citati.

Nullus in ordine superiori expositus potest obire functionem inferioris.

Iterum hic notari potest, etiam ævo S. Gregorii fixum fuisse, ut nullus in ordine superiore, puta Presbyter, obiret functiones ordinis inferioris, puta Diaconi: atque idcirco per promotionem ad superiorem ordinem Diaconus, & Archidiaconus officio Diaconi & Archidiaconi censeretur privatus

privatus. Quod & probant epistolæ S. Gregorii hic citatæ, & notat P. Guissaint ad epistolam 19. *lib. 2. S. Gregorii.*

DISTINCTIO LXXV.

Quo tempore ordines conferendi?

PErgit Gratianus hac distinctione tempus, quo ordinatio facienda sit, inquirere. Hanc in rem Canone 1. recitat fragmentum pseudo epistolæ secundæ S. Anacleti, quo ordinationes Episcoporum auctoritate Apostolica *Dominica die hora tertia,* (id est hodiernâ nona matutina) fieri præcipiuntur.

Ordinatio Episcoporum die Dominica fieri potest.

Licet hæc epistola eruditis passim hodie habeatur suppotititia, & ex putridis Isidori mercibus admodum tamen verosimile est, huic apocrypho fragmento, Gratiani decreto inserto, adscribendum esse, quod etiamnum hodie ordinatio Episcoporum *omni* die Dominica fieri queat; cum presbyterorum, diaconorum, & subdiaconorum certis temporibus sit alligata.

Intra tres menses fieri debet.

Post relatam hanc decretalem citat Canonem 25. Chalcedonensem, quo ordinatio Episcoporum facienda intra tres menses præcipitur, uti & in Tridentino statutum est; hac tamen differentia, quod hodie tres illi menses incipiant tantum currere à tempore obtentæ confirmationis Pontificiæ: olim verò à die vacationis. Occasionem inductæ hujus differentiæ notavi in præfato Tractatu Historico Canonico ad dictum Canonem Chalcedonensem.

Tempore S. Leonis etiam presbyterorum & diaconorum ordinatio die Dominica peragi poterat.

Deinde Canone 4. adducit fragmentum epistolæ S. Leonis I. ad Dioscorum Alexandrinum Episcopum, in qua scribit S. Leo: *Quod a Patribus nostris propensiore cura novimus esse servatum, à vobis, inquit, quoque volumus custodiri, ut non passim diebus omnibus sacerdotalis vel Levitica ordinatio celebretur, sed post diem sabbati ejus noctis quæ successit in prima sabbati exordia* (addit Gratianus, consecrandi, *contra fidem originalis*) *deligantur, in quibus, his qui consecrandi sunt jejunis, & à jejunantibus sacra benedictio conferatur.*

Ex hac epistola S. Leonis patet, quod, non tantum Episcoporum, sed & sacerdotum & levitarum sive diaconorum consecratio tempore S. Leonis peragetur die *Dominico,* sive *nocte ipsius sabbati præcedentis:* Hanc autem ad diem Dominicam pertinere asserebat S. Leo verbis subsequentibus: *Quod ejusdem observantiæ erit, si mane ipso Dominico die, continuato jejunio sabbati, celebretur, à quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt: quam* (*male Gratianus*, quod) *ad diem Resurrectionis, sicut etiam in Pascha Domini declaratur, pertinere non dubium est.*

Itaque S. Leo ostendit, noctem sabbati pertinere ad diem Dominicum, ideoque ordinationem tunc factam censeri factam die Dominico, quod latius demonstrat Paschasius Quenellus in notis ad hanc Leonis epistolam, quæ est *undecima* in ejus editione: unaque demonstrat quomodo paulatim ordinationes à mane ipsius sabbati devolutæ sint ad tempus ante meridianum ipsius sabbati.

Ulterius multis ostendit Quenellus, Leonem hic nequaquam loqui de sabbato sancto, sive vigilia Paschatis, sed generaliter de omni Dominica, (quam diem resurrectionis olim vocat, esse notat;) atque in omni die Dominica ea ætate, non tantum Episcoporum sed & presbyterorum & diaconorum ordinationes peragi potuisse; arguitque crassi erroris eos, qui existimarunt, Leonem hic de die Paschatis egisse; atque propterea huic epistolæ apposuerunt titulum, quo innuebatur ordinationem *sabbato sancto* fuisse peragendam cum admodum verisimile sit, *illo sabbato* ob solemnem baptismum & cathegesimum Catechumenorum primitus ordinationes factas non fuisse: sed forsan posterioribus temporibus ex malo intellectu hujus epistolæ invaluisse; cum neque apud Gelasium aliosque mediæ ætatis scriptores inter tempora ordinationis referatur hoc sabbatum.

Tempora ordinationum per Gelasium determinata.

Recitat prætera Gratianus Canone 7. decretum Gelasii I. ex epistola ad Episcopos per Lucaniam, quo determinantur tempora sacrarum ordinationum, quæ etiamnum hodie servantur, excepto *sabbato sancto*, cujus in hoc decreto nulla sit mentio, in quo decreto hoc etiam notari potest, nihil statui de ordinatione *subdiaconorum*, quæ multis sæculis, nullis temporibus fuit adstricta, uti constat etiam ex ordine Romano, cujus fragmentum retulit Gratianus in Canone 6.

Denique observandum quod Gelasius velit ordinationes sabbati jejunio circa vesperam celebrandas, quod cum epistola Leonis coincidit; ipsumque insinuat pristinam disciplinam celebrandi ordinationes die Dominico aut *nocte* seu sub vesperam sabbati, quæ ad diem Dominicam refertur.

DISTINCTIO LXXVI.

CUm in decreto Gelasii præcedenti distinctione de jejunio quatuor temporum mentio facta est, occasionem cœpit Gratianus tractandi hac distinctione, *Quibus temporibus jejunia celebranda sint.*

De jejunio quatuor temporum.

Sub initium distinctionis ait, quod Calixtus Papa scribens Benedicto Episcopo hæc tempora determinet. Verum scitur, hanc epistolam falsò Calixto Papæ attribui, imo quod in ea mentio fiat jejunii per quatuor tempora, falsitatem ejus evincit quia sat expeditum est, ætate hujus Pontificis, hæc quatuor temporum jejunia nondum fuisse determinata.

Ex his autem hac distinctione relatis, & per Correctores Romanos observatis sufficienter constat; non eandem semper fuisse circa hæc jejuniorum tempora disciplinam; tandem tamen circa sæculum undecimum sub Urbano II. receptam & stabilitam fuisse modernam disciplinam; cui indubie hæc falsa decretalis occasionem & firmitatem præbuit.

DISTINCTIO LXXVII.

ABsoluta distinctione septuagesima sexta, in principio hujus septuagesimæ septimæ hanc ex priore format conclusionem: „His temporibus secundum Anacletum, Zepherinum, Gelasium, & Pelagium, Episcopi, presbyteri & diaconi sunt ordinandi.

Verum hic rursus fallitur Gratianus; nullum enim genuinum reperitur Anacleti, aut Zepherini decretum, quo ordinationes illæ hisce temporibus alligentur; imo nec ullum antiquius præcitato Decreto Gelasii facile ostendetur.

In hac dein distinctione agit de temporibus, quibus in singulis ordinibus hærendum sit.

De interstitiis servandis inter singulos ordines

Tempora illa, quæ hic ex decretis Pontificum, notanter Zozimi Papæ Canone 2. & Siricii Canone 3. determinantur, quibus in singulis ordinibus sit hærendum, priusquam ad altiorem ascenderetur, hodie dici solent *interstitia*, de quibus egi in *Jure Eccles. Part. 2. tit. 9. cap. 5.* & una notavi hæc tempora sive interstitia etiam inter minores ordines primitus fuisse servanda; quod & evincunt decreta hic relata.

Scopus interstitiorum.

Adhæc ostensum est, & etiam hic adducta decreta probant, illa interstitia requisita fuisse ad probationem, quæ haberi poterat ex modo & diligentia, quibus in obeundis ordinum illorum functionibus se gessissent.

Notandum hic refertur à Gratiano Canone 1. decretum sub nomine Caii Papæ ex supposititia decretali, quod Canonistis & Theologis occasionem dedit existimandi quod inferiores ordines deberent præmitti superioribus, ut horum haberetur integritas, uti observatum est in supplemento ad *Jus Eccles. Parte 2. tit. 9. cap. 4.*

DISTINCTIO LXXVIII.

De ætate in presbytero requisita.

HAc distinctione quærit Gratianus quæ ætas requiratur in ordinatione presbyteri: profertque eam in rem Canone 1. decretum sub nomine Bonifacii: monent autem Correctores Romani: " Cæteri collectores citant ex decretis Fabiani: extat apud Martinum Bracarensem Episcopum in Capitul. Græc. synodi cap. 20. ex Neocæsariensi cap. 11. Et revera ea quæ hic referuntur à Gratiano, sunt verba Canonis Neocæsariensis, prout hic Canon extat apud Martinum Bracarensem.

Pristina disciplina ann. 30. requirebat.

Id non advertens Gratianus, eundem Canonem sub nomine hujus synodi retulit rursus Canone 4. in quo nominatim sic statuitur: Presbyter ante 30. annorum ætatem non ordinetur, quamvis sit probabilis vitæ; sed observet usque ad præfinitum tempus: Dominus enim noster Jesus Christus *trigesimo* anno baptizatus est & tunc prædicavit.

Hanc ætatem etiam Justinianus in suis Novellis præscripsit, ut patet ex fragmento ex dictis Novellis hic Canone 2. per Gratianum relato.

Hanc ætatem etiam sæculo XI. præcepit servari Concilium Rothomagense habitum anno 1074. statuens Canone 6. *Nullus ordinetur presbyter ante 30. annos*; sed addita hac modificatione: *Nisi summa necessitate.*

Quomodo abhac disciplina ad hodiernam recessum est.

Cum vero arbitrio Episcoporum judicandum permitteretur; quando vel quæ esset *summa necessitas*, sensim ab hac disciplina prætextu *summæ necessitatis* recedi cœpit Gratianus ad calcem Canonis 4. hæc subjiciens: *Hoc regulare est ...... sed Ecclesia necessitate exigente, nonnullos ante 30. annos ordinari consuevit.*

Imo etiam tempore Gratiani pene generaliter invaluerat hodierna disciplina, nimirum ut in presbyterum ordinari posset quis anno vigesimo quinto suæ ætatis, quod primitus tantum fuerat indultum, dum *summa Ecclesiæ necessitas* exigeret.

Hic videmus verissimum esse, dispensandi auctoritatem in Canone aut lege, licet certis circumstantiis circumscriptam exprimere, esse legis aut Canonis antiquationi viam sternere.

DISTINCTIO LXXIX.

De inthronizatione sive electione Romani Pontificis.

GRatianus nulla habita connexionis aut ordinis ratione, revertitur ad inthronizationem Pontificis, atque hac distinctione ostendere vult; „Quod Apostolicus non nisi à Cardinalibus & „religiosis clericis sit inthronizandus.

Et Canone 1. sub nomine Nicolai Papæ II refertur: *Si quis Apostolicæ sedi sine concordi & canonica electione Cardinalium ejusdem Ecclesiæ, ac deinde sequentium clericorum religiosorum inthronizatur; non Papa vel Apostolicus, sed Apostaticus habeatur.*

Quinam ad illam olim concurrebant.

Ex hoc decreto per Gratianum hic relato hoc habetur, quod tempore Nicolai II. ad electionem Romani Pontificis concurrerent etiam clerici Ecclesiæ Romanæ, id est Ecclesiæ Lateranensis & cathedralis dicerentur *Cardinales*, uti & hic notat Ludovicus Hericourt.

In antiquis Gratiani editionibus non dicitur quis fuerit *Nicolaus* hujus decreti author. in correctis habetur hic titulus: *Unde Nicolaus Papa II. ait in epistola, qua synodum à se Romæ habitam refert cap. 1.*

Habetur quidem sub nomine Nicolai secundi *tom. 9. Concil. General. col.* 1103. decretum de electione Romani Pontificis, sed huic in multis dissimile, de quo supra *distinctione* 23. Verum post hoc decretum subjiciuntur tanquam ejusdem Concilii Canones 13. quorum primus exhibet compendium hujus decreti, quod & Correctores Romani retulerunt ad calcem hujus Canonis apud Gratianum; qui Canon non omnino dissimilis est Canoni per Gratianum relato quamvis nonnulla ille omittat, ut patebit ex lectione utriusque: & quidem in decreto, prout à Gratiano hic refertur, indicatur quod in electione Romani Episcopi intervenire debeant indifferenter Cardinales; prout autem refertur hic per Correctores Romanos, ad vocem, *Cardinalium*, additur, *Episcoporum*, qua vocula significetur, quasi soli Cardinales *Episcopi* tanquam Episcopi Provinciales ad electionem Episcopi Romani tanquam Metropolitani vocandi essent.

At inter decreta Nicolai I à Joanne Cochlæo ex Gratiani volumine in unum collecta, & in 20. titulos dispertita refertur hoc decretum tit. 4 num. 2. idque nonnihil extensius: ut proinde dubium non sit, quin Cochlæus illud Nicolai *primi* esse crediderit, sed falso.

In hac electione præcipuas partes habebant clerici Cardinales.

Quamvis ex hoc decreto habeatur, quod eo tempore in electione Romani Pontificis concurrerent clerici etiam non Cardinales; tamen & illud habetur, quod tunc temporis in hac electione præcipuas partes haberent *clerici Cardinales*, uti supra ad *distinctionem.* 23. notavimus. Præterea ibidem notatum fuit, novam formam electionis Romani Pontificis præscriptam fuisse per Nicolaum II. ad præveniendum schisma; idq; occasione Episcopi Veletrensis, qui citra electionem Cardinalium & clericorum in sedem Apostolicam sub nomine *Benedicti* fuerat intrusus, & postea auctoritate Regis Henrici expulsus, uti ibidem latius exposuimus; ad quem etiam referenda quæ hic à Gratiano citantur Canone 9.

Quis in Romanum Pontificem eligi possit.

Referuntur deinde nonnulla decreta sub nomine Stephani III. quorum primo statuitur; " Ut „in Apostolatus culmen unus de Cardinalibus presbyteris, aut diaconis consecraretur. Simile est alte-

alterum decretum relatum Canone 5. quod utrumque extat *tom* 6. *Concil. General col.* 1722. & sequentibus ex synodo Romana Stephani IV. edita à Luca Holstenio.

Tum subjiciuntur *col.* 1724. *Sequentia duo capitula statutorum hujus Concilii, quæ refert Anastasius Bibliothecarius in vita ejusdem Stephani Papæ IV. His autem capitulis interpositis additur: Stephano PP. alia duo capitula adscribit Gratianus; quorum prius ex Anastasii Pontificali desumptum; alterum vero alicui ex successoribus potius tribuendum videtur.*

Prius extat hac distinctione Canone 4. quo decernitur, ut "nullus umquam laïcorum, neque „ex alio ordine præsumat, nisi per distinctos gra„dus ascendens, diaconus aut presbyter Cardina„lis factus fuerit, ad sacri Pontificatus honorem „promoveri.

Licet ex dictis sat appareat, decreta hæc non esse extra omnem falsi suspicionem; imo quod legitur apud Gratianum Canone 3 tanquam ex Concilio Stephani Papæ III. "Oportebat ut hæc „sacrosancta domina nostra Romana Ecclesia „(juxta quod à beato Petro, & ejus successoribus „institutum est) rite ordinaretur, & in Apostolatus culmen unus de Cardinalibus presbyteris, „aut diaconis ordinaretur; etsi manifestam suppositionem evincat hoc equidem his decretis cavetur, ut Pontifex eligatur per clerum, & ex clero ipsius Romanæ Ecclesiæ prout & in aliis Ecclesiis fieri solebat: qui clerus tum temporis *Cardinalium* nomine significabatur, uti latius deduxi in *Jure Eccles. Parte* 1. *tit* 22. *cap* 1.

Quod autem in fine Gratianus retulit ex Anacleti epistola 2. ad Episcopos Italiæ: "Electionem „summorum sacerdotum sibi dominus reserva„vit, licet electionem eorum bonis sacerdotibus „& spiritualibus populis concessisset. non sapit pristinam Apostolicam disciplinam; sed suppositias merces Isidori, quibus hæc epistola ab eruditis adscribitur.

De edicto Honorii Imperatoris pro extinctione schismatis in Ecclesia Romana.

Quod vero Canone 8. refertur sub nomine Honorii Augusti ad Bonifacium Papam, de casu quo duo concertantium temeritate electi fuerint in Romanum Pontificem, quis eorum alteri præferendus sit, latius exponitur ad distinctionem nonagesimam septimam.

DISTINCTIO LXXX.

Quibus in locis prælati sint instituendi?

ULterius prosequens Gratianus materiam ordinationum, inquirit hac distinctione, in quibus locis sint præficiendi Prælati Ecclesiæ. Adstruit autem sub initium distinctionis, quod non in vicis aut castellis, sed in civitatibus duntaxat Episcopi sint ordinandi; quod & sub finem distinctionis confirmat ex S. Leone & Canone Laodiceno 57. in quo per visitatores verisimiliter intelliguntur Chorepiscopi; quibus hodie correspondent Archipresbyteri, seu decani rurales.

Quod autem initio distinctionis Canone 1. & 2. sub nomine Lucii & Clementis Papæ dicitur, „Post Christi adventum ab Apostolis in illis civi„tatibus, in quibus olim apud Ethnicos primi „flamines eorum, atque primi legis Doctores „erant, Episcoporum primates vel Patriarchas „ordinatos fuisse, ad quos Episcoporum negotia „(salva in omnibus Apostolica auctoritate) & majores causæ post Apostolicam sedem sunt reservatæ; desumptum est ex apocryphis decretalibus veterum Pontificum, quorum ætate necdum noverat Ecclesia nomina *Primatum* aut *Patriarcharum* in ministris suis; atque manum pseudo-Isidori manifeste præferunt. Interim auctoritate harum falsarum decretalium tandem circa sæculum x & xi. jus instituendi novas Metropoles, necnon Ecclesias primatiales cum auctoritate supra Metropolitanos Pontifices sibi asseruisse ostendimus in supplemento Juris Ecclesiastici ad *Partem* 1. *tit.* 19. *cap.* 1. *num.* 11.

Ex falsis decretalibus potestatem instituendi primates Patriarchas, &c. asseruerunt.

DISTINCTIO LXXXI.

IN procœmio hujus distinctionis ait Gratianus: *Hæc de ordinandis & ordinatoribus, atque de singulorum graduum distinctionibus & officiis dixisse nos sufficiat: verum quia aliquantulum diffusius in his immorati sumus, quædam præcedentibus cohærentia sub epilogo ad memoriam subjiciamus.*

Ordinandus in Episcopum aut Pastorem Ecclesiæ, debet fuisse sine crimine.

Et hac quidem distinctione rursus ostendit, quod ordinandus in Episcopum debeat juxta Apostolum esse *sine crimine*: "Quod, ait, non „solum de Episcopis; sed etiam de quolibet „electo ad aliquam præposituram Ecclesiæ opor„tet intelligi.

Tum profert Canone 1. locum sancti Augustini ex Tractatu 41. in Joannem: *Apostolus Paulus quando eligit ordinandos vel presbyteros vel diaconos, & quicumque ordinandus est ad præposituram Ecclesiæ, non ait,* si quis sine peccato est: *hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur, sed ait,* si quis sine crimine est, *sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum fraus, sacrilegium, & cætera hujusmodi.*

Hic subjungit Gratianus: *Quolibet itaque horum implicatus ordinari non debet, vel si jam ordinatus, ante tempus, vel post tempus suæ ordinationis aliquid eorum admisisse convincitur, suscepti gradus officio privabitur.* Hæc ibidem multis auctoritatibus adstruere conatur; & Canone 2. sub nomine Symmachi Papæ redditur ratio hujus disciplinæ: *Nemo recte monitoris personam suscipit, nisi qui actibus suis errata condemnat, & amorem innocentiæ conversatione demonstrat.*

Hujus disciplinæ ratio.

Post hæc profert Gratianus Canonem 6. & 10. Nicænum, in quibus inter alia notandum est, Patres Nicænos exclusisse lapsos in crimen post ordinationem in perpetuum, & exclusisse à functione ordinum, etiam post actam pœnitentiam. Quod & probant auctoritates hic à Gratiano adductæ, nulla in his inter *publica* & *occulta* crimina occurrente distinctione; quam eum contra pristinam disciplinam impendisse ad distinctionem 50. notavi. Videri etiam potest *Jus Eccles. Parte* 2. *tit.* 6. *cap.* 2.

Insuper inter auctoritates à Gratiano relatas occurrunt plures, quæ agunt de retrudendis hujusmodi clericis in monasterium ad agendam pœnitentiam, de qua retrusione egi in *Jure Eccles. Parte* 3. *tit.* 11. *cap.* 1.

A vitio incontinentiæ præcipue debent esse immunes clerici.

Occasione criminis *fornicationis* à quo singulariter clerici immunes esse debent, adfert hic Canones & sententias Patrum, quibus familiaris conversatio & contubernium clericorum cum mulieribus interdicitur, prolato inter alia Canone 25 ex S. Gregorio lib. 7. epist. 36. hoc fragmento: "Legitur quod beatus Augustinus, nec „cum sorore habitare consenserit dicens: *Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt.* Docti

, ergo viri cautela, magna vobis debet esse instructio. De vetito hoc clericorum cum mulieribus contubernio, quid habeat moderna Ecclesiæ, notanter Belgicæ disciplina, exposui in *Jure Eccles. Parte* 1. *tit.* 2. *cap.* 3.

DISTINCTIO LXXXII.

Pauperum curam habere debet Episcopus

SUb initium hujus distinctionis dicit Gratianus: „Generaliter etiam pauperibus, & iis qui suis „manibus laborare non possunt, Episcopus ne„cessaria provideat. Quamvis hoc Gratiani assertum sit verissimum, & ab Apostolis & Patribus probatum, & continuo inculcatum, nihil tamen in probationem hujus asserti hac distinctione profertur nisi unicus Canon synodi Aurelianensis I reliqua pertinent ad adstruendam sacerdotum in nova lege continentiam, & quæ pœnitentia sacerdoti sit imponenda, qui de fornicatione convictus fuerit, idque ex pœnitentiali Theodori, qui teste Antonio Augustino, primus videtur inter Latinos de *pœnitentiis* singulorum peccatorum scripsisse, idque sæculo V. 11. Pœnitentiale hoc Theodori nuper evulgavit Jacobus Petitus atque eruditis notis illustravit adjunctis plurimis antiquitatis monumentis ad eandem materiam spectantibus: de hoc aliisque antiquis libris pœnitentialibus in particulari tractatu ad calcem epitomes Canonum discurrit Antonius, ibidemque monet, etiam hodie usum & notitiam horum librorum admodum utilem esse confessariis, ut pro qualitate criminum pœnitentias & remedia peccatorum imponere queant, uti & notavi in *Jure Eccles. Parte* 2. *tit.* 6. *cap.* 3. & 4.

De pœnitentia sacerdoti ob fornicationem imponenda.

Utilitas librorum Pœnitentialium.

DISTINCTIO LXXXIII.

Episcopus à consortio alienorum criminum etiam immunis esse debet.

GRatianus quasi iterato inculcare volens, quod Episcopum oporteat esse *sine crimine* dicit hac distinctione Providendum quoque esse, ne is „qui ad ordinandum eligitur, etsi à proprio vi„tio videatur alienus, consentiendo alienis inqui„netur. Nam, ut ait Canone 3. „ Nec caret scru„pulo societatis occultæ, qui manifesto facinori „desinit obviare.

Ne autem ob hujusmodi vitium contemnatur prædicatio pastoris, monet in fine Gratianus: „Quamquam sacerdotem tam à suis quam ab „alienis criminibus oporteat esse immunem; ta„men si aliorsum sese habuerit, non ideo verba „suæ prædicationis debent contemni. Sicut enim „Hieronymus ait: ut lixivium per cinerem humi„dum fluens lavat & non lavatur; ita bona do„ctrina per malum doctorem, animas credenti„um lavat à sordibus peccatorum.

DISTINCTIO LXXXIV.

Episcopus debet esse defensor pauperũ & oppressorum.

GRatianus distinctione octuagesima secunda monuerat, Episcopum debere esse liberalem in pauperes quod latius prosequi volens huic distinctioni hoc summarium præfigit: „ Solicitum „quoque & vigilantem oportet esse Episcopum „circa defensionem *pauperum*, relevationem *op„pressorum*, tuitionem *monasteriorum*: quod si „facere neglexerit, aspere corripiendus est. Hanc distinctionem in quatuor partes dividit In prima probat Episcopum debere esse solicitum ac vigilantem circa defensionem *pauperum*, relevationem *oppressorum*, & tuitionem *monasteriorum*, prolatis Canone 1. & 2. in hanc rem duabus sententiis S. Gregorii, quæ in novissima operum editione reperiuntur in *epist.* 36. & 37. *lib.* 13. quæ merito legentur, & serio attendentur per Episcopos & Ecclesiarum Prælatos ac Pastores; atque ex illis intelligent, quam grave existimaverit S. Gregorius, quod Episcopi in his sint desidiosi.

Secunda parte monet: „ Quod de munditia „castitatis sacerdotibus imperatur, hoc etiam de „quibuslibet altari servientibus intelligendum esse, „ prolatis Canone 2. ex secunda synodo Carthaginensi, & Canone 3. ex synodo quinta Carthaginensi, qui Canones occurrunt in codice Ecclesiæ Africanæ Canone 3. & 25. ex quibus colligitur in Africa circa continentiam clericorum variam fuisse pro varietate temporis, disciplinam; atque idcirco de hac materia plures Canones editos fuisse.

De continentia quorumlibet altari servientium.

Tertia parte distinctionis ait Gratianus: „ Si„militer quod monogamus Episcopus esse jube„tur, etiam reliquos ordines Ecclesiasticos deri vari oportet, citato unico fragmento ex epistola Siricii Papæ ad Himerium cap. 11.

De bigamia vetita omnibus clericis.

Parte quarta ait: „ Presbyterorum vero no„men, quanquam à *senectute* sit sumptum, ma„gis tamen *maturitatem* indicat *sapientiæ*, quam „canitiem corporis: citat hic verba ex pseudo-epistola 2. Anacleti quæ non Anacleti, sed Isidori Hispalensis verba esse notat Labeus in nota marginali huic epistolæ apposita *tom.* 1. *Concil. General.* unde rursus habemus, confictorem harum decretalium plura ex SS Patrum scriptis desumpsisse, ut suis confictis mercibus fucum pristinæ antiquitatis obduceret.

Unde nomen presbyteri.

DISTINCTIO LXXXV.

Ordinari non debet in Episcopum qui in pauperes non est misericors.

GRatianus volens compendiose referre qualitates in Episcopo per Apostolum requisitas, hac distinctione rursus asserit, quod *hospitalitas* usque adeo Episcopis sit necessaria, ut si ab ea inveniantur alieni, jure prohibeantur ordinari: profert unicum sat prolixum fragmentum ex lib. 12. S. Gregorii epist. 6. in qua circa varia puncta scribit Joanni Episcopo, inter quæ id unum occurrit hanc materiam spectans scilicet, ut de quodam Archidiacono electo in Episcopum Anconitanæ Ecclesiæ, quem dicebant ita *tenacem existere, ut in domum ejus amicus ad charitatem nunquam introeat*, inquirat, „ Si ita se veritas „habeat, & utrum ex necessitate, an ex tenacia talis est. Notum est, hanc qualitatem coincidere cum liberalitate in pauperes, atque hospitalitatem juxta Apostolum esse annumerandam operibus misericordiæ; atque ita id unum hic post Apostolum asserere voluit Gratianus, ordinandum Episcopum oportere esse misericordem in pauperes.

DISTINCTIO LXXXVI.

Episcopus oportet esse doctorem sive aptum alios instruere.

HAc distinctione probare vult Gratianus: Doc„torem Episcopum oportere esse, ne inferio„rum culpæ in eum refundantur, qui docendi of„ficium accepit, quod exequi nescit vel negli„git: uti loquitur in procemio distinctionis.

Hanc distinctionem dividit in octo partes, quarum prima asserit, doctorem Episcopum esse oportere, ne inferiorum culpæ in eum refundantur, prolata notanda hac S. Leonis sententia: „Inferiorum culpæ ordinũ ad nullos magis referendæ

„ferendæ sunt, quam ad desides, negligentesque „Rectore, qui multam sæpe nutriunt pestilen„tiam, dum austeriorem (in Epistola S. Leonis, „*necessariam*) dissimulant adhibere. Attenden„dum etiam ejusdem Pontificis monitum relatum canone 2. " Odio habeantur peccata, non „homines: corripiantur tumidi; tolerentur infir„mi: & quod in peccatis severius castigari ne„cesse est, non sævientis plectatur animo, sed „medentis.

quomodo Episcopus subditorum vitia redarguere debeat.

" Si autem in corripiendo quis modum exces„serit, non à subditis, sed à domino veniam petat Prælatus, uti in secunda parte monet Gratianus, prolato loco S. Augustini, " Quando ne„cessitas disciplinæ, minoribus coercendis dicere „vos verba dura compellit, si etiam ipsi modum „vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, ut „ab iis veniam postuletis, ne apud eos, quos o„portet esse subditos, dum nimia servatur humi„litas, regendi frangatur auctoritas, sed tamen „petenda est venia ab omnium domino, qui no„vit etiam eos, quos plus justo forte corripitis, quanta benevolentia diligatis.

Tertia hujus distinctionis parte dicit Gratianus: " Quod in doctrina Sacræ Scripturæ aucto„ritatem debet Episcopus præferre, non sæcula„rium literarum peritiam ostentare. Non enim „Episcopalis officii est Grammaticam exponere, „ne laudes Jovis personent ore Pontificis. Id confirmans testimonio S. Gregorii *Lib. 6. Epist. 48.* ubi scribit desiderio Episcopo, quod admodum dolenter audierit, quodque sine verecundia memorare non possit, scilicet ipsum *quibusdam Grammaticam exponere.*

Episcopus debet in sacris literis præcipue esse versatus.

Hic notat Glossographus, quod Gregorius „*Grammaticam* hic appellet, scientiam autho„rum quodque recitaret etiam in Ecclesia fabu„lationes Jovis, & eas moraliter exponeret in Prædicatione sua. Quamvis hæc reflexio non sit contemnenda, tamen inspecto textu S. Gregorii, nequaquam obscurum est, illic reprehendi Episcopum, quod divino cantui immisceret hujusmodi profanas Grammaticorum fabulationes: subjungit enim: " Quia in uno se ore cum Jovis „laudibus, Christi laudes non capiunt: & quam „grave nefandumque sit Episcopis canere, quod nec Laico religioso conveniat, ipse considera. Utinam ad hoc attenderent, quibus divinarum laudum in Ecclesiis cura incumbit; itemque Ecclesiastici qui litteras humaniores profitentur.

Divino cantui fabulosa non miscenda.

Quarta parte distinctionis asserit Gratianus: „*Liberalem* quoque necessitatem patientibus sa„cerdotem esse oportet; alias autem vacuum pro„babit nomen Episcopi. Probat id auctoritate S. Gregorii. *Lib. 1. Epist. 29* in qua scribit, quod, cum quosdam senes mendicantes interrogasset, quid accepissent à Mariniano Episcopo, illos respondisse, *nihil*; eumque dixisse: *nihil habeo, quod vobis dare possum.*

Liberalem in pauperes oportet esse Episcopum.

His subjungi Gregorius: " Et miror si is qui „vestes habet argentum habet, cellaria; quod „pauperibus debeat dare, non habeat. Denique addit hæc, quæ apud Gratianum, prætcedentibus omissis extant: " Dic ergo ei (Mariniano) „ut cum locum mutet & mentem; non sibi cre„dat solam lectionem & orationem sufficere, ut „remotus studeat sedere, & de manu minime „fructificare; sed largam manum habeat, ne„cessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat, quia si hæc non habet, vacuum Episcopi nomen tenet.

Post hæc quinta parte post Canonem 6. multis auctoritatibus Gratianus ostendit, quod in ipsa liberalitate modus adhibendus sit rerum & personarum, ut scilicet expendatur quod & quibus donetur. Primum ostendit, histrionibus & venatoribus non esse dandum: " Nam ut ex Au„gustino ait Canone 8. Qui venatoribus donant, „quare donant? mihi dicant quare donant ve„natori? hoc in illo amant, in quo nequissimus „est, hoc in illo pascunt hoc in illo vestiunt: ip„sam nequitiam publicam (alias *publicant*) spe„ctaculis omnium: qui donant histrionibus qui „donant Aurigis qui donant meretricibus quare „donant? numquid non & ipsi hominibus do„nant; non tamen ibi attendunt naturam operis Dei, sed nequitiam operis humani. Plura in eandem rem adducit ibidem ex S. Ambrosio quibus ostenditur, quæ mensura & quis ordo in dandis Eleemosynis sint servanda.

De modo in ipsa liberalitate servando.

Sexta parte post Canonem 22 docet: " Si„militer etiam oportet, Episcopum non esse *per„cussorem* id est, non ad vindictam facilem. Hanc in rem duo sat notanda monita S. Gregorii contra nimiam asperitatem & duritiam Episcoporum recitat Canone 23. & 24.

Episcopum oportet non esse percussorem.

Post hæc parte septima dictum præcedenti parte quasi explanans ait: " Percussorem esse prohibe„tur, ne videlicet propriis manibus cædat. Profert eam in rem Canonem sub nomine Concilii Agathensis. Sed in eo Concilio non haberi notant Correctores Romani. Interim de hoc puncto vide *Jus Eccl. Part. 3. Tit. 1. cap. 1.*

Octava denique distinctionis parte ait: " Pro„hibetur etiam Episcopus turpis lucri esse cupi„dus, ne aliquo inhonesto negotio victum, vel „cætera sibi necessaria quærat quod generaliter „de omnibus divino cultui mancipatis id est, Clericis & Monachis intelligi oportet. Citat hic canonem 3. Chalcedonensem qui à Patribus hujus Concilii conditus est ad suggestionem Martiani Imperatoris; atque unice in id collimat, ut clerici Deo militantes negotiis sæcularibus se non implicent.

Neque turpis lucri cupidum.

DISTINCTIO LXXXVII.

QUia ostenderat Gratianus in præcedentibus liberalem oportere esse Episcopum, pergit hac distinctione ostendere, quod " viduis & „orphanis Ecclesiæ præsidium implorantibus, „Episcopi debeant adesse, & contra improbo„rum violentiam protectionis patrocinium eis „negare non debeant.

Episcopi protectionem viduis & pupillis debent impendere.

Plura hanc in rem hic adducuntur notanda; atque inter cætera canone 1. ex Gelasio: " Licet „omnibus de nobis sperantibus non debeamus „in quantum possumus nos denegare, plus ta„men viduarum & orphanorum causas, & im„pensius duximus exequendas; quas tueri à no„bis vel ab omnibus divina manifestat assertio. Plura sub nomine hujus Pontificis referuntur notanda canone 2. 3. & 4.

Occurrit etiam hic notandus Canon 53. synodi Arelatensis II. relatus hic canone 9 de infantibus expositis ante Ecclesiam, diciturque: " Si expositus ante Ecclesiam, cujuscumque fuerit „miseratione collectus, contestationis ponat Epi„stolam, ut, si is, qui collectus est, intra decem „dies quæsitus agnitusque non fuerit, securus ab„eat, qui collegit. De intellectu hujus & similium canonum, nec non constitutionum imperialiũ eis conformium, vide notas J. Gothofr. ad *tit.*

De infantibus expositis.

Codicis

Codicis Theodosiani de infantibus expositis, ubi & varietatem disciplinæ, quæ in hoc articulo fuit, breviter annotat & exponit.

DISTINCTIO LXXXVIII.

Vetantur Clerici lucri gratia se negotiis sæcularibus intricare.

EX dictis præcedenti distinctione infert Gratianus in procemio hujus distinctionis: " ,,Prohibentur ergo Clerici cupiditatis negotia ,,suscipere non pietatis curam viduis & orphanis ,,impendere.

Hanc conclusionem multis asserit hac distinctione: nonnulla autem inter hæc occurrunt apocrypha, atque inter cætera relatum decretum Canone 1. sub nomine Melchiadis Papæ, quod confictum agnoscunt eruditi, & non obscure fatentur Correctores Romani, quorum nota merito attendenda, uti & nota ad Canones 11. & 12. in quibus sub nomine Chrysostomi prolixa referuntur fragmenta, quæ non esse S. Chrysostomi, sed authoris *operis imperfecti* ibidem notatur; cumque errorem apud Gratianum sæpius occurrere monent.

Negotiatio Clericis interdicta.

Interim plura de vitanda cura negotiorum sæcularium per Episcopos notanda proferuntur: Contra clericos negotiatores inter cæteras auctoritates, notatu dignum est hoc dictum S. Hieronymi relatum canone 9. *Negotiatorem clericum, & ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge. Item illud S. Cypriani relatum Canone* 14. Neque apud Altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros voluit avocare.

DISTINCTIO LXXXIX.

Oportet Episcopum domui suæ esse bene præpositum.

GRatianus prosequens exponere qualitates per Apostolum in Episcopo requisitas, hac distinctione exponere vult eam, quam his verbis, *domui suæ bene præpositum*, expressit Apostolus, uti significavit in procemio distinctionis: *Domui quoque suæ, ait, oportet Episcopum bene esse præpositum, ut quædam inde quodammodo futuræ dispensationis argumenta sumantur. Additque: in dispensatione vero Ecclesiæ hanc regulam observandam noverit, ut nulli quantumvis exercitatæ personæ duo simul committat officia, neque sæcularibus viris res Ecclesiasticas gubernandas committat.*

Duo officia uni eidemque non committenda & quare.

Prius probat auctoritate S. Gregorii; cujus verba hic relata non extant in aliqua hujus Pontificis epistola, aut opere, sed recitantur à Joanne Diacono in ejus vita, tanquam ab ipso Gregorio prolata, uti narrant Correctores Romani: *Sicut enim, ait Gregorius Canone* 1. *varietas membrorum per diversa officia, & robur corporis servat: & pulchritudinem repræsentat, ita varietas personarum per diversa nihilominus officia distributa, & fortitudinem & venustatem sanctæ Dei Ecclesiæ manifestat.* Vide in hanc rem dicta in *Jure Eccl. Parte* 2. *tit.* 20. *cap.* 1. ubi ostenditur, hoc titulo vetitam quoque esse Beneficiorum pluralitatem.

De œconominis per quos res Ecclesiæ administrentur.

Hac distinctione agit etiam Gratianus de *vicedominis*, sive œconomis ab Episcopis constituendis, qui rerum temporalium curam habeant; de quibus vide Tractatum Historico canonicum *Parte* 1. *capit.* 3. §. 6. ad canonem 26. Chalcedonensem, ubi ostenditur, quare adeo sollicite voluerint Patres, ut res Ecclesiæ per œconomum, non ex domesticis Episcopi, sed de Clero Ecclesiæ assumptum dispensarentur, de licentia tamen & scitu Episcopi.

DISTINCTIO XC.

Episcopum non oportet esse litigiosum: & quare.

IN Procemio hujus distinctionis, ait Gratianus: ,,Litigiosus quoque prohibetur ordinari: quia ,,qui sua potestate discordantes ad concordiam ,,debet attrahere, qui oblationes dissidentium ,,prohibetur recipere, nequaquam *litigandi* fa,,cilitate alios ad dissidium debet provocare.

Discordantium oblationes olim non recipiebantur.

Hic agit potissimum Gratianus contra discordantes clericos & Laicos, eorumque oblationes in altari non recipiendas, & ab Episcopis, etiam adhibitis pœnis Ecclesiasticis, ad concordiam revocandos ostendit; relatis eam in rem pluribus Canonibus Concilii vulgo Carthaginensis IV. intermixtis etiam nonnullis apocryphis, & sub nomine Synodi VIII quæ sunt S. Basilii, uti observant Correctores Romani, qui error frequenter occurrit apud Gratianum.

Officium Episcoporum est procurare discordantium concordiam.

Non dubium, quin officium & obligatio Episcoporum sit, non tantum Clericos, sed etiam fideles Laicos, tanquam spirituales eorum Patres ad pacem & concordiam exhortari; & quantum in ipsis est inducere; sed eosdem ad concordiam invitos per censuras aliasque pœnas cogere hodierna disciplina non admittit sed tam Clericos, quàm Laicos convenire nolentes ad sua respective tribunalia remittit: signanter, si quæstio sive controversia ac discordia sit de privatis inter partes negotiis. In id tamen incumbant Episcopi & Pastores, ut persuadeant fidelibus, ut in hisce quæstionibus proximi dilectio servetur, omnisque animi aversio absit.

DISTINCTIO XCI.

Clericus, cui necessaria desunt, de labore manuum vivat.

QUid hac distinctione intendat Gratianus, aperit procemium: *Qui autem turpi lucro vel inhonesto negotio victum sibi quærere prohibetur, de oblationibus Ecclesiæ stipendia consequatur: quod si Ecclesia ei sufficere non potuerit, proprio artificiolo vel agricultura (exemplo Apostoli qui de labore manuum vivebat) sibi necessaria inveniat, ita tamen, ut occasione sui operis, vigiliis Ecclesiæ non desit, quod absque inæqualitate sui corporis nulli impune conceditur.*

Utrumque auctoritatibus nonnullis adstruit, signanter Canone 2. profert Decretum sub nomine Concilii Nannetensis. Porrò circa hoc decretum notat Baluzius, in citatione, non convenire Gratiani antiquas editiones; imò in aliquibus antiquis exemplaribus hunc Canonem non extare in decretalibus Gregorii IX. uti & in antiqua decretalium collectione apud Antonium Augustinum: sub *Tit. de celebratione Missarum* refertur ex Concilio Agathensi, sed utrobique male, uti monet Baluzius, qui notat eum esse desumptum ex Capitulis Hincmari Rhemensis *tit.* 3. *cap.* 9.

Profert dein in hujus probationem nonnullos Canones sub nomine & auctoritate Synodi vulgo Carthaginensis IV. monent autem Correctores Romani Canonem 4. ex multis capitibus hujus Synodi non suo ordine dispositis conflatum.

Cæterum haud obscurum est, hos Canones & decreta potissimum respicere disciplinam ætatis, qua nondum tituli beneficiorum erant erecti; atque ita quodammodo dependebat ab arbitrio

Episco-

Episcoporum & œconomorum, quid singulis clericis ex oblationibus aliisque proventibus Ecclesiasticis subministraretur.

DISTINCTIO CXII.

Divinum officium quomodo persolvendum.

Distinctio hæc plura miscellanea parum inter se cohærentia continet, eaque in quatuor partes divisa.

Cum præcedenti distinctione dictum esset, quod clerici officium divinum assiduè frequentare jubeantur, hâc distinctione videtur velle ostendere, quomodo persolvi debeat: unde mox subjungit: "Cum autem ad Ecclesiam venerint, corde „magis quàm *voce* Deo cantandum meminerint, „prolatâ auctoritate S. Hieronymi, qui modum „cantandi & psallendi his verbis describit. „*Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino*: audiant hæc adolescentuli, audiant hi, „quibus in Ecclesia est psallendi officium: Deo „non voce, sed corde cantandum, nec in tragœdorum modum guttur & fauces dulci medicamine „colliniendas, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur & cantica. De quo vide dissertationem de horis canonicis cap. 6. ubi latè ostenditur, quo spiritu horæ canonicæ à clericis sint persolvendæ: & in *Jure Eccles. Parte* 2. *tit.* 5. *cap.* 9. notantur abusus à musicis & canentibus in Ecclesia committi soliti; in quos meritò Episcopi & Prælati Ecclesiarum invigilant, quibus & addi posset liber Gallicus nuper evulgatus sub titulo, *Traité sur la Priere publique*.

Qui abusus in musica vitandi.

An & quo sensu prohibeantur diaconi in Ecclesia cantare.

Post hæc ex S. Gregorio asserit Gratianus, quòd „ab officio cantandi & psallendi diaconi inveniantur exempti; ne dum vocis modulationi student, altaris ministeria negligant. Si legatur epist. 44. lib. 4. unde hic textus Gregorii videtur desumptus, apparebit, expressionem Gratiani esse nimium generalem, sensumque Gregorii seu synodi Romanæ duntaxat esse, ne diaconi à prædicationis officio, prætextu modulationis retrahantur.

Hoc decretum cum aliis ejusdem synodi in novissima editione operum S. Gregorii extat in appendice epistolarum hujus S. Doctoris col. 1288. meritoque consulendæ notæ huic decreto adjectæ.

A quibus ordines conferendi.

Secundâ parte hujus distinctionis ait Gratianus: *A quibus ordinandos oporteat esse immunes breviter monstratum est: de quorum verò manibus ordines suscipere debeant, facile patet: sacerdos enim & cuncti infra ipsum constituti ab Episcopis suis debent ordinari.*

In hujus probationem adfert unicum canonem 15. Laodicænum ex versione Martini Bracarensis: *Non liceat in pulpito psallere aut legere, nisi qui ab Episcopo lectores sunt ordinati.* De hoc consule Tractatum Historico Canonicum *Parte* 2. *cap.* 1. §. 12. ad hunc canonem, ubi ostendi, per hunc canonem, Laicos sive populum à psallendo in divino officio nequaquam fuisse exclusum. Cæterum ex hoc canone, prout hic refertur, in quo expressè decernitur, quòd nulli possint psallere in pulpito, qui non sint *lectores ordinati ab Episcopo*, conclusit Gratianus, quòd etiam minores ministri ab Episcopo debeant ordinari, de quo quid habeat moderna disciplina, vide *Jus Eccles. Parte* 2. *tit.* 9. *cap.* 2.

Quid agendum ordinatis ad certas Ecclesias, dum ad eas accedere impediuntur

Tertiâ parte quæritur de his, "Qui ordinati, à „Parochis suis non recipiuntur, vel pro aliqua „causa eas adire noluerint; an in alterius parochia „Episcopale officium possint celebrare. Pro resolutione hujus quæstionis citantur duo canones tanquam Concilii Antiocheni; sed notandum Gratianum *unicum* duntaxat canonem 18. Antiochenum referre, tametsi illum ut *duos* distinctos canones hujus synodi referat; non advertens esse eundem canonem, sed ex diversa lectione sive versione: nimirum ex versione Martini Bracarensis, uti illum recitat canone 4. & ex versione Dionysii Exigui canone 5. Id unum hoc canone statuitur, ut Episcopus ordinatus ad certam Ecclesiam seu parochiam, si ex justa causa ad eam accedere nequeat, debeat quiescere, nec officium Pastorale seu Episcopale in aliena Ecclesia suscipere, nec aliquid in ea gerere, quoadusque in perfecta sive plenaria synodo suæ provinciæ fuerit judicatum & declaratum, quid agere debeat.

Quemodo punienda negligentia clericorũ in frequentandis divinis officiis.

Quartâ parte, quasi ad præcedentem distinctionem rediens, dicit: *Quod autem supra Clerici se vigiliis subtrahentes excommunicari jubentur de his intelligendum est, qui ab Episcopo frequenter admoniti negligentiam suam corrigere contemnunt.*

Citatur unicus canon sub nomine Concilii *Martini Papæ*; qui est canon 5. Concilii Toletani, relatus in collectione Martini Bracarensis cap. 63. qui error apud Gratianum frequenter occurrit, ut supra monui.

Etiam hîc videmus rursus, nullum pene ordinem aut materiæ connexionem à Gratiano servari.

Cæterum de obligatione clericorum, notanter Canonicorum, frequentandi vigilias, aliaque divina officia, & de pœna, qua negligentes sint puniendi & cogendi juxta modernam disciplinam, præsertim quoad Canonicos extra vitam communem viventes, quos *sæculares* dicimus, videri possunt deducta in dissertatione de instituto & officio Canonicorum, & *Jure Eccles. Parte* 2. *tit.* 7.

DISTINCTIO XCIII.

De obedientia inferiorum debita superioribus.

Summarium hoc distinctioni huic præmittit Gratianus: "Obedientiam autem inferiores „ordines superioribus debent: summo enim Pon„tifici ea debetur ab omnibus obedientia, ut nulli „liceat ei communicare, cui pro actibus suis ini„micus ipse extiterit: nec in Ecclesia esse poterit, „qui ejus cathedram deserit.

Assertum falsum Gratiani de Pontifice.

Quoad priorem partem asserti Gratiani, certum est illam falsam esse, prout ab eo ita generaliter exprimitur: admodum verisim[...] est, lapsum esse Gratianum auctoritate fragmenti pseudo-decretalis relati canone 1. sub nomine Clementis I. quo hoc assertum Gratiani probari videtur, ei qui hanc epigraphen præfixit Gratianus: "Cui pro actibus suis Apostolicus inimicatur, communicare non debemus. Quis enim dubitet, quin de Romano Pontifice æquè ac de aliis Pontificibus dictum sit: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus .... quoniam & ipse circumdatus est infirmitate, & propterea debet, quemadmodum pro populo; ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis.* Quis dubitet, quin & ipse Pontifex aliquâ infirmitate, seu humanâ quâdam passione commotus injustè possit alicui inimicari: quod & pluribus Romanis Pontificibus, etiam prioribus sæculis contigisse, & quidem adversus sanctissimos viros, nemo negaverit.

Porro canon hic mera farrago est consarcinata è pseudo-epistolis decretalibus, ac potissimum ex epistola supposititia Fabiani Papæ, uti in margine & à Correctoribus Romanis notatur; & revera

vera in hac epistola, eisdem pene verbis hoc fragmentum habetur. Hanc autem epistolam esse unam ex confictis decretalibus, hodie compertum est.

Non est in Ecclesia qui ejus unitatem scindit.

Addit dein Canonem 1. *Non est in Ecclesia, qui cathedram Petri non sequitur;* quod respicit partem secundam ipsius asserti in summario; in cujus probationem adducit Canone 3. testimonium S. Cypriani ex tractatu de *unitate Ecclesiæ.* Evidens est autem ex integro contextu S. Cyprianum in hoc tractatu unicè voluisse adstruere *unitatem* ipsius Ecclesiæ; quodque in Ecclesia esse nequeat qui hanc unitatem scindit, aut ab ea se separat; etenim quoad genuinam lectionem circa hæc verba sub nomine Cypriani à Gratiano relata, magna est inter scriptores contentio, prout etiam hic indicârunt Correctores Romani.

Non autem quocunque modo à Romano Pontifice dissentiens.

Cæterum & hoc indubitatum est, Cyprianum in hoc suo tractatu nullatenus significare voluisse illum esse extra Ecclesiam, sive unitatem Ecclesiæ, qui quocunque modo à Romano Pontifice dissentit, uti innuere videtur Gratianus, sed qui à corpore Ecclesiæ se separat, uti latius ostendi in *supplemento ad Jus Eccles. Parte 3. tit. 5. cap. 2.*

Obligatio Episcoporum accedendi ad limina Apostolorum.

Monet post hæc Gratianus ad calcem Canonis 3. quod Episcopi, qui Apostolicæ ordinationi subjacent, etiam hanc reverentiam debent, ut sese singulis annis Apostolorum *liminibus* repræsentent, citato in hujus probationem fragmento Canone 4. sub hac inscriptione: *Unde Anacletus & Zacharias Papa.*

Falso hoc fragmentum adscribi Anacleto norunt eruditi: utpote cujus ætate hæc disciplina adhuc incognita erat; notatque Antonius Augustinus *lib. 2. de emendat. Gratiani Dial. 1.* hæc verba melius ab Anselmo referri ex Concilio Zachariæ Papæ, & esse caput quartum illius Concilii, additque; "Ego cùm verba Gratiani cum verbis Anselmi contulissem, inveni „meliorem scripturam videri illam Anselmi, „quam vulgarem Gratiani. Monuerunt quoque Correctores Romani, "Hunc Canonem „esse quartum synodi Romanæ habitæ sub Zacharia Papa, quæ extat, inquiunt, in Biblio„theca Vaticana, ex qua nulla sunt in hoc Ca„none emendata, habetur hodie *tom. 6. Concil. General. col.* 1546.

Præcipua, ut apparet, *emendatio* facta per Correctores Romanos consistit circa conjunjunctionem, *&*, quæ apud Gratianum interponebatur inter verba, *Apostolica Sedi subjacent,* atque hæc sequentia, *qui propinqui sunt;* quâ interpunctione indicare videbatur, quòd hoc decretum non tantùm spectaret Episcopos *ordinationi Apostolicæ Sedis subjectos;* sed etiam alios, qui propinqui essent: quæ ambiguitas tollitur, omissâ hâc conjunctione, *&*, hâc enim omissâ manifestum est, ad eos solos Episcopos spectare decretum, qui *Sedis Apostolicæ ordinationi subjacent* & ex his illos duntaxat, *qui propinqui sunt.* Vide Antonium loco citato.

Et sanè constat, quod tempore sancti Leonis nulli Episcopi ad limina Apostolorum certis temporibus accedere tenerentur, præter illos qui ordinationi Episcopi Romani subjacerent jure Metropolitico, seu tanquam Metropolitano, uti notavi in Jure Eccles. part. 1. tit. 15. cap. 2. admodumque verisimile est, hoc decretum, prout apud Gratianum cum conjunctione, *&*, legebatur ante correctionem, huic extensioni occasionem & fundamentum subministrâsse; ut etiam alii Episcopi certis temporibus ad limina Apostolorum accedere jubeantur: ac signanter hæc Episcoporum obligatio generaliter invaluit, postquam Episcopi, etiam in remotis partibus, confirmationem & institutionem à Romano Pontifice accipere debuerunt; atque propterea reputati sunt ordinationi Romani Pontificis subjacere.

Notum quoque est in *Jure Eccles.* loco citato, quòd Episcopi ætate S. Leonis, bis in anno accedere tenerentur, ut cum Pontifice, tanquam eorum Metropolitano synodum celebrarent, conformiter ad decretum synodi Nicænæ.

Minores in Ecclesia majoribus debent sub. esse.

In secunda distinctionis parte adstruere vult Gratianus, quòd reliqui in Ecclesia minores semper debeant majoribus subesse. In hujus asserti probationem adducit primo loco Canone 5. decretum pseudo synodi sub Silvestro, de quo capite speciatim monent hîc Correctores Romani: *Caput hoc & apud Gratianum, & in ipsius synodi editionibus videtur valde mendosum.*

Deinde post exhibitum capitis hujus textum ex Burchardo & Ivone rursus monent: *Verum ob magnam codicum varietatem, & propter glossas ac doctorum dicta nihil fere in textu mutatum est.*

Multa apocrypha hic à Gratiano adducta

Verum & hoc caput, uti & reliqua ejusdem synodi, adeo manifesta præferunt suppositionis indicia, ut uno eruditorum consensu tota hæc synodus tanquam suppositicia inter putridas pseudo-Isidori merces rejiciatur.

* Interim cùm ex his constet, glossatores & doctores impendisse similia conficta monumenta, mirum videri non debet, quòd in multis à Patrum disciplina recesserint.

Adducit insuper Gratianus in dicti sui probationem plura fragmenta ex falsis decretalibus primorum Pontificum, ad amplificandam auctoritatem Romani Pontificis in Episcopos, & Episcoporũ in inferiores ministros, præcipuè adornatis.

De numero diaconorum.

Intermiscet & hic Gratianus Canone 2. nonnulla de *septenario* diaconorum numero; de quo vide Tractatum Historico Canonicum *Parte 2. cap. 1. §. 9.* ad Canonem 15. Neocæsariensem.

Eorum superbia reprimitur.

Tertia pars distinctionis arguit diaconorum superbiam, qui sacerdotibus æquari vel potius præferri ambiebant; de qua plura notavi in præfato tractatu *Parte 2. cap. 1. §. 7.* ad Canonem 18. Nicænum à Gratiano hic relatum Canone 4.

Vetantur usurpare quæ presbyteris competunt.

Deinde Gratianus ostendit, diaconos deferre debere honorem presbyteris, nec ab illis horum officium esse usurpandum: de quibus videri possunt notata in jam sæpe dicto tractatu *Parte 2. cap. 1. §. 12.* ad Canones 20. & 25. Laodicænos hic à Gratiano relatos Canone 15. & 16.

De variis diaconorum vestibus.

Parte quartâ, ostendit Gratianus ex S. Gregorio, diaconos sine speciali sedis Apostolicæ licentia non posse uti *compagis* vel *mappulis*: notat autem eruditus auctor notarum ad *epist. 28. lib. 7. indict. 1.* S. Gregorii, quod alii *compagos*, alii *compages*; plurimi autem tam MSS. quàm editi codices *compagos* vocent.

Dicit enim Papias: *Compagi calceamenti genus, quo utebantur diaconi Romani, vel quibus à Pontifice licentia daretur:* "Mappula, ait Al„cuinus, quæ in sinistra parte gestatur, qua *pitui„tam* oculorum & narium detergimus, præsen„tem vitam designat, in qua superfluos humo„res patimur. Et Amalarius: *Sudarium* ad hoc portatur, ut detergamus sudorem; in manu sinistra

„portatur, ut ostendatur in temporali vita tæ„dium nos pati superflui humoris. Vide plura apud Cardinalem Bona *Lib.* 1. *Rer. Liturg. cap.* 24. §. 5. ibi & notat in locum *mappulæ* sive *sudarii* successisse sæculo X. hodiernum *manipulum*, qui sacris vestibus hodie annumeratur. De voce autem, *compagos*, plura adducit prædictus notarum author.

Quidquid sit de similium ornamentorum significatione & forma, non ineptè videtur præfatus author locis citatis reflexisse, controversiam super hujusmodi indumentorum delatione ludicram esse, cui se S. Gregorius, cogentibus Clericis Romanis, *invitus* immiscuit. Nihil melius est circa similium sacrarum vestium usum, quàm sequi sine affectatione Ecclesiarum receptam disciplinam & praxim.

Diaconorum officium in dispensando sacro calice.

Quinta pars unico testimonio S. Hieronymi constat, quo probare intendit Gratianus, quod "sicut in ministerio; ita in dispensatione sine „Diacono Episcopus non vivat. Hic à S. Hie„ronymo describuntur qualitates Diaconorum „necnon quomodo ipsi debeant Episcopo in sa„cro ministerio assistere, signanter in dispensa„tione sive distributione *Dominici calicis* popu„lo eâ ætate sub utrâque specie communicanti.

De dignitate Presbyterorum supra Diaconos.

Sextâ parte rursus retundit supercilium Diaconorum, qui se Presbyteris æquare, aut etiam præferre volebant, prolato Canone 24. altero S. Hieronymi testimonio, quo dignitatem & ordinem Presbyterorum ita extollit, ut eos ipsis Episcopis pene æquare videatur.

Ut Hieronymus hanc Presbyterorum supra Diaconos dignitatem extollat, probat quod Apostoli, ac signanter S. Paulus, Presbyteros & Episcopos promiscuè pro eisdem sumpserint, atque hinc concludit, quòd, si Diaconi se Presbyteris æquent, aut præferant, etiam se Episcopis æquare aut præferre queant: *Nam*, ait, *cum Apostolus perspicuè doceat, eosdem esse Presbyteros, quos Episcopos; quid patitur* (alias quis patiatur) *mensarum & viduarum minister, ut supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi Corpus Sanguisque conficitur.*

Hæc tamen dicta de prærogativa Presbyterorum supra Diacocos non procedere monet parte septimâ ex Canone 7. Synodi quini-sextæ sive *in Trullo*, si locum Diaconus habuerit aut proprii Patriarchæ, aut sui Metropolitani.

DISTINCTIO XCIV.

Distinctione hâc primo ostendit testimonio S. Gregorii, quòd etiam summus Patriarcha vices suas Subdiacono committere valeat.

Pro asserenda Legatorum Sedis Apostolicæ adducitur supposititia decretalis.

Secundâ parte, ait: *Legatum Apostolicæ Sedis quicunque impedierit, usque ad satisfactionem excommunicetur.*

In hujus probationem adducit Pseudo-Decretalem Alexandri I. Papæ. Hæc decretalis licet supposititia, non loquitur de legatis Apostolicis; sed tantum de ea *legatione*, quâ Apostolos & Episcopos pro Christo fungi docuit Paulus Apostolus: perperam igitur Gratianus eam legato Sedis Apostolicæ appropriat, uti notat Antonius Augustinus in notis ad *Capitulum* 1. Adriani I. & innuunt hìc Correctores Romani: unde & anno 895. Concilium Triburiense Canone 9. hæc verba Pseudo-Decretalis applicat Episcopis.

Redar-

Parte tertiâ redarguitur authoritate Concilii

Cabilonensis insolentia Archi-Diaconorum, qui super Presbyteros Parochianos quandam exercebant dominationem, & ab eis censum exigebant: *Quod magis*, ait Canon, *ad* tyrannidem, *quàm ad rectitudinis pertinet ordinem.*

guitur dominatus Archidiaconorum in Presbyteros Parochianos.

Utinam hoc Synodale monitum attenderent moderni Archi-Diaconi, qui authoritatem quasi Episcopalem quandoque in dominatum, & quandam tyrannidem ac turpem questum convertunt.

DISTINCTIO XCV.

Obedientia Presbyterorum respectu Episcoporum debet esse filialis.

Hac distinctione videtur Gratianus velle non nihil moderari, quæ supra de obedientia per Presbyteros exhibendâ Episcopis dixerat, uti indicat procemium distinctionis his verbis: *Quod autem Sacerdotes supra jubentur Episcopis tanquam subditi obedire, non ita intelligendum est, quasi non liceat eis præsentibus Episcopis sacra mysteria celebrare, (sicut Episcopali supercilio quidam ab his volebant Presbyteros prohibere) sed quia Presbyteri Pontificibus tanquam filii parentibus debent obedire. Baptizatos etiam Chrismate eis tangere conceditur.*

Perperam hic redarguit Episcopos Gratianus.

Gratianus hic male generaliter carpit Episcopos, certum enim est, olim non licuisse Presbyteris celebrare præsente Episcopo citra illius jussionem: at Gratianus (prout alibi sæpe) deceptus fuit disciplinâ sui ævi.

Postremam partem probat authoritate sancti Gregorii Lib. 3. Epist. 26. in qua scribit, quòd concedat, ut, ubi Episcopi desunt, Presbyteri etiam in *frontibus* baptizatos *Chrismate tangere debeant.* Deinde Canone 2. profert fragmentum Epistolæ Gelasii I. *Presbyteros ultra suum modum tendere prohibemus, nec Episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere, non conficiendi Chrismatis, non consignationis Pontificalis adhibendæ sibimet arripere facultatem.* Dein remittit ad Canonem, *quamvis Chorepiscopis. Dist.* 68. qui Gelasio convenire videtur, sed quem falso Leoni I. adscribi notavimus.

An Presbyteris competat potestas conficiendi chrisma & consignandi infantes in fronte.

Has in speciem contrarias sententias conciliare volens gratianus, ait ad calcem Canonis 2. *Sed istud Gregorii pro scandalo semel sedando concessum legitur: illud autem Leonis & Gelasii, usu approbante prævaluit, nisi forte ubi aliquorum consuetudo hoc admisit, ut in absentia Episcopi extremâ necessitate cogente, ex concessione Gregorii, Presbyteri baptizatos in fronte liniant. Prohibitio vero Leonis & Gelasii in eo casu intelligatur, cum Episcopi præsentes sunt, vel cum non cogit ulla necessitas.*

Cæterum de authoritate conferendi Sacramentum Confirmationis per Presbyteros absente Episcopo vide, quæ dicta sunt in *Jure Eccles. Parte* 2. *Tit.* 3. *cap.* 2. Item notas Benedictinorum Congregationis sancti Mauri ad hanc Epistolam, quæ in eorum editione est 26. Lib. 4.

Episcopus potest ungere infirmos.

Parte secundâ asserit Episcopum posse languidos, sive ægros ungere Chrismate, sive oleo sacro; tametsi Jacobus Apostolus loquens de unctione infirmorum, duntaxat loquatur de Presbyteris. In hujus asserti probationem adducit fragmentum Epistolæ Innocentii I. ad decentium Eugubinum Episcopum, in qua miratur Innocentius, quod à quibusdam dubitaretur, utrum Episcopi infirmos ungere possent: **Nam**, ait, *de Presbyteris dictum est, quia*

Episcopi

Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem à se visitandum; & benedicere & tangere Chrismate, sine cunctatione potest, cujus est ipsum chrisma conficere.

Parte tertiâ ait Gratianus, Presbyteros petere debere chrisma à suis Episcopis ad Baptismi sanctificationem. Hìc adducit Canonem 36. vulgo Concilii Carthaginensis IV. ubi & hæc verba leguntur, *sed omni anno*, quæ, uti monent Correctores Romani, in aliquot Conciliorum editionibus non habentur, sicut nec occurrunt in editione novissima Conciliorum per Labbeum, licet hæc verba reperiri dicantur in omnibus Gratiani exemplaribus tam manuscriptis, quam editis, sicut monet hìc Stephanus Baluzius, qui putat simpliciter mendum hic esse, & pro, *omni anno*, legendum, *omnino*: sed quidni dicamus, hæc à Gratiano addita fuisse authoritate Pseudo-Decretalis Fabiani Papæ, in qua legitur, quòd chrismatis confectio *per singulos annos est agenda, & de anno in annum* renovanda, & *fidelibus tradenda*, ut extat apud Gratianum *Dist.* 3. *de Consecrat. Can.* 18.

Origo disciplinæ conficiendi chrisma singulis annis.

Interim ex hac apud Gratianum corrupta lectione, verisimiliter profluxit hodierna disciplina, quæ vult *omni anno* renovari *chrisma*, & reliqua sacra olea.

Presbyteri coram Episcopis Verbum Dei prædicare possunt.

Eâdem parte agit etiam Gratianus de iis, quæ Presbyteris licent, atque inter alia, quòd ipsis coram Episcopis liceat *Verbum Dei annuntiare*, adductis eam in rem Canone 6. verbis S. Hieronymi, quibus acriter invehitur in Episcopos, qui invidiâ inflati irascebantur, si Presbyteri interdum *exhortarentur plebem, si in Ecclesiis prædicent*.

DISTINCTIO XCVI.

Contendit Gratianus, Principibus laicis nullam esse potestatem disponendi circa res sacras.

Gratianus distinctione septuagesimâ nonâ, Canone 8. retulerat edictum sub nomine Honorii Augusti ad Bonifacium Papam, quo decernitur: *Si duo contra fas temeritate concertantium fuerint ordinati, nullum ex his penitus futurum Sacerdotem; sed illum solum in Sede Apostolica permansurum, quem ex numero Clericorum novâ ordinatione Divinum judicium & universitatis consensus elegerit.*

Cum per hoc edictum videretur Honorius Imperator sibi attribuisse authoritatem aliquid ordinandi circa ordinationem Romani Pontificis, Gratianus in procemio hujus distinctionis monet: Illud autem Honorii Augusti, quod de electione summi Pontificis supra constituisse dicitur, nullius esse momenti probatur; cum non solum de ordinibus, sed nec etiam de rebus Ecclesiasticis legatur aliquando laicis attributa disponendi facultas; unde quæcunque à principibus in ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus decreta inveniuntur, nullius authoritatis esse monstrantur.

In hujus asserti probationem adducta vel apocrypha sunt, vel ipsum assertum non probant.

Plura hanc in rem adfert hìc Gratianus; atque inter alia, prolocutionem Symmachi Papæ ad Synodum IV. Romanam, ubi lex Odoacris Regis, quâ edixerat, ne absque Regum Italiæ assensu, Romani Pontificis electio fieret, nec ulla, Ecclesiæ prædia, vel quævis alia bona, etiam mobilia, possent à Pontificibus alienari, in irritum missa est: *Ne in exemplum remaneret, præsumendi quibuslibet laicis, quamvis religiosis, vel potentibus, in quacunque civitate, quolibet modo aliquid decernere de Ecclesiasticis facultatibus, quarum solis Sacerdotibus disponendi indiscusse à Deo cura commissa docetur.* Integrum decretum extat *Tom.* 4. *Concil. general. col.* 1334. ejusque fragmentum admodum mendosè à Gratiano refertur hìc Canone 1. uti ex notis marginalibus & observationibus Correctorum Romanorum constat.

Alia nonnulla recentiora ibidem à Gratiano referuntur, atque inter alia quatuor fragmenta ex Epistola Nicolai I. ad Michaëlem Imperatorem, quæ tota è falsis Decretalibus contexta est, ut Pontificiam authoritatem extollat; nullamque in rebus Ecclesiasticis esse Imperatoris potestatem asserat: interrogatque Imperatorem, ubinam legerit, Imperatores antecessores, Synodalibus conventibus interfuisse, nisi forsan, in quibus *de fide* tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis est. Ita legitur in fragmento relato Canone 4.

Textus à Gratiano relatus aliquid divinitatis Romano Pontifici attribuere videtur.

At præ reliquis notandum fragmentum relatum Canone 7. *Satis*, in quo hæc leguntur: *Satis evidenter ostenditur, à sæculari potestate nec ligari prorsus, nec solvi posse Pontificem, quem constat à pio Principe Constantino (quod longe superius memoravimus) Deum appellatum, cum nec posse Deum ab hominibus judicari manifestum sit.*

Quam ejusmodi dicta nociva sint, ostenditur.

Tametsi hodie vix alicui dubium sit, quin hæc à Nicolao tanquam à pio Imperatore Constantino dicta, assumpta sint è ficto donationis instrumento, quod vulgo dicitur, *donatio Constantini*, nihilominus à Gratiano relatum, & per Pontifices in scholis publicè juventuti prælegi jussum, occasionem subministravit Sedis Apostolicæ adversariis, & ejus primatûs explosoribus, arguendi Romanos Pontifices, quasi *divinitatis* aliquid sibi arrogarent: eorumque Sedis adulatoribus, Romani Pontificis primatum & prærogativas adeò extollendi, ut ei non humanos tantum; sed & divinos honores deferre videantur.

Ita videmus inter cæteros è secta Calvinistarum nominatissimum Jurisconsultum Franciscum Hotomannum in mordacissimo scripto, cui titulus: *Brutum fulmen Papæ Sixti V. adversus Henricum Sereniss. Regem Navarræ & Illustrissimum Henricum Borbonium Principem Condæum*, cap. 2. adducere hunc Gratiani textum, ut adstruat Papam sibi arrogare *divinitatem*: verba ejus sunt: Papa *Deum* se appellari, & gaudet, & gloriatur, *Dist.* 96. *cap. Satis.* Ubi scriptum est: *Satis ostenditur à sæculari potestate nec ligari prorsus, nec solvi posse Pontificem, quem constat à pio Principe Constantino* Deum *appellatum; cum nec Deum ab hominibus posse judicari manifestum sit.*

Ut autem dictum stabiliat; adducit *testimonium cujusdam fœdissimi Papalis adulatoris, scilicet Augustini Steuchi, patroni, ait, Papæ vehementissimi & ejusdem Bibliothecarii, qui, ut ipse asserit, in libro de donatione Constantini, pag.* 141. *hunc Gratiani textum laudans & commemorans ita subjungit.* Audis summum Pontificem à Constantino Deum appellatum & habitum pro Deo; hoc videlicet factum est, cum eum præclaro illo illo edicto decoravit, adoravit uti *Deum* & Petri Successorem, *divinos* honores ei, quoad ejus potuit, contulit, velut vivam Christi imaginem veneratus est. Hæc Steuchus in supra dicto libro, edito Lugduni anno 1547. uti asserit Hotomannus.

Quidni & credamus, hunc similesq; Gratiani textus

textus induxisse imperitos illos Jurisperitos, de quibus jam pridem conquestus est Cardinalis Contarenus, quod asserere non vererentur *voluntatem Papæ esse regulam, qua actiones ejus dirigerentur*, de quo videri possunt dicta *in supplemento Juris Eccles. Parte 1. tit. 15. cap. 5. numer.* 17.

De duplici potestate spirituali & sæculari ex Gelasio.

Occurrit hac distinctione famosum rescriptum Gelasii Papæ ad Anastasium Imperatorem, in quo legitur: *Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas.* Genuinam esse hanc lectionem notat Stephanus Baluzius in notis ad *lib. 5. cap. 319. Capitularium*, monens corruptam esse lectionem relatam in hoc cap. 319 ubi constanter ita legitur: duæ sunt quippe: *Imperatrices Augustæ*, quibus &c. De hac corrupta lectione ejusque primæva origine, latè ibidem discurrit Baluzius.

Hoc hic notandum, fragmentum hujus epistolæ à Gratiano referri quidem sub nomine *Gelasii* Papæ; sed tamen non esse ex ejus epistola desumptum; at hic recitari, prout extat in epistola *Gregorii VII.* notant Correctores Romani qui Gregorius eam non parum in alium sensum inflexit. Porro de genuino & vero sensu Gelasii videri potest præfatio ad tractatum *de promulgatione legum Ecclesiasticarum, & placito Regio*, ubi ostendi, mentem Gelasii fuisse probare, potestates duas esse omnino à se distinctas; sacerdotalem & Imperialem, illam merè spiritualem ad salutem æternam procurandam; hanc verò spectare ad hujus vitæ pacem, & tranquillitatem & rectum ordinem conservandum, & procurandum, eumque in finem omnia ordinare, quæ ad id obtinendum conducunt, atque in his etiam Pontifices legibus Imperialibus obtemperare debere.

Donatio vulgò Constantini ficticia est.

Ad auctoritatem Pontificiam supra sæcularem extollendam refertur hic sub nomine Paleæ Canone 13. & 14. fragmentum famosi istius fictitii rescripti Constantini magni, quo coronam & omnem Regiam dignitatem in urbe Romana, in Italia, & in partibus Occidentalibus Apostolico concessisse fertur.

DISTINCTIO XCVII.

Constitutio Principis de rebus Ecclesiasticis juxta Gratianum vim non habet nisi accedente auctoritate Pontificis.

PRosequitur propositum suum Gratianus & ostendit hac distinctione, Principes sæculares nihil de *rebus Ecclesiasticis*, sua auctoritate statuere posse; *Eorumque constituta pro infectis habenda esse, nisi subscriptione Romani Pontificis fuerint roborata.*

Hinc ulteriùs infert, quòd *Ecclesiæ precibus Imperator in præsumptores valeat decernere; sicut pro defensione fidei quondam decrevisse leguntur, ne hæretici aliquid nomine Ecclesiæ possiderent: ab ea autem non invitati, de rebus Ecclesiasticis aliquid disponere non habent facultatem.*

His præmissis, rursus revertitur ad edictum Honorii super electione Romani Pontificis; de quo supra distinctione septuagesima nona & præcedente; dicitque, quod *Honorius non sua auctoritate, sed S. Bonifacio supplicante, ecclesiasticæ quieti consulere & concertantium ambitionem punire curavit.*

Hanc in rem Canone 1. refert supplicationem Papæ Bonifacii, *ut constituatur à Principe, quatenus in urbe Romana nunquam per ambitum ordinetur antistes.* Extat hæc supplicatio cum hoc summario *tom. 2. Conc. General. col.* 1582.

Huic supplicationi tum apud Gratianum Canone 2. tum in dicto tomo Conciliorum subjicitur rescriptum Honorii Augusti ad Bonifacium Papam I. quo statuit, *ut si denuò Romæ Episcopi ordinati fuerint duo, ambo civitate pellantur.*

Adducta à Gratiano non probant ejus intentum.

Verùm supplicatio Bonifacii relata, nullatenus probat intentum Gratiani: neque enim ex ea aliud erui potest, quàm Bonifacium Honorio Augusto supplicâsse, ut sua auctoritate dignaretur prospicere, ne imposterum ex contendentium ambitu schisma in Ecclesia Romana oriretur: nequaquam autem hinc statui potest, constitutum Imperatoris à subscriptione aut consensu Romani Pontificis robur accipere debuisse, aut Honorium non sua auctoritate id decrevisse, quamvis supplicante, seu excitante Bonifacio ad constituendum permotus fuerit.

Et sanè legitur jam pridem, Imperatores Christianos à tempore Constantini plurimas leges de rebus Ecclesiasticis edidisse, etiam super electione & ordinatione Romani Episcopi, & aliorum, nec tamen earum confirmationem à Romano Pontifice postulatam legimus, uti nec hodie eam necessariam existimant Principes, uti & hic notat G Hericourt.

Incertum & verisimiliter corruptum decretum Nicolai I. de legatis sanctæ Sedis.

Secunda parte distinctionis unicum profert Canonem sub nomine Nicolai Papæ, cui præficitur hoc summarium: „*Sine signatis apicibus* non esse moris Romanæ Ecclesiæ unde „cumque *legationem* suscipere, neque mittere Ita legitur in vulgatis Gratiani editionibus ante Correctionem Romanam: at Correctores Romani sustulêre hæc finalia, *neque mittere*, „quæ, „inquiunt, absunt à vetustis, neque conveniunt „cum his, quæ sequenti capite afferuntur. Quidni dicamus, ea recentiori manu adjecta fuisse; postquam invaluisset, ut nec Principes legatum Sedis Apostolicæ suscipere, aut fines regni ingredi paterentur, priusquam literas legationis ostenderit, seu *signatos apices*. De qua consuetudine in Gallia, aliisque regnis jam pridem recepta videri potest Carolus Fevretius *lib. 3 de abusu cap. 2* §. 6.

Quis sit Nicolaus Papa hujus Canonis auctor, nec Gratianus, nec Correctores Romani indicârunt, asseritque Antonius Augustinus *lib. 2. de emendat. Gratiani Dial.* 13. in epistolis Nicolai I. nihil de hoc decreto haberi; illud tamen Joannes Cochlæus reponit inter decreta Nicolai I. *tit. 4. n. 3.* additque *Ludovico Imperatori*: extat collectio decretorum Nicolai I. per Cochlæum in 20. titulos distributa *tom* 8. *Concil. General. col.* 550. Verùm hæc decreta ex opere Gratiani collecta, non majoris fidei aut auctoritatis sunt quàm reliqua à Gratiano relata, quorum auctoritas & fides aliunde non stabilitur.

Interim ex contextu fragmenti hic relati nequaquam dubium est, illud ad decimum aut undecimum sæculum esse referendum, quando ipsa Sedes Romana ad eam cœpisset elevari, etiam sæcularem eminentiam, ut ad eam Principes suos legatos mitterent.

DISTINCTIO XCVIII.

IN proœmio hujus distinctionis monet Gratianus, *Multis auctoritatibus monstratum esse, quæ circa ordinandos sint observanda, quæ in eorum electione diligenter sint consideranda: sed*

Peregrini clerici non admittendi sine commendatitiis sui Episcopi.

quia, ait, *veritas rei nonnunquam obscuratur mutatione Provinciæ, decretum est sacris Canonibus, ut* peregrini, *nisi quinque, vel eo amplius suorum Episcoporum fuerint commendati chirographis, non ordinentur.*

In hujus disciplinæ probationem profert Canonem apocryphum sub nomine Sylvestri Papæ generali Concilio præsidentis: item alterum ex epistola Anastasii Papæ I. (quam adulterinam esse agnoscunt eruditi, & in nota marginali monuit Labbeus *tom. 2. Concil. General. col* 1191.) quibus edicitur: *Transmarinos homines in clericatus honorem nemo suscipiat*, *nisi* quinque, aut eo amplius Episcoporum chirographis sint designati.

Addit & Canonem ex epistola 25. lib. 2. sancti Gregorii ad Squillatinum Episcopum, qua simpliciter monetur hic Episcopus, *ut passim Afros, vel incognitos peregrinos ad Ecclesiasticos ordines tendentes nulla ratione suscipiat.*

Subjungit & Canonem 24. Eliberitanum, quo prohibentur ad clerum promoveri, qui *peregrè* fuerint baptizati, eò quòd eorum minimè sit cognita vita.

His decretis ex S. Gregorio & Synodo Eliberitana relatis conformis est disciplina plurimis Synodorum decretis roborata, de non admittendis clericis sine proprii Episcopi *commendatitiis* literis, de qua disciplina vide dicta in *Jure Eccles. Parte* 2. *tit.* 5. *cap.* 9. item *tit.* 9. *cap.* 3.

DISTINCTIO XCIX.

De Primatibus primarum Ecclesiarum hic à Gratiano adducta apocrypha sunt.

PArte prima hujus distinctionis agit Gratianus de Primatibus, hisque deberi obedientiam ab Archiepiscopis, probat unico fragmento ex pseudo-decretali Anacleti Papæ desumpto, hocque integrum repeti à Gregorio VII. *lib.* 6. *Epist* 35. monent Correctores Romani. Nec mirum: ea enim ætate, earum decretalium auctoritas nec in dubium revocabatur, & à Romanis Pontificibus ut authenticæ assumebantur, ut sæpius ostendi.

Parte secunda asserit, non vocandos Primates, nisi qui primas sedes tenent, citato testimonio Aniceti Papæ ad Episcopos Galliæ. At nôrunt hodie eruditi, decretalem, quæ sub nomine hujus Pontificis extat, & è qua hoc fragmentum est sumptum, esse è fœtidis pseudo-Isidori mercibus, non secus ac decretalem Anacleti.

Ex his equidem Romani Pontifices asseruerunt sibi auctoritatẽ erigendi Ecclesias primatiales.

Interim auctoritate harum decretalium Gregorium VII. aliosque Romanos Pontifices sibi vindicâsse auctoritatem instituendi *Ecclesias primitiales*, etiam cum jurisdictione & auctoritate super Ecclesias Metropolitanas ostendi in supplemento ad *Jus Eccles. Parte* I. *tit.* 19. *num.* 17.

Adjungit his Gratianus Canonem Africanum, quo cavetur, ne primæ sedis Episcopus vocetur *Princeps Sacerdotum*, vel *summus Sacerdos*, de quo vide Tractatum sæpe citatum *Parte* 2. *cap.* 2. §. 5. *ad Canonem* 39. *codicis Africani.*

Romanis Pontificibus attribuendus non est titulus universalis Episcopi.

Tertia parte prædictam prohibitionem extendit ad Romanum Pontificem dicens: "*Universalis* autem nec etiam Romanus Pontifex appellatur. Citat hanc in rem fragmentum epistolæ Pelagii II. Papæ, quam inter merces pseudo Isidori reponendam censet Labbeus in novissima Conciliorum editione, & probat R. P. Papenbrochius in Propylæo Maii.

Huic adjungit Gratianus certius testimonium ex *epist.* 30. *lib.* 7. *indict.* 1. S. Gregorii ad Eulogium Episcopum Alexandrinum, in qua conqueritur, quod in præfatione litterarum Eulogii ad ipsum, *superbæ appellationis verbum universalem*, ait, *me Papam dicentes, imprimere curastis.* Quantopere similia superba nomina hic sanctissimus Pontifex exhorruerit, integra epistola evincit, cui addi possunt *epist.* 32. 34. 36. & 38. *lib.* 4 in quibus alter conqueritur de usurpato ab Episcopo Constantinopolitano *universalis Episcopi* titulo.

Non dubium, quin hic sanctissimus Pontifex non minore zelo eos redarguisset, qui ipsum reipsa universalem Episcopum esse asseruissent, quam qui ei nudum titulum & nomen attribuebant; hinc & ætate S Gregorii & multis post ipsum temporibus inauditum fuit, Pontificem Romanum obtinere jurisdictionem Episcopalem in omnibus Ecclesiis; eamque non secus ac proprium Ecclesiæ cujusque Episcopum exercere posse; quod sanè est idem ac ipsum constituere Episcopum universalem, uti latius exposui in supplemento ad partem 2. *Juris Eccles. tit.* 7. *cap.* 5. *num.* 10.

DISTINCTIO C.

De ornamento, quod hodie vocatur Pallium.

HAc distinctione agit Gratianus de ornamento Archiepiscopali, quod hodie *pallium* vocatur; multis in hanc rem relatis fragmentis ex epistolis S. Gregorii, cujus temporibus usum Pallii in Ecclesia Latina receptum fuisse, atque ad certa tempora usum ejus restrictum constat, uti notavi in *Jure Eccles. Parte* 1. *tit.* 10. *cap.* 5.

Nonnulla apocrypha à Gregorio VII. ut authentica impensa sunt.

Quæ autem Gratianus addit Canone 1. sub nomine Pelagii & Canone 4. sub nomine Joannis Episcopi parum authentica sunt, uti in supplemento *Juris Eccles. Parte* 2. *tit.* 19. *cap.* 5. dictum est, atque ibidem notavi, Gregorium VIII. hæc decreta tanquam authentica antiquitatis monumenta impendisse, ut argueret Archiepiscopum Rhotomagensem, quod contra Patrum constituta attentâsset, eò quòd ordinationes fecisset ante acceptum Pallium.

DISTINCTIO CI.

De non ordinandis duobus Metropolitis in eadem Provincia.

TAndem primam operis sui partem claudit Gratianus hac distinctione, unicum Chalcedonensis Concilii Canonem 12. recitans de non ordinandis duobus Metropolitis in una Provincia; pro cujus intellectu consulendus sæpe dictus Tractatus parte 3. cap. 3. §. 6. ad dictum Canonem Chalcedonensem.

BREVIS

BREVIS COMMENTARIUS AD SECUNDAM PARTEM DECRETI GRATIANI.

Hæc secunda pars decreti Gratiani continet 36. Causas & singulæ Causæ suas Quæstiones.

Quid nomine Causæ intelligatur.

PORRO *Causæ* sunt quasi totidem hypotheses, sive casûs positiones; è quibus varias quæstiones format & proponit quas frequenter in utramque partem, allegatis Canonibus, aliisque auctoritatibus discutit, suam deinde sententiam depromens.

CAUSA I.

Casus de simonia in hac causa propositus.

PRoponit Gratianus causa prima hunc casum, *Quidam habens filium, obtulit eum ditissimo cœnobio: exactus ab Abbate, & à fratribus, decem libras solvit, ut filius susciperetur, ipso tamen, beneficio ætatis: hoc ignorante. Crevit puer & per incrementa temporum & officiorum ad virilem ætatem & sacerdotii gradum pervenit. Exinde suffragantibus meritis in Episcopum eligitur, interveniente obsequio, & paternis precibus; data quoque pecunia cuidam ex Consiliariis Archiepiscopi consecratur iste in Antistitem, nesciens paterni obsequii & oblatæ pecuniæ. Procedente verò tempore nonnullos per pecuniam ordinavit; quibusdam verò gratis benedictionem sacerdotalem dedit: tandem apud Metropolitanum suum accusatus, sententiam in se damnationis accepit.*

Hoc casu proposito septem exinde quæstiones format, atque singulatim proponit & discutit.

Quæst. I. Utrum emere spirituale sit peccatum. Gratianus à proposita quæstione recedit.

Primam ex hoc casu seu causa formatam quæstionem proponit his verbis: *An sit peccatum emere spiritualia?*

Verùm advertendum, quòd Gratianus frequenter à proposita quæstione recedat, & ad alia divertat, uti vel hæc quæstio ostendit: si enim textus & expressio quæstionis attendatur, id unum quærere videtur Gratianus; *Utrum peccatum sit emere spiritualia?* At si attendantur, quæ in discussione & resolutione quæstionis adducit, apparebit, nihil ab ipso allegari, quo probetur, quòd sit peccatum emere spiritualia; neque eum id adstruere voluisse; sed supposuisse, emere spiritualia, esse peccatum; & quidem simoniæ.

Hinc sub initium quæstionis Canone 1. profert fragmentum sub nomine S. Leonis, præfixo hoc summario: *Simoniaci gratiam non præstant, quam vendere quærunt.*

Quis sit ille Leo, sub cujus nomine hoc fragmentum hic refertur, non exprimit. Hoc unum notant Correctores Romani: "Simillima primis verbis hujus capitis habentur in epistola Leonis I. Nicetæ Aquileensi Episcopo scripta, quæ est 84. loquens enim de gratia ait: *Quæ nisi gratis detur, non est gratia, sed merces.* Reliqua apud ipsum non sunt inventa.

In hac epistola, quæ in editione Quenelliana est 129. hoc fragmentum non reperitur; ut proinde S. Leoni non videatur adscribendum & verba, quæ hic recitant Correctores Romani, id unum significant; quòd Gratia à Deo gratìs detur sine præcedentibus meritis.

De gravitate peccati simoniæ.

Post hæc plures adfert auctoritates, quibus probare nititur, crimen simoniæ inter omnia crimina esse *gravissimum*; notatque hic antiquus glossographus, eam fuisse Gratiani de crimine simoniæ opinionem, atque idcirco hanc partem sui decreti, in qua de criminibus agere intendebat, ab hoc crimine simoniæ inchoâsse.

Quidquid sit de hac Gratiani opinione; & an *in se* hoc crimen sit inter omnia *gravissimum*; hoc nihilominus indubitatum est, esse admodum grave crimen, & Ecclesiæ perniciosissimum, uti ostendi in *Jure Eccles. Parte 2. tit. 30. cap. 1.*

Illud quoque fatendum est, auctoritates per Gratianum adductas evincere, simoniæ vitium semper fuisse reputatum grave & Ecclesiæ perniciosum; quamvis negare non possit, inter adducta à Gratiano esse nonnulla mutilata, & aliis auctoribus attributa, vel etiam in alium sensum à mente auctoris applicata, uti vel ex notis Correctorum Romanorum constat.

Unde petenda gravitas simoniæ.

Inter alia, notanda verba S. Gregorii subjecta eis, quæ ex ipso refert Gratianus Canone 4. *Quid scilicet (ait Gregorius) quid per hoc aliud agitur, nisi ut nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla sit de vita discussio, sed ille solummodo dignus, qui dare pretium suffecerit.*

Meritò hic observanda est nota apposita ad Canonem 10 quem refert Gratianus sub nomine Calixti Papæ cum hoc summario: *Nec ordinari, nec promoveri in Ecclesia Dei per pecuniam aliquis valet.*

Huic Canoni hæc nota additur: *Est Calixti*

Investitura Episcoporum olim ab Imperatoribus datæ, ut simoniacæ arguuntur.

lixti II. qui paulò ante Gratianum vixit, & aliquot Conciliis à se habitis contra simoniam & investituras Ecclesiarum, quas Germanici Imperatores usurpaverant, multa decrevit.

Nequaquam obscurum est, quin Correctores Romani hic loquantur de investituris Episcoporum, super quibus sæculo XI. summa fuit contentio inter Romanos Pontifices & Imperatores. Satis insinuant præfati Correctores, has investituras tanquam *simoniacas* fuisse reprobatas, & ab Imperatoribus Germanicis usurpatas; uti & prætendebant Gregorius VII aliique ejus Successores. Verùm eas nec in speciem *simoniacas*, neque usurpatas, sed sibi ab antiquo, jure regaliæ, competiisse prætendebant Imperatores; uti latiùs ostendi in supplemento ad *Partem* 1. *tit.* 13. *cap.* 3.

An simoniaci Sacramenta conferre queant.

Post hæc supponens Gratianus, sufficienter probatum simoniæ crimen inter omnia esse gravissimum; atque simoniacos æquè ac hæreticos & schismaticos esse privatos omni gratiâ Spiritûs sancti; imò esse extra Ecclesiam, discutit latè hanc quæstionem; utrum simoniaci, & hæretici, & similes extra Ecclesiam positi, possint validè & cum effectu Sacramenta administrare? multis autem utrimque auctoritatibus allatis, præsertim sancti Augustini contra Donatistas, quibus probat, Sacramenta etiam à malis ministris administrata suum ex virtute Spiritûs sancti habere effectum, in his, qui ea dignè suscipiunt; varia distinctione & explanatione Canones in speciem contrarios conciliare conatur: atque præ cæteris notanda distinctio & assertio allata parte 6. post Canonem 39. qua distinguit Sacramenta *necessitatis*, sive ad salutem necessaria, à Sacramentis *dignitatis*, seu ad salutem non necessariis.

Sacramentum aliud necessitatis, aliud dignitatis.

Discrimen inter utrumque.

Illa, quæ necessaria sunt, quia, ait, iterari non possunt, cùm sint vera, auferri vel amitti non debent; sed cum pœnitentia rata esse permittuntur: illa verò Sacramenta, quæ sunt dignitatis, nisi dignè fuerint administrata; ita ut digni dignè à dignis provehantur, dignitates esse desinunt, non ut minuatur veritas Sacramenti; sed ut cesset officium administrandi, vel loco, vel tempore, vel promotione; id est, impediatur administratio certo loco, vel in perpetuum vel ad certum tempus, vel denique ad altiora impediatur promotio.

Sed notari meretur, quòd Sacramentum *dignitatis* hic reputet Sacramentum Ordinis; dicatque: *Hoc solum, non solum pro culpa, sed etiam pro intrinseca perfectionis prærogativa, ut bigamis, vel viduæ maritis, vel illiteratis, vel corporis qualibet parte vitiatis denegatur: quibus tamen Baptismus vel Eucharistia non negatur.*

Hæc post Canonem quadragesimum secundum, ac dein, interposito Canone quadragesimo tertio ait: *Solicitè notandum est, quòd Sacramentum sacerdotalis promotionis præ cæteris omnibus magis accuratè, & dignè dandum vel accipiendum est; quia nisi ita collatum fuerit ritè perfectum. Cætera enim Sacramenta unicuique propter se dantur, & unicuique talia fiunt, quali corde vel conscientiâ, accipiuntur. Istud solum non propter se solum sed propter alios datur: & ideo necesse est, ut vero corde, mundaque conscientia, quantum ad se, sumatur; quantum ad alios vero, non solum sine omni culpa, sed etiam sine omni infamia propter scandalum fratrum: ad quorum utilitatem non solum ut præsint; verum etiam ut prosint, sacerdotium datur.*

An in administratione Sacramentorum aliquid temporale recipi possit.

Canone nonagesimo nono & seqq. probat Gratianus, in administratione Sacramentorum per Sacerdotes, nihil temporale esse exigendum; profertque Canone centesimo primo decretum Concilii Toletani XI. quo severissimè interdicitur, ne pro baptizandis consignandisque fidelibus, aut collatione Chrismatis, vel promotionibus graduum pretia quælibet, vel præmia suscipiantur, addita tamen hac clausula: *Nisi voluntariè oblata.*

Porro notant Correctores Romani, quòd in Codice Regio absit dictio ista, *nisi*; ita ut in iis casibus voluntarias etiam oblationes prohibeat.

Interim hæ voluntariæ oblationes tandem admissæ fuêre: cui forsan hoc decretum, prout apud Gratianum legitur, aliquid contulisse potuit. Videri possunt, quæ de his voluntariis oblationibus, & quæ in his cavenda sunt, notavi in *Jure Eccles. Parte* 2. *tit.* 1. *capite* 3.

Quandonam committatur simonia ob munus linguæ.

Agit & hac quæstione Gratianus breviter de triplici munere, cujus interventu simonia contrahitur: cumque ad calcem Canonis centesimi vigesimi ex S Gregorio retulisset, ipsum ad supplicationem aliquorum acolythum & diaconum ordinâsse, monet post Canonem centesimum vigesimum secundum, *quòd non* quorumlibet precibus *ordinationes factæ falsæ dijudicentur*; *sed hæ demum* (ait) *quæ precibus ordinandi, vel ejus amici non spirituali, sed carnali affectu porrectis fiant: cùm aliàs futuræ non essent, quas non charitas interveniens, sed ambitio supplicans extorquet.*

Quæst. 2. *Utrum pro ingressu monasterii pecunia exigi possit.*

Quæstione secundâ quærit Gratianus: *An pro ingressu monasterii pecunia sit exigenda, vel exacta persolvenda?*

Intermiscet autem & hanc quæstionem: *An, quibus sua sufficiunt, Ecclesia alimentis sustentandi sint*

Qui divites de Ecclesiæ proventibus possint accipere; & qui non.

Posteriorem difficultatem ad calcem Canonis septimi hac distinctione solvit; scilicet *non prohiberi ab Ecclesia suscipi illos, qui quondam fuerunt divites; postea verò omnia reliquerunt, ut Petrus, & Matthæus & Paulus, aut pauperibus distribuerunt, ut Zachæus, aut Ecclesiæ rebus adjunxerunt, sicut illi, qui prædia sua vendentes ponebant pretia ante pedes Apostolorum, ut essent omnia communia: sed illi, qui in domibus parentum residentes, vel sua relinquere nolentes, Ecclesiasticis facultatibus pasci desiderant.*

Hanc suam distinctionem probat præcipuè Gratianus auctoritate Juliani Pomerii *de vita contemplativa*, quem credidit fuisse *Prosperum*, & plura ex his libris sub nomine *Prosperi* adducit.

Adducit & Canone sexto fragmentum epistolæ Hieronymi ad Damasum Papam, quam ut supposititiam passim rejiciunt eruditi, ut supra notavimus. Sententia tamen hic relata vera est, & in Concilio Aquisgr. an. 816. probata, uti ostendimus in *Jure Eccl. Parte* 2. *tit.* 32. *cap.* 5. & pluribus hanc sententiam adstruximus.

Ad

Simonia-cum est aliquid exigere ab ingre-dientibus religio-nem.

Ad priorem quæstionem sub finem respondet ita simpliciter concludendo: *Multorum auctoritatibus luce clarius constat, quod ab ingressuris monasterium non licet pecuniam exigere, ne & ille, qui exigit, & ille, qui solvit, simoniæ crimen incurrat.*

Cùm hanc conclusionem luce clarius in Canonibus fundatam sciret Gratianus; unum duntaxat testimonium retulit Canone 2. sub nomine Bonifacii urbis Romæ Episcopi scribentis omnibus Calaritanæ Ecclesiæ cœnobiis. Sed nullibi hæc epistola Bonifacii reperitur. Monent autem Correctores Romani, quòd B. Thomas citet hoc caput 22. *Quæst.* 100. *in fine articuli* 3. & rem, quam ibi tractat, sola hujus capitis auctoritate constituat.

Tempore S. Thomæ Gratianus erat maximæ auctoritatis.

At quàm parum ponderis sinceritati hujus decreti accedat per hanc à D. Thoma factam citationem, intelliget, qui attenderit ætate S. Thomæ, eam fuisse decreti Gratiani auctoritatem, ut authenticum crederetur, imo quasi pro lege Ecclesiæ haberetur, quidquid huic decreto esset insertum, & qui attentè legerit opera, ac signanter summam S. Thomæ, deprehendet, plurima ab eo tanquam authentica, & pro conclusionum suarum fundamento ex decreto Gratiani assumi, quæ hodie ab omnibus ut apocrypha rejiciuntur; quin & Patrum fragmenta referri, non ut in ipsis Patribus, sed prout apud Gratianum mutilata extant: ut non obscurum sit, hunc S. Doctorem multum decreto Gratiani usum: quemadmodum & Pontifices illius temporis, signanter Alexandrum III. & Innocentium III. usos esse scitur.

Cæterùm de utraque conclusione Gratiani hac quæstione formata plura dixi in *Jure Eccl. Parte* 1. *tit.* 26. & *Parte* 2. *tit.* 32. *cap.* 5.

Quæst. 3. *Emens temporalia spiritualibus annexa simoniacus est.*

Hæc quæstio ad calcem causæ hujus sive casus proponitur his verbis: *An ingressum vel præbendas Ecclesiæ emere sit simoniacum?*

Quare hanc quæstionem proposuerit & quid potissimum in ea probare intendat, apertè in proœmio quæstionis exponit dicens: *Sed ad hæc objicitur, quod qui ingressuri monasterium pecunias tribuunt, non propositum religionis, sed participationem stipendiorum Ecclesiæ emunt. Temporalia ergo non spiritualia ementes, nequaquam simoniaci habendi sunt. His itaque respondetur: non solum, qui spiritualia, sed etiam, qui temporalia eis annexa pretio accipiunt, vel tribuunt, simoniaci judicantur.* Unde Malachias loquens ex persona Domini: *Quis est*, inquit, *in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito, non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non accipiam de manu vestra.* Ostia claudere non est sacri muneris officium, sed tantùm sibi adjunctum.

Itaque hac quæstione ostendere vult Gratianus, quod qui *præbendam*, sive *temporalia* ingressui in monasterium, sive beneficio Ecclesiastico annexa emit, etiam ipsum ingressum vel beneficium emat.

Pluribus auctoritatibus hanc suam solutionem & conclusionem confirmat; atque præ cæteris auctoritate Paschalis Papæ in Canone 7. ubi vulgaris & recepta hæc regula assumitur: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

Hac occasione plura decreta adfert Gratianus contra venditores beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum, quæ spiritualibus dumtaxat videntur annexa; atque inter alia refertur Canone 4. famosum ac vexatum decretum sub hac epigraphe: *Ex Concilio Urbani II. Papa habito Alverniæ*, contra redemptiones altarium. Pro cujus intellectu & historia consule Stephanum Baluzium in notis ad hunc Canonem, ubi inter alia conatur ostendere clausulam hanc: *Salvo utique Episcoporum censu annuo, quem ex eisdem altaribus habere soliti sunt*, esse revera à Concilio additam. Vide eundem in appendice ad *lib.* 6. *cap.* 31. de Marca *de concordia Sacerdotii & Imperii*, & notas ipsius de Marca ad hunc Canonem 7. Claromontanum; & notas Gabrielis Cossartii in eundem Canonem, insertas *tom.* 10. *Concil. General. col.* 590. & plura circa intellectum hujus Canonis notavi in dissertatione *de pristinis altarium incorporationibus*; quæ unà cum reliquis opusculis extat *tom.* 2. *operum in edit. anni* 1729.

Quæst. 4. *An simonia commissa à patre inficiat filium ignorantem?*

Ad calcem causæ seu casûs à Gratiano ita proponitur quæstio quarta: *An iste sit reus criminis, quod, eo ignorante, pater admisit?*

Occasio proponendi hanc quæstionem fuit quòd in casu proposito supponatur, quòd pater, filio omnino ignorante, pro ejus in monasterium ingressu fratribus decem libras solvisset.

Pro hujus quæstionis solutione profert primùm plures auctoritates, quibus videtur probari, quòd *ignorantia* illum excuset, nullumque crimen maculet ignorantem, nec alium aliorum peccatum gravet.

Post hæc in contrarium adducit exempla ex sacro textu, quibus ob paternum crimen etiam posteri puniti fuisse leguntur: ac tandem ad calcem Canonis 11. concludit: *Sed his exemplis non probantur teneri peccato aliorum, nisi imitatores nequitiæ eorum. Quicunque enim de semine Esau & cæterorum ad Deum conversi, paternam malitiam detestati sunt, non odium, sed Dei clementiam experti sunt.*

Quæ ignorantia excuset?

Circa ignorantiam, an excuset, post Canonem 12. notat esse distinguendum: *Est enim*, ait, *ignorantia, alia facti, alia juris. Facti alia est ejus facti, quod oportuit eum scire: alia, quod non oportuit eum scire.* Prior neminem excusat, secus posterior.

Item ignorantia *juris*, ait, alia *naturalis*, alia *civilis*. Juris naturalis (pergit) *omnibus adultis damnabilis est.* Jus verò *civile* aliis permittitur ignorare, aliis non: quod postremum ibidem pluribus ostendit.

Hic evidenter supponit Gratianus, ignorantiam juris naturæ, peccantem contra jus naturæ nunquam in totum excusare.

Quæst. 5. *An simonia commissa à patre filio ignorante possit hunc impedire in functione Ecclesiastica?*

Cùm igitur paternum crimen filium gravare non videatur: quærit ulteriùs Gratianus *Quæstione quinta:* " An liceat ei esse in Ecclesia, vel fungi ea ordinatione, quam paternâ pecuniâ est assecutus? Primò refert decretum Concilii Placentini vel Romani sub Urbano II. ubi hi, qui, cùm adhuc *parvuli* essent, cupiditate parentum per pecuniam Ecclesias adepti sunt, postquam, ait, eas omnino dimiserunt; si *canonicè* in eis vivere voluerint, *pro magna misericordia ibidem esse conceditur; neque pro hoc facto à sacris ordinibus removentur, si aliàs digni inveniantur.*

„Illi verò (pergit) qui per seipsos, cùm jam „majoris essent ætatis, nefanda ducti cupiditate, „eas emerunt, si in aliis Ecclesiis *canonicè* vivere „voluerint, servatis propriis ordinibus, pro

 „magna

„magna misericordia ibi eos ministrare permittimus. Quod si ad alias fortassis transferri non potuerint; & in eis canonice vivere promiserint, minoribus ordinibus contenti ad sacros ordines non accedant. Salva tamen in omnibus Apostolicæ sedis auctoritate. Hæc finalis clausula recentiorem prodit disciplinam.

An adeptus beneficium per simoniam paternam, possit in eo permanere, etiam post quam detecta est simonia.

Hoc relato decreto, necnon fragmento epistolæ ejusdem Urbani ad Vitalem presbyterum, concludit Gratianus: *Ex hac itaque auctoritate, colligitur, quod* ignorantia *tales excusat à reatu criminis, ut supra dictum est, non à fructu* emptionis; *cum in Ecclesiis, quas parentum pecunia adepti sunt, non nisi postquam eas omnino dimiserint,* & ex *misericordia ibidem eis esse conceditur. In quo patet, quod etsi illis ignorantibus, simoniæ peccatum sit admissum, fructum tamen paternæ emptionis reportare non possunt. Quod vero à crimine excusentur hinc patet, quia pro hoc facto à sacris ordinibus non removentur: si enim illius criminis participes essent, ad sacros ordines conscendere non possent.*

Hinc ulterius conficitur, non dubitasse Gratianum, quin secundum Canones dimittere deberet Ecclesiam, qui eam simoniace, licet ignoranter, esset ingressus: nec nisi *misericorditer* in ea permittendus sit; modo canonice, id est *regulariter*, sive in communi, juxta regulas canonicorum, vivere vellet. Vide quæ de hac disciplina fusius deduxi in *Jure Eccles. Parte 2. tit.* 30. *cap.* 7.

QUÆSTIO VI. *Æque simoniacus est dans pecuniam pro electione, ac si daret pro ipsa consecratione.*

Hac quæstione quærit Gratianus “de illis, qui non pro ordinatione pecunias offerunt, sed pro electione; vel ut decretum electionis fiat, vel ut subscriptione firmetur, vel ut electioni non resistatur, aliquibus præmia largiuntur: an eorum electio vitiosa sit judicanda?

Deinde subjungit: “Non enim videntur Spiritûs sancti donum emere, qui non pro consecratione, sed pro electione munera largiuntur, cum nullius spiritualis gratiæ aliquos faciat electio participes.

Verum Gratianus hunc prætextum rejiciens, ait: *Sed sicut Ecclesiasticarum rerum emptores simoniaci judicantur, quia Ecclesiasticis officiis ita adjuncta sunt, ut alterum sine altero alicui non proveniat: ita quia per electionem venitur ad consecrationem, perinde simoniacus habetur, qui pro electione præmia largitur, ac si pro consecratione munera dedisset.*

Hanc suam conclusionem pluribus auctoritatibus adstruit Gratianus; nec ab ullo in dubium revocatur: quin enim similes dantes aut accipientes sint simoniaci nemo dubitat.

QUÆSTIO VII. *An ab hæresi reversi ad sacros ordines sunt recipiendi?*

Cum Gratianus supponat crimen simoniæ esse gravissimum, quin & simoniacos reputaverit *hæreticos*; mirum videri non debet, si quæstionem septimam hujus causæ (in qua de simonia tractat) his verbis proponat: “An renuntians suæ *hæresi* sit recipiendus in Episcopali dignitate?

Pro hujus quæstionis resolutione refert hîc Gratianus, quæ tum à Patribus tum à synodis, ac notanter à synodo VII. dicta & decreta fuerunt, de redeuntibus ab hæresi aut schismate, utrum in suis ordinibus essent recipiendi, vel post actam pœnitentiam ad sacros ordines promovendi.

Decretū synodi VII. *à Gratiano non recte relatum, à Correctoribus Romanis Restitutum.*

Porro circa relata, patrum, & synodorum fragmenta merito attendendæ annotationes Correctorum Romanorum; ac signanter ad fragmentum sub nomine synodi VII. relatum Canone 2. in hoc enim fragmento legitur: *Nullum tamen eorum, qui ante baptismum peccavit, sacerdotibus annumeratum scio:* Hic notant Correctores ad verba, *ante baptismum*; “Hoc quidem loco perspicue erratum est, quod auctori glossæ negotium exhibuit. Deinde monent in originali ita legi: “Neminem vero horum in sacerdotio annumeratum, nisi si forte *ante baptismum* hoc admisit.

Simoniaci quasi hæretici irreparabiliter à sacris muniis deponuntur, nisi ex misericordia hic rigor mitigetur.

Interim ex relatis auctoritatibus tandem Parte 3. ad calcem Canonis 4. concludit Gratianus, quod his auctoritatibus simoniaci *irreparabiliter damnari jubeantur.*

Subjungit autem Parte 4. mitigationem: *Nisi rigor disciplinæ quandoque relaxetur, ex dispensatione misericordiæ.*

Hac occasione ostendit hic Gratianus quando & qua moderatione Prælati Ecclesiæ interdum pro *necessitate* vel *utilitate Ecclesiæ* incertis casibus de rigore Canonum aliquid relaxare queant.

Regula in hac mitigatione servandæ, & à Gratiano propositæ merito in annuenda dispensatione attendendæ.

Optandum esset, ut Canones & Patrum dicta hîc à Gratiano relata attentius expenderentur contra hodiernam dispensandi facilitatem: non enim solum pateret summam in relaxando Canonum rigore discretionem & moderationem esse necessariam; sed insuper omnem dispensationem, quæ hîc visitur, unice versari circa remissionem seu relaxationem pœnarum canonicarum ob Canones infractos; non autem circa veniam Canones infringendi: quam dispensationem multis sæculis ignotam fuisse notavi in *Jure Eccles. Parte 2. tit.* 14. *cap.* 1.

Porro de disciplina non recipiendi *simoniacos* ad sacras functiones, etiam *post actam pœnitentiam*, & quam parci olim fuerint Pontifices in relaxando hujus disciplinæ rigore, necnon de abusu pernicioso, quem facilitas hujus dispensationis hisce posterioribus sæculis invexit vide dicta in *Jure Eccles. Parte 2. tit.* 30. *cap.* 7.

CAUSA SECUNDA.

De ordine judiciorum.

SUb finem quæstionis septimæ, rationem transitus sui ad causam sequentem subjungit Gratianus dicens: *His breviter præmissis, ad ea veniamus, quæ Ecclesia severitate disciplina parata est ulcisci, ostendentes, quibus accusantibus, vel testificantibus quilibet sint convincendi, quo judice quisque debeat condemnari, vel absolvi: si causa vitiata fuit, quo remedio possit sublevari: si accusatores defecerint: an reus sit cogendus ad purgationem.*

Occasio proponendi hanc causam.

Et glossographus eandem connexionis rationem, ac summarie quid in hac causa tractetur, exponit: *In superiori causa actum est de crimine simoniæ & prius de eo, quod gravissimum* est; *sed quia crimina sine ordine judicario puniri non debent; ideo congrue hanc causam annectit, in qua de ordine judicario tractat, ostendens quod nemo condemnandus est, nisi convictus vel confessus; & quod spoliatus præter juris ordinem, sit restituendus, & qualiter puniantur, qui in accusatione deficiunt, qualiter objecta crimina non probata purgentur, & qualiter sententia relevetur per appellationem, & utrum laici admittantur ad accusationem clericorum, & qualiter sit accusatio facienda, &c.*

QUÆSTIO I. *An in manifestis sit necessarius ordo judiciarius?*

Itaque Quæstione I. quærit, “An in manifestis judiciarius ordo sit requirendus?

In

Nonnulla decreta apocrypha hic à Gratiano adducta.

In primis multis auctoritatibus probare vult, *Quod nullus sine judiciario ordine damnari valeat,* ut habet summarium quæstioni subjectum.

Inter allegata autem in hujus probationem occurrit Canone 4. decretum sub nomine *Eleutherii Episcopi ad Episcopos Galliæ:* quod decretum uti & integram epistolam suppositiciam esse eruditis hodie persuasum est.

Profert dein Gratianus Canone 5. fragmentum sub nomine *Felicis Papæ I. ad Paternum Episcopum:* notaturque in margine, priorem ejus partem haberi in epistola prima *Zepherini Papæ ad Episcopos Siciliæ*: monent insuper Correctores Romani, hæc verba *Apostolica freti auctoritate,* addita esse ex epistola Felicis & Zepherini: *Nam, inquiunt, damnari Episcopi sine consensu & auctoritate Romani Pontificis, nec tunc poterant, nec nunc possunt.*

Verum quidem est, in citatis epistolis allegata verba haberi: sed & constat, easdem epistolas decretales uno eruditorum consensu ad reprobas pseudo-Isidori merces rejici; quin & vel sola hæc verba à Correctoribus Romanis hic suppleta, earum suppositionem probant; quandoquidem expeditum sit, damnationem Episcoporum tempore horum Pontificum nondum fuisse Romano Pontifici reservatam, aut ejus consensum vel auctoritatem fuisse necessariam in damnatione Episcopi. Quin admodum verisimile est, hanc reservationem præcipuè ex his aliisque decretalibus primis Romanis Pontificibus falsò adscriptis, suam originem aut saltem progressum habere, uti in *Jure Eccles. Parte 3. tit. 3. cap. 4.* ostendi.

Ex his aliisque intelligimus, Correctores Romanos authenticas & sinceras reputâsse primorum illorum Pontificum epistolas pseudo-decretales.

Interim assertum Gratiani, nimirum nullum posse condemnari, aut censura perstringi sine ordine judiciario, verissimum est certisque auctoritatibus probatur. Hanc in rem notandus Canon 7. ex S. Gregorio; nec non Canon 11. & 12. ipsaque Gratiani conclusio, notanter ad calcem Canonis 17.

Quæst. 2. An expoliatus sit judicandus.

Hac quæstione quærit Gratianus: *An expoliatus ab aliquo sit judicandus? scilicet antequam restituatur.*

Sub initium autem quæstionis ait: *Quòd expoliatus ante judicem stare non debeat, multis auctoritatibus probatur.*

In hac quæstione à Gratiano adducta penè omnia sunt apocrypha, & quare.

De simili quæstione & materia vix reperiuntur, neque hic à Gratiano adducuntur authentica Ecclesiastica decreta ante inductam formam forensem fori sæcularis in forum Ecclesiasticum: unde nec mirum, plerasque auctoritates hac quæstione adductas fragmenta esse falsarum decretalium primis Pontificibus sæculo IX. suppositarum præter Canonem 2. qui præfert nomen Nicolai Papæ. Sed notat Antonius Augustinus *lib. 2. de emendat. Grat. Dial. 12.* hæc verba non esse Nicolai Papæ, sed Isidori Mercatoris in præfatione Conciliorum: quod & notârunt Correctores Romani in margine: neque extant in epistola hujus Pontificis; sed in sola allegata collectione decretorum Nicolai per Cochlæum tit. 3. cap. 6.

Quæst. 3. Qua pœna feriendi deficientes in accusatione.

Quæstione tertia inquirit Gratianus: "Qua „pœna feriendi sint, qui in accusatione deficiunt? plura tum ex falsis decretalibus, tum ex jure civili hic profert Gratianus; meritoque castigatur à Correctoribus Romanis, quòd simpliciter dicat: "Illi pro aliqua *promissione* deserunt accu„sationem, *semper veniam dari.* Illud non esse simpliciter verum notant, neque hoc probari testimonio S. Gregorii ibidem à Gratiano relati in Canone 6. ex verbis epistolæ ostendunt.

Quæst. 5.

Notandum, quòd Gratianus hic quæstionum propositarum ad calcem causæ, sive casus ordinem invertat, atque quæstionem quintam præmittat quæstioni quartæ.

An deficiente probatione reus cogendus sit ad probationem.

Itaque hac Quæstione V. ostendere vult, quòd deficientibus accusatoribus, reus non videatur esse cogendus ad purgationem: *Sicut enim, ait, rei possessor, deficiente actore, titulum suæ possessionis probare non cogitur, ita qui impetitur, ad innocentiam suam probandam cogendus esse non creditur.*

In primis pro fundamento hujus asserti ponit Gratianus, juramentum à Sacerdotibus non esse exigendum; idque prolatis tribus fragmentis pseudo-decretalis Cornelii Papæ ad Rufum Episcopum.

An sacerdotibus injungi queat juramentũ, quo se purgent.

Adjungit & Canonem 21. Concilii Triburiensis anni 897. quo statuitur: "Ut, si presby„ter contra laicum, vel laicus contra presbyte„rum habeat querimoniæ controversiam, Epis„copo præcipiente sine personarum acceptione „finiatur & laicus per juramentum, si necesse „sit, se expurget: presbyter verò *vice juramenti,* „per sanctam consecrationem interrogetur, quia „Sacerdotes ex levi causa jurare non debent: ma„nus enim, per quam Corpus & Sanguis Christi „conficitur, juramento polluetur? absit: cùm Do„minus in Evangelio Discipulis suis (quorum „vicem nos indigni in sancta gerimus Ecclesia) „dicat: *Nolite omnino jurare: sit autem sermo „vester,* EST, EST: NON, NON: *quod autem his abundantius est, à malo est.*

Sed cùm ex aliis deprehenderet Gratianus, Episcopos & Presbyteros de crimine aliquo infamatos, cogi interdum ad se purgandum, medio juramento, pro ratione conciliationis ad calcem Canonis 4. ait: "Verùm his auctori„tatibus non omnimoda juramenta prohiben„tur fieri à Sacerdotibus, sed tantùm *incauta,* „& ea, quæ pro qualibet causa temporali ju„dici offeruntur: cùm autem populari infa„mia Sacerdotes opprimuntur, tunc ad inno„centiæ suæ assertionem juramenta debent of„ferri.

Num hæc conciliandi ratio adductis auctoritatibus sat congruat, nescio; hoc certum est, vetitum esse exigere *incauta juramenta*; non tantùm à Sacerdote, sed etiam à quovis laico.

De varia purgationis specie.

Cùm autem hic incidisset mentio *purgationis canonicæ,* hac occasione tractat hic Gratianus de varia purgationis specie.

Meminit autem Gratianus purgationis faciendæ per *juramentum ad B. Petri corpus* Canone 6. ex epistola 23. *lib. 2. indict.* 10. S. Gregorii, cujus notas consule: occurrit & simile juramentum Canone 7. ex epistola ejusdem Pontificis præstitum à Menna Episcopo, qui similiter per hoc juramentum ab objectis criminibus se purgaverat. De hac & similibus formulis juramenti consulendus Cange in glossario Latinitatis, verbo, *jurare.*

De purgatione per juramentum. Error Gratiani.

Notandum autem, quod Gratianus relatis verbis citatæ epistolæ S. Gregorii, quibus significat Brunichildæ Francorum Reginæ, quod *Mennas* se mediante juramento *ad sacratissimum corpus B. Petri Apostoli* à sibi objectis criminibus pur-

purgâsset, subjungat tanquam ejusdem epistolæ & contextus verba; *Purgationem tamen ante te duobus sibi Sacerdotibus junctis, ubi accusator cessaverit, eundem ex se prabere tuo committimus arbitrio.* Quibus significatur, S. Gregorium purgationem Mennæ Episcopi commisisse arbitrio *mulieris*, scilicet Brunichildæ Francorum Reginæ, licet & prius se, medio juramento, coram Pontifice ad corpus B. Petri purgâsset.

Ad quæ reflectens glossographus verbo, *arbitrio*, ait: *Delegatur hic laico spirituale negotium. Fuit tamen, inquit, hic nimium Papaliter dispensatum, quod Episcopus expurgatus coram Papa, cogitur adhuc coram muliercula se expurgare.*

Verùm totam hanc periodum non reperiri apud S. Gregorium, dubiumque non esse, quin erratum sit vel à Gratiano, vel à librariis, notavit Antonius Augustinus *lib.* 1. *de emendat. Gratiani Dial.* 12. qui & præterea advertit: *Quod nostri interpretes dicere solent, ex verbis Gregorii probari coram Rege, vel Regina, vel alio saculari judice posse canonicam purgationem indici, falsum est.*

Similiter & correctores Romani monent, hic fuisse gravissimum errorem, atque quibusdam interpositis, quibus probant, hanc periodum esse fragmentum epistolæ Alexandri II. ad Raynaldum Episcopum Cumanum, concludunt: *Nihil loci relinquitur admirationi auctoris glossæ: nusquam enim Romani Pontifices hujusmodi causas mulieribus leguntur commisisse.*

Hic interim videmus, quomodo error Gratiani juris Canonici interpretes in errorem induxerit, atque ex errore opinio erronea invaluerit.

Refert & Canone 10. fragmentum epistolæ *Sixti III. ad Orientales Episcopos* agens de formula purgationis, qua se hic Pontifex purgâsse dicit coram Synodo; sed hanc epistolam (quæ integra extat *tom.* 3. *Concil. General. col.* 1263. esse spuriam passim agnoscunt eruditi, eique appingit hanc notam marginalem Labbeus: *Fidei admodum suspectæ; imo nullius.*

Adducitur dein Canone 11. initium epistolæ Alexandri II. Raynaldo Cumano Episcopo, de quodam Presbytero morte Episcopi infamato; rectèque post Antonium Augustinum advertunt Correctores Romani periodum, quæ incipit, *purgationem*, quam falsò adscriptam diximus S. Gregorio, partem esse hujus epistolæ Alexandri II. & huic Canoni debuisse annecti.

Suppositititium esse decretum Canone 14. Sylvestro Papæ assertum, etiam ipsi Correctores Romani agnoscunt, quorum notam consule.

Plura, præsertim ex literis S. Gregorii, refert de purgatione canonica, medio juramento; & Canone 16. refert decretum Hincmari Rhemensis, quo jubetur Presbyter, si mala fama de ipso exierit, & accusatores ac testes legales defuerint, *Secundùm decreta majorum cum denominatis sibi vicinis presbyteris, quos scimus se nolle pejerare, sacramento famam purget.*

Ratio inductæ purgationis per juramentum.

Ratio inductæ hujus purgationis redditur in eodem Canone: *Ne contra Apostolum infirmorum corda de mala fama presbyteri percutiantur, & ne vituperetur ministerium nostrum, neve securiores presbyteri existentes, licentius in peccata prolabantur.*

De purgatione vulgari per aquã

Meminit & hac quæstione Gratianus, non tantum canonicæ purgationis; sed & vulgaris per *aquam ferventem, & ferrum candens.*

ferventem vel ferrum candens.

Et quidem Canone 15. extat *Palea* sub nomine Concilii Triburiensis, ubi decernitur: *Quòd* nobilis *homo vel* ingenuus, *si in Synodo accusatur, & negaverit; si eum constiterit fidelem esse; cum duodecim ingenuis se expurget: si antea deprehensus fuerit in furto, aut perjurio, aut falso testimonio, ad juramentum non admittatur, sed (sicut qui ingenuus non est)* ferventi aqua, *vel* candenti ferro *se expurget.*

Hoc decretum sub nomine Concilii Triburiensis extat quoque in *cap.* 1. *de purgat. vulgari*, in prima decretalium collectione apud Antonium Augustinum cum his verbis: *ferventi aqua aut candenti ferro*; quæ omissa sunt à Raymundo in *c. IX. de purgatione canonica*; verisimiliter, quia tum contrarius usus obtineret quoad purgationes vulgares, innixus decretis hic à Gratiano contra eas purgationes adductis, & ab Alexan. III. & sequentibus Pontificibus probatis.

Et quidem periodo, quam Gratianus Canone 7. S Gregorio falsò adscripsit ut supra notatum est; quamque Alexandro II. attribuendam esse diximus, vetatur adhiberi; imò *Apostolica auctoritate prohibet firmissime* vulgarem *purgationem* ferventis *scilicet*, *sive* frigidæ *aqua* ignitique *ferri contactum, aut cujuslibet popularis inventionis.*

Reprobata purgatio vulgaris tanquam superstitiosa.

Hæc ipsa prohibitio evincit, hanc periodum non posse attribui S. Gregorio, cujus tempore hæ vulgaris purgationis species nondum invaluerant. At tempore Alexandri II qui sub medium sæculi XI sedit, similes purgationes in quibusdam Ecclesiis jam erant usitatæ, in aliis verò, præcipuè Romana, reprobabantur, ad quam ætatem & referendus Canon 20. relatus sub nomine Stephani V. qui interrogatus ab Humberto Episcopo Moguntino de usu purgationis per ferrum candens, aut aquam ferventem respondisse dicitur: *Ferri candentis vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorquere à quolibet, sacri non censent Canones, & quod SS. Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum.*

Nulla inter epistolas hujus Pontificis similis epistola reperitur: unde & suspectæ fidei habetur hoc fragmentum; cujus tamen auctoritate usus est Alexander III. in epistola ad Archiepiscopum Upsalensem, quæ est 19 in prima appendice epistolarum hujus Pontificis *tom.* 10. *Concil. General.* quem & subsequentes Pontifices secuti, hanc purgationis speciem tanquam superstitiosam damnârunt, ut pluribus ostendi in *Jure Eccles. Parte* 3. *tit.* 8. *cap.* 4.

De purgatione per sacram Communionem.

Occurrit & Canone 23. & 26. species purgationis per *sacram Communionem*; ac priore quidem Canone præcipitur: *Si contigerit in monasterio furta perpetrari, & qui hæc committant, ignorentur; & fratres ipsi de talibus se expurgare debuerint, missa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipse Abbas praceperit, præsentibus fratribus: & sic expleta missa omnes communicent in hac verba: Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie.*

Citatur hic Canon sub nomine Concilii Wormaciensis Canone 15. extatque reipsa similis Canon in Concilio Wormaciensi anni 688. quod integrum inseritur *tom.* 8. *Concil. General. columna* 942. At in Canone, pro his verbis: *Expleta Missa, omnes communicent in hac verba: Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie*, hoc modo legitur: *& sic in ultima Missa celebratione pro expur-*

purgatione suâ Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi percipiant, quatenus ita inde innocentes se esse ostendant.

Quidquid sit de hâc lectionum varietate, sat interim constat, usum purgationis per sacram Communionem probari, uti dicto Canone 26. qui similiter ex hoc Wormaciensi Concilio Canone 10. desumptus est; in quo licet aliqua legantur hic à Gratiano omissa, nihilominus sat apertè hæc probationis, sive purgationis formâ comprobatur.

Hinc titulus hujus Concilii in collectione Conciliorum ita exprimitur: *Concilium Wormaciense Provinciale ex parte* REPROBATUM: & ad relatum Canonem 15. appenditur hæc nota marginalis: *Hic Canon tanquam erroneus abrogatus est.* Et Antonius Augustinus *Lib. 1. de emendat. Gratia Dial.* 15. advertens ad citatos Canones; & agnoscens, quæ in his leguntur, esse revera in Conciliis, & apud Burchardum, ait: *sed hæc omnia sunt illorum temporum sordibus adscribenda.*

Cæterum de his purgationibus vulgaribus latius actum est in *Jure Eccles. Parte* 3. *Tit.* 8. *cap.* 4. ubi etiam notatum est, quàm altas radices in aliquibus Ecclesiis egissent similes purgationes; & quomodo in quibusdam locis usque ad ultima sæcula, saltem earum vestigia superfuerint. Harum & similium observationum superstitionem eruditè ac solidè recenter adstruxit quidam Presbyter Oratorii in libello Gallico impresso Rothomagi anno 1701. sub hoc titulo: *Histoire critique des pratiques superstitieuses &c.*

Quæstio IV. De numero testium in causa Clericorum.

Quæstione quartâ, quæ hic quæstioni quintæ postposita est, quærit Gratianus, quot testimoniis Episcopus sit condemnandus? adductis autem novi ac veteris Testamenti, necnon Concilii Bracarensis authoritatibus, concludit ad calcem Canonis 1. "*Ex præmissis itaque colligitur, quòd duorum, vel trium testimonio Episcopus convinci & damnari potest.*

Multa hic apocrypha & supposititia miscet Gratianus.

Verùm mox addit: *Porro Sylvester Papa in generali Synodo præsidens è contra dixit.* Tum immediatè subjungit Canone 2. fragmentum Concilii Romani, quod dicitur celebratum sub Sylvestro Papa I. in quo dicitur, quod *Præsul non damnatur, nisi cum 27. testibus: Presbyter autem Cardinalis, nisi cum 64. testibus non deponatur: Diaconus vero Cardinalis urbis Romæ, nisi cum 72. testibus non condemnabitur: Subdiaconus, acolythus, exorcista, lector, ostiarius, non nisi 7. testibus condemnabitur: testes autem & accusatores sine aliqua sint infamia.*

Ita legitur in antiqua Gratiani editione: at in Correcta Romana pro 64. legitur 44. *testibus*, & addita fuit post verba, *cum 72. testibus*, hæc periodus: *Nec Præsul summus à quoquam judicabitur, quoniam scriptum est:* NON EST DISCIPULUS SUPER MAGISTRUM: eam additam monent Correctores Romani *ex Concilio Romano sub Sylvestro*, & aliis locis ad marginem indicatis.

Error Glossographi circa Pontificem.

Porro glossæ authorem credidisse, hoc Canone non comprehendi *Romanum Pontificem*, certum est: nam ad nomen, *Præsul*, apponit hanc notam: "Id est, *Cardinalis Episcopus*: sed „nunquid contra *Papam* duplicabuntur testes? „non imo duo sufficiunt: & in hoc est deterio„ris conditionis; quia ipse sine comparatione „aliorum creatus est major: & ideo sine spe ve„niæ condemnandus est, ut diabolus.

Hoc dictum glossographi mirantur Correctores Romani, quasi Romanus Pontifex minori numero testium posset condemnari, quàm ostiarius: *Cum tamen*, inquiunt, *ipse Pontifex à generali saltem Præsulis nomine minimè esset excludendus.*

Eundem pene numerum testium in damnatione Episcopi requirit fragmentum Epistolæ Leonis IV. relatum hic à Gratiano Canone 3. de quibus testibus ibidem additur: *Qui prius ad sacra Christi quatuor Evangelia Sacramenta præstent, quod nihil falsum depromant: sicut nobis, inquit, beatus Sylvester tradidit, & Romana sancta videtur tenere Ecclesia.*

Quamvis moneant Correctores Romani, hæc finalia verba non legi in Epistola Leonis manuscripta, & ea deesse in editione Romana & codice Ms. Vaticano notavit Lucas Holstesius, nihilominus haud obscurum est, authorem hujus Epistolæ reflexisse ad hoc Concilium Romanum, quod esse ex confictis Isidori Mercatoris mercibus modo compertum est: notatque hìc Dandinus Alteserra: *Ea ibi decreta de numero testium, omnino esse diversa à sanctis Canonibus & legibus.*

Gratianus vero nihil de Concilii hujus suppositione suspicatus, ut hos Canones cum aliis authoribus conciliet, dicit: *Hoc vel speciali privilegio de Clericis Romanæ Ecclesiæ intelligitur, vel propter improbitatem quorundam, qui cum non sint spectatæ vitæ & scientiæ, ad accusationem ministrorum Dei repente prosiliunt. Quorum vero vita adeo laudabilis est, ut omnibus imitanda appareat, de quorum assertione nulla dubitatio nasci poterit, eorum testimonio duorum vel trium testium quilibet jure convinci & damnari poterit.*

Posterius membrum distinctionis hodie receptum est; atque testimonium duorum vel trium omni exceptione majorum adversus Clericos, etiam majores recipitur; uti & observat D. Hericourt in Analysi hujus quæstionis.

Quæstio VI. Gravatus per sententiam ab ea appellare potest.

Hâc quæstione ordinem judiciorum prosequens Gratianus quærit: *Quo remedio causa vitiata sublevetur, & si remedium illud sit dandum ei, qui causâ dilationis vocem appellationis exhibuerit?*

Sub initium hujus quæstionis tanquam indubitatum asserit: *Causa vitiata remedio appellationis sublevari potest.*

In probationem hujus asserti prioribus tribus Canonibus nonnulla adducit ex falsis Decretalibus sub nomine S. Fabiani & Anacleti, quorum tempore similes formulæ appellationis in judiciis Ecclesiasticis nondum erant notæ; ut vel hinc illarum Decretalium confictio & suppositio fiat manifesta.

Interim merito ad fragmentum sub nomine Anacleti relatum Canone 3. appenditur nota Correctorum Romanorum; ex qua intelligitur, nec has falsas Decretales semper referri à Gratiano, quemadmodum in collectione Isidori leguntur.

An ab omnibus possit appellari etiam immediatè, ad Sedem Apostolicam?

Post hæc progreditur inquirere, ad quem appellandum sit; nititurque ostendere, *ad Sedem Apostolicam* ab omnibus posse appellari; idque ex fragmentis falsarum Decretalium.

Occurrit hìc in primis Can. 4. fragmentum sub nomine Sixti Papæ, cui hoc sumarium præfigitur: *Quisquis pulsatus fuerit, Apostolicam Sedem appellet:* & Canone 5. fragmentum Decretalis

cretalis sub nomine ejusdem Sixti Papæ cum hoc summario: *In gravioribus causis pullati Apostolicam Sedem appellent:* & rursus Canone 6. ex falsa decretali Marcelli Papæ sub hoc summario: *Ab omnibus appelletur ad Romanam Ecclesiam.*

Plura ad adstruendam hanc appellandi libertatem ad Sedem Apostolicam ex hisce falsis decretalibus adducit sub nomine Victoris, item Severini Papæ Canone 7. & 8. item Canone 9. & 10. sub nomine Julii Papæ; inter quæ notandus Canon 10. ex falsa decretali Julio I. supposita, in qua hæc leguntur: *Ideo huic sanctæ Sedi præfata privilegia specialiter sunt concessa, tam de congregandis Conciliis & judiciis, ac restitutionibus Episcoporum, quam etiam de summis Ecclesiarum negotiis, ut ab ea omnes oppressi auxilium, & injustè damnati restitutionem sumant: & talia ab improbis ne præsumantur absque ultione, nec exerceantur absque damnatione.*

Ex hoc fragmento decretalis, & illud intelligitur; quod non tantum Sedi Apostolicæ diceretur assertum jus appellandi ad eam; sed etiam jus congregandi Concilia, & restituendi Episcopos; quod & tandem authoritate harum decretalium à Gratiano relatarum quasi primatui Sedis Apostolicæ annexum, notanter ab Ultramontanis receptum esse scitur.

Imo in decretalibus per Gratianum adductis evidenter asseritur, ab omni judice inferiori, etiam omisso medio, puta à sententia Episcopi, Metropolitano, Primate, aut Patriarcha omisso, posse immediatè ad Sedem Apostolicam appellari.

Porro cum authoritate harum decretalium circa sæculum X. & XI. hæc appellandi libertas ad Sedem Apostolicam ubique pene admissa esset; Gratianus hoc jus appellandi, quod jam suâ ætate admissum erat, & nihil de falsitate harum decretalium suspicatus, illud quasi ex traditione Apostolica descendere supponens, etiam quasi primatui Romani Pontificis esse annexum arbitratus est.

Canonem Africanum ineptè explicat Gratianus, ut illum ad sui temporis disciplinam detorqueat.

Proinde mirum videri non debet, Gratianum Canoni Africano, relato Canone 35. quo decernitur: nulli Clerico in Africa per Episcopos damnato ad transmarina judicia licitum esse appellare, appendisse hanc ineptam & insulsam clausulam: *Nisi forte Romanam Sedem appellaverit.* "Quasi vero Afri ad transmarina „appellare tentantes, ad alium, quàm ad Se„dem Apostolicam appellarent," uti rectè monet Severinus Binius ad Canonem 22. Milevitanum.

Quis enim nescit, Ecclesiæ Africanæ certissimam fuisse disciplinam, nequaquam admittendi appellationes Clericorum à suis respectivè Episcopis aut Synodis Africanis, ad transmarina judicia, etiam Romana; eamque acerrimè per Patres Africanos sæculo V. in causa Appiarii Presbyteri per suum Episcopum depositi fuisse propugnatam. Vide *Jus Eccles. Parte 3. Tit. 11. cap. 2.*

Itaque hoc Canone, expressa erat pristina disciplina Ecclesiæ Africanæ, plane conformis Canonibus Nicænis: Gratianus autem videns hanc disciplinam à disciplina sui temporis omnino alienam, credensque (ut jam diximus) ex traditione Apostolica descendere, authoritate falsarum decretalium Canonem hunc ad sui temporis disciplinam inflectere volens, eundem in in alienum plane sensum detorsit.

An, & quâ ratione appellationes ad Pontificem in Gallia & Belgio admissæ?

Similiter & hoc scitur, Episcopos Gallicanos, ac signanter Hincmarum Rhemensem has appellationes ægre admisisse; eas tamen urgentibus Pontificibus authoritate falsarum decretalium, tandem admissas fuisse, easque & hodie admitti, cum notabili nihilominus moderatione, uti quoad Belgium notavi in *Jure Ecclesiast. Parte 3. Tit. 10. cap. 1.* & quoad regnum Galliæ notavit Dom. Hericourt in Analysi hujus quæstionis.

Ex suppositiis Decretalibus attribuitur Pontifici plenitudo; aliis Episcopis pars tantum potestatis Ecclesiasticæ.

Quemadmodum in confictis Decretalibus sub nomine primorum Pontificum, multis adstruitur jus appellandi ad Romanum Pontificem à quorumcunque judicum Ecclesiasticorum sententia, etiam *omisso medio;* ita quoque confictor harum Epistolarum nonnulla intermiscuit, quibus declarat in Pontifice esse *plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ:* reliquos vero Episcopos esse duntaxat vocatos in *partem sollicitudinis,* sive potestatis, qualem Pontifices iis tribuere voluerunt: atque ita consequens sit, Pontificem esse ordinarium ordinariorum; proindeque ad ipsum tanquam ordinarium posse appellari, sive causas quascunque referri.

Hanc in rem profert Gratianus hâc quæstione *Canone* 12. fragmentum sub nomine *Vigilii Papæ ad Eleutherium,* uti legitur in hodierno Decreto correcto; monent autem Correctores Romani, in antiquis exemplaribus Decreti hunc Canonem attribui *Julio* Papæ: notatque Stephanus Baluzius, rectè hic advertisse Correctores Romanos Epistolam hanc, non *Julio,* sed *Vigilio* potius attribuendam; fateturque Baluzius, extare Epistolam Vigilii, non quidem inscriptam ad *Eleutherium;* sed ad *Profuturum* Episcopum Bracarensem; constantem pluribus capitibus, quorum ultimum conficit hunc Canonem; eamque integram inseruit in sua nova Conciliorum Collectione *pag.* 1467. unà tamen notans; caput ultimum hujus Epistolæ de *Primatu Romani Pontificis:* (quod conficit hunc Canonem apud Gratianum,) in optimo codice Bibliothecæ Colbertinæ non reperiri; multisque ibi probat, admodum verisimile esse, hoc caput à Pseudo-Isidoro fuisse huic Epistolæ adjectum, uti pluribus deduxi in Supplemento ad *Part. 1. Juris Eccles. Tit. 19. cap. 5.* ubi unà ostendi, exigui esse ponderis argumentum, quod pro *plenitudine potestatis* in Romano Pontifice desumitur ex fragmento Epistolæ sub nomine Gregorii IV. apud Gratianum hâc quæstione 9. Canone 2. tum quod hic Pontifex gesserit Pontificatum currente sæculo nono post evulgatas falsas Decretales: ut proinde verisimile sit, ex falsa Decretali Julio Papæ apud Isidorum attributa, verba illa de plenitudine potestatis in Romano Pontifice esse desumpta: tum quod in hac Epistola agatur de depositione Aldrici Episcopi Cænomanensis; cum tamen in actis hujus Episcopi nulla fiat hujus Epistolæ mentio, per quod nonnihil de suppositione redditur suspecta.

De Arbitris.

Tractat & hâc quæstione Gratianus de Arbitris, & utrum à sententia arbitrorum, ac notanter, qui ex consensu partium fuerunt, electi appellari possit.

Pro resolutione hujus quæstionis adducit hic 2. Canones Africanos, quorũ primus adducitur Canone 33. cui Gratianus præmittit, quomodo judices alii sint ordinarii, alii vero à Patribus simpliciter electi, nullâ legitimâ authoritate instructi, quos & cõpromissarios nominat. Quod vero inter ju-

Judices ordinarios reponit, *qui ab Apostolico, ut sæculares judices ab Imperatore legitimam potestatem accipiunt*; non obscurè innuit, quòd ex opinione Gratiani Judices Ecclesiastici suam authoritatem accipere deberent *ab Apostolico*; non secus ac sæculares judices ab Imperatore: quod pristinæ Patrum disciplinæ nullatenus esse consentaneum nemo ignorat.

An ab arbitris possit appellari?

Post hæc subjicit Gratianus sub nomine Concilii Carthaginensis III. Canone 10. in hæc verba: *Sane si ex Consensu partium Judices electi fuerint, etiam à pauciore numero, quàm constitutum est, liceat appellare.*

Hic Canon legitur in Codice Africano Can. 122. eique jungitur fragmentum à Gratiano hac quæstione relatum Can. 19. unum eundemque Canonem conficiens, qui his verbis in Codice exprimitur: *A judicibus autem, quos communis consensus elegerit, non liceat provocare: & quisquis probatus fuerit per contumaciam nolle obtemperare judicibus; cum hoc primæ Sedis Episcopo fuerit probatum, det literas, ut nullus ei communicet Episcoporum, donec obtemperet.*

In primis hunc Canonem Africanum Gratianus in duas partes distinctas dissectum referens, sensum Canonis non tantum obscuriorem reddit, sed sensum à mente Patrum plane diversum lectori imprimit: quasi nimirum ex sententia Patrum Africanorum, semper esset communione privandus, qui *per contumaciam* judicibus obtemperare nollet; cum ex integro Canonis contextu manifestum sit, hìc duntaxat agi de contumacia non obtemperantis judicibus *de consensu partium electis.*

Præterea sensum Canonis plane invertit Gratianus, dum in priori parte Canonis, omissâ negatione, legit affirmativè, quasi ex sententia Africanorum, liceret à judicibus ex partium consensu electis provocare; cum manifestum sit, uti & monent Correctores Romani, per hunc Canonem expressis verbis statui, à judicibus *consensu partium electis*, non posse provocari.

De hac vetita à judicibus partium consensu electis provocatione legitur quoque Canon 96. in Codice Africano, quem hìc Canone 39. retulit Gratianus, qui eum interpretatur, quasi duntaxat provocatio vetita esset, dum interponitur appellatio à bina sententia conformi, ita, ut quodammodo tertia appellatio vetita censeretur; cum tamen ex ipso Canonis contextu, planum sit, hìc simpliciter vetari appellationem; eo quòd ex consensu partium judex fuisset electus. Unde & Zonaras in hujus Canonis commentario rectè advertit, quòd hoc Canone idem statutum sit, quod legibus cautum est; quod ab arbitris nulla detur provocatio, prout legibus Romanis id fuit statutum.

Quæstio VII.

Septimâ quæstione pluribus agit Gratianus de his, qui ad accusationem Episcoporum & Clericorum sint admittendi aut ab ea repellendi.

Hic rursus adducit varia segmenta fictarum Decretalium, quæ præcipuè ad eximendos Episcopos ab omni criminali judicio adornatæ apparent.

An, & quando Laicis liceat accusare Clericos, maximè Episcopos.

Et quidem prioribus tredecim Canonibus, (quorum duodecim ex falsis hisce Decretalibus descripti sunt, unicus refertur Canon 7. sub nomine Concilii Moguntini, ubi tamen non extat, ut monet Correctio Romana:) probare vult Laicis non licere accusare Clericos, ac signanter Episcopos, *nisi à recta fide exorbitaverint*, uti habetur Canone 13. diciturque Canone 5. ex Pseudo-Decretali Eusebii: *Laicos non accusare Episcopos hactenus observatum & constitutum est; quia ejusdem non sunt conversationis, & oppido quidam eis infesti sunt.* Idipsum repetitur Canone 14. sub nomine Anacleti, apud quem non haberi monet Correctio Romana.

Cæterum quæstionem hanc concludens Gratianus, credensque authentica, quæ ex Pseudo-Decretalibus Fabiani & Damasi relata sunt Canone 38. & 39. dicit in fine quæstionis: Monachos posse accusare Presbyteros; *cum Monachi ad Sacerdotii Gradum laudabiliter pertingere valeant.*

Interim ex his intelligimus, quomodo falsæ hæ Decretales occasionem dederint Gratiano, falsas & à pristina disciplina alienas conclusiones formandi.

De forma accusationis Episcoporum ex falsis Decretalibus & Jure Civili.

Denique octavâ & finali quæstione proponit formam accusationis Episcoporum ex falsis Decretalibus, & textu ex L. *fin. Codic. de Probat.* Sed ad calcem quæstionis ipse propriis verbis latius deducit, quæ in accusatione ex præscripto Juris Civilis sint observanda.

Cum autem forma illa forensis septem aut octo, ut minus sæculis in foro Ecclesiæ ignota fuerit, etiam vel illo titulo, decreta hâc quæstione primis Pontificibus adscripta, de suppositione convincuntur, dum in his similis forma præscripta legitur.

CAUSA TERTIA.

Proponitur causa seu casus propositio.

CAusa hæc sive casus ita proponitur à Gratiano: *Quidam Episcopus à propria Sede dejectus est, petit restitui: post restitutionem ducitur in causam, inducias postulat, tandem ad ejus accusationem procedit quidam non legitime conjunctus, & duo infames & tres religiosi accusatores testes de domo sua producunt, & alios sibi inimicos extra suam Provinciam: reus criminoso judicii offertur ab uno tantum audiendus & judicandus. Quidam de accusatoribus & testibus absentes per Epistolam illum accusare, & in eum testificari contendunt: cum multa capitula ei objicerentur, in primo accusatores deficiunt; demum accusatio in accusatorem vertitur.*

Quæst. I.

Ex hac casûs positione undecim quæstiones elicit Gratianus, quæ omnes pertinent ad ordinem judiciorum forensium; atque primâ quæstione quærit: " An restitutio danda sit quibuslibet exspoliatis.

Episcopus sua Sede spoliari non potest, nisi servato juris ordine.

Id unum hâc quæstione probare intendit, quòd Episcopi è Sede sua non sint deturbandi, aut proventibus vel juribus suis spoliandi, nisi legitimè in Synodo sint convicti, & damnati de crimine, quod similem dejectionem aut spoliationem mereatur; atque ita legitimâ authoritate eam pœnam commeruisse, fuerit declaratum.

Aliter spoliatus ante omnia restitui debet.

Hinc tanquam indubitatum hâc quæstione asserit Gratianus, & concludit ad calcem quæstionis Episcopum spoliatum prætextu alicujus criminis, si ante cognitam causam, & probatum crimen fuerit viâ facti, sive non servato juris ordine, de sua Sede dejectus, aut suis juribus vel legibus spoliatus, ante omnia sit restituendus, & in possessione pacifica permittendus, donec crimen, de quo accusatur, in judicio sit legitimè probatum: quod & juri naturali, & juri Romanorum plane conforme est; eoque tendit interdictum, *unde vi.*

Cur ad id probandû non ad-

Quæ in hujus conclusionis & asserti probationem adducit Gratianus, vel ex falsis & suppositiis decretalibus, vel ex Jure Civili desumpta

ducantur antiqui Canones aut Patres?

pta sunt: eo quod in pristinis Canonibus & Patrum scriptis, de hoc ordine judiciario nihil aut parum reperiatur; quandoquidem ante fictas decretales, forensis ille ordo judiciarius, hìc à Gratiano descriptus, in causis & judiciis Ecclesiastiasticis nondum invaluisset, uti non semel notavimus.

Interim merito reflectitur, hoc inviolabiliter servatum fuisse tanquam Jure naturali notum, nullum Episcopum suâ possessione spoliandum prætextu criminis commissi, nisi legitimè de crimine convictum.

Hoc etiam circa decreta & authoritates, licet pleraque apocrypha à Gratiano hìc adducta notandum, quòd & inter hæc nonnulla occurrant, quæ nec cum originali, prout à Pseudo-Isidoro confictum est, per omnia consonant, uti patet ex notis Correctorum Romanorum; inter quas merito observanda nota ad Canonem 2. ubi refertur fragmentum Epistolæ Fabiano Papæ suppositæ.

An Episcopi sine authoritate Romani Pontificis possint deponi?

Hoc fragmentum apud Gratianum sic legitur: *Episcopi, si propriis Sedibus aut Ecclesiis sine authoritate Romani Pontificis expulsi fuerint, antequam ad Synodum provocentur, &c.*

Hìc monent Correctores Romani ad hæc verba *sine authoritate Romani Pontificis:* "Sunt, „inquiunt, hæc verba apud Anselmum, licet „non sint expressa in originali, cujus hic senten-„tia potius, quàm ipsamet verba referuntur.

Admodum verisimile est, hæc verba ab Anselmo, aut alio Canonum collectore, ex quo sumpsit Gratianus, addita fuisse; quia eo tempore jam invaluerat opinio, quòd Episcopi, etiam in Synodis, sine authoritate Romani Pontificis deponi non possint.

De coercendis vexationibus, quæ bonis Sacerdotibus inferuntur.

Intermiscet hìc Gratianus nonnulla de obligatione Prælatorum coërcendi vexationes & calumnias, quæ Sacerdotibus strenuè laborantibus inferuntur; inter quæ notandum Canone 6. fragmentum ex Decretali sub nomine Fabiani Papæ: *Deus ergo Fratres, ad hoc præordinavit vos, & omnes, qui Sacerdotio funguntur, ut injustitias removeatis, & præsumptiones abscindatis, & in Sacerdotio laborantibus succurratis, opprobriis & calamitatibus locum præbeatis; sed ei, qui calumniam & opprobrium patitur, adjutorium feratis: illum vero, qui calumniam vel opprobrium facit, abscindatis, & Domino in suis Sacerdotibus opem feratis.*

A regula de non spoliando Episcopo nisi servato juris ordine immerito excipit Gratianus Romanum Episcopum.

Denique & hoc notandum, quòd Gratianus ab hac sua conclusione, nimirum quod Episcopus ante probatum crimen, non possit à quoquam spoliari, seu à sua Sede dejici, nisi authoritate judicis, coram quo crimen fuit probatum, excipiat Romanum Pontificem.

Cum enim sub finem quæstionis sibi objecisset Canonem, *si quis, distinct.* 79. in quo dicitur: "quòd si quis pecuniâ sit promotus, possit „statim ejici, & alius in ejus locum eligi," re-„spondet: hoc in eo tantum casu intelligi, quo „Apostolica Sedes per violentiam occupatur, „quo casu Judex non invenitur, cujus officio ille „Apostaticus posset expelli: in aliis autem lo-„cum non habet, cum violenta possessio, nisi „per judicis sententiam, violento detentori de-„trahi non possit.

In primis, quod hìc de Romano Pontifice asserit Gratianus, quasi citra legitimam authoritatem, & extrajudicialiter posset ob commissam Simoniam, sed nondum in judicio probatam, è sua Sede expelli, in citato à Gratiano Canone nequaquam dicitur; sed omnino de alio casu ibidem tractatur, uti latius exposui in *Reflex. ad dist.* 23. & *distinct.* 79.

Quod præterea dicit Gratianus, Romanum Episcopum posse citra sententiam ob prætensum crimen *Simoniæ* expelli citra authoritatem judicis, *eo quod eo casu Judex non invenitur, cujus officio ille Apostaticus posset expelli*, manifestè præfert opinionem, quæ tempore Gratiani, authoritate præsertim falsarum Decretalium, invaluerat, Romanum Episcopum, quantumvis de gravissimis criminibus & excessibus suspectum aut accusatum, à nullo posse judicari, nisi à *fide devius* repertus, uti ipse Gratianus probare voluit *Distinct.* 40. *Canone si Papa*, uti in annotationibus ad illam distinctionem & Canonem notavi.

Hanc quæstionem secundam è casu proposito efformatam, his verbis proponit Gratianus: *De induciis post restitutionem præstandis; & quo spatio temporis concedendæ sint.* *Quæstio II.*

Episcopis accusatis tempus sufficiens concedendum ad sui defensionem.

Hàc rursus quæstione nonnisi fragmenta falsarum Decretalium adducit Gratianus, atque pene id unum probat, Episcopos ante probatum crimen depositione dignum, suis Ecclesiis, aut juribus spoliatos, ante omnia plane restituendos; nec non nisi restitutos, debere de crimine respondere. Hoc insuper adjungitur, sic restitutis Episcopis *tempora induciarum esse concedenda*, sive tempus sufficiens ad suam defensionem, quod signanter exprimitur in pseudo-decretali relatâ Canone 8. sub nomine Felicis Papæ, in qua postquam dictum fuit, Episcopo spoliato omnia esse restituenda, & in pacifica possessione permittendus, subjungitur: *Præsul vero, cum omni honore statui pristino reddatur, & ipse dispositis ordinatisque liberè ac securè diu suis rebus, tunc regulariter* intra quatuor, *vel* quinque, *vel* sex *aut* septem Menses, *juxta quod possibilitas ei fuerit, & non ante convocatus ad tempus in Concilio legitimo & Canonico, veniat ad causam, & si ita juste videtur, accusantium propositionibus respondeat.*

Hìc quoad inducias, accusato sive reo concedendas, significatur has ita moderandas & concedendas, ut conformiter ad tempus defensioni necessarium, prolixiores aut breviores concedantur: quod & modernæ pene disciplinæ, & praxi sat esse conforme, ostendi in *Jure Eccles. Part.* 3. *Tit.* 7. *cap.* 4.

Quæstio III. Prosequitur Gratianus eandem materiam de induciis dandis Episcopo.

Hàc *quæstione tertiâ* eandem materiam, *de induciis* ulterius prosequitur Gratianus; atque ex falsis Decretalibus adstruit, Episcopo accusato esse concedendas inducias; tempus autem induciarum pro circumstantiis esse determinandum, quod & ex Jure civili prolixo discursu prosequitur ad calcem quæstionis; atque conformiter ad ejus sententiam etiam hodie, non solum in judiciis Ecclesiasticis, sed & in sæcularibus factas esse arbitrarias, sive arbitrio judicum earum moderationem committi, in jure Ecclesiastico loco supra citato ostendimus, sæpiusque notavimus, formam judiciorum per Gratianum ex hic Decretalibus suo decreto expressam, tandem per posteriorum Pontificum Decretales probatam, sensim etiam in Forum sæculare in multis articulis irrepsisse, & receptam esse.

Quæstio IV. Qui legitimi Accusatores esse possint?

Hàc *quæstione quartâ* rursus ostendere vult Gratianus, qui generaliter ab accusatione Episcoporum repellendi sint, solis adductis falsis Decretalibus: Cum vero in describendo ordine judiciorum, pene solis illis Decretalibus utatur, mi-

mirum non est, illum ordinem ad normam ibi expressam ab eo proponi.

Hodie soli officiarii publici puta Promotor in curiis ecclesiasticis, legitimi accusatores sunt ubi de publica punitione agitur; omnesque passim in testes admittuntur; & quantum eorum depositioni sit deferendum, relinquitur arbitrio judicis visa adversæ partis reprobatione.

Quæst. 5. Qui testes possint repudiari?

Quæstione quinta prosequens ordinem judiciorum ac materiam de testibus, ait: "Quod vero „testes de domo accusatorum producendi non „sint, & quod vox inimicorum non sit audienda, „multorum & auctoritatibus probatur.

Hic rursus Gratianus plura fragmenta falsarum decretalium adducit; neque ea, quæ hic à Gratiano proponuntur, pristinam Ecclesiæ disciplinam sapiunt.

Præterea cum hodie in judiciis ordinariis ad accusandum soli officiarii publici admittantur, his nequaquam applicari possunt quæ Gratianus hic de accusatoribus repellendis ob inimicitiam adducit, sed solis judicibus qui ob inimicitias recusari queunt.

Quoad depositiones testium, hæ per reum enervari possunt; sed judicio judicis relinquitur, utrum per reum proposita fidem ejus enervent, sive an ejus depositioni nulla sit adhibenda fides.

Quæst. 6. Reus extra provinciam ad judicium evocari non potest.

Quæstione sexta ostendens Gratianus *extra Provinciam reum nullatenus esse producendum*; ubique pene hanc moderationem dictis decretalibus familiarem adjecit: *Salva in omnibus Apostolica authoritate.*

Et Canoni 14. ipse hanc sententiam subjungit. "Reverentia autem quæ Apostolicæ debetur Ecclesiæ, & ejus auctoritas intelligenda est, „cum vel ad ipsam appellatum fuerit, vel ab ea ju„dices electi conceduntur.

Assertum suum probat Canone 15. præcipue auctoritate pseudo Decretalis Anacleti, qua declaratur, "quod unaquæque provincia, tam juxta Ecclesiæ, quam juxta sæculi leges, suos debet justos, & non iniquos habere judices, & non extraneos, *nisi*, ait *Apostolicæ sedis hujus decreverit auctoritas*.

Hoc constat, assertum harum pseudo-Decretalium, in quantum dicitur: "unaquæque provincia, tam juxta Ecclesiæ, quam juxta sæculi leges suos debet justos, & non iniquos habere judices, & non extraneos," plane conforme esse pristinæ disciplinæ, quæ non patiebatur causam extra Provinciam judicari. Clausulam vero? *nisi Apostolicæ sedis hujus decreverit auctoritas*, pseudo Isidori manu appositam esse, nequaquam obscurum est. Videri possunt quæ de hac re dixi in *Jure Eccles. parte 3. tit. 5. cap. 3.*

Quæst. 7. Qualis judex esse debeat pulchre docetur Canone 4.

Hac quæstione ostendere vult Gratianus, quod „judex esse non possit, quem cum reo par, aut „major macula inficiat.

Non obscure confundit hic Gratianus Judicium forense cum Judicio interno, sive pœnitentiali; adducitque plura ex Gregorio aliisque Patribus, quæ unice ad hoc Judicium sive tribunal pœnitentiæ pertinent; vel etiam monita sunt ad sacerdotes, ut prius in se corrigere satagant, quod in aliis corrigi volunt vel ad Judices etiam sæculares, quomodo non ex affectu, sed secundum leges & merita causæ judicare debeant: inter quæ merito notandum monitum, quod hic adducitur sub nomine S. Ambrosii Canone 4. "Judicet ille de alterius errore, qui non habet, quod in seipso condemnet: Judicet ille, qui non agit eadem, quæ in alio putaverit punienda; ne cum de alio judicat, in se ferat ipse sententiam: Judicet ille, qui ad pronuntiandum nullo odio, nulla offensione, nulla levitate ducatur. Bonus judex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis: Sed juxta leges & jura pronuntiat, statutis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum & meditatum domo defert; sed sicut audit, ita judicat; & sicut se habet negotii natura, decernit: obsequitur legibus, non adversatur; examinat causæ merita, non mutat. Discite Judices sæculi, quem in judicando tenere debeatis affectum, quam sobrietatem, quam sinceritatem: qui judicat non voluntati suæ obtemperare debet, sed tenere quod legum est. In judicando magis sit cordi veritatis custodia, quam obedientia voluntatis.

Quæst. 8. Quot requirantur ad judicandum Episcopum de crimine accusatum.

Dicit Gratianus hac Quæstione 8. Episcopum ab uno tantum audiri, vel judicari non debere, adducit hanc in rem fragmentum falsæ decretalis Zepherini Papæ; necnon Canonem Concilii Carthaginensis II. qui est Canon 12. in codice Africano.

Indubitatum est, Episcopum de crimine accusatum vel infamatum, numquam potuisse ab uno Episcopo judicari, uti hic recte asserit Gratianus; & asseritur in pseudo decretali Zepherini Papæ; sed judicari debuisse in conventu Episcoporum, sive Synodo provinciali conformiter ad Canones Nicænos, uti in eadem decretali non obscure asseritur.

Ex falsis decretalibus docet Gratianus Episcopum deponi non posse sine auctoritate sedis Apostolicæ.

Verum pseudo Isidori apposita clausula: *Finis vero jus causæ ad Sedem Apostolicam deferatur, ut ibidem terminetur; nec antea finiatur (sicut ab Apostolis vel successoribus eorum olim statutum est) quam ejus auctoritate fulciatur*, Patrum disciplinam, quæ synodis provincialibus plenam auctoritatem judicandi Episcopos attribuebat, plane enervat dum synodis finiendi causas Episcoporum auctoritatem, à Sedis Apostolicæ judicio dependentem reddit.

Ad hæc omnino insulsa sunt, quæ hic parenthesi inclusa adduntur: *sicut ab Apostolis vel successoribus eorum olim statutum est*: nihil enim simile ab Apostolis statutum scitur aut legitur; imo per septem & amplius sæcula; plena auctoritas synodis judicandi Episcopos remansit.

Quæst. 9. Nemo condemnandus nisi præsentes habeat accusatores & testes locumque ad abluenda crimina.

Quæstione 9. quærit Gratianus: "An accusatores vel testes in absentem vocem accusationis vel testificationis exhibere valeant. Pro resolutione hujus quæstionis plures adducit auctoritates ex falsis decretalibus, quibus asseritur contra absentem non esse audiendos accusatores; neque quemquam absentem de crimine accusatum ob solam accusationem esse damnandum, sed dandam esse copiam & tempus se defendendi: atque in hanc rem in primis notandus Canon 4. sub nomine Cornelii Papæ; ubi dicitur: Omnia, quæ adversus absentes in omni negotio, aut loco aguntur, aut judicantur, omnino evacuentur quoniam absentem nullus addicit, nec ulla lex damnat. Et in Canone 5. sub nomine Marcelli Papæ in verbis: "Non oportet quemquam judicari vel damnari, priusquam legitimos habeat præsentes accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Idipsum asseritur Canone 6 sub nomine Damasi Papæ; qui & loquitur de omni presbytero: additurque, non debere condemnari nisi habeat accusatores canonice examinatos præsentes; insuperque locum se defendendi accipiat, id est, inducias ecclesiasticas, ad abluenda crimina.

Examen criminis in prima instantia debet institui in provincia.

Hac eadem quæstione & hoc intermiscet Gratianus, primam, de crimine inquisitionem & examen institui debere in Provincia in qua crimen est admissum, profertque eam in rem plura fragmenta falsatum decretalium; ac inter cætera Canone 7. fragmenta ex pseudo decretali Damasi, in quo inter alia dicitur: " *Nec extra proprium fiat provinciam prima discussionis accusatio*; quoniam & antiqua docet hoc Patrum regula in qua & imperialia pariter statuta concinunt. Criminum, inquiunt, discussio ibi agitanda est, ubi crimen admissum est: & in Canonibus præcipitur, quæcumque negotia in suis locis, ubi oborta sunt finienda sunt, & reliqua talia & his similia.

Hæc in relatis falsis decretalibus expressa, omnino & pristinis Canonibus, & Imperialibus legibus sunt consona; at pseudo-Isidorus scopo suo confictas has decretales accommodare studens in hoc ultimo fragmento de suo addidit hanc adversam Canonibus & legibus clausulam: *Sine Apostolica præceptione, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri*; quasi de præceptione sedis Apostolicæ extra provinciam prima discussionis accusatio fieri posset.

In probationem horum assertorum, nimirum, nullum esse condemnandum, nisi præsentes habeat accusatores, & locum ac tempus se defendendi; atque secundum statuta canonica & regalia crimina esse examinanda & excutienda in provincia, plura adducit Gratianus, atque tandem concludit quæstionem prolato Canone 21. sub nomine Nicolai Papæ ex epistola ad Hincmarum Rhemensem, in quo scribitur: *Necesse est secundum sacrarum Scripturarum documenta, ac secundum justitia tramitem, & accusatum & accusatorem simul adesse, & unam partem, quantacumque & qualicumque prædita sit auctoritate, sic prorsus audiri, ut alteri parti nullum præjudicium irrogetur.*

Conclusio hæc profecto non tantum sanctis Canonibus & legibus Imperialibus; sed & juri naturali conformis est. Utinam hodie etiam in foro Ecclesiastico observetur.

Quæst. 10. Accusator deficiens in primo crimine ad ulteriora probanda admitti non debet.

Quæstione 10. quærit Gratianus, " An deficientes in primo capitulo sint admittendi ad sequentia? id est, an accusantes clericum de pluribus criminibus seu capitulis, & deficientes in primo, sint ulterius audiendi in sequentibus, uti intelligitur ex iis quæ Gratianus sub initium quæstionis exponit, patetque ex iis, quæ adducuntur, id unum à Gratiano intendi, quod accusator in uno deficiens non debeat ad ulteriora probanda admitti, adducitque eam in rem Canone 1. decretum sub nomine Concilii VII. Carthaginensis, estque Canon 130. in codice Africano, quo decernitur: " Placuit ut quotiescumque clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex his, de quo prius egerint, probare non valuerint, ad cætera jam non admittantur.

Ad hunc Canonem reflectens Aristinus ait: *Optima ratione & hic ad accusationem aut ad testimonium non admittetur, utpote qui calumniator videtur & ideo etiam infamis est, eo quod multas profert contra quemlibet accusationes, sed nihil probat.*

Adducit & eam in rem Canone 3. fragmentum falsæ decretalis sub nomine Felicis Papæ, quo idipsum asseritur.

Quod vero Canone 2. adfertur sub nomine Concilii Arelatensis, spectat gravitatem criminis falso accusantis, in quo ita decernitur: " Eos qui „falsa fratribus capitula objecisse convicti fuerint, placuit usque ad exitum non communicare „(sicut magna synodus ante constituit) nisi digna „satisfactione pœnituerint.

Quanta sit gravitas criminis falsi accusatoris.

Canon, ad quem tanquam ad Canonem magnæ synodi remittitur, videtur Canon 14. synodi Arelatensis I. in quo hoc decretum legitur; & quod notandum, sine exceptione in hoc Canone his verbis expressa: *Nisi digna satisfactione pœnituerint* ut proinde verosimile sit, synodum Arelatensem I. celebratam sub initium sæculi IV. falsum accusatorem absolute exclusisse à communione usque *ad exitum vitæ*.

Quæst. 11. An accusatus pendente accusatione possit suum accusatorem reaccusare.

Quæstione 11. quærit Gratianus; " An accusato liceat accusationem in accusatorem vertere.

Pro resolutione hujus quæstionis plura tum ex falsis decretalibus, tum ex jure civili profert, intermiscens nonnulla, quæ ad ordinem cognitionum pertinent, secundum normam forensem judicialem, quæ post inductas falsas decretales tandem circa sæculum IX. & X. in forum Ecclesiasticum irrepsit, ut non, semel notavimus.

Cum autem hodie ad publicam accusationem criminum nemo admittatur præter publicos officiarios etiam quæ hic à Gratiano adducuntur pene omnia à foro recesserunt; & sufficienter probant decretales hic à Gratiano adductas, non posse primis illis Pontificibus adscribi.

CAUSA IV.

Casus in hac causa propositus.

GRatianus pro hac causa proponit hunc casum: *Quidam in excommunicatione constitutus Episcopum accusare disponit, adolescentem infra decimum quartum ætatis suæ annum ad assertionem suæ causæ adducit: prohibitus ab accusatione adolescentem accusatorem, & se testem facit. Adolescens personam accusatoris & testis gerere cupit, die statuta ad judicium electorum judicum veniunt: Episcopus minime occurrit: a communione suspenditur: tandem revocato judicio accusator culpabilis in accusatione invenitur: demum ad assertionem propriæ causæ procedit.*

Quæst. 1.

Ex hoc casu elicit Gratianus sex quæstiones atque prima quærit " An in excommunicatione constitutus alium accusare valeat?

Qui ab accusatione repellantur?

Pro resolutione hujus quæstionis adfert Gratianus Canone 1. decretum sub nomine Concilii Carthaginensis VII. quod conflatum apparet ex duobus Canonibus Concilii Carthaginensis VI celebrati præsente Faustino sedis Apostolicæ legato: referunturque in codice Africano Canone 128 & 129. de quibus consuli potest Tractatus Historico Canonicus *Parte* 2. *cap.* 3. §. 11. ubi notavimus Gratianum hos duos Canones non tantum in unum conflasse; sed ex clausula finali posterioris Canonis conflasse Canonem separatum, quem retulit hac causa *quæstione* 6. *Canone* 2. Cæterum quæ de repellendis ab accusatione tum excommunicatis, tum hæreticis, Paganis, &c. vix hodie usum habent, eo quod ad accusationem publicam, de qua sola hic agitur, soli officiarii publici admittantur, ut jam sæpius monui.

Quapropter & quod Canone 2. ex epistola Nicolai I. adducitur conformiter ad Canonem Concilii Constantinopolitani I. de his qui ab accusatione Episcoporum sunt repellendi, similiter usum nullum habent in judiciis ordinariis: nisi forsan; quod nec eorum testimoniis aut denuntiationibus fides adeo facile sit adhibenda.

Qua-

Quæst. 2. & 3. *De ætate requisita ad testandum.*

Quæstione 2. ex casu proposito educta quærit Gratianus, " An infra decimum quartum annum „in criminali causa testari quis possit? *Et quæstione* 3. An ab accusatione prohibitus, personam „testificantis possit assumere?

Has duas quæstiones in unum confians Gratianus, utriusque resolutionem conjungit, ut ipse etiam monet in principio resolutionis.

Qui à testando repellantur?

Monet autem glossographus ad initium hujus causæ, quod supra Causa 3. Quæstione 8. dictum sit: *Quod quidam repelluntur ab accusatione propter crimen vel infamiam; nunc supponit Gratianus quartam causam, in qua quæritur, an propter excommunicationem repellatur quis ab accusatione. Addit etiam, in qua ætate admittitur ad testimonium: qua occasione interserit legalem tractatum de testibus, & quærit, an idem possit esse accusator & testis, & de induciis expectatoriis.*

Tractatus ille *legalis* de testibus (cujus meminit glossa) ex variis legibus digestorum & codicis digestus subjungitur Canoni 3. Quæstione 2. & 3. monent autem Correctores Romani, *In hoc capite, sive discursu legali varias leges digestorum & codicis ita refert Gratianus; ut interdum vero mutet ac transponat, & in summam redigat.*

Qui porro hodie à reddendo testimonio repellantur, & quomodo testes sint producendi, latius exposui in *Jure Eccles. Parte* 3. *tit.* 7. *cap.* 6.

Quæst. 4. *Nemo potest esse accusator & testis.*

Quæstione 4. quærit Gratianus; " An idem possit esse accusator & testis? Hic sine hæsitatione resolvit, " Nullum posse simul sustinere per-„sonam accusatoris & testis: idque adductis nonnullis fragmentis falsarum decretalium sub nomine Fabiani & Damasi.

Quæst. 5 *An Episcopus non comparens ut se purget à communione sit removendus.*

Quærit *quæstione* 5. " An die constituta non „occurrens Episcopus, ut se de objecto crimine „expurget, à communione sit removendus? Adducitur autem unicus Canon Carthaginensis nonnihil truncatus, in quo non agitur de judicibus *electis* ex compromisso, uti innuit Canonis lectio apud Gratianum, sed de judicibus ordinariis, sive de Metropolitano cum suis Episcopis comprovincialibus.

Insuper deciditur, quod ob solam institutam accusationem Episcopus non debeat à communione suspendi: sola enim accusatio nullum reum facit, vel de crimine suspectum.

Quæst. 6.

Denique *Quæstione* 6. quærit Gratianus, an is qui ab accusatione Episcopi in causa criminali repellitur possit saltem propriâ causam adversus Episcopum prosequi, citatis Canonibus Carthaginensibus, in quibus clare deciditur, quod accusator etiam in causa criminis deficiens, nihilominus possit contra Episcopum propriam & privatam causam prosequi.

CAUSA V.

Hactenus Gratianus egit de his qui manifeste accusant: *Nunc supponit* inquit, *glossa, causam quintam, in qua tractatur de his* qui occulte *accusant scilicet per* libellum famosum, *quem clanculo scribunt in alicujus infamiam.*

Casus in hac causa propositus.

Hunc in finem proponit hunc casum, seu causam, *in infamiam cujusdam Episcopi cartula accusationis occulte conscribitur. Tandem accusator procedit in publicum: Episcopus autem semel litteris evocatus causæ suæ die statuta adesse non valens per procuratorem judici se præsentavit: absque synodali audientia damnatur. Demum judicio per appellationem renovato; de accusatoris inimicitia Episcopus conqueritur: tandem in ipsa probatione deficit accusator.*

Quæst. 1. *Quibus pœnis puniendi auctores libellorum famosorum.*

Ex hoc casu elicit Gratianus sex quæstiones; atque hac prima quæstione quærit, " qua „pœna sit feriendus, qui famosum libellum „clanculo scribens, probare negligit quæ litteris „mandavit?

Profert imprimis Canonis 1. ex capitulis Hadriani: *Qui in alterius famam publice scripturam, aut verba contumeliosa confinxerit, & repertus scripta non probaverit, flagelletur; & qui ea prius invenerit, rumpat, si non vult auctoris facti causam incurrere.*

Notandum monet hic glossographus verbo, *flagelletur, pœnas corporales infligi secundum Canones:* At notat Antonius Augustinus in notis ad capitula Hadriani, quod licet Gratianus hoc recitet sub nomine Hadriani, tamen sumptum ex Pontificio jure non videri. De his pœnis Ecclesiasticis videri possunt notata in *Jure Eccles. Parte* 3. *tit.* 11. *cap.* 1.

Addit fragmentum *epistolæ* 30. *lib.* 5. Sancti Gregorii, cui nonnulla ex ipsa Epistola addiderunt Correctores Romani; meritoque integra legitur, in qua fortiter arguit Gregorius eum, qui contra Castorium *notarium & responsalem suum nocturno silentio in publico civitatis loco contestationem posuit in ejus crimine loquentem.* Hunc igitur, nisi ostendat vera esse quæ scripsit, vel publice errorem suum confessus sit, *& qui consensum suum in tantæ iniquitatis consilio præbuit, ex Dei & Domini nostri Jesu Christi spiritu definit, ut sancti ejus corporis & sanguinis participatione privatus sit:* si autem, quia latet, huic se disciplinæ non subjiciat, *tunc anathematis ultione percussus sit, & ut fallax ac pestifer à sanctæ Ecclesiæ corpore sit divisus.*

Addit in fine hujus quæstionis Gratianus textum *legis unicæ Cod. de famosis libellis.* Ubi passim commentatores notant, pœnas contra aut auctores aut divulgatores similium libellorum decretas esse, idque varias pro varietate & diversitate criminum, quæ imputantur, & personarum quæ infamantur.

Quæst. 2 *De trina citatione Canonica requisita ante condemnationem.*

Quærit *Quæstione* 2. " Quoties sit vocandus „ad causam antequam sententiam damnationis „accipiat? Et ex relatis auctoritatibus concludit: „Manifestissime intelligi, quod nisi quis canonice vocatus fuerit, etiamsi aliqua occasio „ne ad synodum venerit, suis nullatenus cogatur respondere insidiatoribus. Canonica au-„tem vocatio est, inquit, quando, *servato* „*dierum interstitio*, secundum auctoritatem „Beati Sylvestri, causæ suæ litteris adesse jubetur, „quibus quid ei objiciatur, auctoritate Feli-„cis Papæ significari oportet.

Quamvis hic allegata sub nomine Sylvestri Canone 2. & Felicis II. Canone 4. uti & cætera Canone 1. & 3. exigui vel nullius sint ponderis, utpote è falsis decretalibus excerpta, nihilominus vera ac probata & recepta est hæc Gratiani conclusio, & quidem in jure fundata, eatenus saltem, ut scilicet, nemo nisi legitimè citatus & auditus; & quidem trina citatione præmissa, libelloque gravaminum communicato condemnari queat.

Quæst. 3.

Inquirit *Quæstione tertia*: " Utrum per pro-„curatorem causam suam agere valeat, qui per seipsum

An & quando quis per procuratorem causam agere valeat?

, seipsum causæ adesse non potest: " Resolvit autem Gratianus, quod Episcopus possit legatum suum ad synodum mittere, ut causam legitimam absentiæ proponat, sed quod causam *Criminalem nulli nisi per se agere liceat.*

Tametsi rursus parum authentica, sint in quibus resolutionem suam Gratianus fundat, nihilominus ea opinio recepta & probata est.

Quæst. 4. Episcopus absque synodali auctoritate damnari non debet.

Quæstione quarta quærit Gratianus: An Episcopus absque synodali audientia sit damnandus? Responsio ejus est, quod Episcopus absque synodali audientia damnari non debeat.

Indubitata & pristinæ disciplinæ conformis, atque in ipsis Canonibus fundata est hæc sententia Gratiani, scilicet quod Episcopus accusari & damnari non possit nisi in synodo Episcoporum: idque & probant quæ hic Canone 1 & 2 sub nomine Julii I. & Zepherini proferuntur: sed quæ hisce decretis adduntur manifestatam produnt Isidori manum adulatricem.

Et quidem Canone 1. sub nomine Julii Papæ dicitur, quod nullus Episcopus nisi in legitima synodo super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur, vel judicetur, vel damnetur: sed addita hæc clausula, *suo tempore Apostolica auctoritate convocata*, palam prodit pseudo Isidori adulatricē manum; quasi nulla esse synodus legitima in qua Episcopus accusari & judicari posset, *nisi suo tempore auctoritate Apostolica convocata.*

Requirit præterea Gratianus ex falsis decretalibus ut sedis Apostolicæ auctoritas interveniat

In altero decreto sub nomine Zepherini Papæ similiter asseritur, quod coram Episcopis *simul congregatis* & electis causa Episcopi possit examinari & instrui; sed & hic additur finalis clausula: *finis vero ejus causæ ad sedem Apostolicam deferatur, ut ibidem terminetur; nec antea finiatur, quam ejus auctoritate fulciatur*, quæ non minus manifestè manum fictitiam Isidori præfert.

Quin & ut hæc auctoritas sedi Apostolicæ firmius adstruatur, additur in decreto Gratiani, prout hodie legitur: *Sicut ab Apostolis vel successoribus olim statutum est.* Quæ nec in editione Antonii Contii leguntur.

Licet compertum sit, hæc ab ætate dictorum Pontificum esse remota; ex his tamen aliisque similibus decretalibus concludit Gratianus: *Quod vero absque synodali audientia Episcopus damnari prohibetur, sine præjudicio Romanæ sedis oportet intelligi, quæ sua, ait, authoritate quosque valet damnare, vel damnatos absolvere.*

Hæc & similia indubie sunt ex his, quæ moverunt Romanos Pontifices, eorumque Curiales, ut & collectionem pseudo Isidori, necnon decretum Gratiani tantopere sustinuerint, uti in dissertatione proœmiali notatum est.

Quæst. 5. An & quando licitum sit aliorū crimen revelare?

Explicat Gratianus *Quæstione 5.* aliquando pium esse, aliquando calumniosum, aliorum crimina revelare: " Aliud est, ait ad calcem Canonis „5. at quos secreta admonitione corrigere non „possumus, convictos judicis sententia corripiat: „atque aliud insidiando falsa objicere, vel insul„tando vera facile exprobare; illud vero charita„tis, hoc autem impietatis est officium. " Notandum, quod non dicit simpliciter Gratianus impietatis esse officium vera aliorum crimina revelare; sed vera *insultando & facile* revelare: licet enim, quin & utile est aliquando, & necessarium occulta aliorum crimina revelare, dum silentium futurum est causa majoris mali, & revelatio causa majoris boni.

Hanc in rem admodum notandus textus S. Augustini relati Canoni 1. Non vos judicetis "malevolos, quando crimen alterius indicatis: "magis quippe nocentes estis non indicando "crimen, quam si fratres vestros, quos indi„cando corrigere potestis, tacendo perire per„mittitis: si enim frater tuus vulnus habeat in "corpore, quod vult occultari, dum timet "secari; nonne crudeliter à te siletur, ac mi"sericorditer indicatur? Quanto ergo potius „debes manifestare crimen, ne deterius putres„cat in corde.

Idipsum adstruitur Canone 2. ex eodem doctore & Canone 3. ex S. Ambrosio. Deinde profert Canone 4. aliqua ex falsa decretali Eusebii Papæ quæ prædictis videntur contraria: conciliandi tamen rationem subjicit Canone 5. quæ verba supra retuli.

Quæst. 6. Quæ pœna calumniatoribus infligenda?

Denique *Quæstione 6.* agit de pœna calumniatori infligenda.

Hanc in rem quædam refert sub nomine Gregorii Papæ, monentque Correctores Romani ad calcem Canonis 2. Hic Gratianus partem se„quentis capituli, quasi quandam per se senten„tiam, quod non raro solet, proponit.

Dein Canone 3. recitat verba tanquam ejusdem Pontificis in regesto, quibus dicitur, quod *juxta canonicas Patrum sententias, qui calumniam illatam non probat, pœnam debeat incurrere, quam si probasset, reus utique sustineret.*

Monent rursus hic Correctores Romani: „In regesto B. Gregorii hæc non sunt inventa, sed „habentur omnia in vita ipsius à Joanne Diaco„no scripta.

De pœnis presbyterorum & aliorum clericorum calumniantium ex Novellis Justiniani discurrit ad calcem Canonis 3. sed admonent Correctores Romani, quod Gratianus " non omnia „ipsa verba aut veteris interpretationis, aut Juliani, aut Irnerii retulerit, quare operæ pretium „fuerit, Novellam ipsam Græcam & vulgatas in„terpretationes consulere: extant aliquæ varie„tates non contemnendæ.

Extat Canone 6. decretum tanquam ex Concilio Eliberitano, quo placuit: *Delator si quis extiterit fidelis, & per delationem ejus aliquis fuerit proscriptus, vel interfectus, non nisi in fine accipere communionem.* Ita quoque legitur apud Burchardum & Ivonem locis ad marginem notatis: At in Concilio Eliberitano Canone 73. & *lib. 6. Capitular. cap.* 244. Item *lib. 7. cap.* 360. & additione quarta *cap.* 34 ubi integer textus Canonis Eliberitani refertur, legitur: *eum nec in fine accipere communionem*: hancque lectionem magis probat Ferdinandus Mendoza in notis ad hunc Canonem Eliberitanum, quod sæpissime, ait, eadem pœna pro similibus delictis in hoc Concilio sanciatur, quod & hic notant Correctores Romani.

CAUSA VI.

Ratio connexionis hujus causæ cum præcedenti.

Supra in secunda & quarta causa, multis capitibus docuit Gratianus, quod criminosi & infames repelluntur ab accusatione & testimonio; *Sed quia, ait glossa, quædam sunt crimina excepta, in quibus criminosi & infames admittuntur: ideo annectit hanc causam, ut ostendat, quod in crimine excepto, criminosi & infames admittuntur. Ostendit etiam, quod simplici assertioni Episcopi non creditur, cum vult alium accusare, & quod Episcopus accusatus ad alium Archiepiscopum ire non debet.*

Crimina

Quæ crimina excepta pro quibus admittuntur quivis testes.

Crimina autem excepta secundum Gratianum sunt, uti notat glossa: " Crimen læsæ majestatis, crimen perduellionis, quod est species criminis læsæ majestatis, crimen hæreseos crimen simoniæ, crimen sacrilegii, crimen fraudati censûs vel annonæ.

Verum Gratianus vix materiæ sibi propositæ inhærens. *Quæstione prima* unice pene rursus laborat ostendere, ad Episcoporum & Presbyterorum accusationem, nec infames, quin, nec subditos facile admittendos, idque auctoritate falsarum decretalium, è quibus omnes fere Canones decerpti sunt; nec nisi Canones 22. & 23. crimina excepta spectant: his enim proferuntur leges Codicis, quibus ad probandum *crimen læsæ majestatis* quivis testes admittuntur; atque hinc arguit Gratianus, similiter in crimine *hæresis*, quovis testes admitti.

Augustini moderatio in dijudicanda criminum gravitate.

Notanda moderatio S. Augustini in dijudicanda criminum inter se gravitate ex verbis ejus *lib.* 4. *cap.* 20. *de Baptismo contra Donatistas*: quæ refert Gratianus Canone 21. " Utrum catholicus pessimis moribus alicui hæretico, in cujus vita, præter id quod hæreticus est, non inveniunt homines, quod reprehendant, præponere debeamus, non audeo præcipitare sententiam.

Quæst. 2. An Episcopi simplici assertioni credi debeat?

Quærit Gratianus *Quæstione* 2. " An Episcopi simplici assertione credi debeat: " Proposita quæstioni subjungit: Facile solvitur, si Sanctorum Patrum auctoritas diligenter inspiciatur. Ut enim Sancti Patres definiunt, nullius personæ quantumlibet exercitatæ confessioni fides est adhibenda, nisi competentes probationes adhibeat.

Hic notandus Canon Concilii Vasensis relatus Canone 1. in quo tamen Gratianus ab originali nonnihil deflexit, uti & notant Correctores Romani, meritoque legendus prout extat apud Labbeum *tom.* 3. *Concil general. col.* 1458.

Adducit Canone 3. binos Canones in unum conflatos ex Concilio Africano, qui in codice Ecclesiæ constituunt Canones 132. & 133. Horum Canonum unicus scopus est ostendere, Episcopum non posse Clericum à sua communione *publice* segregare, si illum legitime de crimine eam segregationem merente convincere non possit: licet asserat Clericum *sibi soli* crimen illud fuisse confessum, vel sibi soli notum esse.

Quæst. 3. Extra provinciam appellare non licet.

Quæstione 3. dicit Gratianus, quod judicium Archiepiscopi alterius Provinciæ expetere non liceat: hoc licet verum sit, & sacris Canonibus, præsertim Nicænis conforme; quæ tamen Gratianus hic adducit parum authentica sunt: ac signanter quod Canone 2. refert ex epistola Pelagii II. Hæc enim epistola non reperitur, uti notavit Joannes Launoy Theologus Parisiensis in *assertione disquisit. in cartam immunitat. B. Germani Part.* 2 *cap.* 10. & 11. ubi & probat, ætate Pelagii II. nondum usu receptum fuisse, ut Episcopi Metropolitano subjecti, dicerentur suffraganei.

Quæst. 4. Dum in judicando Episcopo judices non concordant advocandi è vicina provincia alii Episcopi.

Quæstione 4. Quærit, quomodo judicandus sit Episcopus, si electi judices inter se non concordent?

Dicit Gratianus, hanc quæstionem decidi in Concilio Antiocheno Canone 14 quo statuitur, ut simili casu advocentur *vicinæ Provinciæ Metropolitanus Episcopus, & aliquanti cum eo Episcopi alii, qui pariter residentes, quæcumque fuerint, dirimant quæstiones.* Refertur hic Canon à Gratiano Canone 1. sed à Græco, seu originali, multum difformis. Refert & eumdem Canone 3, ex versione Martini Bracarensis, eum per errorem tribuens *Concilio Martini Papæ* Neque in Græco textu hujus Canonis, neque in versione Dionysii ulla fit mentio *Metropolitani* è vicina Provincia evocandi, quod & observarunt Correctores Romani: neque enim verisimile est in eadem synodo Provinciali duos intervenisse Metropolitanos; sed duntaxat aliquos ex vicina Provincia evocatos fuisse Episcopos, qui causam una cum Episcopis Provincialibus deciderent: unde Martinus Bracarensis à sensu hujus Canonis multum aberravit, dum in sua versione solius Metropolitani è Provincia vicina meminit evocandi, quem errorem non advertens Gratianus, huic Canoni, quem refert ex hac versione Canone 2. præfixit hanc epigraphen. *Quando judices electi de sententia inter se discordes extiterint, de vicina Provincia* ARCHIEPISCOPUS *advocetur.*

Exceptio Gratiani non convenit ætati Concilii Antiocheni.

Subjungit autem Gratianus hanc exceptionem: " Nisi eadem Provincia primatem habuerit ad quem negotia, quæ per Metropolitanum terminari non valent, referenda sint Adducit Canone 3. in hujus probationem verba Bonifacii. Papæ Episcopis Galliæ; sed inter Epistolas ejus non reperta: unde & *tom* 4. *Concil. General. col.* 128 rejicitur hoc decretum inter ea quæ auctoritate Gratiani huic Pontifici attribuuntur; Et sanè hæc exceptio, quam subjungit Gratianus, nullatenus congruit ætati Concilii Antiocheni, quia ea ætate necdum ita passim noti erant Primates cum jurisdictione supra Metropolitanos.

Dum judices concordant eorum sententia debet esse immobilis.

Hactenus dixit Gratianus quid juris sit, si in condemnatione Episcopi judices fuerint discordes: Sed si omnium comprovincialium concordi sententia fuerit damnatus, manebit erga eum, ait, immobilis sententia. Id plane conforme Canoni 15. Antiocheno, quem refert Canone 5. Gratianus. At eidem hanc moderationem appendendam censuit: " sub intelligendum est nisi ad judicem majorem auctoritatis fuerit provocatum: tunc enim per appellationem soluta sententia firmitatem non obtinet.

Exceptio Gratiani à pristina disciplina dissona.

Gratianus disciplinam sui temporis non distinguens à disciplina pristina, Canoni Antiocheno exceptionem à mente Concilii omnino dissonam affingit: Nequaquam enim obscurum est, Gratianum in relata clausula loqui non de provocatione ad majorem synodum, sed de appellatione ad Romanum Pontificem, cujus ne vestigium quidem in Canone Antiocheno apparet. Vide tractatum Historico Canonicum *Parte* 2. *cap.* §. 11. *ad Canonem* 15. *Antiochenum.* Consuli poterit idem tractatus *Parte* 3. *cap.* 3. §. 5. *ad Canonem* 5. *Sardicensem;* ubi ostensum est, eo Canone appellationem ad Romanum Pontificem à judicio synodi non probari, uti supponere videtur Gratianus, hunc Canonem hic recitans Canone 7.

Quæst. 5. An & quando reus sit cogendus ad probationem?

Probat *Quæstione* 5. quod deficiente accusatore non sit reus cogendus ad probationem, auctoritate Gregorii *lib.* 5. *epist.* 25. & *legis* 23. *Cod. de probat.* ubi dicitur, quod auctor non probans, *necessitate monstrandi contrarium non adstringat, cum per rerum naturam, factum negantis probatio nulla sit.*

Monet autem Gratianus " hoc servandum esse, quando rem publica fama non vexat: tunc

 enim

„enim auctoritate ejusdem Gregorii (*causa* 2. „*qu.* 5. *Can.* 8. & 9.) propter scandalum removendum, famam suam reum purgare oportet. Hac ratione inducta est purgatio Canonica: de qua purgatione fusius actum ad citatam *causam* 2.

CAUSA VII.

De Renuntiatione Episcopatus.

INitio Causæ Septimæ ait glossa: "supra *causa* 6. *q.* 3. *Canone denique*, facta fuit mentio de "renuntiatione Episcopatûs: Unde Gratianus na"ctus occasionem subjicit causam istam, in qua "tractat *de renuntiatione*, & an Prælato vivente „alius sit ei substituendus, & de mutatione sedis „& quibusdam aliis.

Casus in hac causa propositus.

Hunc in finem proponit hunc casum: „Quidam Episcopus longa ægritudine gravatus, "alium sibi substitui rogavit, cujus precibus "summus Pontifex annuit, & quod rogaverat ei „concessit, Postea vero convaluit idem Episco„pus, & quod prius fecerat, cupit rescindi adver„sus eum qui sibi successerat, quæstionem mo„vet, suamque cathedram tanquam sibi debitam „reposcit. Ex hoc casu elicit Gratianus duas quæstiones.

Quæst. 1.

Et quidem *Quæstione* 1. quæritur, Utrum vi„vente Episcopo, alius possit in eadem Ecclesia „ordinari?

Multis probat Gratianus in locum viventis Episcopi alium ordinandum non esse.

Hanc quæstionem dividit Gratianus in novem partes, quarum *prima* probat, in locum viventis Episcopi, tametsi morbo aut senio confecti, alium non esse ordinandum, adductis variis S. Gregorii auctoritatibus quibus plura addit ex S. Cypriano, quibus probatur nec Episcopum Ecclesiæ suæ cedere, nec populum à suo Episcopo facile recedere posse addicto etiam Canone 2. fragmenti falsæ decretalis Evaristi Papæ quæ tota versatur, ut vinculum insolubile inter Episcopum & Ecclesiam suam ostendat: "& sicut inquit, uxo„ri, non licet dimittere virum suum, ut alteri se, „vivente eo, matrimonio societ, aut eum adul"teret, licet fornicatus sit vir ejus, sed, juxta Apo"stolum, aut viro suo reconciliari debet, aut "manere innupta; ita Ecclesiæ non licet dimitte„re Episcopum suum, aut ab eo se segregare ut „alterum, vivente eo, accipiat; sed aut ipsum „habeat, aut innupta maneat: id est, alterum „Episcopum, suo vivente non accipiat, ne for„nicationis aut adulterii crimen incurrat.

Matrimonium spirituale inter Episcopū & Ecclesiam.

Admodum verisimile est ex hac falsa decretali invaluisse opinionem de matrimonio spirituali inter Episcopum & suam Ecclesiam, ejus inde resultante vinculo, quod fortius esse vinculo carnali dixit Innocentius III. *in cap.* 2. *X. de translat Episcopi.*

Potest tamen alius substitui si Episcopus infirmitate gravatus id petat.

Porro quod dictum est, Episcopo morbo aut senio confecto alium subordinari ipsi viventi non posse, monet Gratianus ad calcem Canonis 11. intelligendum: "Quando ille qui ægrotat ali„um sibi substitui non rogat: cæterum quando „aliquis vel senectute vel infirmitate gravatus „susceptum officium administrare non valeat, „si alium sibi substitui petierit, rationabiliter fie„ri potest.

Divina officia peragenti adjutor debet assistere.

Quia Gratianus egerat de Episcopis infirmitate gravatis, intermiscet hic bina decreta Canone 15. & 16. prius è Concilio Toletano XI. & alterum ex Concilio Toletano VII. quibus injungitur, ut solemnia divina officia peragenti semper aliquis assistat, "Ut si perniciosa passio, vel „corporis quælibet invaletudo occurrat, quæ aut „corpus subito subrui faciat, aut mentem alie„natione vel terrore confundat..... habeat quis„quis illic canens Deo atque sacrificans post se, vicini solaminis adjutorem, uti dicitur Canone 15. & Canone 16. censuit Concilium Toletanum VII. convenire, "Ut cum à sacerdotibus mis„sarum tempore sancta mysteria consecrantur, si „ægritudinis acciderit quilibet eventus, quo „cœptum nequeat consecrationis expleri myste„rium, sit liberum Episcopo vel presbytero alteri „consecrationem exequi officii cœpti..... cum "enim simus omnes unum in Christo, nihil "contrarium format diversitas personarum: ubi „efficaciam prosperitatis, unitas fidei repræsen„tat.

Parte 3. quæstionis resolvit Gratianus Episcopo senectute gravato non successorem, sed coadjutorem esse dandum.

An & quâ moderatione Episcopo senectute gravato coadjutor dandus sit.

Hanc in rem merito notanda quæ Canone 17. sub nomine Zachariæ Papæ ad Bonifacium Moguntinum Archiepiscopum refert Gratianus, è quibus intelligitur quanta moderatione dandus sit coadjutor, qui reipsa Episcopum infirmitate aut senectute gravatum in onere Episcopali assistere & sublevare queat, ex quibus & intelligetur quam procul à pristinis illis coadjutoriis differant, quæ hodie conceduntur coadjutoriæ cum futura successione.

Translationes ab una Ecclesia ad aliam Canonibus interdictæ

Quod autem dixit Episcopum Ecclesiam suam dimittere non posse, exponens *Parte* 4. dicit: „Id intelligendum, nisi inevitabilis necessitas id "exigat: ambitionis enim causa quicumque "Ecclesiæ suæ mediocritate despecta ad majorem "Ecclesiam transire voluerit, debet revocari ad „propriam; quod si redire contempserit, ca„reat aliena & propria. Citat hanc in rem Gratianus plures Canones eam mutationem severe interdicentes de quibus videri potest Tractatus Historico Canonicus in reflexionibus ad dictos Canones.

Exceptio Gratiani in pristinis Canonibus non occurrit.

Deinde *Parte* 5. ad calcem Canonis 33. moderationem aliquam hujus absolutæ inhibitionis subjungit, scilicet, mutationes seu translationes illas *communi consilio, atque aliorum utilitate fieri posse.*

Verum hæc moderatio in pristinis Canonibus nullibi occurrit, sed absolute & sine restrictione translationes illæ prohibentur: unde & non nisi apocrypha. & recentiori manu conficta monumenta hic adducit Gratianus: atque in primis Canone 34. fragmentum falsæ decretalis Anteri Papæ, in quo dicitur: *Mutationes Episcoporum scitote communi utilitate atque necessitate fieri licere, sed non propria cujusquam voluntate aut dominatione.*

Notant Correctores Romani, huic falsæ decretali addita esse hæc: *auctoritate hujus sanctæ sedis*: item & hæc: *non tamen sine sacro sanctæ sedis Romanæ auctoritate & licentia.* Hic habemus exemplum, ubi nonnulla in amplificationem sedis Apostolicæ in fragmentis uti referuntur in decreto Gratiani, occurrunt, quæ in falsis decretalibus, prout apud Isidorum leguntur, non reperiuntur.

Adducit dein Canone 35. & 36. bina fragmenta epistolæ 2. Pelagii II. Benigno *Concil. General. col.* 931. cui ibidem hanc notam marginalem apponit Labbeus: *Quin hæc sit ex suppositiis Isidori mercibus nemo unquam dubitabit, si legendis veterum monumentis exercitatus.*

Suspectæ fidei est.

Majoris ponderis plerisque apparebit, quod Canone 37. refert, decretum Concilii Carthaginensis

Canon permittens quandoque fieri ejusmodi translationes.

nensis IV. quo decernitur, *Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis clericus. Sanè si utilitas Ecclesiæ fiendum poposcerit, decreto pro eo Clericorum & Laicorum Episcopis porrecto in præsentia Synodi transferatur, nihilominus alio in locum ejus Episcopo subrogato.*

At inter plura argumenta, quæ hanc vulgatam Synodum Carthaginensem IV. viris eruditis suspectam reddunt, non minimum est, quod ex hoc Canone eruitur: putant enim translationes Episcoporum hic benigniore manu tractari, quàm disciplina Ecclesiæ Africanæ præsertim sæculo IV patiebatur.

Quàm enim odiosæ fuerint eo tempore hæ translationes, docet Canon 38. Concilii Carthaginensis Anno 397. qui in Codice Africano constituit Canonem 48 quo translationes simpliciter & sine ulla exceptione reprobantur; ipsisque rebaptizationibus & reordinationibus comparantur. Docet & id causa Cresconii adversùm quem, quod relicta Villaregensi Ecclesia Tuberiensem occupâsset, sine ulla remissione aut indulgentia processum est.

Hoc autem Canone rigor ille ita temperatur, ut dum ambitionem Episcoporum notare & coercere velle videtur, eidem viam latam sternat: licitas enim translationes esse innuit, si modo à nobiliori ad minus nobilem, si citra ambitionem, si cum utilitate Ecclesiæ fiant. Ecquis porro ambitiosum se fateatur? quis utilitatem Ecclesiæ cupiditati suæ non obtendat?

Et sanè quis non videat, sub obtentu hujus exceptionis sive moderationis translationes has labentibus sæculis ita invaluisse ut multis Episcopis videatur persuasum se Ecclesiæ suæ duntaxat alligatos esse, quousque ad aliam ditiorem & commodiorem transeundi occasio detur.

Cæterùm circa veritatem hujus Concilii IV. consuli poterit Tillemontius *tom. 13 Memorialium Eccl. art. 123. & nota 29* qui ibidem magis inclinatur ut hanc Synodum ut genuinam agnoscat: creditque argumenta in contrarium non probare sufficienter, eam ut suppositiam esse rejiciendam.

Nullius ponderis esse, quod recitatur Canone 39. ex decretali Calixti Papæ fatentur eruditi, qui eam mercibus Isidorianis adscribendam non dubitant.

Quod de Episcopis dixit Gratianus, non posse alium in locum viventis ordinari, & id de quibuslibet Ecclesiæ Ministris intelligi resolvit *sexta parte* quæstionis.

An & quando ad aliam Ecclesiã translatus ad priorem redire possit.

Post hæc *parte 7.* concludit, quod dum Episcopo ad aliam Ecclesiam translato alius substituitur, *tunc secundùm rei veritatem non vivente Episcopo talis probetur succedere: translatus enim, ait, ab una civitate ad aliam, desinit esse Episcopus illius civitatis, à qua transfertur: atque ideo, qui huic succedit, non vivente, sed defuncto quodammodo Episcopo probatur substitui: sed inter eum, qui hostilitatis necessitate & eum, qui utilitatis causâ transfertur, hoc interest, quod ille, qui metu hostilitatis ad aliam transit, si priorem contigerit aliquando ab hostibus liberam fieri, ad eandem illam redire oportet.*

Posterius sui asserti membrum probat Canone 42. auctoritate S. Gregorii ex *Epist. 25. Lib. 2. indict. 10.*

Deinde allegat Gratianus alium casum, quo viventi Episcopo alius substitui potest: *Cùm enim aliquis relicta priore cathedra, sua auctoritate ad aliam transierit, si alius ei substitutus fuerit, licet ille prioris Ecclesiæ Episcopus esse non desierit, substitutus tamen Episcopatum habebit.*

Citat in hujus probationem fragmentum Epistolæ *Damasi urbis Romæ Episcopi ad Paulinum Antiochenum.* Unica extat Damasi Papæ I. ad dictum Paulinum Epistola; sed nec in hac, aut alia Damaso adscripta verba hic à Gratiano relata occurrunt: extant autem post Epistolam sub nomine Damasi ad Prosperum Primatem Numidiæ.

Metu hostilitatis Episcopales Sedes mutari possunt.

Addit post hæc Gratianus: *Episcopalium etiam Sedium mutationes, metu hostilitatis interveniente, nonnunquam fieri solere.*

Id probat verbis S. Gregorii *Lib. 2. Epist. 11.* scribentis Joanni Episcopo Vellitrano, quòd *temporis qualitas admoneat, Episcoporum Sedes, antiquitus certis civitatibus constitutas ad alia, quæ securiora putamus, ejusdem Diœcesis loca transponere, quo & habitatores nunc degere, & barbaricum possint periculum faciliùs declinare.* Eidem præcipit se Sedemque suam in loco quondam Arenata exinde transmigrari: *Quatenus ab hostilitatis incursu excutere valeas, & illic consuetudinem solemnium festivè disponas.*

Variam esse hic aliorum verborum lectionem, notant Correctores Romani, & post eos Petrus Gussanvillæus, qui ait in omnibus manuscriptis & editis S. Gregorii Epistolis legi: *Consuetudinem solemnium Festi dispones*, unà tamen notans, quòd omnium lectionum eadem sit sententia, quam ita exponit. In Festis præcipuis & solemnioribus ad Ecclesiam matricem ex tota diœcesi confluebant Clerici & Laici; quod pluribus Canonibus cautum est, quorum nonnulli citantur: *Itaque* ait, *mutato Sedis loco, non jam in priori civitate Festa disponebantur, sed ad S. Andream in Harenata publicus omnium fidelium conventus indici debuit, ut festivitates præcipuas cum suo celebrarent Episcopo.* Hic videmus quomodo jam pridem solliciti fuerint Patres, ut fideles diebus Dominicis & Festis cum proprio suo Pastore conventum agerent.

Conventus populi cum suo Pastore in Ecclesia matrice.

An Episcopus factus Monachus ad Episcopatum redire valeat.

Tertium casum, quo Episcopo cedere liceat, proponit Gratianus *Part. 8* ad calcem Canonis 44. Nimirum, *Cùm aliquis causa humilitatis Apostolica concessione de Episcopali Sede ad Monachalem descenderit subjectionem, alius ejus loco subrogari poterit, ille verò ad Pontificatum resurgere nequaquam ulterius valebit.*

In hujus probationem allegat Canone 45. Decretum tanquam editum in *quinta actione Constantinopolitanæ Synodi 383. Patrum sub Joanne Papa VIII. cui præfuit Petrus Presbyter Cardinalis, & Paulus Anconitanus Episcopus, & Eugenius Ostiensis Episcopus.*

Monent hic Correctores Romani, hanc Synodum sub Joanne VIII. extare in Vaticana Bibliotheca: *Cujus Synodi*, inquiunt, *tres tantùm Canones cum explanatione Balsamonis editi sunt Lutetiæ, & apud ipsum inscribitur*: Synodus in templo Sapientiæ habita sub Photio Patriarcha: *in secundo autem trium illorum capitulorum habetur sententia hujus capitis.*

Hæc illi, qui & pro clariore hujus Canonis, prout à Gratiano hic refertur, explanatione, eum integrum Græcè & Latinè, & cum nova interpretatione adscripserunt.

Indubi-

Indubitatum est, sententiam hujus decreti à Gratiano (qui secutus fuit Ivonem) relati, contineri in Canone 2. dictæ Synodi sub Photio: eumque Canonem ibidem contra S. Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum conditum esse, prout latiùs ostendi in scholio hujus Canonis in Tractatu Historico-Canonico *Parte* 3. *cap. ultimo* §. *ultimo*, ubi unà ostendi, quòd Gratianum secuti S. Thomas & Innocentius III. Canone hoc usi sint quasi Canone Concilii Constantinopolitani; pluraque alia de hac Synodo Photiana notavi, & quòd ab Ecclesia Romana fuerit reprobata.

Cæterùm hoc unum asseritur hoc Canone, quòd Episcopus monachus factus ad Pontificatum ascendere nequeat, eò quòd ad pœnitentiæ locum descendisse videatur; pœnitentes autem à clero excludantur, de quo latiùs ibidem.

An & quando metu persecutionis liceat Episcopo separari à grege.

Ostendit post hæc Gratianus quòd ob infestationem malorum non liceat Episcopo gregem relinquere. Citat hanc in rem inter alia Canone 46. fragmentum epistolæ Liberii Papæ omnibus Episcopis; sed licet dictum Gratiani verum sit, parum tamen ponderis accipit ex hac epistola, utpote quæ plura præfert suppositionis argumenta, ut proptereà *tom.* 2. *Concil. General. col.* 760. referatur cum hac nota marginali: *Commentitiam esse nemo non videt.*

Et ne dictum suum generaliùs, quàm oportet, acciperetur, exponit Gratianus *parte* 9. *Hoc tunc servandum intelligi, quando inter subditos aliqui inveniuntur, quibus Prælatorum vita proficiat: quando nec specialiter Prælatus quæritur, nec per alios tuta potest esse Ecclesiæ salus, ne si deserere incipiat, quibus prodesse potest,* dicatur de eo: *Mercenarius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & deserit oves & fugit.* Multis ibidem disputat Gratianus, quando Prælatis ob persecutionem malorum fugere liceat, præsertim auctoritate S Augustini: monentque Correctores Romani, multa ex Augustino à Gratiano allegari, quorum quidem sententia apud illum habetur, sed verba ipsa sunt in glossa ordinaria locis indicatis. Monent autem, quòd de hac quæstione, quando liceat Episcopo recedere ab Ecclesia sua, differat B. Augustinus epistola 80. (hodie 228) Honorato Episcopo scripta. Legi possunt, quæ ex hac epistola aliisque hanc in rem notavi in *Jure Eccles. Parte* 1. *tit.* 16. *cap.* 6.

Quæst. 2. *Canones hic relati non congruunt quæstioni propositæ*

Secunda quæstio initio hujus causæ ita exprimitur: *An iste valeat reposcere cathedram, quam sua intercessione aliter accepit? Agitur hic de illo, qui longa ægritudine gravatus alium sibi substitui rogavit, uti ex casus positione evidens est. Resolvit autem Gratianus negativè; sed auctoritates binis Canonibus comprehensa nullatenus huic quæstioni congruunt: unicè quippe tractant de illo, qui morbo caduco, seu epileptico laborat: an is regimen populi assumere valeat.*

CAUSA VIII.

Connexio hujus causæ cum præcedenti.

Quia in superiori causa *Quæst.* 1. *Can.* 17. PETISTI, fuit concessum privilegium Bonifacio Moguntino de eligendo sibi Successore, ne hinc quis concluderet, hoc esse licitum de jure communi, *Gratianus*, inquit glossa, *hanc causam octavam supponit, in qua ostendit, quòd nulli licet eligere successorem: & quòd amicorum patrocinia in electionibus convalescere non debent: & quòd non sit simoniacus, qui post electionem præstat canonicum juramentum de indemnitate, & alia plura.* Quæ omnia ut pleniùs elucescant, ponit thema sive hunc casum: *Quidam Episcopus agens in extremis, Successorem sibi ex testamento instituit: inde suorum amicorum patrocinio in eundem Episcopatum eligitur. Post electionem pro indemnitate Ecclesiæ Canonicis juramentum præbuit: accusatur de simonia, tanquam munus ab obsequio præstiterit: ante tempus sententiæ à clericis suis derelinquitur: sine litteris Apostolicis ad Ecclesiam suam revertitur Episcopus.* Ex hoc casu quinque elicit quæstiones Gratianus.

Casus in ea propositus.

Quæst. 1.

Quæstione prima quærit, *An liceat Episcopo sibi Successorem instituere?*

An & quo sensu Episcopus successorem designare aut instituere possit.

Cùm auctoritate fragmentorum ex falsis decretalibus Joannis III. & Clementis I videretur probatum, quòd B. Petrus sibi Linum & Cletum coadjutores adscivisset, & Clementem Successorem designâsset; ac unà comperisset, multis Canonibus, ac præsertim Antiochenis vetitum esse Episcopis eligere *sibi Successorem*, hanc solutionem, sive conciliandi rationem subjicit ad calcem Canonis 7. *His omnibus auctoritatibus prohibentur Episcopi Successores sibi instituere; sed aliud est de sui Successoris electione cum fratribus deliberare, aliud est testamento, tanquam suæ dignitatis hæredem sibi quærere: illud fieri permittitur, hoc autem penitus prohibetur. Illud autem B. Petri Apostoli ab illis valet in argumentum assumi, qui tales sibi substituunt, qualem sibi Successorem B. Petrus quæsivit. Verùm quia officium non vitæ, sed sanguini cœpit deferri, atque ad Episcopatum tales quisque sibi Successores quærere cœpit, qui vel odiosi populis, vel à plebe docendi invenirentur, idcirco sacris Canonibus statutum est, ne quisquam sibi sui officii quærat Successorem: sed populi electione quæratur, qui eorum utilitati dignè deserviat, illorum utilitatem non sua lucra quærat, qui Christo semen velit suscitare, non sibi divitias congregare; quod qui facere contempserit, jure ab Ecclesia repudiatur.*

Monent Correctores Romani ad Canonem tertium hujus quæstionis, quo refertur Canon vigesimus tertius Antiochenus, quòd in codicibus Gratiani etiam manuscriptis, post hæc verba, *judicio Episcoporum*, sequeretur, *& electione clericorum*; Quæ, inquiunt, sunt expuncta, quia neque in originali, neque apud cæteros collectores leguntur.

Reprehenduntur à Baluzio Correctores Romani.

Ad hanc expunctionem reflectens vir eruditus Stephanus Baluzius in notis ad Gratianum pagina 499. ait: *Ego, qui puto, religiosum debere esse editorem veterum auctorum, retinuissem eam clausulam in contextu Gratiani, & in notis admonuissem, eam non extare in originali, neque apud cæteros collectores; fortassis Gratianus viderat antiquum aliquod Concilii Antiocheni exemplar, in quo clausula illa continebatur. Diverso ausu iidem Correctores nonnulla frequenter addiderunt in contextu Gratiani, quæ omittenda erant, quia non extant apud Gratianum: hinc enim fit, quod sæpe dicendum est, ut Gratiani collectionem hodie non habeamus, sed collectionem Collectorum Romanorum inhærentem ordini, qui servatus à Gratiano est.*

Notat

Notat rursus citatus Baluzius, quòd in omnibus Gratiani libris editis & manuscriptis inscriptio Canonis 7. habeat simpliciter: *item Innocentius Papa II.* Correctores Romani addiderint: *in Concilio Romano cap.* 16. cum tamen nulla ratio esset, cur huic Concilio adscriberetur potius, quàm Claromontano, quod novem annis habitum est ante Romanum sub eodem Pontifice, & inter cujus Canones hoc Decretum habetur: *Unde rursum colligitur, ait Baluzius, nihil mutandum aut addendum fuisse apud Gratianum absque authoritate veterum Codicum.*

Bonum Ecclesiæ non suum debet quærere Prælatus.

Occasione autem, quod dixerat Gratianus, quòd populi electione quærendus esset Episcopus, "qui eorum utilitati dignè deserviat, qui „eorum utilitatem, non sua lucra quærat, qui „Christo semen velit suscitare, non sibi divitias „congregare," plures hanc in rem adducit Patrum sententias, quibus hæc Pastoris conditio exprimitur: ac inprimis ex S. Augustino *Lib.* 32. *contra Faustum Manichæum cap.* 10. ubi dicitur, quod Prælatus, qui sibi & Ecclesiæ prodest, utroque pede calceatus intelligatur.

Locus regiminis appeti non debet.

Ex S. Gregorio Canone 9. & 10. & ex S. Augustino Canone 11. ostenditur, quòd locus regiminis non sit quærendus, sed econtra semper in voto & desiderio locus dejectionis esse debeat: *Quia, sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus* dicitur Canone 9. & Canone 11. ait Augustin. *Locus vero superior, sine quo regi populus non debet, etsi ita teneatur, atque administretur, ut decet, tamen non decenter appetitur.* Dein additur notanda hæc & notissima ac gravissima ejusdem Doctoris sententia: *Quam ob rem otium sanctum quærit charitas veritatis, negotium justum suscipit necessitas charitatis: quam sarcinam, si nullus imponit; percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati: si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem: sed nec sic omnino veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas & opprimatur* (seu rectius in originali) *opprimat justa necessitas.*

Quomodo erga populum se Pastor habere debeat, & sine omni favore, solâque meritorum consideratione eligendus sit, pluribus dein ostendit.

Quæstio II. In electione Episcopi muneribus aut Patrocinio locus esse non debet.

Quæstione 2. ostendit Gratianus authoritate S. Gregorii, quòd nec munerum datio, nec aliquorum patrocinia in electione Episcoporum valere debeant: *Nam si*, ait Gregorius Can. 1. *quorundam patrocinio fuerit quisquam electus voluntatibus eorum, cum fuerit ordinatus, obedire, reverentiâ exigente, compellitur; sicque fit, ut & res illius Ecclesiæ minuantur, & ordo Ecclesiasticus non servetur.*

Altero Canone ex eodem Doctore probat, quòd in electione Episcopi *communi* utilitati, non *suo lucro*, quisque prospicere debeat: *quia nec libero judicio præferendam sibi personam examinat mens, quam cupiditas ligat.*

Quæstio III. An, & quando simoniacus sit is, qui occasione electionis præstat juramentum pro indemnitate Ecclesiæ.

In procemio *Quæstionis* 3. resolvit Gratianus, quòd "simoniacus non sit, qui post electionem „pro indemnitate Ecclesiæ juramentum præsti„tit: aliud enim est ante electionem juramentum „facere, vel se facturum pacisci, ad hoc ut eli„gatur: aliud est, nullâ præcedente conventione, post electionem hujuscemodi juramentum offerre.

Primam partem probat authoritate Pelagii Papæ Clero Catinensi scribentis, quem locum observare possunt, qui cum Decimatoribus, seu Pastoribus primitivis paciscuntur de minore competentia, vel aliquibus oneribus in se suscipiendis, ut eorum patrocinio aut præsentatione ad Pastoratum promoveantur.

In hac enim Epistola, præsertim sub finem, ut simoniacum reprehenditur, quòd quis promiserit aliqua de juribus suis remissurum, si ad Episcopatum eligeretur, idque congruit asserto Gratiani.

Alterum assertum probatur ex gestis Urbani II. ubi refertur, quòd cum Archi-Episcopus Narbonensis quendam in Episcopum ordinare renuisset ob juramentum ab ipso præstitum Canonicis Electoribus, hic cum ad Urbanum accessisset, se à vitio purgavit, eò quòd juramentum Canonicis fecisset post electionem, nullamque conventionem ante, ut eligeretur, fecisset.

Hactenus in gestis Urbani II. hæc verba non reperi, varietatem lectionis notavit Baluzius, nec-non contra fidem omnium antiquorum Gratiani exemplarium tam manuscriptorum, quàm editorum à Correctoribus Romanis pro his verbis, *à Sacerdotio me repellat*, posita esse, *à Sacra me unctione repellat.* Cæterum de juramentis, quæ hodie à Clericis in accipienda possessione suorum beneficiorum, præsertim Curatorum exiguntur, videri possunt, quæ dicta sunt in *Jure Ecclesiastico Part.* 2. *Tit.* 26. *cap.* 2.

Quæstio IV. Accusatus de crimine recedere nequit ante sententiam.

Probat Gratianus *Quæstione* 4. unico Canone sub nomine Symmachi Papæ, sed sumpto ex libello Ennodii, quòd Clericus à suo Episcopo de crimine accusatus, recedere nequeat ante tempus sententiæ, sive priusquam sub luce objecta constituerint.

Quæst. V. Recens disciplina de discessu Episcoporum Romanorum.

Quæstione 5. ex apocrypha decretali Sixti I. adstruit, quòd "Episcopus accusatus, & à san„cta Sede vocatus, sine literis Apostolicis ad „suam reverti Ecclesiam nequeat. Hanc disci„plinam ætate Sixti I. esse recentiorem scimus: at huic nihilominus decretali adscribendum morem hodiernum, qui non permittit Episcopos Româ discedere sine licentia Pontificis, non dubium: neque ante evulgatas, receptasque falsas Decretales, ullum hujus praxis vel vestigium facile reperietur.

CAUSA NONA.

Casus propositus.

GRatianus hanc causam, sive casum ita proponit: *Sententiâ excommunicationis notatus quidam Archi-Episcopus, aliquot Clericos alterius Metropolitani ordinavit, quendam Capellanum sui suffraganei, illo inconsulto, deposuit: atque alium in loco ejus ordinavit.* Ex hoc casu tres quæstiones elicit.

Quæst. I. An ordinatio ab excommunicato facta possit haberi rata & valida.

Quærit *Quæstione* 1. An ordinatio, quæ ab excommunicatis facta est, aliquo modo possit rata haberi? Quæ recitantur à Gratiano, notanter Canone 2. & 3. sub nomine *Palea*, patenter supponunt, ordinationem factam ab excommunicato esse *nullam:* quandoquidem eam reiterandam asserant, quod & Gratianus admisisse videtur, saltem quoad excommunicatos, *qui in ipsa sua ordinatione pœnam excommunicationis contraxerunt, qui nunquam in numero Catholicorum fuerunt*, uti loquitur ad calcem Canonis 3. addens: *Cæterum, qui inter Catholicos prius deputati sunt, si postea excommunicationis sententia notati fuerint, ordinationes tamen eorum ab Ecclesia misericorditer tolerantur.*

Tum profert fragmentum Epistolæ Urbani II. in qua rescribit cuidam Episcopo: *Quod ordinatos ab excommunicatis, quondam tamen Catholicis Episcopis, siquidem non simoniace ordines*

dines ipsos acceperint: & si ipsos Episcopos simoniacos non fuisse constiterit, ad hæc, si eorum religiosior vita & doctrina prærogativa visa fuerit promereri, pœnitentiâ indictâ, quam congruam duxerit, in ipsis, quos acceperunt, ordinibus permanere permittat.

Cum hæc apparerent Gratiano repugnare dictis Gregorii relatis Canone 1. quibus asserit Gregorius, quòd *consecratio dici nullo modo possit, quæ ab excommunicatis hominibus celebrata est*, pro conciliatione subjungit: *sed & illud Gregorii de nominatim excommunicatis intelligitur, quorum ordinationes sunt irrita, si eorum damnatio non erat ordinandis incognita.*

Quidquid sit de opinione Gratiani, & hac Canones conciliandi ratione, glossographus reprobata opinione, quæ dicebat, quòd excommunicatus, qui adhuc existens in *Ecclesia* ordinationem recepit, *validè* ordines conferret: sed qui *extra* Ecclesiam recipit, nihil conferret, nec ordinem, nec executionem, monet: " dicendum „esse, quòd sive quis recipiat ultimam manus „impositionem (id est, Episcopalem) in Ecclesia „sive *extra*, dum tamen forma Ecclesiæ serve„tur in ordinando, semper ordinem confert; „sed non semper executionem: & hoc sive scien„ter, sive ignoranter ordinetur ab eo. Deinde nonnullis circa eos, qui non recipiunt executionem, præmissis, concludit glossographus: Hæc ergo sit *fides* tua, quòd hæretici & excommunicati, & depositi *vera* Sacramenta conferunt, & verum Corpus Christi conficiunt.

Hæc opinio glossæ communi seu Theologorum Scholasticorum, seu Canonistarum calculo probata & recepta fuit: sed an etiam veteribus Canonibus, & pristinæ Ecclesiæ disciplinæ omnino sit conformis, plures viri eruditi cum Joanne Morino *SS. Ordinat. Parte 3. exercit. 5. cap.* 8. dubitant. Hoc autem hîc monendum, exigui ponderis esse contra opinionem glossæ, quæ hic Canone 2. & 3. partim sine nomine, partim sub nomine Damasi Papæ allegantur.

Quæstio II. Nullus in alterius Episcopi Diœcesi quidquam ipso inconsulto agere potest.

Quærit ulterius Gratianus *Quæstione* 2. " An „liceat Episcopo, Archi-Episcopo, Primati, vel „Patriarchæ Clericos alterius Diœcesis sine pro„priis literis ordinare.

Primis quinque Canonibus (quorum primus & tertius sunt ex falsa Decretali Calixti Papæ) probat, quòd generaliter nullus quidquam in alterius Diœcesi, vel Parochiâ propriâ authoritate queat. Deinde descendit ad ordinationes, adductis Canonibus Antiochenis & Constantinopolitanis admodum mendosè, ut notant Correctores Romani; de quibus consuli poterit præfatus tractatus Historico-Canonicus ad dictos Canones.

Notandum, quòd Gratianus hac quæstione etiam ostendat, neque inferiores Presbyteros certis Ecclesiis adscriptos in aliis quidquam agere posse, proprio Presbytero inconsulto, neque alienum Parochianum ad Divina officia admittere.

Quæstio III. An Archi-Episcopus suffraganei Clericos illo inconsulto damnare valeat vel absolvere.

Gratianus *Quæstionem* 3. ita proponit: " An „Archi-Episcopus Clericos suffraganei sui illo „inconsulto damnare valeat, vel damnatos ab„solvere?

In utramque partem hanc discutiens quæstionem, pro parte affirmativa urget, quòd Ecclesiæ totius Archi-Episcopatûs ad Diœcesim pertineant Archi-Episcopi: vocantur enim, ait, Episcopi à Metropolitano in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Sic quippe vices ei impertitur, ut potestatem suam sibi non adimat: Unde & sine ejus consilio nihil eis agere licet.

Metropolitani authoritatem supra modum & sine fundamento extollit Gratianus.

De hac plenitudine potestatis in Metropolitano nihil plane in pristinis Canonibus aut Patribus legitur; neque etiam hodie creditur Metropolitanum sine consensu proprii Episcopi functionem seu jurisdictionem Episcopalem in Diœcesi Episcopi exercere posse, tanquam cui plenitudo Episcopalis potestatis in omnibus Diœcesibus suæ Provinciæ competeret, ipsique Episcopi quasi duntaxat essent in partem solicitudinis, & quasi Vicarii Metropolitani adsciti.

In asserti sui probationem allegat Decretum Concilii Antiocheni; idque Canone 1. ex versione Martini Bracarensis, tanquam ex *Concilio Martini Papæ*, & Canone 2. ex versione Isidori: verum hoc decreto nequaquam probatur subjectio Episcoporum respectu Metropolitani, quam hic ponit Gratianus, uti in scholio Canonis 9. Antiocheni videri poterit in sæpe citato tractatu Historico-Canonico.

Post hæc probat Gratianus Canone 4. 5. 6. & 7. ex Pseudo-Decretalibus Hygini, Aniceti, & Calixti Papæ Metropolitanos in causis Episcoporum aut aliis (nisi quod ad suam solummodo propriam Parochiam pertinet) sine consilio & voluntate omnium Comprovincialium Episcoporum nihil agere posse: quod & Canone 8. comprobat authoritate Nicolai I. in Epistola Bituricensi Archi-Episcopo inscripta, cujus hæc est clausula finalis: *Ita ut secundùm Nicænas regulas sua privilegia serventur Ecclesiis; præterquam si Apostolica Sedes aliquam Ecclesiam, vel ipsius Rectorem quolibet speciali privilegio decreverit honorare.*

Privilegium recens ex falsis Decretalibus Romanæ Ecclesiæ à Gratiano asssertum.

Hanc clausulam sapere jus novum, è falsis Decretalibus Isidorianis tempore Nicolai oriri & firmari cœptum, nequaquam obscurum est, uti & hoc Gratiani assertum Canoni 9. subjectum: "sola enim Romana Ecclesia, suâ authoritate „valet judicare de omnibus, de ea vero nulli ju„dicari permittitur: " Assertum hoc probat authoritate Nicolai, Epistolâ ad Michaëlem Imperatorem, in qua scribit, juxta SS. Canones *Sedis Apostolicæ judicium à nemine fore retractandum neque cuiquam de ejus judicare judicio licere.*

Rectè autem hic notat glossographus, quòd "ab hoc loco usque in finem agatur de excellen„tia Papæ, & omnia capitula quasi idem dicere: „sed addendum erat, omnia pene è mercibus Isidorianis sumpta esse.

Cum autem adverteret glossographus Nicolaum hic pro stabilienda authoritate Sedis Apostolicæ adducere testimonium Innocentii & Pelagii suorum prædecessorum, notat quod " fami„liaris sit hæc probatio, quod unus Papa indu„cit alium in testem; sed abest plane, quod ibi„dem subjungit glossographus: " sed hoc ideo, „quia de ipsorum testimonio non est dubitan„dum: sicut Dominus mala Sodomæ per Ange„los probavit; quasi Romani Episcopi testimo„nium dictis Angelicis æquiparandum esset.

Ut autem Gratianus eam in Romano Episcopo authoritatem probet, adducit Canone 11. & 12. fragmenta Epistolæ, sub nomine Anastasii ad Felicem II. Papam, quam esse apocrypham sciunt eruditi, uti & fragmentum prolatum Canone 13. sub nomine Innocentii Papæ, sed uti notant Correctores Romani, sumpto ex Synodo Romana sub Sylvestro, quæ etiam ab eruditis tanquam supposititia rejicitur.

CAUSA

CAUSA DECIMA.

Casus propositus.

IN superiori causa dictum est, ait glossographus, quid juris habeat Archiepiscopus super suffraganeis suis; nunc supponit Gratianus causam *decimam*, in qua ostendit, quid juris habeat Episcopus in Ecclesiis sui Episcopatûs: hanc in rem proponit hunc casum: "Quidam Laicus Basilicam à se factam à diœcesiana lege segregare „quærit. Episcopus Ecclesiam cum omni dote sua „ad suam dispositionem pertinere contendit: " „tandem evincit Episcopus, & per Parochias mi-„litibus comitatus crudeliter desævit: quæ Eccle-„siæ sunt, tanquam sibi debita usurpare contendit. „Ex hoc casu elicit tres quæstiones.

Quæstio I. Basilicæ earumque bona ad Episcopi ordinationem pertinent.

Quæstione 1. quærit: *An Basilica cum omni dote sua ad Episcopi ordinationem pertineat?*

Plures hic refert Canones, qui probant Basilicas cum suis dotibus in Episcopi potestate consistere; at præ cæteris notandus Canon Synodi Ilerdensis Anni 524. relatus Canone 1. quo statuitur. "Si ex Laicis quispiam à se factam Basilicam „consecrari desiderat, nequaquam eam sub Mo-„nasterii specie, ubi congregatio non colligitur (in „Synodo additur, *vel regula ab Episcopo non con-„stituitur*) diœcesanâ lege audeat segregare.

Aliud dicendum de bonis Monasteriorum.

Hic Canon ut intelligatur, jungendi est prima ejusdem Canonis pars, cujus fragmentum refertur *Causa* 16. *quæst.* 1. *Canone* 34. integra autem sic habet: "De Monachis verò id observari „placuit, quod Synodus Agathensis vel Aurelia-„nensis noscitur decrevisse: hoc tantummodo ad-„jiciendum, ut pro Ecclesiæ utilitate, quos Epi-„scopus probaverit, in Clericatûs officio cum Ab-„batis voluntate debeant ordinari: ea verò quæ „in jure Monasterii offeruntur, in nulla diœcesa-„na lege ab Episcopo contineantur.

Ex his habemus, hoc Canone aliquid novi adjici canonibus Synodi Agathensis & Aurelianensis, de Monachis nimirum: cùm omnia ad Ecclesias pertinentia, juxta Synodorum illarum decreta essent in potestate Episcopi, ne quidquam de Monasteriis exciperetur, etiam bona & facultates Monasteriorum censebantur dispositioni Episcopi relicta: quare *novi* hoc adjecit Synodus Illerdensis decernens: "Ea verò, quæ in jure mo-„nasterii de facultatibus offeruntur, in nulla *diœ-„cesana* lege ab Episcopis contingantur; id est, „nullam in illa esse Episcopi potestatem, nihil ex iis bonis posse sibi attribuere vel decerpere, Lex enim diœcesana nihil aliud significat, quàm auctoritatem & jus Episcopale, ipsi per suam diœcesin competens.

Ne autem sub prætextu Monasterii, reliquæ Basilicæ à Laicis fundandæ à lege *diœcesana* substraherentur, cautelam illam præsenti Canone comprehensam, addendam censuit Synodus: uti hæc latius deducit Franciscus Florens in tractatu de antiquo jure Patronatûs *pagin.* 90. & 91. ibidem unà notans, quòd Gratianus "hoc jus singulare tanquàm generale aliquod constitutum „per universam Ecclesiam produxerit, sicut & „eodem ingenio, ait, singularia quædam Privile-„gia à Gregorio I. certis Monasteriis tantùm con-„cessa, tanquam jus commune omnibus Ecclesiis „usurpavit, multis detractis, additis & suppositis. De quo plura ad *casum* 18.

Ecclesias sibi subjectas visitare debent Episcopi.

Quandoquidem Ecclesiæ omnes de jure communi gubernationi Episcopi subsint, consequens est, quòd Episcopus eas visitare teneatur; de quo duos Canones 9. & 10. hic Gratianus profert, quorum priore (qui tanquam ex *Concilio Toletano* refertur, de quo videnda Correctio Romana) dicitur: *Relata est coram sancta Synodo querimonia plebium, quòd sint quidam Episcopi nolentes ad prædicandum vel ad confirmandum suas per annum Parochias circumire, qui tamen exeunt ad mansiones, quibus in profectione uti debuerant.* Quæ duplex infamia, negligentiæ & avaritiæ, sanctæ Synodo magno fuit horrori. Contra hos decernit canon, ne quis *ultra exerceat id cupiditatis ingenium, & ut solicitiores sint Episcopi de suis gregibus visitandis.*

Per *mansiones* hìc intelligi *Procurationes* Episcopis visitantibus dandas observat Baluzius.

Annua sit visitatio Episcoporum.

Canone 1. ex Concilio Tarraconensi decernitur, ut antiquæ consuetudinis ordo servetur, & annuis vicibus diœceses ab Episcopis visitentur.

Episcopo impedito alteri committenda visitatio.

Secunda parte quæstionis prolato unico Canone 11. probat Gratianus Episcopum infirmitate gravatum, aut aliàs legitimè impeditum, alteri visitationis debere committere officium: *Presbiteros probabiles aut Diaconos mittat, qui reditus Basilicarum reparationes, & ministrantium vitam inquirant.*

Quid ab Episcopis in visitatione agendum.

Dein *parte* 3. proponit adducto canone Bracarensi, de quibus Episcopi in visitatione tum Clerum, tum Populum interrogare & instruere debeant: optandum esset, ut Episcopi ad normam hujus canonis visitationes instituerent, major sperari posset harum visitationum fructus.

Bona Ecclesiæ ad Laicos nullatenus pertinere probat Gratianus, sed ex apocryphis.

Cùm Gratianus hâc quæstione probâsset, quòd Basilicæ cum sua dote sint in potestate Episcopi, ideò *parte* 4. pluribus auctoritatibus probat, oblationes aliaque ad Ecclesias pertinentia in *Laicorum* dominio esse non posse, nec Laicos ea sibi usurpare posse.

Verùm adductæ auctoritates exigui aut nullius ponderis sunt: prima quippe Can. 13. desumpta ex Epistola Hieronymi ad Damasum Papam de oblationibus Altaris, eruditis passim suspectæ fidei est: uti & Decretum Damasi Papæ relatum canone 15. quod *tom.* 2. *Conciliorum General. col.* 885. rejicitur inter Decreta, quæ auctoritate Gratiani Damaso tribuuntur: quod canone 14. exhibetur sub nomine Calixti Papæ notant Correctores Romani, auctorem illius non posse esse Calixtum I. "cujus tempore, inqui-„unt, Pantheon nondum vocabatur templum „Mariæ Rotundæ... Bonifacius enim fuit, qui „tempore Phocæ Imperatoris illud Beatæ Mariæ „& omnibus Sanctis dicavit.

Ex præmissis auctoritatibus tandem concludit Gratianus: Ecclesiæ cum omnibus rebus suis „ad Episcopi ordinationem pertinere monstran-„tur, & tam Ecclesiæ, quàm oblationes & facul-„tates earum à Laicorum dispositione probantur immunes.

Certum est nec pristinis Ecclesiæ sæculis, neque hodie res temporales ad Ecclesiam spectantes, à Laicorum dispositione, sive ut minus superintendentia omnino fuisse aut esse immunes, uti latius ostendi in *Jure Ecclesiast. Part.* 2. *Tit.* 36. *cap.* 2.

Ne autem Episcopis crederetur concessa auctoritas, res Ecclesiæ pro suo arbitrio distrahendi, *Quæstione* 2. exponit *potestatem dispensandi intelligendam esse, non distrahendi vel dilapidandi.*

Refert inter cætera tres Canones 3. 4. & 5. de *precariis* agentes, quarum frequens in Conciliis Gallicanis, necnon Regum Galliæ capitularibus

V. Espen. Comment. ad Decret. Grat. H

ribus, atque formulis Marculfi Monachi aliorumque mentio occurrit. Præcipitur hic Canon 5. ut *precariæ de quinquennio in quinquennium secundùm antiquam consuetudinem & auctoritatem renoventur.* Refertur & hic Canon in *capit. 9. de precariis.* De origine harum precariarum, earumque naturâ & conditionibus, sub quibus olim concedebantur: & quomodo à *precario* & emphyteusi distinguerentur, latè agit Emmanuel Gonzales in commentario ad dictum *cap. 10. de precariis.* Item vir eruditus Bignonius in notis ad *lib. 2. cap.* 364. Regionis; testaturque Antonius Augustinus in notis ad *caput 1. de precariis* in prima decretalium collectione: *hoc genus contractûs ignotum veteribus Romanis, hodie quoque non agnosci.* Rectè quoque notavit cum Correctoribus Romanis, Decretum, quod à Gratiano refertur canone 6. sub nomine *Concilii Carthaginensis* in nullo Conciliorum Carthaginensium reperiri: licet & in Decretalibus ex Concilio Carthaginensi quoque referatur, auctoritate indubiè Gratiani.

Quomodo Episcopus res Ecclesiæ dispensare debeat.

Addit Gratianus canone 7. decretum Concilii Antiocheni ex versione Martini Bracarensis, de modo, quo Ecclesiæ facultates ab Episcopis sunt dispensandæ; de quo vide Tractatum Historico Canonicum Parte 2. cap. 1. §. 11. *ad Canonem 25. Antiochenum.*

Quæst. III. In visitatione subditos non debent gravare Episcopi.

At nonnulli Episcopi auctoritate suâ in Ecclesias sibi subjectas abutentes, eas variis exactionibus gravabant: contra hos agit Gratianus *Quæst.* 3. exhibens canones, quibus exactiones illæ Episcopis interdicuntur, moderatoque Cathedratico contenti esse jubentur; notandusque præ cæteris canon desumptus è concilio Cabilonensi II. can. 14. quo Episcopis præcipitur, ut in visitatione Parochiæ ab omni exactione temporali abstineant, & in omnibus ita se gerant, ut ostendant, se non lucra temporalia, sed Animarum quærere. Verba canonis sunt: "Cavendum est sanè, ne, cùm Episcopi per Parochias suas peragrant, quandam non solùm erga subditos; sed erga socios „tyrannidem exerceant, ne, quod absit, non cum „charitate, sed cum quadam jactantiæ temeritate; „nec cum gratiarum actione, sed cum quadam „judiciaria invectione stipendia ab eis exigant. „Observandum modis omnibus est, ut, si quando peragrandæ Parochiæ necessitas incumbit, „in confirmandis hominibus, in inquirendis rebus emendatione dignis, in prædicatione verbi „Dei, in lucris animarum, potiùs quàm deprædandis & spoliandis hominibus & scandalizandis fratribus operam dent, & si quando ad peragendum Ministerium suum à subditis aut fratribus aliquid accipiendum est; hoc summopere „observare debent, ne quem scandalizent aut gravent. Tanta ergo discretio in hac re tenenda est, „ut & verbi Dei prædicator, ubi proprii sumptus „desunt, à fratribus accipiat: & iidem fratres illius potentiâ non graventur, exemplo Apostoli „Pauli, qui, ne quem gravaret, arte & manibus „victum quærebat.

Porrò Gratianus, postquam primis quinque canonibus ostendit, Episcopos moderato Cathedratico debere esse contentos, monet ad calcem canonis 5. Cathedraticum, quod his auctoritatibus Episcopis permittitur exigere, præter medietatem vel tertiam partem oblationum, quæ etiam pro varia Ecclesiarum consuetudine ex præmissis auctoribus Episcopo debetur intelligendum esse, nec illa, ait, pars oblationum omnium „generaliter intelligenda est; sed vel anniversaria „dedicationis, vel quorundam etiam solemnium „dierum, prout inter Episcopum & Sacerdotem „tempore dedicationis convenerit. Cæterum de his juribus Episcoporum, & moderatione in his servanda latius egi in *Jure Eccl. part. 1. tit. 17. cap. 2.*

CAUSA UNDECIMA.

Redit hic Gratianus ad ordinem judiciorum.

Notavimus supra, quòd Gratianus à causâ secunda inchoaverit ordinem & formam judiciorum, quem levissimâ occasione sumptâ; ex quodam canone de *renuntiatione Episcopatus* mentionem faciente, intermiserat, insertis quatuor causis alio plane pertinentibus, septimâ, octavâ, nonâ & decimâ: nunc verò causâ undecimâ rursus ad ordinem & formam judiciorum, quem intermiserat, redire videtur.

Casus propositus.

Causam undecimam his verbis proponit Gratianus: "Clericus adversus Clericum quæstionem de prædiis agitavit, quam ad civilem judicem producere voluit: reus non nisi ante judicem Ecclesiasticum stare volebat: actor verò „potentiâ civilis judicis illum à possessione sua „dejecit: quo audito Episcopus eum ab officio „suo suspendit: ille contemptâ Episcopi sententiâ officium suum administravit. Hoc comperto „Episcopus sine spe restitutionis in eum sententiam dedit. Ex hoc casu sive causa Gratianus format tres quæstiones.

Quæst. I. An & quibus in causis Clericus coram civili Judice conveniri possit.

Quæstione 1. quærit: *Utrum Clericus ante civilem judicem sit producendus?* Quæstionem in tres partes dividit Gratianus: prima pars producitur a canone 1. usque ad canonem 26. cui hanc ex præcedentibus canonibus subjicit conclusionem: *Cum ergo his omnibus auctoritatibus Clerici ante civilem Judicem denegentur producendi, (cum nisi prius depositi vel nudati fuerint, curiæ non sint repræsentandi,) patet, quod ad sæcularia judicia Clerici non sunt protrahendi.*

Secundam partem inchoat à canone 27. & protrahit usque ad 30. inclusivè; cui subjicit conclusionem in modum objectionis, nimirum, quòd ex adductis auctoritatibus detur intelligi, „quòd in civili causâ Clericus ante civilem Judicem sit conveniendus: sicut enim Ecclesiasticarum legum Ecclesiasticus Judex est administrator; ita & civilium nonnisi civilis debet esse executor: sicut enim ille solus habet jus interpretandi canones, qui habet potestatem condendi „eos: ita ille solus civilium legum debet esse interpres, qui eis jus & auctoritatem impertit. In „criminali verò causâ nonnisi ante Episcopum est „Clericus examinandus. Et hoc est illud, quod legibus & canonibus supra definitum est, ut in „criminali videlicet causâ ante Judicem civilem „nullus producatur, nisi fortè cum consensu Episcopi sui, veluti quando incorrigibiles inveniuntur, tunc detracto officio, curiæ tradendi „sunt.

Postea à canone 30. usque ad canonem 47. respondet ad objecta, ac tandem variis auctoritatibus allegatis subnectit canoni 47. conclusionem generalem & finalem, nimirum quod Clericus ad publica judicia nec in civili, nec in criminali „causâ est producendus, nisi fortè Episcopus civilem causam decidere noluerit, vel in criminali „sui honoris cingulo eum nudaverit.

Distinguit insuper judicia *sæcularia*, in judicia *sæcularium negotiorum & sæcularium personarum.* Hæc Clericis interdicta esse, non autem illa

conclu-

concludit dicens: "Prohibentur ergo clerici à „cognitione negotiorum sæcularium virorum, „non sæcularium causarum: negotia quippe Cle„ricorum, sive criminalia, sive civilia fuerint „nonnisi apud Ecclesiasticum Judicem ventilan„da sunt.

Pleraque à Gratiano relata pro immunitate Clericorum à laicali Judicio aut sunt apocrypha, aut mutilata aut in alienum sensum detorta.

Pro hac conclusione plures Canones attulit Gratianus, sed apocryphos plurimos, aliquos mutilatos, & alios in sensum alienum contortos.

Ac 1. Canon 1. desumptus ex Epist. Caji.

Inter apocryphos occurrit in primis Canon 1, desumptus ex Epistola Caji Papæ ad Felicem Episcopum, notatque vir eruditus Franciscus Florens Antecessor Parisiensis in doctissimo hujus quæstionis commentario; incredibile merito videri Episcopum Romanum circa Annum 285. Imperante Diocletiano (quando Pontificatum gessit Cajus) sibi tantam auctoritatem sub Imperatore pagano & persecutore Christianorum vindicasse, ut statueret: *Nemo unquam Episcopum apud Judicem sæcularem, aut alios Clericos accusare præsumat*, prout hic legitur; cum nequidem sub Christianis Imperatoribus tantum juris sibi tribuerent, uti in præfatione citati commentarii Florens ostendit.

Item Canon 3. ex Concilio Aurelianensi, sed mutilate

Non majoris est ponderis Canon 3. desumptus ex falsa decretali Marcellini Papæ, quem reperiri in Concilio Aurelianensi III. notant Correctores Romani, sed clausula posteriori nonnihil mutata: hìc enim apud Gratianum legitur: *Nec Laico quemlibet Clericum liceat accusare.* In Concilio autem legitur Canone 32. *Neque Laico inconsulto sacerdote, Clericum in sæculare judicium liceat exhibere;* quæ lectionis varietas evidenter diversum sensum Canoni affingit, notatque citatus Florens, quod verba, prout à Gratiano exhibentur, "Repugnent plane disciplinæ Eccle„siasticæ illorum temporum, & Canonibus gene„ralibus Conciliorum, ipsique rationi.

Uti enim à Gratiano exhibentur, significatur quod Laicus ut *Actor* nequeat Clericum inconsulto Episcopo, ad Judicem publicum seu civilem vocare; quod disciplinæ illorum temporum contrarium esse recte notavit citatus Author: at prout legitur in Concilio, evidenter agitur de Clerico *Actore*, qui Laicum coram Judice civili convenire vult: quod inconsulto Episcopo fieri videatur, conformiter ad ætatis illius disciplinam, quæ Clericis non permittebat pro rebus temporalibus, inconsulto Episcopo, ad publicos Judices suos debitores trahere.

Item Canon 4. qui falso Concilio Nicæno aut Julio Papæ adscribitur.

Inter apocrypha merito & reponitur Canon 4. exhibitus sub nomine Concilii Nicæni, quem inter canones Nicænos hodie non reperiri monent Correctores Romani, una tamen notantes, canonem hunc referri à Julio in rescripto contra Orientales: at hoc Julii rescriptum supposititium esse scitur: in hoc canone legitur: "Judices autem alii esse non debent, quàm quos ipse, qui „impetitur, elegerit; aut quos suo cum consensu „hæc sancta Sedes aut ejus Primates auctoritate „hujus sanctæ sedis delegaverint. Cum autem agatur hoc canone de elegendis Judicibus, à quibus Clerici essent judicandi, non sine fundamento conjicit Florens *pag.* 13. "compositum & con„fectum ex parte fuisse hunc canonem ex anti„quo more judiciorum Ecclesiasticorum in Afri„ca, qui fuit, ut si adversus Episcopum vel cle„ricum Episcopus vel clericus conveniretur civi„li vel criminali judicio, ab aliis Episcopis vel „clericis interrogaretur reus, utrum apud Epis„copos agere, & quos eligere vellet. Insuper merito observat Florens, hic affectatam inepte Pontificis Romani in eligendis Judicibus auctoritatem, quæ vel Episcopis, vel Metropolitanis, qui in Africa *Primates* vocabantur, competebat, ut vel hic videamus manum adulatricem ipsius Isidori.

Item Canones 7. & 14. ex supposititiis Marcellini & Alexandri.

Apocryphis quoque annumerandus canon 7. qui à Gratiano primitus assignatus fuit *Bonifacio ad Episcopos Galliæ*: at correctores Romani posuerunt: *Item Marcellinus Epistola secunda ad Episcopos Galliæ*: notantque priorem hujus canonis partem in hac Epistola extare: sed eam supposititiam esse non dubitatur hodie uti & Epistolam Alexandri è qua descriptus est canon 14. atque utramque adumbratam esse ex verbis Apostoli 1. *ad Corinth.* 6. notavit Franciscus Florens, quamvis utraque plurimum à verbis & mente Apostoli recedat. Apostolus enim eo loco increpat fideles, quod apud Ethnicos & infideles Judices litigarent, sed nequaquam præcipit aut hortatur, ut clericos, seu Ecclesiasticos viros litibus judicandis & decidendis præponant, quemadmodum harum decretalium auctores supponere videntur, dum ex verbis Apostoli deducunt, solos Judices Ecclesiasticos causis dijudicandis esse præponendos, quos idem Apostolus à libitu & strepitu forensi maxime abhorrere debere unicè monet.

Item Canon 8. falso adscriptus Bonifacio Papæ

Falso canon 8. tribuitur Bonifacio ad Episcopos Galliæ, sed desumptus est ex *Novella* 123. *cap.* 7. *Justiniani*, quamvis Gratianus non referat ejus verba, sed Justiniani veteris interpretis, qui Justiniani Novellas in epitomen redegit, & inter hujus Novellas refertur ordine 115. è cujus capite 10. hic canon totidem verbis descriptus, omissa tamen hac clausula, *nisi Imperialis Jussio præcesserit*; sive ut legitur cap. 8. citatæ Novellæ: *Neque pro qualibet pecuniaria causa vel criminali Episcopum ad Judicem civilem aut militarem invitum producere aut exhibere* citra imperialem jussionem permittimus: *qua clausula evincitur, quod juxta hanc Novellam Rescripto Principis Episcopum evocari posse litis causa ad Judicem civilem vel militarem, ut hic notat Dionysius Gothofredus.*

Item Canones 9. 10. & 33 ex Pseudo-Synodo Romana sub Sylvestro

Referuntur canones 9. 10. & 33. ex Pseudo-Synodo Romana, aut ejus Epilogo sub Sylvestro Papa, quorum hæc est sententia, quod Laici adversus Clericos in testes & accusatores recipiendi non sunt, nec Clerici Clericos coram Judice sæculari ullatenus accusare possint, diciturque Canone 10. *Si quis Clericus accusans Clericum in curiam introierit, anathema sit.* Monet autem Gratianus ad calcem Canonis: "Subaudien„dum est, si publicorum Judiciorum cognitio„nem petierit: Episcopale namque judicium ni„hil obest ab Imperatore postulare.

Hanc distinctionem ut probet Gratianus subjicit Canone 11. Decretum sub nomine *Concilii Carthaginensis* VIII. sed eo nomine significari Milevitanum Concilium monet correctio Romana At in codice Ecclesiæ Africanæ extat Canone 104. ex Concilio Carthaginensi Anni 407. eoque decernitur, ut, *quicunque ab Imperatore cognitionem publicorum negotiorum petierit, honore proprio privetur: si autem Episcopale Judicium ab Imperatore postulavit, nihil ei obsit.* Vide Scholion ad hunc Canonem in Tractatu Historico Canonico sæpe citato.

Relato autem hoc Canone monet Gratianus: „Sic & sequentes auctoritates intelligendæ sunt, „quibus Clericorum causas non nisi Clerici cog„noscere jubentur.

Item Canones 20. 30 & 32. ex falsa decretali Clementis Papæ.

Non majoris ponderis quàm hactenus relati, sunt Canones 29. 30. & 32. ex falsa decretali Clementis Papæ ad Jacobum fratrem Domini, tenduntque ad interpretationem supra citati capitis 6. Epistolæ ad Corinthios, in qua Paulus Christianos omnes, tam Clericos, quàm Laicos, quantum valet à litibus deterret. Unde & in citatis Canonibus, Petrus inducitur alloquens Clementem, ut ab omni strepitu judiciorum abstineat, & soli Ecclesiæ vacet: impietatis enim crimen esse, ait, Episcopum, neglectis verbi Dei studiis, sollicitudines suscipere sæculares. Unde hæc Clementis decretalis, generaliter interdicit Episcopis negotiorum *sæcularium* tractationem: proinde male à Gratiano restringitur ad cognitionem negotiorum sæcularium virorum, non sæcularium causarum: ut hoc pacto accommodet Canones ex hac pseudo-decretali confectos ipsamque confictam decretalem conclusioni quam subjungit Canoni 47. "Negotia Clericorum si„ve criminalia sive civilia fuerint, nonnisi apud „Ecclesiasticum Judicem ventilanda sunt. Hæc latius deducit citatus Franciscus Florens, una notans quod *Sæculo* Imperatorum constitutionibus inductum esset, ut in rebus quæ ad religionem & *Fidem*, aut *disciplinam* Ecclesiasticam pertinerent, Episcopi soli cognoscerent, tam inter Clericos, quàm Laicos, cujuscunque conditionis forent: in reliquis vero negotiis Magistratuum tribunalia omnes omnino Clerici adire tenebantur. Solis Episcopis Constantinus primum indulsit, ne coram publicis Magistratibus convenirentur, nisi jussu Imperatoris nominatim judices delegarentur in causis criminalibus gravioribus.

Non tantum apocrypha plura impendit hic Gratianus; sed & ex authenticis monumentis deprompta mutilat, & nonnunquam in alienum sensum detorquet.

Item Canon 5. in alienum sensum detortus.

Exemplo sit Canon 5. desumptus pro sua parte ex *L. 3. Codic. Theod. de Episcopali judicio?* sed mutilatus, & in alienum sensum à Gratiano detortus: nam post hæc verba Canonis: *habent enim illi* (Episcopi, vel qui necessitatibus Ecclesiæ deserviunt) *Judices suos, nec quidquam his, publicis est commune cum legibus*: omisit quod præcipuum erat in ipsa lege: *quantum ad causas tamen Ecclesiasticas pertinet, quas decet Episcopali auctoritate decidi*: quod & plenius in integra lege explicatur, ut scilicet, quibuscunque mota fuerit *quæstio, quæ ad Christianam sanctitatem pertineat, eos deceat sub eo Judice litigare, qui præsul est in suis partibus omnium Sacerdotum, id est, Ægypti diœcesim*, scilicet Timotheo Alexandrino Episcopo: *quidquid vero negotiorum aliunde inciderit* à præfecto Augustali decidi mandat.

Itaq; ex legis contextu clarum est, in hac lege probari distinctionē, quæ occurrit in *L. 1. Cod. Theod. de Rel.* ut in omnibus causis ad religionem pertinentibus, Episcopale Judicium adeatur, in reliquis vero negotiis Judices publici sive sæculares.

Hinc patescit, Gratianum detorsisse hunc textum in sensum omnino alienum, dum ex illo concludere vult generaliter & indefinite, ad sæcularia judicia nullum Clericum esse protrahendum ut habet summarium Canonis.

Pars altera Canonis desumpta est ex historia Ecclesiastica Rufini, qui plenius historiam enarrat; cujus hic duntaxat summa refertur, & cujus mentio tum apud Gratianum, tum apud alios Canonum collectores passim adducitur, ut probent Constantinum credidisse se de Episcoporum excessibus judicare non posse.

Verum si historia, prout à Rufino refertur, penitius expendatur, non de gravioribus criminibus, sed de solis jurgiis & simultatibus inter Episcopos exortis agi deprehendetur. de quibus Constantinus judicium ferre recusavit, non tantum propter summum honorem, quem exhiberi Episcopis voluit, sed etiam, ut ipse pronuntiavit Constantinus, ut omissis hujuscemodi contentionibus, illa, quæ ad fidem pertinerent tranquillo & pacifico animo deciderent, prætermissis hisce jurgiis & contentionibus.

Plura alia notanda exempla mutilatorum; & in alium sensum detortorum Canonum hac quæstione occurrentia exponit citatus Florens.

Ideo tot apocrypha & mutilata à Gratiano adducta sunt, quod ejus scopo congruerent.

Nec mirum videri debet Gratianum tot apocrypha mutilata. & in alienum sensum detorta adduxisse hac quæstione: cum enim propositum esset Gratiano, Episcoporum jurisdictionem & Clericorum immunitatem, sive privilegia fori amplificare, non dubitavit adducere ea, quæ confictis decretalibus magna copia continebantur; nec-non quæ apud recentiores Collectores Isidorum secutos reperit conducentia ad hanc amplificationem.

Hanc quæstionem magna eruditione commentatus est Franciscus Florens.

Cæterum etiam ipse Franciscus Florens exacti us & pressius in citato commentario hujus quæstionis segregavit summa diligentia & eruditione Canones apocryphos à sinceris & & mutilatos ad suos fontes & integritatem reduxit, singulosque suæ respective ætati assignavit, atque ita ostendit, quæ sensim labentibus sæculis circa jurisdictionem Ecclesiasticam & forum Clericorum varietas contigerit, ut merito hic commentarius pro absoluto tractatu de jurisdictione Ecclesiastica reputandus sit, in quo plurima admodum notanda, & magna eruditione referta occurrunt, quæ legisse non pœnitebit.

Conclusio ex tot apocryphis à glossographo ipsisque Pontificibus deducta.

Interim glossographus, & alii juris interpretes non distinguentes falsa à veris, vel mutilata ab integris, secuti simpliciter auctoritates, prout in Gratiani Decreto extabant, concluserunt, Clericum *in omnibus causis criminalibus* indistincte, & in civilibus, solis pene feudalibus exceptis, coram Judice Ecclesiastico conveniendum, quin nec huic privilegio fori renuntiare posse: uti & Pontifices, quorum resolutiones in decretales sunt relatæ, responderunt, secuti similiter auctoritatem Decreti Gratiani; à quibus tamen usu fori signanter Belgici multum recessum est, uti in *Jure Eccl. Part. Tit.* 1. annotavi.

Quæst. 2. & 3. Qua pœna dignus sit Clericum coram Judice sæculari conveniens.

Resoluta prima quæstione, utrum Clerici ad civilem Judicem sint vocandi, proponit secundam, utrum Clericus suspensione dignus sit, qui Clericum à suo Episcopo ad Judicem sæcularem at traxerit.

Huic quæstioni in textu subjungit Gratianus: „quod vero culpa illa suspensione digna sit, ex „capitulo illo Milevitani Concilii liquido cōstat „si enim communione privandus est qui Clericum ante civilem Judicem crediderit protrahen„dum; multo magis suspensione dignus est, qui „sui Episcopi Judicium sæculare protrahere non dubitavit.

Hanc quæstionem sufficienter solutam existimans Gratianus, immediate proponit tertiam his verbis: "Sed ponatur quod hæc culpa sus„pensione digna non fuerit; quæritur, utrum sit „deponendus, qui officium contra prohibitionem Episcopi celebrare ausus est?

Occasione arrepta, agit

Occasione suspensionis & depositionis, quam in casu posito meruisse posset Clericus tractat hic Gratianus

hic Gratianus de excommunicatione.

Gratianus de excommunicatione & reconciliatione excommunicatorum, dividens quæstionem in decem partes.

Primam partem præcipuè impendit ad probandum, quod excommunicati ab omnibus vitandi sint.

Quid agendum illi, qui se injustè excommunicatum credit.

Et quidem quod is, qui se injustè excommunicatum credit, possit quidem querelam suam coram Synodo Episcoporum proponere, sed tamen interim donec causa finita & judicata sit, à communione abstinere, & Episcopo obedire teneatur in cujus probationem adducit Canones 2. & 6. ex Concilio Antiocheno, cujus Canonem 4. relatum Canone 6 exhibet rursus Canone 7. ex versione Martini Bracarensis, tanquam ex Concilio Martini Papæ. Addit eundem in finem Canone 4. Decretum Concilii Sardicensis, Item Canone 5. Concilii Carthaginensis II. Can. 8. qui in Codice Africano conficit Canonem 11.

Porro Canones hos non parum mutilatos & ab originali discrepantes referre Gratianum, ex notis Correctorum Romanorum videri potest.

Observant quoque hi Correctores Canonem 9 à Gratiano relatum ex *Concilio Africano*, non reperiri in Concilio, quod hodie inscribitur *Africanum*; sed haberi in Codice Africano Canone 29. de quo vide Tractatum Historico Canonicum ad dictum Canonem.

Gratianus Canone 11. 12. 14. 15. 16. & 17. adducit plura fragmenta ex falsis decretalibus, quæ non obscurè manum recentiorem ostendunt ac notanter Canone 14. ex decretali Anteri Papæ, in qua dicitur, quod in veteri quidem lege non obtemperans sacerdotibus, aut extra castra positus, lapidabatur à populo, *aut gladio cervice subjecta contemptum expiabat cruce: nunc vero inobediens spirituali animadversione truncatur, & ejectus ab Ecclesia, rabido dæmonum ore discerpitur.*

De modo quo excommunicati possunt innotescere.

Adducit tandem Canone 20. decretum sub nomine Honorii Papæ, quo præcipitur, ut *curæ sit omnibus Episcopis excommunicatorum omnium nomina, tam Episcopis vicinis, quàm suis Parochianis pariter indicare, eaque in celebri loco posita præ foribus Ecclesiæ cunctis convenientibus inculcare; quatenus in utraque diligentia, & excommunicatis ubique Ecclesiasticus aditus excludatur, & excusationis causa omnibus auferatur.*

Decretum hoc non posse tribui Honorio II. rectè notavit Stephanus Baluzius, cum referatur Burchardo, Anselmo & Ivone, qui ante Pontificem hunc scripserunt. Neque inter Epistolas aut decreta Honorii I reperitur; nec mirum, cum illud sit pars prior Canonis decimi Concilii Ravennatensis Anni 877. Præside Joanne Papa VIII celebrati quod & extat *tom. 9. Concil. General. colum.* 299. ipsum Canonem Ivo *part.* 14. sui decreti *cap.* 65. rectè tribuit Joanni VIII. in Concilio apud Ravennam, quem eadem parte *cap.* 113. falso tribuerat Honorio: Gratianus verisimiliter hoc decretum viderat apud Ivonem hic citatum sub nomine Honorii, & sine ulteriori reflexione ita retulit in suum Decretum. Interim certum est simili aliqua forma usos Episcopos jam pridem fuisse, ut excommunicati innotescerent, & ab omnibus vitari possent, signanter, nominatim & per sententiam excommunicati, de quibus hic agit Gratianus, & ad quos ad calcem dicti Canonis generalia asserta de vitandis excommunicatis restringenda monet his verbis: *Verum hoc de* NOMINATIM *excommunicatis intelligitur*: Addit insuper, " excommunicationis

Qui excommunicati vitandi.

„pœnam dupliciter subimus, & dum reatum incurrimus, & dum sententiâ notamur.

In probationem sui asserti (à quo inchoatur *pars secunda*) refert verba Origenis sub nomine S. Hieronymi, uti & Canone sequenti: quia ipse Hieronymus homilias Origenis latinas fecit, uti notant Correctores Romani.

Distinguitur in hunc finem multiplex excommunicatio. Alia est coram Deo, alia coram hominibus.

Priore itaque Canone dicitur dupliciter aliquem ob crimen admissum tradi satanæ: uno modo *cum delictum ejus manifestum sit Ecclesiæ, & per Sacerdotem pellitur de Ecclesia ut notatus ab omnibus erubescat.... alio modo.... cum peccatum ejus manifestum non fit hominibus, Deus autem, qui videt in occulto... talem tradit Satanæ.*

Hoc testimonio relato concludit: *Cum ergo, per sententiam quis nominatus fuerit, cum eo communicare non debemus: cum autem solo reatu*, occultæ *excommunicationis contraxerit pœnam, non est ab ejus communione cessandum.*

Adductis deinde auctoritatibus, quibus probatur, malos in Ecclesia nonnunquàm tolerandos, ne eradicando zizania eradicemus simul & triticum: tum rursus concludit ad calcem Canonis 24. Evidenter itaque ex præmissis apparet, „quod eorum communionem vitare non cogimur, qui sententia notati non sunt.

Alia separat à consortio fidelium.

Addit dein, quod ipsius sententiæ notatio multipliciter intelligatur: "aliquando enim ait, arcetur quis à liminibus Ecclesiæ, & à communione „*Corporis & Sanguinis Christi*, vel *teste conscientia* juxta illud Apostoli: *probet se homo* &c.

Alia tantum privat communione Corporis Christi.

Interdum " sententiâ Ecclesiastica, sicut pœnitentes, quibus tempore finito beneficium reconciliationis impenditur. *Hæc sententia excommunicatio vocatur: quia à communione Corporis & Sanguinis Christi notatum prohibet... qua sententia non separatur quis à consertio fidelium.*

Est, ait, & alia sententia, quæ *anathema* vocatur quâ quisque separatur à consortio fidelium.

De hac sententia intelligendos esse Canones vetantes communicare cum excommunicatis monet. Hanc distinctionem excommunicationis multis auctoritatibus ibidem indicatis, probatam esse asserit: notans quæ de una, & quæ de altera excommunicationis specie intelligenda sint.

Post hæc subjungit duos Canones, nimirum 25. & 26 quibus probet, quod *communicare non liceat iis, qui excommunicatis communicant* uti habet summarium Canonis prioris, monetque ad calcem Canonis posterioris: " sed hoc specialiter in his, qui excommunicatis *nominatim* „communicant.

Speciale Decretum Concilii Toletani circa vitandos excommunicatos.

At speciale est id in posteriore Canone ex concilio Toletano, quod cum Laico aut Clerico abstento communicare, duntaxat vetentur Clerici vel Religiosi, declaratque quod " hoc pertineat „ad eos Clericos, qui ejusdem Episcopi sunt, & „ad omnes, qui commoniti fuerint, de eo qui abstinetur, sive Laico quolibet, sive Clerico. Ex hoc Canone tria elici posse videntur. Primo abstentum seu excommunicatum à Clericis tantum & religiosis, non vero à laicis debuisse vitari. Secundùm, quod præcepto de vitando excommunicato tenerentur tantum clerici diœcesani Episcopi excommunicantis. Tertium quod præter Clericos & religiosos, qui generaliter tenebantur vitare excommunicatum, jusesset Episcopo cuilibet laicorum (prout ipsis videbatur expedire) speciali commonitione prohibere communionem cum excommunicato, &c.

An & quousque injusta excommunicatio sit servanda.

Post hæc progreditur Gratianus referre canones de excommunicatione loquentes, ac præsertim eos, qui dicunt excommunicationem, quam quis putat injustam, esse servandam, quousque vel ab excommunicante, vel à Synodo, vel alio superiore absolutionem meruerit, vel declarata fuerit excommunicatio injusta.

Auctoritates plures hic adducit, at partim apocryphas aut dubias, partim alio spectantes.

Inter apocryphas recensendum, quod Can. 27. adfertur ex Epistola Urbani I. *cap.* 5. quam inter putridas pseudo-Isidori merces referunt passim eruditi.

Adducta Canone 28. ex Synodo VIII. non haberi in ulla Synodo quæ VIII. dicitur, notant Correctores Romani, qui una monent, quod „multa, quæ à Gratiano ex Synodo octava citantur, in regulis Basilii Isidori, & aliis ad Monachos „pertinentibus inventa sint. Et quidem præsentis Canonis verba ex regula magistri [quam integram edidit Lucas Holstenius in codice regularum) accepta esse apparent, ubi *cap.* 13. legitur: „Si quis verò Frater, aut palam, aut absconse cum „eo [Monacho excommunicato) fuerit collocu„tus aut junctus, communem statim cum eo ex„communicationis contrahat pœnam, & ab om„nibus ipse reus sit. Hic latius de excommunicatione Monachorum agitur, de quo plura quoque tradit notatu digna Hugo Menardus in notis ad concordiam regularum, & nonnulla notavi in *Jure Eccl. part.* 3. *tit.* 11. *cap.* 5. Exiguæ & suspectæ quoque fidei sunt quæ Canone 37. sub nomine *Gelasii* & Canone 38. sine nomine auctoris præfixo nomine *Palea* adducuntur.

Ex Concilio Carthaginensi II. relatum Canone 29. spectat ad evitationem excommunicati, & adductum canone 56. ex Carthaginensi V. ad clericos de crimine infamatos, se in Synodo purgare recusantes: de quo consuli potest sæpè citatus tractatus ad Canonem 39. Codicis Africani. Denique sub nomine Milevitani concilii II. relata Canone 34. præscribunt, ut clericis, qui se injustè excommunicatos queruntur, querelas suas instituere & appellare liceat.

De gravitate pœnæ excommunicationis.

Gravitatem pœnæ excommunicationis ostendit Augustinus adductus Canone 32. & 33. atque. *Nihil debet sic formidare Christianus quam separari à Corpore Christi*; quod contingit per justam excommunicationem.

Licet inter adducta sint paucissima, quæ probent sententiam licet injustam, esse servandam, tamen quia id præcipuè præ oculis habuisse apparet Gratianum, subjicit tandem Canoni 40. discursum quo ostendat, quo sensu intelligendum sit, sententiam licet injustam, esse servandam: „Præmissis auctoritatibus [ait) quibus injustæ „sententiæ usque ad examinationem utriusque „partis, parere jubemur, ita respondetur. Gre„gorius [in Canone 1.) non dicit sententiam in„juste latam esse servandam, sed timendam, sicut „& Urbanus [in Canone 27.] timenda est er„go, id est *non ex superbia contemnenda*. Reli„quæ vero auctoritates de excommunicatis lo„quuntur, qui vel vocati ad synodum venire con„tempserunt, vel calliditatibus adversantium oc„currere nescientes, injustam sententiam à Judice „reportaverunt, vel qui neglectu suæ vitæ sini„stram de se opinionem nasci permittentes, sen„tentiam in se exceperunt. Hos siquidem „solos excommunicationis sententia ferire li„cet.

Tum tres Canones allegat, quibus probet, ex levibus causis neminem excommunicandum: „nemo Episcoporum quemlibet sine certa & manifesta peccati causa communione privet Ecclesi„astica. Sub anathemate autem sine conscientia „Archiepiscopi aut Coëpiscoporum nullum præ„sumat ponere, nisi unde *Canonica docet auctoritas*: quia anathema est æternæ mortis damnatio, „& nonnisi pro mortali debet imponi crimine, „& illi qui aliter non potuerit corrigi, uti loqui„tur Canon 41. ex Concilio Meldensi. Quam hæc parum conveniunt cum hodierna excommunicationum frequentia, præsertim latæ aut ferendæ sententiæ.

Quam ob causam ferri possit excommunicatio?

His præmissis in parte sua 4. subjecta Canoni 43. monet: *De his* [*hoc est juste excommunicatis*] *inquam, & hujusmodi, præmissæ auctoritates loquuntur, non de injuste suspensis*; id est auctoritates, quæ dicunt, sententiam excommunicationis esse timendam & servandam.

Quo sensu sententia injusta pastoris non sit timenda.

Ut hoc amplius probet, pluribus auctoritatibus ostendere pergit, quod *sententia Pastoris reum vel innocentem non constituat vel faciat*, uti habet titulus Canonis 44. imo Canone 46. dicitur sub nomine Gelasii Papæ: " Si injusta est sententia, tanto eam curare non debet, quanto apud „Deum & Ecclesiam ejus neminem potest iniqua „gravare sententia.

Et ex Augustino Can. 50. " Quid obest ho„mini, quod ex illa tabula non vult eum recita„re humana ignorantia, si de libro vivorum non „eum delet iniqua conscientia.

Plura hanc in rem congerit Gratianus, ut evincat sententiam injustam non esse homini Christiano timendam sed unice ipsi esse timendum, ne mala conscientia apud Deum ligetur: nec multum curandum, quæ sit hominum de nobis opinio, modo, nullo nos conscientia accuset.

Cum autem Canone 55. ex S. Gregorio dixisset, non esse curandum, si ob opus nostrum interdum aliqui scandalizentur; eosque tanquam cæcos & Duces cæcorum dimittendos, monet ad calcē ipsius Canonis, " hoc inter eos observan„dum esse, qui parati sunt suspicari quod non vi„dent, parati semper reprehendere, nunquam „imitari; apud alios autem conscientia est necessa„ria nobis, fama illis.

Postremam hanc partem probat Canone 56. verbis S. Augustini, quibus docet, sanctos non tantum debere esse solicitos, ut se à crimine coram Deo immunes custodiant, sed etiam bona provideant coram hominibus, concludens *nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra*.

De servanda excommunicatione etiam injusta varia refert Gratianus in speciem contraria

Tandem ad calcem Canonis 64. „Ex his da„tur intelligi, quod injusta sententia nullum alle„gat apud Deum; nec apud Ecclesiam ejus ali„quis gravatur iniqua sententia, sicut ex Gelasii „capite (in Canone 46.) habetur; non ergo ab „ejus communione abstinendum est; nec ei ab „officio cessandum, in quem cognoscitur iniqua „prolata sententia. „ Ex his dictis quærit: cur „ergo capitula Carthaginensis & Africani, atque „aliorum Conciliorum prohibent injuste damna„tum in communionem recipi ante Judicii exa„minationem? Cur & illud in Concilio Mogun„tinensi statutum est?

Tum subjungit Canone 65. decretum sub nomine Concilii Moguntini, quod extare in concilio Toletano IV. *cap.* 27. monet correctio Romana; reperiturque hodie apud Labbeum *cap.* 28.

Hoc decreto præcipitur, „ ut si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, à gradu suo injuste de-

jectus

„jectus, in secunda Synodo innocens reperiatur, „non possit esse quod fuerat, nisi gradus amissos „recipiat de manibus Episcoporum coram Al„tari: si Episcopus est, orarium annulum & ba„culum: si presbyter, orarium & planetam: si „Diaconus, orarium & albam: si Subdiaconus, „patenam & calicem; sic & reliqui gradus in repa„ratione sua recipiant ea, quæ cum ordinarentur, „perceperant.

Apud Labbeum *tom. 5. Concil. General. col.* 1714. notatur in margine, pro *secunda* in aliquibus legi, *sancta*; item quod planeta sit, quam alias *casulam* vocamus: Item pro, *in reparatione sua*, legitur, *in reparationem sui*: quæ lectio non obscure innuit, hanc instrumentorum redditionem adhiberi, non ad reordinationem, sed ad Ministerii restitutionem: quemadmodum in ipsa ordinatione hæc instrumenta jam tradi creditum fuit, non quasi in eorum traditione materia aut forma essentialis ordinis consisteret sed ut documenta potestatis acceptæ, & pignora exercendæ, uti loquitur Morinus *de SS. Ordinat. part. 3. exercit. 7. cap. 1.*

Ut illa conciliet, ostendit sententiam multipliciter posse dici injustam.

Hæc in speciem contraria conciliare volens Gratianus monet ad calcem hujus Canonis 65. sententiam variis modis posse dici injustam: pri„mo enim sententia aliquando est injusta ex *ani„mo* proferentis, justa vero ex *ordine & cau„sa*... puta cum aliquis servata integritate ju„diciarii ordinis in adulterum, vel in quemlibet „criminosum, non amore justitiæ sed livore odii „vel pretio, aut favore adversariorum inductus „sententiam profert.

Alia est injusta ex animo proferentis; licet ex causa & ordine justa sit.

Hac occasione multis Canonibus ostendit Gratianus, quod Judex non ex cupiditate, vel passione sed amore justitiæ in ferenda sententia, & administratione justitiæ procedere debeat: ac demum Canoni 72. subjicit hanc conclusionem: " Huic „itaque sententiæ, quæ non amore justitiæ sed ex „alia qualibet causa fertur in quemquam, humi„liter obediendum: quia nimirum servato ordine judiciario, & ex justa causa lata est, licet Judex ex proprio vitio, non amore justitiæ sed odio aliave passione mala eam protulerit.

Alia est injusta ex ordine, sed justa ex causa.

Gratianus prosequens divisionem injustæ sententiæ ad calcem Canonis 73. ait: " Item senten„tia est injusta ex ordine, quando non servato ju„diciali ordine, quilibet pro sua culpa damnatur.

In probationem hujus asserti refert Gratianus, aliquos Canones quibus probet, sententiam non esse nisi ex probatis proferendam, nec-non auditis, ac examinatis ipsis accusatis intermixtis nonnullis apocryphis, ac signanter, quæ Canone 76. refert ex Epistola Damasi Papæ, de qua in nota marginali *tom. 2. Concil, general. colum.* 882. ait Labbeus: *Commentum est Mercatoris, non sancti Damasi Epistola.* Et quod Canone 77. citat ex Synodo VIII. esse Isidori monet Correctio Romana.

Relatis hisce auctoritatibus concludit Parte 6. ad calcem dicti Canonis 77. " Cum ergo sen„tentia *ex ordine*, injusta est, sed justa ex causa, „*nec tunc ab ea recedendum esse*, quia etiam, an„tequam sententia daretur in eum, pro qualita„te reatus sui ligatus apud Deum tenebatur, Ex„emplum ponit: si adulter sententiam pro sacri„legio, (hoc est dum revera adulterium commi„sit non sacrilegium) reportet, cujus reatum in „conscientia non habet: hæc sententia, ait, etsi „injusta sit quia non est in eo crimen super quod „lata est sententia, tamen juste ab eo reportata est, „quia ex reatu adulterii jam diu apud Deum ex„communicatus fuerat. Credit autem Gratianus de hac sententia injusta *ex ordine*, sed justa ob *causam* intelligi S. Gregorii dictum in Canone 1. *Sententia Pastoris sive justa, sive injusta fuerit, timenda est.* At si integer textus Gregorii [quem etiam hic ex *homilia 26. in Evangel.* profert Gratianus) ritè expendatur, id unice intendit S. Doctor, non facile spernendam Pastoris sententiam, sed timendam à subdito, ne forte dum credit eam esse injustam, revera apud Deum justa sit: *Nec Pastoris sui judicium*, inquit Gregorius, *temere reprehendat: ne, etsi injuste ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat.*

Sententia Gratiani de timenda sententia injusta non congruit textui Gregorii.

Nequaquam proinde congruit sententiæ Gratiani textus S. Gregorii quasi excommunicatus ob certum crimen in sententia expressum, se pro excommunicato gerere deberet, dum certum esset, se a crimine illo esse plane immunem, tametsi ob aliud crimen soli Deo notum, & super quo in Judicio nunquam fuit accusatus, aut auditus, se coram Deo esse reum & excommunicatum agnosceret.

Alia denique sententia injusta est ex causa.

Proponit deinde Gratianus tertiam speciem injustæ sententiæ, quando " nullum subest crimen „& tamen vel odio Judicis vel factione inimico„rum oppositam sibi sententiam damnationis „in se excipit.

Occasione cujus ostendit, quot modis judicium Judicis pervertatur, quamque grave sit, ex perverso Judicio sententiam proferre aut etiam falsum testimonium dicere, vel veritatem occultare: sed pauca sunt, quæ pertinent ad judicialia: et pleraque unicè probant, eum, qui verbo aut opere veritatem aut justitiam negat, etiam Christum negare; atque Canone 84. ex Hieronymo scribit: *Christus sapientia est, Justitia, veritas, sanctitas, fortitudo. Negatur per insipientiam Sapientia, per iniquitatem justitia, per mendacium veritas, per turpitudinem Sanctitas, per imbecillitatem animi fortitudo.*

Hæc excommunicantem potius quàm excommunicatum lædit.

Pluribus in hanc rem relatis [sed aliquibus non suis auctoribus assignatis ut observant Correctores Romani) subjungitur Canoni 86. *Hæc Sententia* (nimirum injusta ob defectum causæ [*potius Judicem lædit, quam eum in quem temere fertur.*

Probat id Canone 87. in quo ex sancti Augustino dicitur: " Si quisquam fidelium fuerit ana„thematizatus injuste, potius ei oberit, qui facit, „quàm qui hanc patitur injuriam: Spiritus enim „sanctus habitans in sanctis, per quem quisque „ligatur aut solvitur, immeritam nulli ingerit pœnam.

Et Canone 88. ex sancto Gregorio ostendit, quod Prælatus, cujus vita officio non congruit, sæpius alios *ipse ligatus* damnet immeritos.

Et Canone 89. ex pseudo-decretali Calixti Papæ probat, *viribus carere sententiam injuste prolatam*, ut habet Canonis summarium.

Et Canone 90. ex Augustino: *qui justus, & injuste maledicitur, præmium illi redditur.*

Huic Canoni subjicit Gratianus: „ Hic etsi, ut dictum est, non teneatur ligatus apud Deum, „sententiæ tamen parere debet: ne ex superbia ligetur, qui prius ex puritate conscientiæ absolutus tenebatur.

Hæc Gratiani assertio congruit cum eo, quod supra ex S. Gregorio diximus. cæterum de sententia excommunicationis licet injusta, ob scandalum ex ejus contemptu timendum, merito tenenda, sive non contemnenda latius egimus in Tractatu *de censuris.*

Superiori obediendum non est in rebus illicitis.

Post hæc immediatè subjungit Gratianus *septimam* suæ quæstionis *partem*, in qua ostendit, à subditis obedientiam non esse servandam Prælatis in rebus illicitis, quod ibidem pluribus auctoritatibus adstruit; atque inter alias notabili textu S. Hieronymi Canone 93. quantumvis & inter auctoritates hic adductas nonnullæ desumantur ex falsis decretalibus, quas pseudo-Isidorus ex SS. Patribus decerpsit, & suis falsis decretalibus inseruit.

Ex his auctoritatibus concludit ad calcem Canonis 101. *Cùm ergo subditi excommunicantur ideo, quia ad malum cogi non possunt, tunc sententiæ non est obediendum, quia juxta illud Gelasii (in Canone 46.) nec apud Deum, nec apud Ecclesiam ejus quemquam gravat iniqua sententia.*

An & quando vetitum sit communicare cum excommunicatis.

Prosequens Gratianus materiam excommunicationis, Parte 8. subjecta Canoni 101. ait: *Quod supra communicantes excommunicatis ab Ecclesia abjici jubentur, non de quolibet modo communicantibus intelligendum est.*

Inter Canones prolatos præcipuè notandus Canon 103. ex Concilio Romano sub Gregorio VII. quo prohibitio non communicandi cum excommunicatis multum restringitur: pluresque personæ ab eo subtrahuntur, ac declarantur cum excommunicatis citra periculum censuræ posse communicare: estque unicus, qui asserto Gratiani congruit.

Quod Canone 102. profertur sub nomine Nicolai I. *Hincmaro Rhemorum Archiepiscopo*, casum particularem concernit, & ab Antonio Augustino *lib. 2. de emendat. Grat. Dial.* 15. dicitur, *in incertis esse collocandum*: extatque inter decreta Nicolai I. ex Gratiano collecta *tit. 7. n. 20.* similiter & quæ Canone 104. ex Epistola Bonifacii ad Zachariam Papam, & Canone 105. ex hujus responsorio adducuntur, ad casum specialibus circumstantiis circumscriptum pertinent.

Veteres formula excommunicandi.

Part. 9. post Canonem 105. duobus Canonibus expressit veteres formulas excommunicandi, quarum postremam erroneè attribuit Concilio Arausicano secutus errantem Burchardum, ut rectè notavit Baluzius in notis: neque enim hæ formulæ, quæ uberiores extant apud Reginonem *de Eccl. Disc. lib. 2. cap. 409.* & sequentibus, ætate hujus Concilii adhuc notæ erant.

Formula reconciliandi excommunicatos.

Addit & Gratianus Canone 108. formulam reconciliandi excommunicatos, quam similiter per errorem secutus Burchardum eidem Concilio tribuit.

Denique materiam hanc concludit Parte 10. qua, prolato Canone 109. sub nomine Joannis VIII probat, *Quæ pœnitentia sit imponenda presbyteris, qui excommunicati sacrum mysterium contingere præsumunt.*

Quæ pœnitentia imponenda presbytero in excommunicatione ministranti?

Ex his relatis colligitur post tempora Nicolai I. id est, post editas falsas decretales, etiam admodum multiplicatas fuisse censuras: quandoquidem dicatur, quòd ob multitudinem Presbyterorum excommunicatorum remissio pœnitentiæ indulgenda fuerit.

CAUSA XII.

Connexio hujus causæ cum præcedenti.

Glossographus sub initium hujus causæ eam cum præcedenti ita connectit: *In XI. Causa q. 1. Can. INOLITA 42. & Canone PLACUIT introduxit Magister Gratianus Clericos litigantes de propriis rebus: sed quia posset dubitari, an possint Clerici habere propria, ideo supponit hanc 12. causam, in querit, an Clerici possint propria habere, & an possint res Ecclesiæ alienare: & an possint condere testamentum, &c.*

Hunc in finem ponit hunc casum: *Quidam Clerici propria relinquere volunt, de suis & Ecclesiæ rebus testamentum conficiunt: de rebus Ecclesiæ nonnulla largiuntur.* Ex hoc casu elicit quinque quæstiones. *Casus hic proponitur.*

Quæst. 1. An clericis liceat habere proprium.

Quæstione 1. In priore ejus parte per plures auctoritates discutit in utramque partem, utrum liceat Clericis proprium habere?

Varia refert Gratianus pro parte negativa. Sed pleraque aut sunt Apocrypha. Aut ad probandum intentum Gratiani inepta.

Pro parte negativa, nimirum Clericis non esse licitum proprium habere, profert primis 17. Canonibus plures auctoritates, quarum nonnullæ apocryphæ, & plures non probantes, quod intendit Gratianus.

Apocryphis accensetur, quod Canone 2. profertur ex Epistola decretali Clementis I. Item Canone 9. & 16. ex pseudo-Epistola Urbani I & quod Canone 15. attribuitur Melchiadi Papæ.

Profertur Canone 1. decretum Concilii Toletani IV. quo præscribitur, ut juniores Clerici simul in communi domo sub cura sacerdotali educentur: quod decretum hodiernis seminariis prælusit & formam præscripsit: unde & Synodus Tridentina *Sess. 23. cap. 18. de Reformat.* formam instituendorum seminariorum præscribens, verba hujus decreti assumpsit.

Plura adducit Gratianus, quæ unicè vitam communem Clericorum concernunt, puta Canone 3. decretum Concilii Romani sub Eugenio II. & Canone 4. Concilii Salegunstadiensis, quod Gratianus per errorem adscripsit Nicolao I. uti notavit Antonius Augustinus *lib. 2. Dial.* 17. notatque pro, *Clericorum*, legendum, *Presbyterorum*; ut sensus sit; nulla ædificia in atrio Ecclesiæ ponantur, nisi *Presbyterorum*. Quæ Canone 10. & 11. proferuntur ex Augustino, concernunt non omnes generaliter Clericos, sed qui vitam juxta præscriptum Augustini, omni proprio abdicato, instituere elegerant. Ex Hieronymo allegata Canone 5. & 6. non de actuali & reali abdicatione proprii loquuntur, sed unicè ostendunt, quòd Clericus affectu temporalibus renuntiare debeat, ut verè dicere queat: *Dominus pars hæreditatis & calicis mei.*

His interim relatis concludit: *His omnibus auctoritatibus claret, quòd Clericis nullo modo liceat habere quid proprium; quod si habuerint, non Clerici erunt; non tamen clericatus eis tollendus est.* Ut ultimum hoc probet, profert locum S. Augustini ex sermone *de communi vita Clericorum.*

Post hæc agnoscit Gratianus: *esse alias auctoritates, quibus conceditur propria habere, non solum Clericis, sed etiam Episcopis.* *Refert deinde alia pro parte affirmativa.*

Canones à Gratiano relati, ac signanter vulgo Apostolorum Canone 21. 22. & 24. necnon Antiochenum Canone vigesimo tertio, tractant de modo, quo Episcopi, quorum dispensationi res Ecclesiæ committuntur, eas dispensare, & eis uti debeant, & res propriæ Episcoporum à rebus Ecclesiæ distingui oportere declaratur.

Ex hoc autem concludit Gratianus ad calcem Canonis 24. quòd Episcopi proprium possidere possint.

Hæc in speciem diversa conciliare nititur Gratianus.

Has autem auctoritates in speciem contrarias conciliare intendens Gratianus monet, "Episcopos Orientales uxores habere, & filios quosdam „autem ex nostris partibus, cùm in Laicatu, sive

„sive in minoribus ordinibus constituti, habeant „uxores&filios, sive morte uxoris interveniente, „sive continentia pari voto servata, ad sacros or„dines accedere. His omnibus, ait, concedi„tur habere *propria* ad suos, & suorum usus: qui „autem ab infantia sacræ militiæ traditi sunt nul„lo modo eis permittitur habere propria, quia „nulla est eis accusatio proprietatis: nisi fortasse retinendo sua, à sumptibus Ecclesiæ abstineant.

Sed ejus conciliatio in Canonibus fundata.

Rectè hic notat Glossographus, malè à Gratiano solvi contrarietatem: neque enim ullum in Canonibus citatis fundamentum habet illa Gratiani distinctio, convenientior apparet, quam adfert Glossographus sub initium quæstionis nimirum, quod Clericis liceat habere proprium: *nisi renuntiaverint tacite vel expresse.*

An bona Ecclesiæ in præbendas distribui possint?

Secunda parte quæstionis resolvit Gratianus res Ecclesiæ posse distribui in *prebendas* quæ manente *charitate primorum fidelium*, quibus erant *omnia communia*, "piè & religiosè possunt distribui; nec tunc rebus Ecclesiæ, ut propriis, sed „ut communibus utilitatibus deservituris; ut ex „his, quæ sibi assignata sunt, primum sibi neces„saria percipiat: si qua vero suis necessitatibus su„persunt, in communes usus Ecclesiæ expendat.

Bona Ecclesiæ ejusdem naturæ post divisionem.

Ex hoc Gratiani discursu evidens est, Gratianum non dubitasse, quin res Ecclesiæ, etiam post divisionem, & erectas præbendas, mansisse ejusdem conditionis, quia erant ante factam divisionem, uti latius ostendi in *Jure Eccl. Part.* 2 *Tit.* 32. *cap.* 6.

Inter auctoritates hic à Gratiano adductas, merito hanc in rem attenduntur verba S. Augustini relata Canone 28. ex Epistola ad Bonifacium comitem, quibus aperte probari apparet, quod ex sententia Augustini, nec Episcopis liceat ex bonis Ecclesiæ vivere, si privatim possideant, quod ipsis sufficiat: verba ejus sunt: "Si privatim possi„demus, quod nobis sufficiat, non illa nostra „sunt, sed pauperum, quorum procurationem „quodammodo gerimus, non proprietatem no„bis usurpatione damnabili vindicamus.

Episcopi rerum Ecclesiæ dispensatores, non domini.

Quæst. 2. An res Ecclesiæ validè à Clericis distrahi possint?

Ex hypothesi sive casu proposito elicit Gratianus hanc *Quæstionem* 2. "An res Ecclesiæ quæ „ab eis (scilicet Clericis) datæ sunt, possint con„stare aliqua firmitate eis, qui eas acceperunt.

Præcipuè autem hac quæstione discutere intendit Gratianus, an à Clericis res Ecclesiæ valide distrahi possint?

Pro parte negativa plura refert Gratianus, sed parum authentica.

Pro parte negativa plures auctoritates allegat prima parte quæstionis, quæ 16 canones comprehendit: at plures inter illas apocryphæ ac dubiæ fidei occurrunt.

Atque in primis allegata Canone 1. sub nomine *Stephani Papæ* in Epistolis Stephani I. quæ extant, non haberi monent Correctores Romani: notant autem haberi in *Epistola* 1. *Anacleti*; idem que esse apud Lucium Papam: sed & hæc apocrypha esse hodie compertum est: tametsi auctoritate Anacleti utatur Concilium Triburiense sæculo IX. scitur enim quod eo tempore falsis illis decretalibus passim uterentur Concilia & Pontifices tanquam authenticis monumentis, uti eruditis omnibus notum est.

Hisce annumeranda quæ profert Canone 2. sub nomine *Pelagii Hostilio Episcopo*, quæ in Epistolis Pelagii Papæ non reperiuntur.

Item quæ Canone 3. attribuuntur Bonifacio *Papæ*; rejiciunturque *tom.* 2. *Concil. General. col.* 1587. inter Decreta à Gratiano huic papæ adscripta,

Quæ Canone 5. & 6 occurrunt, deprompta sunt è falsis decretalibus Pii I, & Anacleti Papæ. Canone 7. citata ex Epistola *Joannis I. ad Zachariam Archiepiscopum*, quæ extant *tom.* 1. *Concil. General. colum.* 1603. æque dubiæ fidei sunt: de hac enim & altera hujus Pontificis Epistolis monet ad marginem Labbeus: *hanc cum sequenti suppositittiam multa evincunt*, Neque majorem fidem merentur exhibita Canone 10. sub nomine *Eusebii papæ Epistola* 2. quam apocrypham esse hodie non ambigitur.

Licet inter adducta hic à Gratiano plura occurrant parum authentica; illud tamen à Gratiano assertum verissimum est, res Ecclesiæ à Clericis ut sibi proprias non posse alienari.

Qua pœna puniendi injusti rerum Ecclesiæ invasores.

Addit insuper Gratianus, qua pœna afficiendi sunt invasores & injusti rerum Ecclesiæ occupatores, eumque in finem citat Canone 8 & 9. duos textus sub nomine S. Gregorii, sed infideliter citat priorem, uti notant Correctores Romani, & eruditus auctor notarum ad responsionem S. Gregorii super quarta interrogatione Augustini Anglorum Apostoli.

Adducit quoque Canone 10 fragmentum sub nomine Eusebii, quo Ecclesiæ res surripiens, in quadruplum restituere jubetur, quod abstulit. Vide notam Correctorum Romanorum ad hunc Canonem.

Huic dein subjicit Canone 11. responsum S. Gregorii ad interrogationem Augustini Anglorum Apostoli. Interrogaverant Gregorium Augustinus: *Quo augmento ea, quæ de Ecclesiis abstulerunt reddere debeant.* Respondit Gregorius: *sed absit quod Ecclesia cum augmento recipiat, quod de rebus terrenis videtur amittere, & lucrum de damnis quærat.*

Canones ea de re in speciem diversos nititur conciliare Gratianus.

Cum hæc duo testimonia contraria Gratiano apparerent nec prius spurium esse sciret, pro conciliatione subdit: "Verum illud Eusebii de legum „severitate: illud Gregorii de Ecclesiastica *man„suetudine* dictum intelligitur.

Quidquid sit de hac Gratiani conciliatione, hoc interim ex S. Gregorii responso notare possunt Ecclesiastici, quod dum agitur de recuperandis temporalibus Ecclesiæ, etiam defraudatis aut subreptis, magis secundum mansuetudinem, quàm ex rigore agendum sit.

Res Ecclesiæ licitè impenduntur in redemptionem captivorum.

Post hæc probat præsertim auctoritate Sancti Gregorii res Ecclesiæ alienari posse, in redemptionem captivorum: *Sacrorum Canonum statuta, & legalis permittit auctoritas, licite res Ecclesiasticas in redemptionem captivorum impendi.* ait, Canone 15.

Pœnitentia imponenda vasorum sacrorum prædonibus.

Hisce primam quæstionis partem absolvit. In „secunda parte ostendere vult, quæ pœnitentia „hujusmodi invasoribus atq; prædonibus qui va„sa sacra, & reliqua divino cultui dedicata arri„piunt, & quasi profana contrectant, sit indi„cenda.

Unicum in hanc rem Canonem profert sub nomine Nicolai Papæ scribentis Frontario Archiepiscopo Burdigalensi; ubi Burgando cuidam, ejusque complicibus "qui sacrum altare sacraque „Dominici corporis & sanguinis vasa, insuper & „sanctum Chrisma pollutis arripere manibus „quasi vilia, & ad usum communem apta præ„sumpserunt; cum ad pœnitentiam acce„leraverint præcipitur, uno Anno extra Ec„clesiam Dei consistere, cujus sacratissima „vasa, extra ritum fidei Christianæ, diripiendo auferre non dubitaverint. Secundo vero

vero Anno ante fores Ecclesiæ sine communione maneant; tertio vero Anno Ecclesiam Dei ingrediantur, & inter audientes adstant sine oblatione, non manducantes carnem, neque bibentes vinum, præter natalis, & resurrectionis Dominicæ dies: quarto præterea Anno, si in his prioribus tribus eorum fructuosus fuerit pœnitentiæ labor, communioni fidelium restituantur: totaque mentis intentione spondentes, talia se ulterius nunquam facturos, Corpus & Sanguinem Domini suscipere mereantur, & usque ad septimum Annum tribus in hebdomada diebus sine esu carnium, & vini potatione maneant pœnitentes.

Veteris disciplinæ pœnitentialis vestigia.

Hic evidentia sunt veteris disciplinæ pœnitentialis vestigia: nec mirum, cùm usque ad initium Sæculi XII. Canonum pœnitentialium usum & rigorem in Ecclesia Latina integrum perseverâsse notet Morinus *Lib.* 10 *cap.* 16. quamvis circa allegatum hoc fragmentum moneant Correctores Romani, hoc alibi non esse inventum quàm in collectione Canonum incerti auctoris.

Antonius Augustinus *lib.* 2. *de emendat. Grat. Dial* 18. monet, *esse incertum*; addens; *In pœnitentiali Romano nuper edito, Nicolai nomen tantum exstat & plenius quædam scripta sunt.* Habetur apud Cochleum inter decreta hujus Pontificis ex Gratiano collecta *Tit.* 17. *n.* 1.

Prælatis fas non est bona Ecclesiæ alienare.

Tertia & quarta parte suæ quæstionis probat Gratianus allatis auctoritatibus, Prælatis fas non esse res Ecclesiæ alienare, estque in hanc rem notandus Canon 12. Synodi VII. relatus hic Canone 19. vide Tractatum Historico-Canonicum ad præfatum Canonem.

Bonorum Ecclesiæ quatuor portiones.

Ostendit dein, in quatuor partes reditus Ecclesiæ esse dividendos: " Imò morem esse Apo„stolicæ Sedis ordinatis Episcopis præceptum „tradere, ut de omni stipendio, quod accedit, „quatuor fieri debeant *portiones*, una videlicet „Episcopo, & familiæ ejus propter hospitalita„tem & susceptionem; alia Clero, tertia verò „pauperibus, quarta Ecclesiis reparandis, uti loquitur Canon 30. ex responsione 1. S. Gregorii ad interrogationem Augustini Anglorum Apostoli.

Allegat hanc in rem nonnulla ex Gelasio I. nec non Simplicio Papa, & *Canone* 31. *ex Concilio Toletano*: At notant Correctores Romani, hoc Decretum in nullo Toletano Concilio aut impresso, aut manuscripto inventum esse: unà monentes in quadam collectione Canonum incerti auctoris tribui Sylvestro: *Quamvis*, inquiunt, *in Synodo Romana sub ipso habita* cap. 4. *paulò aliter hæ partes assignentur, id est, ut in præcedentibus huic capitulis. At hanc Synodum cum Canonibus ei adscriptis supposititiam esse, sæpius notavi, multumque dubito, num hæc quadripartita redituum Ecclesiæ divisio ad ætatem Sylvestri Papæ reduci possit.*

Cæterùm vel ipsa quadripartita proventuum Ecclesiasticorum divisio, citato Canone 31. Decreta, convincit, hunc Canonem nulli Conciliorum Toletanorum adscribi posse, cùm non quadripartita, sed tripartita divisio viguerit in Hispania. Vide fusiùs Thomassinum de disciplina Ecclesiæ *Part.* 2. *tit.* 4. *c.* 16. *n.* 8. *& seqq.*

Sine consensu eorum, quorum interest, res Ecclesiæ alienari non possunt.

Quinta parte hujus quæstionis, quæ incipit à Canone 32. multis auctoritatibus probat, Clericis fas non esse, res Ecclesiæ *sine auctoritate Episcopi*; nec Episcopo sine consilio Cleri sui alienare; atque Canone 32. 33. 34. 35. & 36. recitat plura Decreta sub nomine synodi Agathensis, quibus irritæ & invalidæ declarantur alienationes rerum Ecclesiæ per Clericos factæ: quin & Clerici eorumque hæredes ad restitutionem obnoxii declarantur, imò & Clericos alienantes, aut etiam monumenta, sive scripturas ad Ecclesiam pertinentia subtrahentes, aut in alios transferentes, ultra reparationem damni, quod inde Ecclesia pati posset, à communione separandos decernitur.

Deinde Canone 37. subjungitur decretum Urbani II. in hæc verba: *Alienationes omnium per intrusionem, seu canonicè electorum sub Episcopi nomine, aut Abbatis, qui secundùm Ecclesiæ suæ usum consecrandus est; alienationes dico quocunque modo factas, nec non & ordinationes personarum ab eisdem sine communi consensu Clericorum Ecclesiæ, sive per simoniam itidem factas, irritas judicamus. Illud etiam per omnia interdicimus, ut nullus Clericus præbendam suam, seu beneficium aliquod Ecclesiasticum aliquo modo alienare præsumat. Quod si præsumptum olim fuit, vel aliquando fuerit, irritum erit, & ultioni canonicæ subjacebit.*

Circa prædictum decretum sub nomine Urbani II. relatum, meritò attenditur nota Correctorum Romanorum nec non quæ circa hoc decretum notavit Antonius August. *lib.* 2. *de emendat. Grat. Dial.* 5. è quibus intelligitur, decretum hoc aliter legi apud Anselmum, quàm apud Gratianum, neque in ullo Concilio sub Urb II. reperiri: imò ex his, quæ apud Anselmum leguntur, videri hoc decretum specialiter concernere quosdam Prælatos sive Episcopos Ravennæ, qui sine consensu aut clericorum consilio res suarum Ecclesiarum temerè alienaverant.

Quidquid sit de hoc decreto illud sat constat, quod sæculo X. & seqq Prælati quasi proprietarii bona & proventus Ecclesiarum sua auctoritate alienaverint, quemadmodum & clerici post erectos titulos beneficiorum & divisionem præbendarum, prout colligi ex decretis contra has temerarias, & Ecclesiis damnosas alienationes his & sequentibus sæculis editis, uti latiùs deduxi in *Jure Eccl. part.* 2. *tit.* 36. *de administratione & alienatione bonorum Ecclesiæ.*

Post hæc Canon. 40. profertur decretum ex Conc. Aurel. Notant hic Correctores Romani, referri supra *eadem causa Can.* SI QUIS *de clericis*, ex Conc. Agath. " Non est autem, *inquiunt*, „mutatus titulus: quia potuit in aliquo etiam Au„relianensi, quod non extat, esse repertum. Utinam hoc motivo plura immutata permansissent. Cæterùm consule Baluzium in notis ad dictum *Canonem* 33. SI QUIS *de Clericis.*

Refertur & Can. 52 famosum Decretum sub nomine *Leonis Papæ universis Episcopis per Siciliam constitutis*, quo præscribitur, ut alienatio ab Episcopo non fiat, nisi *ut meliora prospiciat & cum totius Cleri tractatu atque consensu.*

Cujus Leonis sit hoc decretum, nescio: saltem non posse adscribi S. Leoni I. Solidè probat Paschasius Quenellus in notis ad Epistolam 17. hujus Pontificis; notans recentioris disciplinæ esse, quòd in rerum Ecclesiasticarum alienatione totius cleri consensum adhibere debeat Episcopus.

Episcopi morientis bona cui reservanda.

Agit & hoc loco Gratianus contra direptores bonorum decedentium Episcoporum, de quo vide Tractatum Historico-Canonicum ad Canonem 22. Chalcedonensem. Illud hic notandum Can. 47. relatum fuisse à Gratiano decretum sub nomine *Innocentii Papæ II.* quo prædictus canon

Chal-

Chalcedonensis renovatur. « Correctores Ro-„mani, quia nesciebant, ait hic Baluzius, ista De-„creta ab Innocentio primum fuisse in concilio „Claromontano condita, & certò existimabant „petita esse ex concilio Lateranensi ejusdem In-„nocentii; hæc verba audacter & intrepidè addi-„derunt: *In Concilio Lateranensi cap.* 4. Extat „inter canones ejusdem Claramontani concilii, „ubi desiderantur voces illæ, *Ecclesiæ*, &c. Cæ-„tera sunt similia, nisi quod canon Claromonta-„nus habet, *subjiciantur*, pro eo, quod Gratianus „legit, *subjiciant*. Hæc ille, è quibus patet, quòd „satius fuisset ex textu totali nihil mutari.

Quibus casibus possit Episcopus res Ecclesiæ sine consilio fratrum distrahere.

Parte 6. canone 53. ostendit, Episcopum posse « sine consilio Fratrum, si necessitas fuerit, „distrahere *terrulas*, aut *vineolas* exiguas, & Ec-„clesiæ *minus utiles*, aut *longè positas*, & *parvas*: „servos quoque fugitivos, qui revocati retineri „non possunt, similiter Episcopo distrahere licet.

Item « Si Rectores Ecclesiæ restituere volue-„rint, Ecclesiasticas facultates liberè dare possunt, „ait *parte* 7. adducto unico canone Agathensi.

De servis Ecclesiarum eorum alienatione, manumissione &c.

Octavâ autem *parte* latè tractat de servis Ec-clesiarum de eorum alienatione & manumissione, & quæ liberti Ecclesiæ debeant, multa ex legibus civilibus de servis & libertis adducens, præsertim in discursu subjecto canoni 58. videturque præ-cipuè in Ecclesiis Hispanicis quæstiones illas de servis Ecclesiarum fuisse motas, quandoquidem vix aliqua, quam ex Synodis Hispanicis eam in rem Decreta Ecclesiastica proferuntur.

Quas ob causas res Ecclesiæ alienare liceat.

Parte 9. ostendit, quibus de causis servi Eccle-siarum manumitti seu libertate donari queant: atque hâc occasione rursus agit de causis aliena-tionis, atque ostendit; quòd pro *alimonia pau-perum*, *pro redemptione captivorum*, res sacras distrahere liceat, adductis in hanc rem canone 70. & 71. verbis SS. Ambrosii & Hieronymi. Ostendit quoque Episcopum posse *religionis in-tuitu*, ea, in quibus Ecclesia detrimentum non patitur, Monasteriis tradere, adducto canone 4. concilii Toletani III. qui tam generale Gratiani assertum minimè probat: Agit enim de casu quo unam de Parochianis Ecclesiis suis Monasterio di-care voluerit Episcopus. Canone 74. restringitur hæc facultas data Episcopis ad partem quinqua-gesimam rerum Ecclesiæ, quæ in constructionem novi Monasterii ab Episcopo donari potest, juxta Decretum concilii Toletani IX. Notanda sunt, quæ dicuntur in hoc canone, nimirum, quòd liceat Episcopis dare Monasterio, quod in sua di-œcesi ædificare cupit, nisi quinquagesimam, vel ut alia lectio habet, quadragesimam partem re-rum Ecclesiæ suæ: *Ut hàc temperamenti æquitate servatâ*, inquit canon, *& qui tribuit, compe-tens subsidium conferat, & cui tollit, damna gravia non infligat.* Quâ determinatione partis quinquagesimæ, seu quadragesimæ restringit præsens canon indeterminatam de rebus Ecclesiæ monasteriis donandi facultatem, quam Episcopo concesserat canon 4. concilii Toletani III. rela-tus canone 73. Hinc evincitur, quantâ modera-tione Episcopos procedere voluerit hæc Synodus, etiam eâ ætate, quâ rariora erant Monaste-ria.

Tandem concludit Gratianus: *Ecce osten-sum est, quomodo res Ecclesiæ sine culpa dari possint, & constare his, quibus data fue-rint.*

Quæstio III. Discrimen inter bona Ecclesiastica & sæcularia

Quæstione 3. quatuor canones impendit Gratianus, ut ostendat, Clericos de rebus Ecclesiæ intuitu acquisitis, non posse agros, aut alia bona in suum & consanguineorum commodum acquirere, sed ea esse relinquen-da Ecclesiæ: de his autem, quæ aliunde, vel proprio labore, aut amicorum liberalita-te acceperunt, posse liberè disponere. Quæ distinctio probari videtur canone 49. conci-lii Carthaginensis II. relati hìc canone 1. Gratianus itaque canoni 2. subjicit hanc con-clusionem: « Ecce quod illa, quæ non ex „officio Ecclesiastico, sed ex aliqua præstatione „suæ utilitatis lucratus est, potest dare quibus voluerit.

Quandonam bona Clerico data censeri debeant Ecclesiastica

Declarat autem canon 3. desumptus ex sy-nodo Agathensi, quòd « Pontifices, quibus in „summo sacerdotio constitutis, ab extraneis „aliquid aut cum Ecclesia, aut sequestratim, aut „dimittitur, aut donatur, quasi suum, sed quasi dimissum Ecclesiæ, inter facultates Eccle-„siæ computabunt.

Rationem præmisit, *quia hoc ille, qui donat pro redemptione animæ suæ, non pro commodo Sacerdotis offerre probatur.*

Canonem hunc citat Innocentius III. in *ca-pite* REQUISISTI *de testam.* ubi exponit, quandonam censeatur aliquid Episcopo intuitu suæ personæ, & quando intuitu Ecclesiæ re-lictum.

Quæst. IV. Ad quem pertineant bona à Clericis acquisita?

Quæstione hâc tribus duntaxat constante ca-nonibus, tractat Gratianus de Clericis, qui vel ex rebus Ecclesiæ, vel propriis, aut utriusque simul aliqua acquisierunt, ad quem res illæ pertinere censeantur; item quid agendum illi, qui ex re-bus Ecclesiæ aliquid ad commodum Ecclesiæ ac-quirit.

Profert autem pro solutione canone 1. decre-tum concilii Toletani IX. & canone 2. decretum consilii Bracarensis, & canone 3. decretum sub nomine concilii Agathensis, quorum omnium una est sententia, quòd nec Clerici debeant sibi, aut propinquis suis appropriare res è proventibus Ecclesiæ comparatas, nec Ecclesia compendium facere debeat ex rebus, quas Clerici propriis suis bonis comparârunt; teneanturque Clerici de rebus nomine Ecclesiæ acquisitis scripturam fa-cere.

Vox Diœcesis multipliciter apud veteres sumitur.

Notandum autem in canone finali diœcesim accipi pro Parochia, sive Ecclesia Parochiali, quam Presbyter tenet, uti apud veteres frequen-ter sumi probat Stephanus Baluzius in notis ad hunc canonem, quamvis nonnunquam suma-tur & pro tota Episcopi diœcesi; imo interdum extenditur ad districtum plurium Provinciarum, uti in veteribus canonibus sæpius animadverti potest.

Cæterum notandum circa hunc aliosque non-nullos canones, qui sub nomine concilii Aga-thensis à Gratiano aliisque collectoribus allegan-tur, non omnes videri ab hoc concilio editos, sed ex alio depromptos huic concilio postmodum adscriptos fuisse, uti notavit post Laurentium Su-rium Jacobus Sirmondus in *admonitione* ipsi concilio Agathensi *tom.* 4. *Concil. General. col.* 1380. præfixa, monens à se observatum esse in codice Gemblacensi, Lugdunensi, Rhemensi, Cor-beiensi, Fossatensi, atque in aliis quibusque anti-quissimis exemplaribus extare tantum *octo & quadraginta* canones; ut proinde 25. sequentes videantur aliunde assumpti & assuti. Et sanè præ-sens canon, qui in hoc concilio signanter n. 54. citatur apud Gregorium IX. sub *titulo de peculio Clericorum cap.* 2. ex concilio Arelatensi. Hæc hìc monuisse sufficiat.

Quæst. V. An & de quibus

Tractat *Quæst.* 5. de Clericorum testandi de rebus suis auctoritate: atque resolvit, Clericum de

rebu

bonis clericus testari possit

rebus intuitu Ecclesiæ sive tituli Ecclesiastici acquisitis testari non posse. De propriis verò, quæ ante ordinationem habuit, prout judicaverit, disponere possit. Item, si Episcopus vel quilibet ex gradu Ecclesiastico intestatus defunctus fuerit, nec aliqui inventi fuerint, qui jure cognationis succedant, Ecclesia sua ei succedat in integrum: nec licebit alicui aliqua ex rebus ejus præsumere.

Hoc assertum Gratiani unicâ penè auctoritate nititur, quam sub nomine Concilii Triburiensis profert Canone 7. quem ex Burchardo, vel Ivone desumpsisse videtur, qui & ipsum citant ex Concilio Triburiensi, cui interfuit Arnulphus Rex, *cap.* 14. sed inter Canones hujus Concilii, qui extant *tom.* 9. *Concil. General.* hic Canon non reperitur.

Quid autem moderna disciplina circa facultatem testandi de bonis Ecclesiasticis, & de successione ab intestato Clericorum in bona ab ipsis relicta habeat, latius exposui in *Jure Eccl. Part.* 2. *tit.* 32. *cap.* 7. & 8.

CAUSA DECIMA TERTIA.

Ratio connexionis hujus causæ cum præcedenti.

Connexionem sequentis *Causæ* 13. cum præcedenti conjecit Glossographus dicens: Supra „dictum fuit, quòd quidam Clerici non debent „habere propria. Sed ne aliquis quæreret, unde „vivere debent, ostendit Gratianus, quòd de decimis & oblationibus vivere debent: sed quia de „decimis & oblationibus & Sepulturis sæpe oritur contentio inter Clericos & etiam Laicos: „ideo Gratianus subnectit hanc 13. *Causam*, in „qua ostendit, quid de decimis & oblationibus & „sepulturis sit observandum.

Casus hic propositus.

Hunc in finem format Gratianus hunc casum: „Diœcesani cujusdam baptismalis Ecclesiæ clavibus bellorum pressi, hostili metu compulsi, „domicilia sua transtulerunt in aliam Diœcesin: „prædia tamen antiqua non desierunt colere: „cœperunt persolvere decimas illi Ecclesiæ, in „cujus Diœcesin transierunt, & apud eam sibi „elegerunt sepulturas. Transactis 50. Annis, „Clerici, quibus quondam persolverant decimas, „cœperunt movere quæstionem in eos, qui ab „istis accipiunt decimas & veniunt ad causam,

Ex hoc casu proposito elicit Gratianus duas quæstiones.

Quæstio I. Cui competat jus ad decimas & exequias.

Primam proponit his verbis: *Si illi, quorum domicilia sunt, in diœcesi hujus baptismalis Ecclesiæ, debeant persolvere decimas illi Ecclesiæ, & celebrare suas exequias apud eam Ecclesiam, in qua quondam hæc fiebant à Parentibus eorum.*

Pro resolutione hujus quæstionis unicum fragmentum adducit *primâ parte* desumptum ex Pseudo-Epistola Dionysii Papæ ad Severum Episcopum, quo adstruitur divisio Parochiarum & cæmeteriorum, tanquam à Dionysio Papa instituta, definiturque, *ut nullus alterius parochiæ terminos, aut jus invadat: sed sit unusquisque suis terminis contentus.*

Dein *parte secundâ* introducit Sacerdotes, qui decimas & oblationes Ecclesiæ baptismali vindicant, fundamenta suæ causæ exponentes.

Tum *parte tertiâ* exhibet replicam & responsum contendentium decimationes vigore præscriptionis sibi competere, & Sacerdotes oblationibus debere esse contentos. Meritò argumenta utrimque proposita attendenda: eadem enim & hodie occurrunt.

De limitibus parochiarũ.

Verùm rectè hic notavit Joannes d'Artis, nec hoc Canone, nec Canone 1. quæstionis sequentis, ulterius tractari de decimis, sed potius de terminis, quibus Parochiæ & diœceses circumscribuntur: nam & canon primus quæstionis sequentis, agit de Ecclesiis ad Episcopum pertinentibus; & dicitur Ecclesias possessas per Annos 30. ab Episcopis, apud eosdem manere. *& ita ait*, d'Artis, *conjunxit humano capiti cervicem equinam.*

Subodoratus id videtur Gratianus: nam ad calcem dicti Canonis 1. secundæ quæstionis pro reconciliatione auctoritatum remittit lectorem ad *causam Monachorum*, id est, *causam* 16.

Quæst. II.

Quæstio secunda hujus causæ præter Canonem 1. de quo jam dictum est, tota est de sepulturis & jure exequiarum.

Quæstionem dividit in duodecim partes, quarũ 2. 3. 4. & 5. versantur fere unicè circa sepulchra majorum, & liberam electionem sepulturæ.

De sepulturis majorum, & jure eligendi sepulturam

Adducuntur Canone 3. sub nomine S. Augustini: *unaquæque mulier sequatur virum suum, sive in vita sive in morte:* Deinde additur in eodem Canone: Item Gregorius: Soror B. Be„nedicti sepulta est in sepulchro, quod ipse sibi „præparaverat, & quorum mens una semper fuit „in Domino, eorum quoque corpora sepultura „non separat. Monent Correctores Romani: *nec ipsa prorsus verba* auctorum afferri.

Interim ex his concludit Gratianus, unumquemque in sepulchro majorum esse sepeliendum, nisi alibi sepulturam elegerit: quod prolixo discursu adstruere nititur.

Ex Concilio Triburiensi Can. 6. elicitur ordinariè quemque sepeliendum, ubi quis decimas persolvebat vivus: atque ad calcem hujus Canonis concludit Gratianus; additque: "Item si quis „de Provincia ad Provinciam transiret, & ibi do„micilium collocaret, liber factus à Jurisdictione „prioris Judicis jurisdictioni illius Judicis subji„ceretur, in cujus Provincia Sedem sibi eligeret. „Quia ergo isti à vestra diœcesi in nostram tran„sierunt, liberi à vestra ditione, nostro juri subji„ciuntur: nostrum est ergo funerandi jus.

Ex S. Gregorio profert Canone 4. quòd *ultima voluntas defuncti modis omnibus conservari debeat.* Ex hoc *parte quinta* concludit pro defunctorum voluntate, *corpora eorum esse tumulanda.*

At huic apponit Canone 7. apocryphum Decretum sub nomine Melchiadis Papæ, & pro conciliatione ait ad calcem Canonis: "Sed aliud est „ex temeritatis superbia usum antiquorum Paren„tum non sequi; atque aliud rationabili occasio„ne novam sibi Sepulturam eligere. De priore loquitur Melchiades, de posteriore Gregorius. Cæterum de his consuli poterunt dicta in *Jure Eccl. part.* 2. *tit.* 38. *de sepulturis.*

De negantibus defunctorum oblationes.

Parte 6. agit adversus eos, qui defunctorum oblationes Ecclesiis negant, aut difficulter reddunt: hique quasi egentium necatores, nec credentes Judicium Dei, habendos esse, ut loquitur Canon 9. ex Concilio vulgo Carthaginensi VI.

Nihil pro sepulturis exigi potest.

Parte 7. ostendit variis auctoritatibus, præsertim S. Gregorii in Can. 12. nihil muneris pro sepulturis exigendum esse: "Ne (quod valde ir„religiosum est) aut venalis fortasse (quod absit) „dicatur Ecclesia, aut vos de humanis videamini „mortibus gratulari, si ex eorum cadaveribus stu„deatis quærere quolibet modo compendium, inquit S. Gregorius citato Canone.

Vetita fuit olim sepultura in templis

Intermiscet hic Gratianus aliqua de vetita sepultura in Ecclesia; atque inter cætera Can. 15. sub

Vetita fuit olim sepultura in templis

sub nomine Concilii Varensis,(seu potius *Nannetensis*, ut notant Correctores Romani, & Stephanus Baluzius :) " Prohibendum est etiam „secundùm majorum instituta, ut in Ecclesia „nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut in por„ticu, aut in exhedris Ecclesiæ) aliàs extra Eccle„siam :) intra Ecclesiam verò & prope altare, „ubi corpus & sanguis Domini conficitur, nulla„tenus sepeliantur.

De hac disciplina non sepeliendi corpora mortuorum in ipsis templis, quæ per plura sæcula in Ecclesia fuit conservata, latius egi in *Jure Eccles. parte 2. tit. 38. cap. 2.*

Quibus prosit sepultura in sacris locis.

Post hæc parte 8. quærit à Canone 16. usque ad Canonem 23. qui à sacris locis post mortem juventur, & quare juxta Ecclesias mortuorum corpora sepeliantur. Inter Canones hìc relatos notandus præ cæteris Canon 19.sumptus ex libro S. Augustini *de cura pro mortuis.*

Hìc Augustinus inprimis apertè supponit mortuos, sive altaris, sive orationum, sive eleemosynarum sacrificiis juvari : *Quamvis*, ait, *non pro quibus fiunt, omnibus prosint, sed his tantum, quibus, dum vivunt, comparatur, ut prosint.*

Deinde adjungit : *Corpori autem humando quidquid impenditur, non est præsidium salutis, sed humanitatis officium secundùm affectum, quo nemo unquam carnem suam odio habet.*

De ritu tertii, septimi, &c. diei ab obitu.

Nona pars constat unicè Canone 24. in quo agitur de *tertio, trigesimo, septimo*, aut *quadragesimo* die pro mortuis celebrando. Refertur autem sub nomine sancti Ambrosii ex lib. *de obitu Theodosii*: at hunc esse Ambrosio suppositum contendit Erasmus,& nonnulli post ipsum. Quidquid sit de hac opinione Erasmi, hujus ritûs etiamnum hodie in Missali Romano manifesta occurrunt vestigia.

An & quomodo liceat lugere mortuos.

Decimâ parte quærit : num liceat lugere mortuos : citatque Canone 25. textum Cypriani, & Canone 26. locum sancti Chrysostomi, qui videntur luctum illum absolutè reprobare : Gratianus autem dicit : " Id intelli„gi ex desperatione futuræ resurrectionis : un„de & Apostolus non simpliciter ait : *Nolu„mus vos ignorare de dormientibus :* sed addi„dit : *sicut & cæteri, qui spem non habent*: „pietatis namque intuitu mortuos lugere non „prohibemur : sicut nonnullos sanctorum, alio„rum exequiis pias lacrymas impendisse legi„mus.

Hanc Gratiani conciliationem non patiuntur allatæ ex Cypriano & Chrysostomo auctoritates, quin imo ignosci sibi postular sanctus Augustinus *lib. 9. Confess. cap. 12.* flevisse se matrem exiguâ parte horæ.

Post hæc Canone 28. refert Gratianus canonem Concilii Toletani III. his verbis : "Qui „divinâ vocatione ab hac vita recedunt, cum „psalmis tantummodo, & psallentium voci„bus debent ad sepulchra deferri : nam fu„nebre carmen, quod vulgo defunctis can„tari solet, vel in pectoribus se, aut proxi„mos, aut familias cædere omnino prohibe„mus. Sufficiat autem, quod in spe resurrectio„nis, Christianorum corporibus famulatus di„vinorum impenditur canticorum : prohibet „enim nos Apostolus nostros lugere defunctos. „*De dormientibus autem nolo vos contristari, „sicut & cæteri, qui spem non habent.* Et „Dominus non flevit Lazarum mortuum, sed „ad vitæ hujus ploravit ærumnas resuscitandum. „Si autem potest hoc Episcopus omnes Christia„nos prohibere, agere non moretur. Religio„sis tamen omnino aliter fieri non debere cense„mus. Sic enim Christianorum per omnem „mundum humari oportet corpora defuncto„rum. Meritò hìc attendenda observatio Correctorum Romanorum.

Luctus defunctorum specialiter Religiosis vetitus.

Interim ex hoc canone intelligitur eo tempore invaluisse, ut fideles defunctos publicè lugerent, quodque Patres hujus Concilii desideraverint quidem, ut Episcopi, quantum in ipsis esset, etiam Laicos ab hoc luctu abstraherent: judicaverint tamen exteriorem hunc luctum omnibus Laicis indifferenter non esse prohibendum, sed solis Religiosis.

Admodum verisimile est hùic decreto adscribendum, quòd luctus ille exterior fidelibus passim permittatur, exceptis solis Religiosis, quibus nec hodie luctus ille exterior conceditur.

An mortui noverint quæ à vivis geruntur.

Parte XI. quæritur, *utrum sciant mortui ea, quæ hìc à vivis geruntur?* Et unicè Canone 29. ex S. Augustino *lib. de cura pro mortuis cap. 15.* probat, ipsos multa scire, quæ hìc à vivis geruntur ; & una indicantur modi ; quibus hæc illis innotescere queant. Refert autem textum S. Augustini mutilatum, uti monent Correctores Romani, quorum nota consulenda, uti & integer textus S. Augustini meritò legendus.

An cadavera suspensorum sepultura Ecclesiastica donanda.

Duodecima pars tractat de suspensis in patibulis, quæriturque, num hi sint sepeliendi juxta Ecclesias ? & Canone 30. desumpto è canone 27. Concilii Moguntinensis resolvitur, cadavera eorum ad Ecclesiam deferenda,& oblationes pro eis offerendas : " Si omnibus, in„quit Canon, de peccatis suis puram confes„sionem agentibus, & dignè pœnitentibus com„munio in fine, secundùm Canonicum jussum „danda est : cur non eis, qui pro peccatis suis „pœnam extremam persolvunt ? scriptum est „enim : *Non vindicat Deus bis in idip„sum.*

Monent Correctores Romani finalem periodum *restitutam esse ex Concilio Maguntino & Wormatiensi, inductis aliquot verbis, quæ potius perturbant, ait, quàm illustra„rent.*

Verùm si restitui textum conveniebat, indubiè consultius fuisset, correctionem margini adjicere, & textum ipsum Gratiani integrum conservare, uti non semel monuimus : neque apparet, verba à Correctoribus inducta sensum perturbare : ita enim apud Gratianum legebatur : " cur Canones communionem vel sepul„turam eis interdicunt, qui pro peccatis suis „pœnam extremam persolvunt, & confiten„tur, vel confiteri desiderant ? scriptum est „enim : *Non judicat Deus bis in idip„sum.*

An & quando pro furibus orandum.

Occasione quæstionis de danda sepultura suspensis in patibulo, junguntur hìc duo Canones sub titulo *Paleæ*, quorum priore dicitur, pro furibus & latronibus non esse orandum, *Si in furando aut deprædando occidantur : si autem comprehensi aut vulnerati Presbytero vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non negari.*

Hic Canon quoque extat in decretalibus Gregorii IX. *cap. 2.* ✠ *de furtis*, videturque epitome esse Canonis 31. Concilii Triburiensis anni 895.

895. ubi posterior Canonis pars ita legitur, „Si autem fur vel latro vulneratus elabitur, „& expectatione mortis desperatus putatur, „atque conciliari se mysteriis sacrosanctis, „habitu corporis, & voluntate piæ mentis de-„precatur, Deoque & Sacerdoti, comite vita, „emendatione morum & actuum confitetur, „communionis gratiam non negamus tribuen-„dam.

Difficultates circa confessionem factam diacono facile solutæ.

Maximè notandum est, hìc pro *diacono*, legi, *Deoque*; quâ lectione evitatur difficultas, num *diacono confiteri* quis posset: quam difficultatem ut evaderent decretalium commentatores, supponebant, hic sermonem esse de confessione *non sacramentali*, quod & glossa decretalium supposuisse videtur, dum ad citatum *caput* 2. verbo, *diacono*, ait: *In necessitate etiam laico.*

Epitomen hujus Canonis sic vitiatam primus retulit Regino Abbas Prumiensis *lib* 2. *de Eccles. discipl. cap.* 94. & ex ipso Burchardus, dein Ivo; ex istis verò Gratianus, ut observat Baluzius in hunc canonem. Meritò sanè notandæ cautiones hic à concilio Triburiensi appositæ. Cæterum quibus neganda sit sepultura, vide quæ diximus in *Jure Ecclesiastico part.* 2. *tit. ultimo cap. ultimo.* Item *Parte* 2. *tit.* 5. *cap.* 3. ubi notatum est in aliquibus Ecclesiis negatam fuisse sacram Eucharistiam damnatis ad mortem. Item per communionem non semper intelligi communionem Eucharistiæ.

An & quæ pœnitentia imponenda furis interfectori?

In canone 32. & ultimo hujus quæstionis imponitur pœnitentia iis, qui furem aut latronem interfecerint, si absque occisione comprehendi possit: extat quoad sententiam in *cap.* 2. ☧ *de homicidio;* atque in illo adhuc elucent pristinæ & canonicæ disciplinæ vestigia: quamvis ex tempore pœnitentiæ præscripto haud obscurum sit, labentis disciplinæ fœtum esse.

Monent hìc rursus Correctores Romani: *Sunt multa emendata, & magni ponderis.* Unde hìc iterum patet, hodie post Correctionem Romanam, non haberi decretum, ut à Gratiano editum fuit.

CAUSA DECIMA QUARTA.

Casus propositus.

Causâ decimâ quartâ proponit Gratianus hunc casum: *Canonici cujusdam Ecclesiæ quæstionem movent de prædiis: testes ex fratribus suis producunt: negotiatoribus pecuniam crediderunt, ut ex eorum mercibus emolumenta acciperent.*

An Canonicis coram judice sua repetere liceat?

Ex hoc casu sex quæstiones deducit Gratianus, quarum prima quærit: *An Canonicis liceat sua repetere?*

In procemio hujus quæstionis, ait: "Quòd „autem sua repetere non possint, facile vide-„tur posse probari: ait enim Dominus in E-„vangelio: si vis perfectus esse, *Vade & vende* „*omnia, quæ habes; & da pauperibus:* quia er-„go isti iter perfectionis arripiunt, non licet eis „sua habere: multo ergo minus licet eis repe-„tere: quia non debet repeti, quod possideri non „licet.

Post hæc subjungit Canone 1. decretum Concilii IV. Vulgo Carthaginensis, quo dicitur, *Episcopus nec provocatus pro rebus transitoriis litiget.*

Ad calcem autem Canonis hujus conatur adductis nonnullis distinctionibus quæstionem ita solvere: "Quia ergo generaliter perfectis prohibetur in judicio contendere; patet, quod istis non licet stare coram judice. His ita respondetur. Prohibetur perfecto in judicio stare captando lucrum, sed non evitando damnum. Vel aliter: aliud est sua possidere, aliud est communium procuratorem esse. Canonici non possident sua, quia res Deo oblatæ non sunt alicujus: utuntur enim rebus Ecclesiæ, non ut suis, sed tanquam ad dispensandum sibi creditis. Unde Prosper in *lib. de vita contemplativa:* Sacerdos, cui dispensationis cura commissa est, &c. require in causa ejus, à quo pro ingressu monasterii pecunia exigebatur. Sicut ergo isti non sua possident; ita nec sua repetunt, sed res Ecclesiæ, quarum procurationem gerunt. Similiter, quòd in judicio prohibentur contendere, sic intelligendum est: videlicet, ut non sibi stent, coram judice adstitisse, & pro eis judicem interpellâsse nonnullos sanctorum legimus, hi autem non sibi stant, sed pauperibus, quorum necessitatibus profutura repetunt: & ita non prohibentur stare coram judice: illud verò Evangelii *Si quis abstulerit tibi tunicam, &c.* non præcipientis, sed exhortantis.

Agit hic Gratianus de Canonicis in communi viventibus.

Ex his nequaquam obscurum est, Gratianum hìc agere de Canonicis in communi viventibus, & voto paupertatis obstrictis, sive quos hodie Canonicos Regulares dicimus, quo nihil proprium retinere possunt, ac insuper de repetitione judiciali, sive in judicio.

Gratianus more suo hìc adjungit duos Canones, quorum primus "ex verbis Augustini ex *lib.* 19. *contra Faustum cap* 25. hinc inde acceptis, & in aliquibus etiam immutatis: quare præstat integrum illud caput perlegere, inquiunt Correctores Romani.

Posterior verò Canon ex quibusdam SS. Augustini & Hieronymi verbis conflatus est; sed in neutro de repetitione in judicio agitur; & ita huic quæstioni decidendæ parum quadrant.

QUÆSTIO II. An & quando Canonicorum testimonium in causa Ecclesiæ sit legitimum?

In casu sive hypothesi à Gratiano proposita hâc *secunda quæstione* supponitur, quòd Canonici cujusdam Ecclesiæ in quæstione de prædiis *testes è fratribus producant*: occasione cujus quærit, an hi fratres sive Canonici in causa Ecclesiæ tanquam testes sint audiendi.

Sub initium quæstionis adductis argumentis, quibus videtur evinci, horum testimonium tanquam domesticum non esse admittendum, tandem distinguit inter causam criminalem, & civilem; ut in illa tale testimonium non sit admittendum, secus in hac: *In criminali enim causa, ait, non licet testem de propria domo produci: in civili autem Prælatis Ecclesiæ licet.* Confirmat hoc suum assertum auctoritate Paschalis II. in Canone 1. at hoc testimonio id non probatur; quod & vidisse videtur Gratianus: nam relato hoc Canone, mox, quasi seipsum corrigens, ait: "Potest etiam intelligi „aliter. Domestici ad probationem non admit-„tantur, ut pro his videlicet, quorum sunt „domestici, testimonium ferant: hi autem „non pro domesticis, sed pro Ecclesia, quæ ma-„ter est omnium pauperum, testimonium di-„cant.

Post hæc addit, quòd "in conficiendis instrumentis sæcularium negotiorum, presbyteri non vocen-

An & quomodo presbyteri cogi possint ad daudum testimonium?

vocentur ad testimonium: sed si casu contractui eos interfuisse contigerit, jubente Episcopo testimonium dicant. Probat id auctoritate synodi Romanæ sub Eugenio Papa II. cap. 13. in quo dicitur, "quòd Sacerdotes in sæcularibus negotiis pro testimonio, aut conficiendis instrumentis non cogentur, quia eos in talibus rebus esse non convenit. Si autem eventu aliquo causæ interfuerint, & aliquid viderint, vel audiverint, ubi nullæ idoneæ sæcularium inveniantur personæ; ne veritas occultetur, & malus ut bonus æstimetur, in providentia proprii Episcopi sit; ut aut coram se & competentibus judicibus, aut aliter honorificè veritatem attollant.

Hìc rigor moribus Belgii circa Clericos vocatos ad testimonium ferendum coram judice *laico* in causis civilibus, nonnihil mitigatus est, ut notavi *in Jure Ecclef. parte* 3. *tit.* 7. *cap.* 6.

Quæst. III.

Cùm autem in hypothesi, sive casu à Gratiano proposito diceretur, quòd Canonici *negotiatoribus pecuniam crediderunt, ut ex eorum mercibus emolumenta acciperent*, quærit *quæstione tertiâ, an illud sit usuras exigere.*

Usura est quidquid ultra sortem exigitur.

Hâc occasione ostendit Gratianus, quòd, qui plus exigit, quàm dedit, usuras exerceat; idque præcipuè auctoritate SS. Augustini, Ambrosii & Hieronymi, & ad calcem concludit: "Ecce evidenter ostenditur, quòd quidquid ultra sortem exigitur, usura est.

Gratianus Canonem ultimum refert tanquam ex Concilio Agathensi, quem hic concilio falsò adscribi rectè monet hic Baluzius, eamque inscriptionem ementitum fuisse Burchardum. Est autem *caput* 12. *Capitularis* 5. Caroli magni de anno 806. quod & refertur *lib.* 1. *Capitularium cap.* 119. & apud Reginonem *lib.* 1. *cap.* 284. sine inscriptione.

Quæst. IV. Canones veteres vetantes usuras de solis Clericis possim loquuntur.

Dein *quæstione* 4. ostendit Gratianus, tam Laicis quàm Clericis usuras esse vetitas: at canones relati, plerique de solis Clericis loquuntur. Vix enim antiquis canonibus reperitur nominatim interdicta usura Laicis, tametsi eam tam Laicis quàm Clericis vetitam non ambigeretur.

Canon 17. Nicænus, quem hic ex versione Martini Bracarensis, sub titulo, *ex Concilio Martini Papæ*, refert Gratianus canone 4. & rursus refertur canone 8. ex versione Isidori: & iterum *distinct.* 47. idem canon refertur ex versione Dionysii, uti notant hic Correctores Romani: hinc non obscurum, quòd Gratianus descripserit canones, prout eos nunc ex una, nunc ex alia versione, apud anteriores canonum collectores reperit.

Quæst. V. Furtum committit qui rem inventam non restituit.

Quæstione 5. probat, non esse Deo gratam eleemosynam de usuris factam: ac una asseritur, furtum committere, qui rem inventam non restituit.

Hoc posterius probat ex Augustino canone 6. "Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti. "Et canone 8. ex S. Hieronymo, seu potius Origine ex versione Hieronymi: "Multi sine peccato putant esse, si alienum, quod invenerunt, teneant, & dicant: Deus mihi dedit, cui habeo reddere? discant ergo peccatum hoc esse simile rapinæ, si quis inventa non reddat.

Addit canone 11. ex S. Gregorio, qui dicit, quòd eleemosyna & sacrificia non placeant Deo, quæ offeruntur ex scelere.

An & quando fieri possint eleemosinæ ex illicitè acquisitis?

Huic asserto objicit parte 2. quod legitur in Exodo, "Quòd filii Israel exituri ex Ægypto à vicinis suis acceperint mutuo vasa aurea & argentea, ex quibus postea ædificaverunt tabernaculum Domini. Respondet verbis Augustini relatis canone 12. hoc non esse sumendum in exemplum, quod, jubente Domino, factum est: "Hoc enim, ait, Deus jussit, qui noverat, quidquemque pati oporteret: nec Israelitæ furtum fecerunt, sed Deo jubenti ministerium præbuerunt.

Attamen ad calcem canonis 14. monet, aliquando rectè in pauperes posse impendi, quæ malè, seu cum peccato acquisita sunt: puta, "quòd ex turpi causa possidetur, veluti cum Mathematicus ex arte, quam docet, vel ex futuris, quæ prænuntiat, nonnulla lucratur.

Quæstio VI. An usurarii non restituentes usuras pœnitentiam agere valeant?

Quæstio 6. quâ quæritur, *An usurarii pœnitentiam agere valeant, nisi, quòd male acceperunt restituant?* quatuor partibus constat, *Primâ parte* probat auctoritate S. Augustini, pœnitentiam; non rectè agi, nisi res aliena reddatur: "Si res aliena, inquit, propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

Quomodo possit restitui res jam Deo consecrata.

Dein *parte* 2. auctoritate S. Gregorii dicit: "Si rem alienam quis consecraverit, non eandem, sed ejus æstimationem restituere debet: sed in casu, quo res hujusmodi Deo consecrata restitui non potest. De quo videtur intelligendus locus iste ex S. Gregorio allatus.

De intercessione apud Principes pro reis.

Deinde miscet hic Canone 3, auctoritatem S. Gregorii, qui & *tertiam partem* facit, "quòd pro malis apud Principes Ecclesia debeat intercedere, non eos temerario ausu defendere. Verba Gregorii legi merentur.

Unde desumenda gravitas furti?

Finaliter Canone 4. *partem quartam* conficiente verbis S. Hieronymi, sed nonnullis omissis & mutatis, ut notant Correctores Romani, adstruit, "furtum non tam in quantitate rei, quàm in affectu furantis considerari: quod tamen non ita accipiendum, quasi peccatum furti non crescat, ex gravitate materiæ, sicuti testimonium Hieronymi crude acceptum innuere posset; sed quòd hac in re multum attendendus sit affectus furantis.

CAUSA DECIMA QUINTA.

Connexio hujus causæ cum præcedenti.

CUm *in Causa* 14. "tractatum esset de avaritia, quæ obumbrat mentem Clericorum; sed quia *incontinentia* idem facit: ideo subnectit *hanc Causam*, in qua de incontinentia tractat, & de his, quæ fiunt mente alienatâ, & de aliis multis, quæ ut melius pateant, thema seu casum proponit, de quo octo quæstiones elicit. Ita glossographus. Casum Gratianus expressit his verbis. "Quidam Sacerdos in crimen carnis lapsus esse perhibetur, antequam sacerdotalem benedictionem consequeretur: postquam verò sacerdotium adeptus est, in furorem versus quendam interfecit. Recuperatâ verò sanitate, apud Episcopum accusatur, ab ea, cum qua lapsus esse dicitur. Episcopus autem die dominico causam examinat. Sacerdos inficiatur crimen sibi illatum: quorumdam Clericorum sibi patrocinia quærit: illi verò non sine pretio sibi patrocinantur. Tandem Episcopus confessionem quæstionibus extorquet. Demum solus absque synodali audientia illum sententia ferit.

Casus hic positus.

Quæst. I. An ignorantia & infirmitas à peccato excuset.

Ex hoc casu multa nullatenus inter se cohærentia educit Gratianus; ac *primâ quæstione* quærit: *An ea quæ mente alienata fiunt, sint imputanda?*

In hac quæstione multa, præcipuè ex S. Augustino tradit de ignorantia, & utrum hæc, aut infirmitas carnis à peccato excuset.

Ex omnibus concludit Gratianus, conformiter ad sententiam S. Augustini, nec ignorantiam, nec carnis infirmitatem semper à peccato excusare.

Quæst. II An pro impenso patrocino liceat Clerico munera exigere?

Quæstione 2. quærit: *An pro impensis patrociniis liceat Clericis munera exigere?*

Unicum hìc profert Canonem Concilii Tarraconensis, quo observandum decernitur, " ne „quis Sacerdotum vel Clericorum, more sæcula„rium judicum, impensis patrociniis munera au„deat accipere. Gratianus autem dicit, de hoc illis intelligendum esse, qui *Canonicam* vitam professi, *regulariter* se victuros proposuerunt.

Gratianus à vero sensu Canonis recedit, ut suæ ætatis disciplinæ accommodet.

Hæc restrictio parum congruit generali Canonis expressioni, aut disciplinæ ejus ætatis. At Gratianus more suo Canones disciplinæ sui temporis accommodare volens, frequenter à vero canonum sensu recedit: quòd & hìc contigisse ex verbis Gratiani immediatè sequentibus conjicitur: " *Generali namque Ecclesiæ consuetudine ait, receptum est, & moribus approbatum, ut Clerici more Advocatorum patrocinia impendant, & pro impendendis munera exigant, & pro impensis suscipiant.*

Sed non vidit aut non advertit Gratianus, hanc consuetudinem labentis disciplinæ fœtum, nullum canonibus præjudicium afferre, pluresque canones hoc in Clericis patrocinandi officium improbare, præsertim coram Judicibus sæcularibus; monetque & hìc Glossographus: quòd „Clerici & Sacerdotes non debeant *indifferenter* „advocare, ne vilescant dignitates ipsorum.

Quæst. III. An mulier testari possit contra Clericum, præcipuè si fuerit criminis complex.

Cùm in casu à Gratiano proposito diceretur, Sacerdotem apud Episcopum fuisse prolapsum, quærit tertio loco Gratianus: *An ex mulieris confessione Sacerdos ille sit condemnandus?*

Sub initium quæstionis dicit, quòd sacris canonibus omnino videatur prohibitum mulieri accusare Sacerdotem. Verum omnis Gratiani probatio nititur falsis decretalibus, notanter Fabiano Papæ suppositis. Deinde in hanc rem multa adducit Gratianus ex jure civili, quibus mulieres ab accusatione repelluntur, nisi in certis quibusdam enormibus criminibus.

Ex his autem concludit ad calcem Canonis 4. „Cùm contra generales regulas quædam crimina „specialiter excepta sint, in quibus mulieri accu„sare permittitur, inter quæ fornicatio non nu„meratur: patet, quòd hujus accusatio dupliciter „infirmatur, & quia fornicationis crimen in„tendit, & quia dum de se confitetur, super „alienum crimen ei credi non oportet. Quod ultimum probat Canone 5. per pseudo decretum Julio Papæ affictum, ad cujus calcem super proposita quæstione ita concludit: *quia ergo ista de se confitetur, super alienum crimen ei credi non oportet, sed contra eam sua confessio interpretanda est.*

Hodie nec mulieres, nec etiam viri ad publicam accusationē criminum admittuntur, nisi sint officiales publici. At denuntiatio nec mulieri negatur.

Attamen in casu simili, testimonio mulieris haud facile deferendum esset; nisi forsan aliquæ aliæ circumstantiæ Sacerdotem hunc suspectum redderent: quo casu mulieris confessio vel denuntiatio accedens possent superiori præbere occasionem, saltem inquirendi, & huic Sacerdoti specialius invigilandi.

Quæst. IV.

Ulterius in casu à Gratiano formato, Episcopus die Dominicâ causam examinat. Hinc formata *quæstio* 4. *An die Dominicâ ejus causa sit ventilanda?*

Diebus Dominicis & festis prohibitum est causas ventilare.

Profert autem Gratianus tria decreta, quibus probet, licitum non esse diebus *dominicis* judicialia tractare: è quibus notandum præ reliquis Canone 2. decretum Concilii apud Erphesfurt, sive Erpfordiensis anni 932. quo decernitur „placita *sæcularia* dominicis diebus, vel aliis præ„cipuis festis, seu etiam in his diebus, in quibus „legitima jejunia celebrantur secundum canoni„cam constitutionem minimè fieri.

Additur & in eodem: " insuper eadem „Synodus decrevit, ut nulla judiciaria potestas „licentiam habeat, suâ auctoritate Christianos ad „placitum bannire in supra dictis diebus, id „est septem dies ante natalem Domini usque in „octavas Epiphaniæ, & à Quinquagesima usque „ad octavas Paschæ, & septem dies ante Nati„vitatem S. Joannis Baptistæ, quatenus adeundi „Ecclesiam, orationibus vacandi liberius ha„beatur facultas. Extat hæc Synodus cum suis „Canonibus, quorum hic est secundus, *tom.* 9. *Concil. General. col.* 592. Sed cum notabili differentia.

In primis enim loco horum verborum: *Insuper etiam* SANCTA SYNODUS *decrevit*, habentur hæc, *insuper quoque* GLORIOSISSIMUS REX *augmentum Christianæ religionis concessit, ut nulla*, &c.

Præterea in synodo omittuntur hæc verba: *usque in octavas Epiphaniæ.*

Eisdem verbis, quibus extat apud Gratianum, refertur à Burchardo lib. 13. cap. 21. è quo verisimiliter hunc canonem sic immutatum mutavit Gratianus.

Refert Gratianus Canone 4. decretum sub nomine Hadriani Papæ in capitulis cap. 64. quo dicitur: *nullus Episcopus vel infra positus, die dominicâ judicare præsumat.* Hæc ætatem sapiunt, qua ordo judicialis in forum Ecclesiæ irrepserat.

Quæst. V.

Quinto loco quærit Gratianus: " num presbytero scelus inficianti, *purgatio sit deferenda.*

Pro hujus quæstionis solutione adducit fragmentum epistolæ Stephani scribentis Leonis Episcopo Theanensi, extatque etiam fragmentum sub eadem inscriptione *in Canone* 17. *Causa* 2. *quæst.* 1. nisi quod hìc addatur, quotus fuerit *Stephanus*, nimirum *quintus*, adjectâ ad calcem hâc Correctorum Romanorum notâ, „Extat integra hæc epistola in collectione Cano„num sine auctoris nomine in Vacantia Bibliotheca Indigna verisimiliter, quæ huic Pontifici adscribatur, ut propterea nec ejus epistolis *tom.* 9. *Concil. General.* descriptis enumeretur.

An & quando presbytero crimen neganti purgatio canonica sit deferenda.

Interim hoc in fragmento respondetur, quòd si presbyter accusatus, nec per propriam confessionem, nec legitimis testibus convincatur: & „malâ famâ crebuerit, non publico examine, sed „coram Episcopo & aliquibus reverendissimis „presbyteris & diaconis Episcopalis Ecclesiæ se„creto juramento se purificet.

In altero decreto sub nomine *Nicolai Salomoni Constantiensi Episcopo*, hoc unum asseritur, clericum à suo officio non deponendum, nisi *legitimè* convictum: traditurque hæc regula: *Sola ergo spontanea confessio, & canonicus numerus, & qualitas testium: (decernentibus Episcopis, & accusatore, quod objecerat comprobante) Clericum privat proprio gradu.* Hoc decretum inter decreta Nico-

Nicolai I. à Cochlæo notat Antonius Augustinus *lib. 2. de emendat. Grat. Dial.* 19.

Cujuscunque interim hæc sint verba, indubiè intelligi debent de absoluta presbyteri depositione à suo officio: nam etsi non sit *plenè* de crimine convictus; sed tamen mala fama sufficientibus adminiculis fundata laboret, potest ei nonnunquam purgatio indici; præsertim si ob publicam de patrato crimine famam sine scandalo officio fungi nequeat: quemadmodum ad titulum decretalium *de purgatione canonica* docent Canonistæ; & in pluribus Canonibus expressum est, uti & ostendi in *Jure Eccles. Part.* 3. *tit.* 8. *cap.* 4. unà tamen probavi, hanc purgationem non leviter esse imponendam.

Quæst. 6. An confessio criminis cruciatibus sit extorquenda?

Ulteriùs in casu à Gratiano assumpto dicitur, quod *Episcopus* Confessionem *quæstionibus extorquet*; quare *sextam* format quæstionem: *an ejus confessio* cruciatibus *sit extorquenda*?

Quæstionem dividit in binas partes planè disparatas. In *prima parte* auctoritate, maximè pseudo-decretalis Alexandri I. cujus plura fragmenta in unum conflat, probat, quòd ministrorum confessio non debeat esse *extorta*, sed libera. Addit & decretum sub nomine Nicolai Papæ Episcopis Galliæ, in quo & allegatur auctoritas beatissimi Papæ & Martyris Alexandri V. à B. Petro.

Verba hic citata referuntur per Cochlæum in collectione decretorum Nicolao I. per Gratianum adscriptorum tit. 3. n. 7. monetque Antonius Augustinus *lib. 2. de emendat. Grat. Dial.* 13. apud Petrum Diaconium in incertis collocari: additque, *nusquam extare adscripserunt Romani, qui notant ex ea probari auctoritatem epistolæ I. Alexandri I. sed, ut rectè monet idem auctor, debuisset prius, cujus esset hoc caput, probare: nam ex incertis incerta probatio elicitur.*

Et sanè dubium non est, quin citata verba respiciant præfatam pseudo-decretalem Alexandri I. Scimus, Nicolaum I summopere urfisse auctoritatem harum decretalium contra Hincmarum Rhemensem aliosque Galliæ Episcopos, uti sæpius notavimus: unde & supra relatis verbis subjungit Antonius Augustinus: *Nicolaum relatas epistolas ab Isidoro mercatore non improbare dubium non est, Antonium Augustinum de harum decretalium auctoritate ut minus dubitasse, ex his verbis manifestum est.*

Secunda parte quæstionis probare contendit, *quòd à fidelitatis juramento Romanus Pontifex nonnullos absolvat, cùm aliquos à sua dignitate deponit.* Quid hæc vel ad casum per Gratianum propositum, aut ad quæstionem inde formatam faciant, non video.

An Romanus Pontifex Principes regno aut imperio spoliare possit?

Interim in hanc rem profert Canone 3. decretum sub nomine Gelasii; sed quod revera est Gregorii VII. uti monent Correctores Romani, in quo dicitur, quod *Romanus Pontifex, Zacharias scilicet, Regem Francorum, non tam pro suis iniquitatibus, quàm pro eo, quod tantæ potestati erat inutilis, a regno deposuit: & Pipinum Caroli Magni Imperatoris patrem in ejus locum substituit, omnesque Francigenas à juramento fidelitatis, quod illi fecerant, absolvit.*

Factum negant plures notabiles Historici, præsertim Galli, nec sine fundamento: quamvis dubitandum non sit, Pontifices plures, sæculo XI. & sequentibus ea auctoritate adversus Imperatores usos fuisse. Vide Janum & Costa ad titulum *de supplenda negl. prælat.* ubi hujus Canonis meminit.

An à fidelitate erga Principem excommunicatum liberentur subditi.

Quin & auctoritate Gregorii VII. & Urbani II. probare vult Gratianus Canone 4. & 5. quòd *excommunicatis vinculo fidelitatis non teneamur obnoxii*: atque in Canone 4. Gregor. VII. præsidens Synodo Romanæ inducitur, dicens: *eos, qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, Apostolica auctoritate à sacramento absolvimus.*

Porrò notum est ex historicis ejus ætatis, quàm graves inter hunc Pontificem & Imperatores ac Principes fuerint contentiones quin bella cruentissima: & qualiter ad tuenda prætensa sua jura contra Imperatores eisque adhærentes Principes per censuras processerit, quin & ab imperio deponere tentaverit, atque eorum subditos à fidelitatis juramento absolutos declaraverit hic Gregorius VII. ad quos decretum hujus Canonis dirigi, etiam notavit Carolus Molinæus in notis ad hunc Canonem: & monet quoque Ludovicus Hericourt in Analysi hujus quæstionis, unà meritò notans, nihil esse periculosius hoc principio, scilicet subditos à fidelitatis juramento esse absolutos ob excommunicationem supremi principis.

Periculosum hoc in re Gratiani principium.

Relato enim hoc principio, subdit: *Rien n'est plus contraire aux veritables principes, qu'une pareille maxime, que personne n'avoit osé avancer avant le 9. siecle. La puissance temporelle est absolument independante de la puissance Ecclesiastique: c'est pourquoi le Prince excommunié, meme legitimement, conserve encore tous ses droits sur le temporel*: Proinde hic articulus meritò reponitur inter perniciosa principia in decreto Gratiani expressa.

Quæst. 7. Episcopus sine Concilio presbyterum aut diaconum damnare non potest.

Casus à Gratiano propositus habebat, quòd Episcopus *solus absque synodali audientia presbyterum sententia feriisset.* Unde quærit septimò: *An absque synodali audientia Episcopus valeat sacerdotem damnare?*

Profert hic plures auctoritates, quibus probatur, Episcopum non posse sine *synodali* audientia, aut saltem sine præsentia & consilio Cleri sui Sacerdotem deponere; atque inter cætera refertur Canone 1. decretum Concilii Hispalensis II. anni 619. quo decernitur: *Juxta priscorum Patrum synodalem sententiam nullus nostrum (id est Episcoporum) sine Concilii examine quemlibet Presbyterum vel Diaconum dejicere audeat.*

Ratio subditur: *Nam multi sunt, qui indiscussos potestate tyrannica, non auctoritate canonica damnant: & sicut nonnullos gratiâ favoris sublimant, ita quosdam odio invidiaque permoti humiliant, & ad levem opinionis auram condemnant, quorum crimen non approbant.*

Dein hanc regulam adjungit: *Episcopus enim sacerdotibus ac ministris solus honorem dare potest, solus auferre non potest.*

Plures quoque proferuntur Canones Africani, quibus definitur numerus Episcoporum & Sacerdotum, qui in depositione presbyterorum aut diaconorum requiritur, quorum scholia in Tract. Historico-Canonico consuli poterunt. Quomodo hæc disciplina tandem mutata sit, & Episcopi cœperint sine synodali audientia per suos officiales judicare, dixi in *Jure Eccl. Part.* 3. *tit.* 5. *c.* 1.

Optandum, ut eadem hodie disciplina servaretur.

Optandum esset, ut hodie Episcopi, eorumque Officiales horum Canonum decretis obtemperarent, nec adversus presbyteros nonnunquam, neglecta canonica auctoritate, sive neglecto ordine juris, via facti per censuras prosilirent, eoque suo procedendi modo non præberent ipsis necessitatem ad auditoria Principis pro comprimenda violentia recurrendi.

Quæst. 8. *Quæ disciplina servanda circa sacerdotes in crimen carnis lapsos.*

Denique Gratianus causam hanc finit *quæstione* 8. quòd Sacerdos, qui post ordinationem suam fatetur, se ante ordinationem in crimen carnis prolapsum, maneat quidem in ordine sacerdotali, sed tamen ab altari abstinere debeat: idque præcipuè probat auctoritate Canonis Neocæsariensis, quem Canone 1. recitat sub nomine hujus Synodi, binis Canonibus 9. & 10. in unum conflatis ex versione Isidori; ac rursus Canone 4. ex versione Martini Bracarensis tanquam ex Concilio Martini Papæ. Videri possunt, quæ in scholiis ad hos Canones notavi in Tractatu Historico-Canonico sæpe dicto.

Profert præterea Canone 2. decretum Synodi Ilerdensis quoad deservientes altari, *qui subitò in flenda carnis fragilitate corruerunt*: de quibus ita statuit: *Si Domino respiciente, dignè pœnituerint, ita ut mortificato corpore cordis contriti sacrificium Deo offerant, maneat in potestate Pontificis vel veraciter afflictos non diu suspendere, vel desidiosos prolixiori tempore ab Ecclesiæ corpore segregare: ita tamen, ut sic officiorum suorum loca recipiant, ne possit ad altiora officia ulterius promoveri. Quod si iterato velut canes ad vomitum reversi fuerint..... non solùm dignitate officii careant; sed etiam sanctam communionem nisi in exitu non percipiant.*

Circa hoc decretum observandum hic nonnisi dispensativè; idque adhibitis multis cautionibus, permitti Episcopis lapsos Sacerdotes post peractam debitè pœnitentiam, & probatam sinceram conversionem permittere in suo officio permanere: quæ dispensandi auctoritas verisimiliter hic à Synodo Hispanica indulta fuit ob raritatem Sacerdotum, quæ ob incursum barbarorum in Hispania eo tempore occurrebat, prout similis dispensandi auctoritas occurrit in epistola Siricii ad Himerium Archiepiscopum Tarraconensem.

Nemo ante probationem puniendus.

Notanda seutentia occurrens hic Canone finali: *Ante probationem accusationis illatæ neminem à tua communione suspendas: quia non statim, qui accusatur, reus est, sed qui convincitur, criminosus.*

CAUSA XVI.

Incipit hic Tractatus, de Monachis.

GRatianus *hactenus de statu Ecclesiarum egit & sæcularium Clericorum*, ait glossa sub *initium hujus causæ*: *sed quia religione Monachorum multum decoratur status Ecclesiarum, ideo in sex sequentibus causis tractat de statu monasteriorum & monachorum.* Unde à Causa 16. incipit Tractatus *de Monachis*, ad quem non semel ipse Gratianus remittit.

Casus hic propositus.

Hac causa agit de officio monachorum, varia, eaque inter se disparata & confusa intermiscens. Casum sive causam ita proponit: *Quidam Abbas habebat parochialem Ecclesiam: instituit ibi monachum, ut officium celebraret populo: possedit eam per quadraginta annos sine aliqua interpellatione: tandem querela adversus Abbatem movetur à Clericis baptismalis Ecclesiæ, in cujus diœcesi parochiana Ecclesia illa consistebat.*

Quæst. 1.

Ex hoc casu septem quæstiones format. Prima quæstio constans 68. Canonibus est: *Utrum monachis liceat populis officia celebrare, pœnitentiam dare, & baptizare.*

Varia re- | *fert Gratianus, quibus Monachi videntur removeri à functionibus Ecclesiastici.*

Primis 12. Canonibus significare videtur Gratianus, non posse monachos Ecclesiis parochialibus præfici.

Hunc in finem citat canone 1. decretum sub nomine Synodi Nicænæ, quod neque in prima Nicæna Synodo, neque in secunda hodie haberi notant correctores Romani.

Putârunt nonnulli canonem hunc sumptum ex canone 76. inter canones Arabicos concilii Nicæni: unde in margine ad dictum canonem 76 apposuit Turrianus: *Meminit Gratianus hujus Canonis causa 16. quæst. 1. Can.* PLACUIT. Verùm si dictus canon Arabicus conferatur cum canone à Gratiano hîc relato apparebit, nihil præter inscriptionem illis esse commune; ut proinde hactenus nesciatur, unde hunc canonem sumpserit Gratianus, uti etiam notavit Joan. d' Artis in commentario *distinctione* 15. Cæterùm dictos canones Arabicos non posse attribui Synodo Nicænæ hodie compertum est.

Notandum, quòd canones hîc à Gratiano adducti potissimum probent, monachos ex suo instituto debere esse solitarios, ab omnibus functionibus Ecclesiasticis & sæcularibus remotos. Hinc canone 4. 5. & 6. referuntur verba Hieronymi, quibus docet, monachorum statum à clericorum statu esse omnino disparatum: *Monachumque non docentis, sed plangentis habere officium, qui vel se, vel mundum lugeat, & Domini pavidus præstoletur adventum*, ut habet canon 4. & canone 8. sub nomine Eugenii Papæ habetur illud vulgare: *Monachus sit claustro suo contentus, quia sicut piscis sine aqua caret vita; ita sine monasterio monachus. Sedeat itaque solitarius & taceat: quia mundo mortuus est, Deo autem vivit.*

Ad calcem canonis 12. canonem, quem sub nomine Synodi Nicænæ protulerat Canone 1. quo inter alia præcipitur: *Monachus mortuum non sepeliat, nisi monachum in monasterio secum commorantem: vel si fortuito quemquam advenientium fratrum ibi mori contingat*, ita exponit, quasi hic canon solum prohibeat *monachos de monasterio exire, & per capellas mortuorum sepulturas celebrare: confluere videlicet more Clericorum ad cujuslibet exequias celebrandas. Cæterùm, ait, si apud monasterium aliquis semetipsum tumulari voluerit, non est prohibendus.*

Eis tamen sepulturas in suis templis concedit.

In probationem finalis clausulæ, qua monachis asseritur libertas sepeliendi eos, qui apud ipsos sepeliri elegerint, profert canones 13. 14. 15. & 16. atque ex his ad calcem canonis decimi sexti ita concludit: *Ecce his auctoritatibus patet, quod si quis apud monasterium sepulturam sibi eligere voluerit, liberè à monachis potest sepeliri. Unde liquidò colligitur, prohibitionem illam Nicanæ Synodi, propter improbitatem circumvagantium esse factam.*

At in eo disciplinæ suæ ætatis se accommodat.

Non dubium, quin Gratianus in formanda hac conclusione magis reflexerit ad disciplinam sui temporis, quam ad auctoritates hîc adductas, quæ nullatenus probant, vel exprimunt assertum aut conclusionem Gratiani.

Cùm autem in hac conclusione incidenter dixisset supra canone 1. decretum sub nomine Synodi Nicænæ factum esse propter improbitatem circumvagantium, subjicit immediatè canone 17. decretum concilii Chalcedonensis, quo similes monachi coërcentur, & ad sua monasteria redire compelluntur.

Part

Refert deinde varia, quibus Ecclesiasticorum officiorum exercitium monachis concedi videtur.

Parte 2. quæ incipit à Canone 21. plures auctoritates adducit, quibus probari videtur, quòd monachi sacerdotalium offi iorum potestatem habeant.

Adducit in primis Canone vigesimo primo verba sub nomine S. Ambrosii, quæ apud Ambrosium non sunt inventa: & videntur esse auctoris longè recentioris, uti notant Correctores Romani.

Neque majoris ponderis apparent citata Canone 22. 23 & 24. tanquam Innocentii Papæ, & Gregorii I. utpote in quibus referuntur, quæ recentiorem planè ætatem præseferunt.

Vulgare & famosum decretum sub nomine Bonifacii Papæ relatum Canone 25. hodie ut apocryphum passim rejicitur.

Interim ad calcem hujus Canonis vigesimi quinti ita concludit Gratianus: *His omnibus auctoritatibus perspicue monstratur, monachos posse pœnitentiam dare, baptizare, & cætera sacerdotalia officia licitè administrare.*

Non mirum Gratianum ex relatis, tametsi parum authenticis decretis tam fidenter hanc efform âsse conclusionem, eò quòd neglecta veteri disciplina, unicè pene ad sui temporis disciplinam reflecteret.

Quo spiritu debeant monachi suscipere servitium Ecclesiæ?

Inter alia refert Canone trigesimo verba sancti Augustini ex *epistola* 48. *ad Eudoxium*, quibus monachos exhortatur, *Ut propositum suum custodiant, & usque ad finem perseverent: ac si quam*, ait, *operam vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis; sed miti corde obtemperetis Deo.*

Hic jam pridem ostendit Augustinus, quo spiritu debeat suscipi servitium Ecclesiæ ab illis, qui ad vitam solitariam sunt vocati.

Qui monachi legitimè Ecclesiasticas exercere possint?

Dein aliis nonnullis adjunctis, quibus ostenditur, è monachis subinde aliquos ad clerum posse assumi, ad Canonem trigesimum sextum concludit: *His omnibus auctoritatibus monstratur, quod monachi, qui sunt a populo electi, & ab Episcopo cum consensu sui Abbatis sunt ordinati, legitime potestatem suam exequi valent.*

Quo sensu non potest monachus juxta Gregorium functionibus hierarchicis occupari.

Gratianus attulerat Canone secundo fragmentum epistolæ S. Gregorii lib. 4. epist. 1. in qua dicitur: *Nemo potest & ecclesiasticis obsequiis deservire, & in monastica regula ordinatè persistere.*

Quibus verbis vult Gregorius, ut Abbas vel monachus simul & ecclesiasticis sive clericalibus obsequiis insistere, & monasticæ districtioni subjectus manere, utilitatibus monasterii ut monachus gaudere non possit. Vide notas ad *epistolam libr.* 3. Gregorii, ubi ostenditur, nequaquam fuisse mentem S. Gregorii, quod idem non posset esse Abbas sive monachus & presbyter; sed id unum voluisse, ne monachus vel abbas manens monachus aut abbas, functionibus hierarchicis sive clericalibus in directione populi, adinstar presbyterorum parochialium occuparetur: sed nequaquam vetuisse, quo minus abbas in suo monasterio *pro suis monachis* presbyteri munia obeat.

Gratianus autem hunc S. Gregorii textum exponere volens, ait post Canonem trigesimum sextum illud Gregorii: *Nemo potest obsequiis Ecclesiasticis, &c.* de illis intelligendum est, qui in numero Cardinalium vel Episcoporum ordinati, monasterii sui dispensationem sibi reservare contendunt.

Discrimen inter officium monachi & clerici.

Deinde ad Canonem 39. concludit: Aliud enim convenit cuique ex eo, quod *monachus est*, aliud ex eo, quod *clericus est*. Ex eo, quod *monachus est*, sua & aliorum peccata deflendi habet officium; ex eo, quod *clericus*, docendi & pascendi populum.

Citat autem Gratianus dictum Canonem trigesimum nonum ex Regesto Gregorii: monet autem correctio Romana, quòd auctor hujus capitis referat constitutionem beati Gregorii de abbate xenodochii in civitate Augustodunensi, quæ habetur *lib.* 2. *Regest. epist.* 10. At constitutionem hanc seu privilegium nonnullis spurium videri, in notis ad citatam epistolam annotatur.

Ulteriùs concludit ad calcem Canonis 40. quod monachis presbyterii honore decoratis, à populo electis, & ab Episcopo institutis eadem liceant, quæ & aliis Sacerdotibus.

Clerici potestatem in ordinatione acceptam sine licentia Episcopi exequi non possunt.

Addit hoc probari, ex eo, quod tam monachi, quàm alii, eodem plenè ritu ordinentur: *Sicut ergo*, ait, *in benedictione utrique communem nanciscuntur potestatem; ita in institutione communiter assequuntur potestatis executionem. Cæterum absque Episcoporum licentia non solum monachis, sed etiam omnibus generaliter clericis, potestatis executio interdicitur.*

Ut postremam partem probet Gratianus, allegat Canone 41. verba ex falsa decretali Clementis I. quibus declaratur, quod clerici nihil sine licentia Episcopi proprii agere queant: non utique missas sine ejus jussu quispiam presbyterorum in sua parochia agat, quæ vel sola recentiorem manum manifestant: nec enim nomina, *Missa* & *Parochia*, pro districtu presbyteri, ætate Clementis nota erant.

In conciliatione Canonum Gratianus spectavit disciplinam sui temporis.

Ex his nequaquam obscurum est, quod Gratianus, dum Canones in speciem diversos conciliare conatur, potius spectavit usum suorum temporum, quo monachi ad munera hierarchica assumpti regulæ monasticæ subjecti manebant: cùm è contra ætate sancti Gregorii, aliorumque venerandæ antiquitatis monumentorum hac quæstione relatorum, monachus ad munia hierarchica assumptus, solveretur penitus à regula & subjectione monastica, & alienus planè fieret à monasterio. Hæc etiam monuit Franciscus Florens in commentario ad hanc quæstionem, ubi & eruditè deducit, quomodo sensim tam in Oriente quàm in Occidente monachi ad functiones clericales sint admissi, idque præcedente exacta probatione.

Qui monachi ad clericatum assumendi?

Cæterùm ex relatis Canonibus à Gratiano illud manifestum est, non omnes monachos ad clericatum provehendos; sed non nisi *probatiores & meliores*, ut habet Canon trigesimus sextus, sive, *quos morum gravitas & vita ac fidei institutio sancta commendat*, ut ait Canon vigesimus secundus. Hinc illud Hieronymi Canone 26. *Sic vive in monasterio, ut clericus esse merearis.*

Et Canone 36. ostenditur ex S. Augustino, quàm sit perniciosum monachos desertores ad clericatum promovere: *Et ipsis enim facilis lapsus, ordini clericorum fit indignissima injuria, si desertores monasteriorum ad militiam clericatus eligantur: cùm ex eis, qui*

in monasterio permanent, non tamen nisi probatiores, atque meliores in clerum assumere soleamus.

An monachi ex prædiis suis teneantur ad decimas.

Cùm hactenus tribus hujus quæstionis partibus Gratianus inquisivisset, an monachis liceret functiones clericales obire, incipit post hæc inquirere: " De his, qui intra monasterii „claustra consistunt, quibus populus ad regen„dum non committitur, utrum dare vel accipere decimas debeant?

Dicit autem Gratianus, quòd " in his hæc di»scretio servanda sit, ut de agris & vineis, quæ "ad proprium stipendium coluntur, decimas "sibi retineant. Si enim, ait, decimæ à populo „filiis Levi reddebantur pro ministerio, quo „Domino deserviebant in tabernaculo, offeren„do sacrificia & holocausta pro populo, patet, „quòd monachi de propriis prædiis non magis „quàm alii Sacerdotes decimas solvere cogun„tur.

Dein per modum objectionis, ait: " Sed di»citur, quòd prædia monachorum sive pretio "sint empta, sive pro salute animarum oblata, "antequam in jus eorum venirent, baptismali„bus Ecclesiis, sive quibuslibet aliis primicias „& decimas persolvebant illæ autem Ecclesiæ „privari suo jure non possunt.

Ecclesiæ antiquæ ob novas extructas decimis privandæ non sunt.

Hanc quæstionem examinat parte 4. incipiens à Canone 42. quo & duobus sequentibus probat, antiquas Ecclesias non esse privandas decimis & oblationibus propter novas; ac tum Canone 45. probat, decimas baptismalibus Ecclesiis deberi, prolato decreto sub nomine *Leonis Papæ IV.* quo declaratur, etiam jam pridem, *Majoribus visum esse, plebibus tantum, ubi sacrosancta baptismata dantur, de decimis debere dari.* Per plebes intelligi Ecclesias baptismales notat hic glossa: atque hinc presbyteri hisce Ecclesiis præfecti dicti sunt plebani.

Ex his concludendum videbatur, quòd & monachi ex propriis prædiis decimas Ecclesiis baptismalibus solvere deberent. Verùm respondet Gratianus, quòd Concilium Moguntinense (sub cujus nomine decretum relatum »fuit Canone 42.) de venditore vel donatore "loquatur, definiens, ait, quod ille qui vendit, "aut donat, non potest proventum decimatio„num illi Ecclesiæ detrahere, cui priùs legitimè „fuerat assignatus: monachi autem decimas & »primitias non auctoritate vendentis vel do"nantis sed auctoritate ejusdem Concilii & Pa"schalis Papæ detinent; à quibus definitum, ut „monachi de propriis prædiis decimas non sol»vant.

Exemptionem à decimis concedit Gratianus monachis ex Canone in alienum sensum detorto.

Decretum, quod hanc in rem producit Gratianus Canone 46. sub nomine Concilii Moguntinensis: "In nullo Concilio Moguntino, „quod extet haberi, sed in Cabilonensi, unde „citant Burchardus & Ivo, monent Correctores »Romani.

Hi insuper monent, Gratians ad verba, *Decimas ad Ecclesias*, addidisse vocabulum, *suas*, quod abest ab ipso Concilio, & cæteris collectoribus.

Porro additione hujus voculæ, *suas*, Gratianus monachus detorsit Canonem in alienum sensum, idque in favorem monachorum; quasi Concilium voluisset, ut Abbates *de agris & vineis, quæ ad suum vel fratrum stipendium habent, decimas ad Ecclesias suas deferri faciant*; cùm Concilium decrevisset, eas ad Ecclesias deferri. Nomine autem, *Ecclesiarum*, ea ætate scilicet sub initium sæculi IX. quo celebratum est hoc Concilium, intellectas fuisse Ecclesias Parochiales, vel baptismales notum est.

Decretum, quod sub nomine Paschalis Papæ II. extat Canone 47. nescio, num apud antiquiorem Gratiano reperiatur: saltem hactenus non inveni: & per Labbeum *tom.* 10. *Concil.* reponitur inter decreta hujus Pontificis ex decreto Gratiani excepta.

Interim auctoritate decreti Gratiani fulti monachi, libertatem à decimis prætenderunt; eaque occasione plures controversiæ & Pontificum decisiones supervenerunt, uti latiùs exposui in *Jure Eccles. Parte* 2. *tit.* 33. *cap.* 7.

Cui competat potestas dividendi aut uniendi Episcopatus.

Quia dictum fuerat, quòd antiquiores Ecclesiæ propter novas nec decimis, nec ulla possessione privandæ sint, monet parte 5 hujus quæstionis Gratianus, id non ita intelligendum. *Quasi Episcopo non liceat aliquam partem possessionum vel decimarum unius Ecclesiæ alteri pro tempore tribuere: sicut enim Papa duos Episcopatus in unum potest dirigere; ita & unus, inquit, pro prio consentiente Episcopo in duos potest dividi, vel etiam Metropolitano invito qualibet Ecclesia ab ejus jurisdictione, Apostolica eximi auctoritate.*

Item eximendi Episcopatus à jurisdictione Metropolitani.

Quàm procul quæsita & parum concludens sit hæc Gratiani probatio, nemo non videt: at interim Gratianus hinc arripit occasionem probandi Sedi Apostolicæ auctoritatem esse uniendi Episcopatus, eosque à jurisdictione Metropolitani eximendi. prolatis in probationem tribus testimoniis ex S. Gregorio, quorum tertium in Canone 52. desumptum ex *lib.* 2. *indict.* 2. *epist.* 7. loquitur de exemptione Episcopi Thebanæ civitatis à jurisdictione sui Metropolitani per Pelagium II. immediatum Gregorii prædecessorem facta: notantque eruditi, hoc primum esse hujusmodi exemptionis exemplum, è quo sequentia non sine multorum querela, sensim emanarunt: hoc autem exemplum non omnino quadrat intento Gratiani, eo probare volentis jus esse Pontifici, vigore sui Primatûs, etiam Metropolitano invito, (uti concludit ad calcem Canonis quadragesimi septimi) qualibet Ecclesiam ab ejus jurisdictione eximendi; quandoquidem hæc Ecclesia Thebana esset in Illyrico, in quo Episcopus Romanus, non tantùm jus Primatûs, sed etiam ut minus Patriarchale obtinebat.

In binis autem Canonibus Africanis relatis Canone 50. & 51. nulla fit hujus exemptionis mentio; sed cavetur, ne sine consensu Episcopi Episcopatus dividatur.

Item erigendi novos Episcopatus.

Post hæc addit Gratianus auctoritate Gregorii junioris, id est, secundi, scribentis Bonifacio Episcopo, quòd excrescente multitudine fidelium, auctoritate Sedis Apostolicæ possint novi Episcopi ordinari. Quod hic videtur Gratianus attribuere soli Romano Pontifici, commune fuit aliis etiam Episcopis, maximè Metropolitanis, uti evincit Historia Ecclesiastica, & inter alia factum S. Augustini circa Episcopatum Fussalensem, cum consensu Primatis, aliàs Metropolitani Numidiæ à se erectum.

Hinc infert ulteriùs Gratianus, quòd similiter Episcopus possit facere de baptismalibus Ecclesiis, nimirum unam in plures dividere cum consensu suorum clericorum: *Quod cùm factum fuerit, inquit, illa pars populi quæ novis Ecclesiis supponitur, à jure prioris Ecclesiæ absolvitur.*

Addit

Plures baptismales Ecclesiæ infra eosdem terminos esse non possunt.

Addit tamen, quòd *plures baptismales Ecclesias in una terminatione facere non possit*: hoc est, non possit facere plures Ecclesias *baptismales* infra eosdem limites, uti hìc interpretatur Glossographus: " *Ex quo enim*, ait, *sunt baptismales, debent habere limites distinctos: unus enim tantum debet esse Princeps.*

Profert in hujus asserti probationem Canone 54. decretum sub nomine Concilii Toletani: at illud in nullo Toletano esse inventum, monent Correctores Romani. Laudanda nihilominus est disciplina ibi contenta, quam & annotavit synodus Tridentina *sess.* 24. *cap.* 13. *de Reformat.* mandans Episcopis " pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & à quo solo licitè Sacramenta suscipiant. In margine autem citatur præsens Canon.

Ex hactenus dictis infert parte 6. subjecta Canoni 54. " Jus Ecclesiarum ita interpretandum esse, ut, nisi Episcopo disponente aliis Ecclesiis fuerit assignatum, in nullo priorum redituum diminutionem patiantur.

Bona & decimæ unius Ecclesiæ sine Episcopi consensu alteri dari non possunt.

Et prolato in Canone 55. decreto sub nomine Anastasii Papæ, (quod nullibi inter epistolas aut authentica ejus acta invenitur,) quo punitur, qui oblationes vel decimas tenere contenderit, vel extra baptismalem Ecclesiam dare voluerit, *præter conscientiam Episcopi.*

Notat autem ad calcem Canonis, quod auctor Canonis, "cùm addit, *extra conscientiam Episcopi*, intelligendum relinquit, quòd, Episcopo consentiente, aliis Ecclesiis dari possunt.

Profert rursus Canone 56. decretum sub nomine ejusdem *Anastasii Papæ*, quod esse Concilii Ticinensis notant Correctores Romani: extatque *tom.* 8. *Concil. General. columna* 148. quo declaratur, in sacris Canonibus præfixum esse, ut decimæ juxta Episcopi dispositionem distribuantur: agitque " contra Laicos, qui contempta Episcopi dispositione, non ad Ecclesias, ubi baptismum, & prædicationem, & manûs impositionem, & alia Christi Sacramenta percipiunt, decimas suas dant, sed vel propriis Basilicis, vel aliis Ecclesiis (in Concilio legitur, *suis Clericis*) pro suo arbitrio tribuunt: quod omnimodis, ait, divinæ legi & sacris Canonibus constat esse contrarium.

Ad calcem Canonis 56. ait: "cùm autem reprehenduntur, quia contemptâ Episcopi dispositione hoc faciunt, intelligitur, quòd si Episcopo disponente hoc fecerint, irreprehensibiles inveniantur.

Pœnæ adversus invasores bonorum Ecclesiæ.

Hinc arreptâ occasione subjungit Gratianus Canones, pœnas decernentes in deprædatores & invasores rerum & bonorum Ecclesiæ, ac notanter Canones 57. & 58. qui conflati sunt ex allocutione Symmachi Papæ in synodo Romana VI. de invasoribus rerum Ecclesiasticarum, quæ integra habetur *tom.* 4. *Concil. General. colum.* 1371.

Retulit & Canone 59. capitulum Caroli & Ludovici Imperatorum, quo declaratur, quòd juxta sanctorum Patrum traditionem noverimus res Ecclesiæ esse *vota fidelium, pretia peccatorum & patrimonia pauperum.*

Fabula de apparitione Caroli Martelli.

Correctores Romani in conformitatem eorum, quæ à Gratiano contra invasores rerum Ecclesiæ relata sunt, addunt famosam illam fabulam de apparitione Caroli Martelli, facta, ut fert fabula, S. Eucherio Episcopo Aurelianensi, in qua vidit Carolum Martellum *in inferno inferiori torqueri.* Cui interroganti ab Angelo responsum est, causam damnationis ejus esse, quòd res Ecclesiæ abstulisset. Fabulam illam pluribus refutat Baronius ad annum 741.

Objectio ex Toletano Concilio.

"Cùm ergo præter conscientiam Episcopi, quilibet prohibeatur oblationes Ecclesiæ distribuere, liquido apparet, ait Gratianus, quòd cum Episcopi consensu oblationes Ecclesiæ possint quibuslibet Ecclesiis distribui: At, pergit Gratianus, huic interpretationi videtur contraire auctoritas illa Concilii Toletani IV.

Hoc enim decreto, quod extat Canone 60. prohibentur Episcopi quidquam *de rebus Ecclesiæ auferre; sed juxta priorum Conciliorum auctoritatem, tam de oblationibus, quàm de tributis ac frugibus* TERTIAM *partem consequantur.*

Objectioni respondens Gratianus ad calcem Canonis 61. ait: " Illud Toletani Concilii ita intelligendum, esse, ut Episcopi præter quartam vel tertiam, quæ secundùm locorum diversitates eis debetur, nihil contingant, id est, nihil in proprium ac privatum usum accipiant.

Hâc occasione exhibet Gratianus tres Canones, quibus Episcopis interdicitur, subditos sibi Clericos vel Monachos novis exactionbus gravare.

An sit grave peccatum, decimas non solvere.

Tandem concludens Gratianus quæstionem, vult ostendere *parte* 7. " quàm sit grave apud Deum decimas, & oblationes ac primitias Sacerdotibus non solvere: idque auctoritate SS. Hieronymi & Augustini.

Profert autem Canone 65. verba Hieronymi ex commentario ejusdem ad caput 3. Malachiæ: sed verba Hieronymi magis ad Levitas & Sacerdotes veteris testamenti pertinent, quàm ad novi testamenti; ideoque ex hoc textu concludi nequit, tempore Hieronymi decimas debitas fuisse.

Testimonium S. Augustini in Canone 66. desumitur ex *sermone* 219. *de tempore*: & notârunt eruditi operum S. hujus Doctoris revisores Monachi Benedictini, hunc sermonem non videri hujus sancti Patris: " Lovanienses, inquiunt dubium reliquerunt. „Rejecit post Verlinum Virdingus, ob id „maximè, quòd *decimas*, de quibus redden„dis hìc agitur, intelligere liceat ex *sermo„ne* 2. *in Psal.* 103. *num.* 9. & ex enarratione „Psalmi 146. *n.* 16. & 17. nondum fuisse Au„gustini ætate Clericis & Sacerdotibus datas aut „adsignatas. Cæsarium potius refert quàm Au„gustinum.

Aliud S. Hieronymi testimonium exhibet in eamdem rem Canone 68. ex epistola ejusdem ad Damasum Papam; sed nihil simile apud Hieronymum reperiri agnoscunt eruditi: eamque epistolam ut spuriam rejiciunt.

Quamvis nequaquam ex eis, quæ hìc adducit Gratianus, probetur, decimas tempore Hieronymi aut Augustini fuisse debitas: nihilominus certum est, quòd postquam in sustentationem

sustentationem ministrorum Ecclesiæ impositæ fuere, hasce non posse sine injustitia illis subtrahi sine legitima auctoritate, uti ostendi *in Jure Eccles. Parte 2. tit. 33. cap. 1.*

Quæst. II An Monachi in suis Capellis habeant jus institutionis.

Post hæc pergit Gratianus ad *quæstionem* 2. quam ex casus positione elicit, & versatur circa capellas à Monachis beneficio Episcopi obtentas; *an ab iis sint instituendæ, an ab Episcopis?*

Hanc quæstionem in duas partes dividit, constatque prior pars unico Canone sub nomine Joannis Papæ scribentis Isaac Syracusano Episcopo.

Non indicatur, cujus Joannis sit, neque alibi hæc epistola reperitur, eamque fictitiam esse ipse contextus admodum verisimile facit.

Interim hâc epistolâ datur Monachis facultas *in capellis suis* sacerdotes instituendi, atque: *consilio multorum fratrum diligenter exquisito decrevimus, ut amodo Ecclesiæ monachis traditæ per suos*Sacerdotes instituantur.*

Hinc sine hæsitatione *parte* 2. concludit Gratianus: « hâc auctoritate Monachis conce„ditur investitura suarum Ecclesiarum: sed „videtur contraire, inquit, Urbanus II. dicens &c.

Sententia Urbani videbatur immediatè subjicienda; cùm tamen hodie duntaxat referatur Canone 6. interpositis quatuor *Canonibus* sub nomine *Paleæ* spectantibus ad decimas.

Verisimile est paleas non esse Gratiani, sed recentioris auctoris.

Verùm monet Stephanus Baluzius in notis ad Canonem 2. hujus quæstionis: quatuor has paleas non extare in antiquis Gratiani exemplaribus Sangermanensi, Regio, vetere Victorino, & Colbertino: habentur tamen in recentiore Victorino, sed absque Paleæ nomine. Innuunt quoque Correctores Romani dictas paleas in quibusdam exemplaribus non extare; atque in his dictum Canonem 6. in quo refertur decretum Urbani II. immediatè subjici Canoni 1. prout & Gratianum voluisse apparet.

Hinc colligitur admodum esse probabile, Canones, qui sub nomine Paleæ in decreto extant, non esse Gratiani, sed recentioris auctoris, primum in margine adducti, ac deinde incuriâ Typographorum in textum intrusi, uti & circa alia nonnulla contigisse notavimus.

Circa institutionem à monachis faciendam conatur Gratianus conciliare decretum Urbani cum decreto Joannis relato Canone 1.

In hoc Urbani, qui sedit sub finem sæculi XI. decreto statuitur, « ne in parochialibus Ecclesiis, quas tenent (Monachi) absque Episcoporum consilio presbyteros collocent: sed Episcopi parochiæ curam cum Abbatum consensu Sacerdoti committant: ut ejusmodi Sacerdotes de populi quidem cura Episcopis rationem reddant: Abbati verò pro rebus temporalibus ad monasterium pertinentibus debitam subjectionem exhibeant, & sic sua cuique jura serventur.

Hoc decretum conciliare volens Gratianus cum decreto sub nomine Joannis Papæ in Canone 1. relato ait: « Illud Joannis Papæ intelligendum est de illis capellis, quæ cum *omni* jure suo ab Episcopis Monachis conceduntur. Istud autem Urbani intelligi de illis, quàs Abbates in propriis prædiis ædificant, vel in castellis suis.

Hæc conciliandi ratio, quamvis nova, nec ullius authentici Canonis auctoritate munita, nihilominus à doctoribus probata fuit; atque ita tandem recepta est distinctio inter Ecclesias pleno jure, id est, tam quoad temporalia, quàm spiritualia monasteriis aut capitulis incorporatas, & Ecclesias incorporatas *duntaxat* quoad *temporalia*: ut si priore modo incorporatæ sint, non tantum temporalia ad Monachos pertineant, sed etiam spiritualia; puta presbyterorum institutio & destitutio: cujus subjectionis mentio occurrit *in cap.* 15 ☩ *de præscript. cap.* 6. ☩ *de religios. domib. & cap.* 13. *X de senten. & re judic.* ubi & jura, quæ vigore hujus subjectionis competunt, enumerantur: notantque interpretes, ex ipso tenore unionis & incorporationis judicandum esse, quo jure Ecclesiæ sint subjectæ, uti latius & doctè exponit Franciscus Florens in commentario hujus quæstionis.

Discrimen inter Ecclesias incorporatas pleno jure, & incorporatas tantum quoad temporalia.

Sed observandum est, quòd hodie ex decreto Concilii Tridentini, nullus presbyter sive sæcularis, sive regularis possit curam animarum personarum sæcularium exercere in diœcesi Episcopi, sine ejus approbatione, licet Ecclesiæ sint *pleno jure* monasteriis aut capitulis unitæ & subjectæ, uti latius exposuimus in dissertatione *de pristinis Ecclesiarum & Altarium incorporationibus.*

Quæst. V. Præpostero ordine proposita.

Post quæstionem secundam sequitur ordine præpostero *quæstio quinta*, de quo videri potest monitum Correctorum Romanorum: notantque argumentum hujus quæstionis valde conjunctum esse iis, quæ in fine secundæ quæstionis dicta erant.

Canon antiquissimus favens juri Patronatûs.

Observaverat enim Gratianus, quòd Ecclesiæ, quas Abbates ædificant in villis vel castellis sui monasterii, quoad spiritualia sint subditæ Episcopis locorum, quod & confirmatur tribus Canonibus, quibus constat hæc quinta quæstio: ac præsertim Canone 1. quem quidem sub nomine Nicolai Papæ exhibet Gratianus; sed revera est Concilii Arausicani anni 441. in cujus Canone 10. hoc decretum reperitur, quo forsan nullus antiquior extat, qui ædificatori Ecclesiæ jus præsentandi presbyterum reservat. Cæterum legetur utiliter integer Canon in ipso concilio.

Summa ergo horum canonum est, uti & finalis canonis quæstionis præcedentis, *quòd sive Abbates, sive Episcopi in suis castellis, vel villis Ecclesias ædificaverint, non ideo Episcopo, in cujus diœcesi fuerint, conventus adimitur: & ideo Sacerdotes in iis non nisi per Episcopos cum consensu tamen & electione ædificantium ordinari possunt, uti Gratianus ad calcem quæstionis concludit.*

Hic notandum, hos Canones, non nisi de Ecclesiarum ædificatoribus loqui, quibus aliquod quasi jus patronatûs conceditur, quod postmodum Monachi & Canonici solo titulo incorporationis sibi asseruerunt, uti *in Jure Eccles. Parte 2. titulo 25. de jure patronatûs* notavi: quantumvis neque veri patroni esse, neque jura patronorum eo titulo prætendere queant.

Quæst. III. & IV. De tempore ad præscriptionem requisito.

Cùm obiter in Canone 2. præcedentis quæstionis facta esset mentio *præscriptionis*, seu *antiquæ possessionis*, hac levissimâ arreptâ occasione, Gratianus *quæstione* 3. & 4. generaliter de universo præscriptionis jure tractat.

Et quidem *quæstione* 3. tractat de tempore, quo Ecclesia contra Ecclesiam præscribit: *quæstione* 4. verò, quo tempore monasterium adversus Eccle-

clesiam, creditque inter hæc differentiam faciendam: at in hoc fallitur: neque enim ulla in Canonibus vel legibus inter hæc occurrit.

Unde desumendum discrimen circa tempus præscriptionis?

Verùm, si quæ differentia circa *tempus* præscriptionis in Canonibus, ac notanter in legibus civilibus occurrit, hæc vel ex diversitate temporis, vel natura bonorum desumenda erat: non autem ex varietate præscribentium: utrum nimirum sit Ecclesia contra Ecclesiam, vel monasterium contra Ecclesiam aut monasterium.

Porrò notandum auctoritates fere omnes, quæ his quæstionibus referuntur, ad leges Principum pertinere: eo quòd plerumque per præscriptionem rerum temporalium dominia acquirantur, quæ potestati & jurisdictioni Regum & Principum præcipuè subjiciuntur, eâque reguntur.

Canonum itaque quæstionibus his confusè admodum relatorum verus sensus, & concordia ex temporum & locorum vario usu desumenda sunt.

Ante Justinianū præscriptio 30. annorum etiam adversus Ecclesias procedebat.

Et quidem constitutione Theodosii junioris in *L. 1. Cod. Theod. de actionibus certo tempore finiendis & l. 3. cod. Just. de præscript. 30. annorum*, primum in Oriente, ac dein per Novellam 8. Valentiniani III. in Occidente, recepta est præscriptio 30. annorum, quâ omnibus actionibus, nisi breviori termino inclusis præscriptum esse voluerunt.

Post hæc Justinianus in gratiam Ecclesiarum præscriptionem centenariam induxit. *L. 23. cod. de SS. Eccles. & Novella 9. anno 535. promulgata.*

Justinianus in gratiam Ecclesiarum induxit longiorem præscriptionem.

At idem Justinianus sex circiter post annis præscriptionem hanc *centenariam* rursus sustulit, editâ *Novellâ III.* hac tamen prærogativâ Ecclesiis indultâ, ut adversus Ecclesias non triginta, sed *quadraginta* annorum possessio necessaria foret.

Similiter *Novellâ 131. cap. 6. Pro temporalibus præscriptionibus 10. & 20. & 30. annorum sacrosanctis Ecclesiis, & aliis venerabilibus locis, solam 40. annorum præscriptionem opponi præcepit.*

Ratio ob quam quidam Canones tantum meminerunt præscriptionis 30. annorum.

Itaque ante Justinianum præscriptio 30. annorum adversus Ecclesias etiam procedebat; atque ideo Canones ante Justinianum editi, hujus duntaxat præscriptionis meminere.

Quin & nonnulli Canones etiam Justiniano recentiores, ut sunt Canones 3. & 4. ex concilio Toletano IV. Item Canon 6. sub nomine quidem Innocentii Papæ relatus; sed revera ex Canone 2. concilii Hispalensis II. desumptus. Item Canone 10. ex concilio Toletano IX. sola 30. annorum præscriptio agnoscitur, nullâ præscriptionis quadragenariæ factâ mentione.

Porrò Canones hi reflectunt ad leges, quæ 30. annorum præscriptione omnia jura circumscribunt: « Quicumque Episcopus (inquit Canon Toletanus in dicto Canone 4. relatus) alterius Episcopi diœcesim per 30. annos sine aliqua interpellatione possederit, quia secundum jus legis, ejus videtur esse diœcesis, admittenda non est contra eum actio reposcendi. Ita legitur in ipso Concilio *tom. 5. Concil. general. columna 1715.* & apud Burchardum *lib. 1. cap. 67.* & Ivonem in decreto *parte 3. cap. 131.* additis post verbum, *possederit* his verbis, *eam teneat.*

At in Pannormia Ivonis lib. 2. cap. 67. legitur vitiosè: *quamvis secundùm jus legis ejus non videatur diœcesis.* Quam vitiosam lectionem secutus est Gratianus, qui sua ex Pannormia potius, quàm ex decreto Ivonis depromere consuevit; ipsosque etiam errores Pannormiæ in suum decretum derivare, uti adhuc quandoque observavimus.

Hoc autem notandum, Canones hos, licet post tempora Justiniani editos, ad leges Theodosii, non autem Justiniani respicere, eo quòd in Hispania non Justiniani, sed Theodosii codex ex Alarici præcepto collectus vim & auctoritatem obtinebat: quemadmodum & in Gallia, quæ non leges Justiniani, sed Theodosiani codicis agnoscebat, uti monet Franciscus Florens in commentario hujus quæstionis.

Alii autem de præscriptione 40. annorum loquuntur.

Verùm Ecclesia Romana, leges & Novellas *Justiniani*, mox ut evulgatæ fuere, suscepit & agnovit. Hinc S. Gregorius post editas has Justiniani leges scribens *lib. 1. epistola 9.* Petro diacono, & è quo sumptus *Canon 2. quæst. 4.* vult monasterii alicujus inconcussos fines manere, *si inconcussis quadraginta annis*, inquit, *possedisse repereris.*

Itaque dissonantia Canonum circa tempus præscriptionis contra Ecclesias ex distinctione temporum & locorum dissolvenda erat, non autem per distinctionem inter monasterium & Ecclesiam, ut vult Gratianus, qui propterea & textum *Novellæ 131. cap. 6.* mutilavit Canone 3. pro his verbis Novellæ: *sacrosanctis Ecclesiis, & aliis universis venerabilibus locis*, intrusit hæc, *religiosis domibus.*

Hanc, quam attulimus è locorum & temporum differentia Canonum conciliationem, probavit non obscurè Alexander III. in *cap. 8.* ꝁ *de præscriptione*, scribens, quòd « adversus Ecclesias minorem, quàm 40. annorum præscriptionem *Romana Ecclesia* non admittat, licet *quidam Canones* comprobent *tricennalem.*

An Ecclesia Romana gaudeat privilegio centenariæ præscriptionis?

Decimâ parte quæstionis 3. probare vult Gratianus, privilegia Ecclesiæ Romanæ nonnisi 100. annorum spatio præscribi, prolato in hujus probationem unico Canone 17. sub nomine Joannis VIII. (qui sub medium sæculi 9. sedit) scribentis Ludovico Regi in hæc verba: *Sed veneranda Romanæ leges divinitus per ora piorum Principum promulgatæ, rerum ejus* (Sanctæ Romanæ Ecclesiæ) *præscriptionem nonnisi per* CENTUM *annos admittunt.*

Notavimus Justinianum aliquando, non quidem speciatim in favorem Ecclesiæ Romanæ, sed omnium Ecclesiarum, centum annorum præscriptionem requisivisse: sed & una observavimus, Justinianum hanc præscriptionem sustulisse, eique substituisse præscriptionem 40. annorum; idque sine ullius Ecclesiæ, etiam Romanæ, exceptione.

Unde & S. Gregorius in Canone 2. *quæst. 4.* expresse scribit præscriptionem 40. annorum sufficere, *etiamsi quid Sanctæ Romanæ Ecclesiæ competere potuit.*

Attamen hujus Canonis à Gratiano relati auctoritate, non dubitârunt posteriores Pontifices ac signanter Innocentius III. *in cap. 13. & 14.* ꝁ *de præscript.* & Bonifacius VIII. *in cap. 2.*

de

de præscript. in VI. præscriptionem *centenariam* in gratiam Romanæ Ecclesiæ asserere, *tam legali, quàm canonicâ esse definitione statutam.*

Hos secuti sunt decretalium commentatores, quorum omnium auctoritate abreptus Imerius auctor authenticarum è Novellis Justiniani desumptarum, & quas legibus codicis subjecit, *authentica*, QUAS ACTIONES, è Novella 131. desumptæ, adjecit hanc clausulam: *solâ Romanâ Ecclesiâ gaudente centum annorum spatio & privilegio*: cujus privilegii aut exceptionis nulla in ipsa Novella mentio fit: unde & à Cujacio meritò redarguitur *lib. 5. observat. cap. 5.*

QUÆST. VI.

Hâc *quæstione 6.* quærit Gratianus: si Archipresbyter, vel Episcopus suâ auctoritate, non judiciariâ sententiâ, capellam illam erexerit, an cadat à causa: ut Ecclesia, cui præsidet, non ultra habeat jus reposcendi, quod suus pastor illicitè usurpavit.

Sine judicis auctoritate bona Ecclesiæ repeti non possunt.

In tres partes quæstionem dividit Gratianus, *Primâ parte* asserit, quòd ea, quæ Ecclesiæ debentur, rectores ejusdem, suâ auctoritate, judicibus prætermissis, repetere non valeant.

Hic unicum ex S. Gregorio desumptum Canonem profert, quo dicitur: "Nova consuetudo, quæ in Romana Ecclesia, & valde reprehensibilis eruperat, ut, cùm rectores ejus patrimonii urbana vel rustica prædia juri illius competere posse suspicantur, fiscali more titulos imprimant, atque hoc, quod competere pauperibus existimant, non judicio sed manibus defendant.... Proinde præsenti decreto constituo, inquit, ut si quis Ecclesiasticorum unquam titulos ponere, sive in rustico, sive in urbano prædio suâ sponte præsumpserit, anathema sit. *Epist. 44. lib. 4.* Hæc decisio desumpta est ex jure civili, titulo codicis: *Ut nemini liceat sine judicis auctoritate signa imponere rebus alienis.*

Causa cadere debet, qui id sine judicis auctoritate attentat.

Nec tantum est illicitum, res, quas sibi deberi existimat, propriâ auctoritate invadere; sed quod etiam id attentans, causâ cadat, probat *parte 2.* per Canonem Concilii Milevitani, qui est *Canon 120.* in codice Ecclesiæ Africanæ, de quo vide Tractatum Historico-Canonicum ad præfatum Canonem.

Id tamen soli Prælato, non Ecclesiæ nocere debet.

Sed cùm in hoc Canone Milevitano innui videatur, quòd factum Episcopi etiam Ecclesiæ noceat, nititur Gratianus *parte 3.* contrarium adstruere pluribus Canonibus: sive in delinquentis prælati personam & bona pœnam proferendam, non autem in damnum Ecclesiæ prælati delinquentis delictum convertendum; quemadmodum ipse Gratianus ad calcem quæstionis exponit.

Inter Canones à Gratiano relatos præcipuè notandi 4. & 5. ex *Epistola* 42. *lib.* 1. S. Gregorii desumpti. Circa quartum notanda est nota Correctorum Romanorum, qui rectè monent, pro, *à communione*, legendum esse, *à commodo*, prout legitur in epistola.

Cui cedere debeant bona Clericorum pœnitentiæ causa monasterio inclusorum.

Notabilis verò est Canon 5. in quo S. Gregorius scribit Petro Subdiacono de lapsis Sacerdotibus, vel Levitis, vel quolibet ex Clero, quos in *pauperrima* regularia monasteria, "quæ secundùm Deum vivere sciuntur, ad pœnitentiam tradi vult: & ut ipse in rebus eorum nullâ contaminatione misceatur; sed res lapsorum in eodem loco proficiant, in quo pœnitentiam agere traduntur: quatenus ipsi ex rebus illorum subsidium habeant, res eorum legitimis parentibus dentur, ita tamen, ut eorum stipendium, qui in pœnitentiam dati fuerint, sufficienter debeat procurari.

Dein adjungit: "si qui verò ex familia Ecclesiastica Sacerdotes, vel Levitæ, vel Monachi, vel Clerici, vel quilibet alii lapsi fuerint, dari eos in pœnitentiam vult; sed res eorum Ecclesiastico juri non substrahi: ad usum tamen suum accipiant, unde ad pœnitendum subsistant: ne, si nudentur, locis, in quibus fuerint, onerosi sint.

Laborant hìc Canonistæ, ut hoc postremum membrum cum priore concilient: at facilis & obvia apparet concordia, si dicatur in priore agi de hominibus *ingenuis*; in posteriore verò de his, qui aliquando servi fuerunt Ecclesiæ, qui licet sint facti de Clero, adhuc de *familia Ecclesiæ*, adinstar *libertorum*, remanebant: eorumque res temporales ad Ecclesiam pertinuisse videntur. Vide notam 19. ad citatam Epistolam, & Commentarium Francisci Florentis ad præsentem quæstionem Gratiani.

Ecclesia ex delicto Clericorum emolumentum facere non debet.

Ex his concluditur, quòd sicut ex delicto particulari Sacerdotum aut Prælatorum non debet damnificari Ecclesia; ita nec compendium facere.

Hinc & in eadem epistola conqueritur Gregorius, quòd, quoties conductor aliquid colono suo injustè abstulerit, hoc quidem à conductore exigatur, sed ei reddatur, à quo ablatum est: quod omnino fieri vult, & utilitati nostræ, ait, *non proficiat, ne nos auctores violentiæ esse videamur.* Quòd hic improbat Gregorius, etiamnum hodie nimis frequenter factitatur, sæpiusque pecunia intervertitur (utinam non specie religionis) quæ spoliato restitui deberet: de quo & scripsit S. Augustinus epistolâ ad Marcellinum circa finem: *Facilius ea, quæ hoc modo acquisiverunt, tanquam sua pauperibus largiuntur, quàm eis, à quibus accepta sunt, aliena restituant.*

QUÆST. VII.

Ex casu seu hypothesi formata sub initium hujus causæ hanc quæstionem eduxerat Gratianus: "si Laici capellam tenebant (ut quibusdam moris est) & in manibus Abbatis eam refutaverint, & ordinandam tradiderint, an consensu Episcopi & Clericorum Abbas possit eam tenere?

An decimæ & oblationes à Laicis possideri queant.

Occasione hujus quæstionis contendit ostendere Gratianus imprimis, quòd nec decimæ, nec oblationes à Laicis possideri queant. Vide quæ dixi in *Jure Eccles. parte 2. titul. 33. cap. 4.*

Ulterius probat, quòd Ecclesiæ earumque oblationes non consistant, nisi in potestate Episcoporum; ex quo *patet profectò*, ait ad calcem *Canonis 9. quòd non sunt ab alio recipiendæ, quam de manu eorum.*

Non licet de manu laicorum Ecclesias recipere.

Hic à Canone 10. producit plures Canones, quibus probet, omnes basilicas cum suis proventibus pertinere ad Episcopum, in cujus territorio positæ sunt. Miscet & hâc occasione Canones, quibus præcipitur Episcopis, ut per œconomos è clero eligendos res Ecclesiæ ministrent. Vide scholion ad *Canonem 26. Chalcedonensem* in præfato Tractatu Historico-Canonico.

Præterea plures intermiscet Canones, quibus decernitur, quòd nemo de manu Laicorum Ecclesias recipere possit: neque Laicis fas sit, Ecle-

clesias suâ auctoritate alicui committere, aut alicui auferre.

Abusus circa collationem Ecclesiarum per laicos.

Pro quo notandum, sæculo X. XI. & XII. abusum recruduisse, ut Principes potentiores Episcopatus, Abbatias, Ecclesias, earumque possessiones & redditus pessimo more sibi vindicarent, & ipsas Ecclesias, Episcopatus, Abbatias, aliis committerent; quia & virgam investirent; ipsosque pro arbitrio destituerent & instituerent.

Ad reprimendos hos abusus plura leguntur edita decreta, signanter sæculo X. XI. quorum nonnulla hic per Gratianum relata sunt. Videri possunt, quæ de Abbatibus laicis dixi in *Jure Eccles. parte* 1. *tit.* 31. *cap.* 7.

Inter hos abusus non sunt generaliter referendæ investituræ.

Notandum autem generaliter inter hos abusus nequaquam referendas investituras per *annulum & baculum*, quas inter sua jura regalia reputabant Principes, quasque Episcopos & Abbates à se accipere debere prætendebant, antequam ordinari aut institui possent: & quo jure per plura sæcula, etiam respectu Romani Pontificis, usos fuisse Imperatores constat: primusque legitur Gregorius VIII. hoc jus Imperatori Henrico IV. negâsse; atque has investituras tanquam simoniacas reprobâsse; ipsosque Principes eas dantes & prætendentes, necnon Episcopos, Abbates, aliasque personas Ecclesiasticas de manu Laicorum similes investituras accipientes gravissimis censuris & pœnis subjectos declarâsse, uti latius exposui & deduxi in *supplemento ad* 1. *partem Juris Eccles. titulo* 13. & ad hanc contentionem spectant decreta hic à Gratiano relata Canone 12. & 13. & in annotationibus ad hanc quæstionem notat Molineus.

Quod sit jus Patronorum & an dicta ei non repugnent.

Sed Gratianus ne videretur juri patronorum, sive fundatorum derogare, dum negat Laicis facultatem Ecclesias conferendi, aut quidquam in Ecclesia disponendi, ad calcem Canonis 30. post formatam hanc conclusionem: « Si ergo Ecclesiasticas facultates dispensandi potestatem non habent Laici; multo minus Ecclesias ipsas quibuslibet ad regendum committere, vel aliis auferre valent: mox subjungit: hic autem distinguendum est, quid juris fundatores Ecclesiarum in eis habeant, vel quid non. Habent jus providendi, & consulendi, & Sacerdotem inveniendi, sed non habent jus vendendi, vel donandi, vel utendi tamquam propriis.

Hinc plures ad jus antiquum fundatorum spectantes Canones intermiscet Gratianus, aliquos falso inscriptos, mutilatos; alios contortos contra mentem auctorum, qui & errandi occasionem interpretibus præbuerunt, uti notavi *in Jure Eccles. parte* 2. *tit.* 25. *cap.* 1. & 7.

Monachi à laicis sine consensu Episcopi decimas recipere non possunt.

Denique cum sæculo X. & XI. Laici decimas & Ecclesias à se, vel parentibus suis occupatas ad usum Ecclesiasticum restituere vellent, eas passim Monachis & Canonicis potius, quàm Ecclesiis, à quibus ablatæ fuerant, & de jure competebant, donare eligebant; quod tanquam inordinatum pluribus Canonibus vetitum fuit, ordinatumque nec Monachis & Canonicis licitum esse, decimas aut Ecclesias de manu Laicorum sine consensu Episcopi recipere, quorum Canonum & apud Gratianum hic mentio occurrit; de quibus videri possunt, quæ notavi *in Jure Eccles. parte* 2. *tit.* 33. *cap.* 5. ubi ostendi, quomodo Laici decimas occupaverint: & ab his ad monasteria devolutæ sint.

CAUSA DECIMA SEPTIMA.

Cum causâ decimâ sextâ egisset Gratianus de his, qui in voto perseverant, agit nunc causâ decimâ septimâ de his, qui à *voto*, recedere volunt, ait Glossa.

Casum hunc proponit Gratianus: *Quidam Presbyter infirmitate gravatus, se fieri velle Monachum dixit: Ecclesiam & beneficium in manu Advocati renuntiavit. Postquam convaluit, mox se futurum Monachum negavit, & Ecclesiam & beneficium reposcit.* *Casus hic propositus*

Ex hoc casu quatuor elicit quæstiones, quarum *prima* quærit: « Utrum reus voti » teneatur, an liceat & proposito cordis sui recedere? *Quæst. I.*

Hâc quæstione probat, quòd à voto recedere non liceat, prolatis tribus Canonibus, quorum duo priores apud auctores, sub quorum nominibus citantur, non reperiuntur, ut in suis notis indicant Correctores Romani, qui in nota marginali ad Canonem 2. sub nomine Hieronymi citant Augustinum *de bono viduitatis cap.* 9. *An à voto recedere liceat?*

Tertius desumitur ex *Epistola* 33. *lib.* 1. S. Gregorii ad Venantium, ubi ipsi expendendum proponit, quòd si Ananias ob substractos nummos, quos Deo voverat, morte mulctatus sit, *Quanto periculo in divino judicio dignus erit, qui non nummos, sed seipsum Deo omnipotenti, cui se sub monachali habitu devoverat, subtraxit.*

Canon 4. concinnatus est ex fragmentis *homiliæ* 3. *lib.* 1. *S. Gregorii in Ezechielem Prophetam*, quibus nihil aliud intendit Gregorius, quam dicere nonnullos multa proponere & deliberare, sed proposita & deliberata ad perfectum non deducere, uti ex contextu homiliæ manifestum est. *Discrimen inter votum, & simplex propositum.*

Hinc autem concludit Gratianus, « aliud esse » propositum corde concipere, & etiam ore enun» tiare; aliud subsequenti obligatione se reum voti » facere.

Ulterius inde infert Gratianus, « quòd Presbyter, de quo in hypothesi, qui propositum sui cordis ore simpliciter enuntiavit, non autem monasterio, aut Abbati se tradidit, nec promissionem scripsit, *nequaquam voti reus habeatur.*

Verùm nec, quæ hactenus allata sunt, nec quæ secundâ quæstione profert, probant, quod ad obligationem voti requirantur, quæ hic requirit Gratianus.

Interim verum esse apparet, quòd Presbyter, de quo in casu propositum quidem habuisse videatur, sed voto se non obstrinxisse appareat.

Secunda quæstio è casu formata hæc est: « An Ecclesia & beneficium ei reddenda sint, quæ prius liberâ voluntate refutavit. *Quæst. II.*

Pro resolutione hujus quæstionis tres duntaxat Canones adducit, quorum primo præmittitur hoc summarium: *Non cogitur aliquis in monasterio manere, nisi professionem fecerit in manu Abbatis.* *An ad beneficium derelictum detur regressus?*

Quæ hic refert Gratianus quæstioni propositæ non conveniunt.

Desumptus est hìc Canon ex *Epistola 26.* Alexandri II. quæ integra extat apud Ivonem *part. 6. Decreti cap. 429. & tom. 9. Concil. General. colum.* 1134. sed sive fragmentum apud Gratianum, sive integra Epistola legatur, apparebit, defectum obligationis & professionis unicè refundi *in non præmissum unum annum probationis: quia beati Benedicti, canonicaque & præcipuè patris & prædecessoris nostri*, ait, *S. Gregorii Papæ constitutio interdicit, ante unius anni probationem effici Monachum.*

Igitur cùm professio hujus presbyteri esset nulla ob defectū anni probationis auctoritate apostolicâ *præcipit, ut præfatus Presbyter beneficium & Altaria recipiat, habeat, & quiete retineat.*

Hâc Alexandri sententiâ videbatur resoluta quæstio, utrum Presbyter in casu deberet beneficium, quod dimiserat, recipere: notatque dominus Hericourt in reflexione ad hunc Canonem huic regressus ad beneficium originem adscribendam.

De reliquo nihil præterea in hac Epistola occurrit, quod ad propositam quæstionem facit: neque resolutio Alexandri in hac Epistola refundit nullitatem professionis in hoc, quod non esset facta in manu Abbatis, ut habebat quæstio, sed quod esset facta ante expletum annum probationis; ut proinde nullatenus resolutioni quæstionis conveniret.

Non magis proposito suo quadrat Canon. 2. sub nomine sancti Augustini Epistol. 70. ad Bonifacium comitem, quæ est 220. in editione Benedictinorum: hoc enim unum asserit Augustinus, quòd Bonifacius propositum continentiæ, & vitæ monasticæ exequi nequeat sine consensu conjugis, quam post factum propositum duxerat. Integra legi meretur.

Allegat dein Gratianus Canone 3. decretum sub nomine Bonifacii; sed illud apud Bonifacium non reperiri, sed desumptum esse, licet non iisdem verbis, *ex Novella 5. cap. 2. & Novella 123. cap.25.* Justiniani, monent Correctores Romani: requiritque ibidem Justinianus *triennium* probationis, sed nulla notos inter & ignotos distinctio occurrit.

Ineptè conciliat Gratianus Canones & leges requirentes in monachis diversum tempus probationis.

Cùm hìc Justinianus requireret *triennium* probationis, & in allegato decreto Alexandri videret Gratianus, tantum requiri unius anni probationem secundùm beati Benedicti regulam, & sancti Gregorii canonicam institutionem, ad calcem Canonis 2. hanc conciliandi rationem subjicit: "Auctoritas illa Alexandri secuta institutio„ne beati Gregorii & Benedicti probantis annum „indulget, sed notis: ignotis verò triennium con„ceditur.

Absona plane restrictio, cujus nulla, aut apud sanctum Gregorium mentio habetur.

Similiter nec apud Justinianum nullum inter *notos & ignotos* discrimen constituitur, sed similiter *triennium probationis* præscribitur. Neque in Novellis Justiniani legitur, quemadmodum hic apud Gratianum in prætenso decreto Bonifacii: *Si quis incognitus*, sed indefinitè: *si quis autem ad monasticam vitam venire voluerit*, &c.

Si Gratianus loca & tempora distinxisset, obvia fuisset conciliandi ratio: scitur enim, nec ubique nec semper eandem fuisse circa tempus probationis disciplinam, uti in *Jure Eccl. part. 1. tit. 25. cap. 2.* notatum est.

Quæst. III.

Quæstio 3. à Gratiano ex casu proposito elicita erat: "Si contigisset eum se, & sua Monaste„rio tradidisse, an cum licentia Abbatis liceret ei „ad propria redire? Hanc quæstionem sine ulla „auctoritate tanquam per se claram negativè resolvit.

An monacho cum licentia Abbatis liceat ad propria redire.

Quæst. IV. An Monacho sine licentia Abbatis discedenti bona sint restituenda.

At *quæstione* 4. ulterius quærit: sed quid si tamen *fine licentia* Abbatis discesserit, utrum sua sint ei restituenda? huic quæstioni impendit Gratianus 43. Canones; at vix unum, qui ad propositam quæstionem spectet.

De vetita alienatione bonorum Ecclesiæ.

Primo nescio, quâ occasione agit primis quinque Canonibus de vetita alienatione rerum Ecclesiasticarum, & de pœna Prælatorum indebitè & sine causa, & non servatâ præscriptâ solemnitate alienantium: ad quam materiam etiam spectant Canones 12. 13. & 15. ex Pseudo-decretalibus primorum Pontificum desumpti; item Canones 39. 40. & 41. inter quos notandus 40. ex Canone 56. Agathensi desumptus (quamvis verisimile sit, ex alia Synodo hujus Synodi Canonibus esse adjectum, uti monet Sirmondus in nota Synodo huic præfixa *tom. 4. Concil. General.*) quo statuitur: *Mancipia Monachis donata ab Abbate non liceat manumitti* notanda hâc ratione subjuncta: *Injustum enim putamus, ut Monachis quotidianum opus rurale facientibus, servi eorum libertatis otio potiantur.*

De azylo Ecclesiarum.

Agit & Gratianus hâc quæstione de immunitate seu azylo Ecclesiarum, & pœnis quæ Canonibus & legibus imponuntur his, qui confugientes ad Ecclesias & Monasteria violenter abstrahunt.

Huic rei impenduntur Canon 6. & sequentes usque ad undecimum. Item Canones 19. 20. 21. 32. 34. 35. & 36.

Circa hos Canones in primis notandum, plures inter eos reperiri, qui vel falsam, vel dubiam præferunt inscriptionem, vel mutilatis verbis referuntur, uti singillatim notavi in dissertatione canonica *de intercessionibus Episcoporum pro reis, & azylo templorum.*

Quousque hic azylus locum habeat respectu famulorum.

Postquam hæc pro asserendo Ecclesiarum azylo, & confugientium ad eas immunitate adduxisset; tandem Canoni 31. subjungit quasi per modum moderationis: "Verum ne reverentia reli„gionis dominos jure suo fraudaret, si famuli ad „Ecclesiæ septa confugientes, inde nequaquam „abstraherentur, sacris Canonibus est institutum, „ait Gratianus, ut præstito à domino Sacramento „impunitatis, ei etiam reddantur inviti. Citantur hanc in rem Canones 32. 33. 34. 35. & 36.

Ulterius ex his concludit Gratianus ad calcem Canonis 36. occasione religionis servum dominum suum contemnere, & ejus Ministerium destituere non debere, prolatis duobus Canonibus Synodi Gangrensis. Hæc fusius deducta videri possunt in dicta dissertatione *de azylo templorum.*

Percussores Clericorum qua pœna puniendi.

Quia autem occasione confugientium ad Ecclesias sæpius contingebat, ut armis pugnaretur; & hinc cædes etiam Clericorum & Sacerdotum evenirent, ut patet ex *L. 4. Codic. de his, qui ad Eccles. Conf.* intermiscet Gratianus aliquot Canones contra interfectores & percussores Clericorum, inter quos est famosissimus ille Canon: *Si quis suadente diabolo, in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat.* Quas modificationes circa hanc pœnam attulerint posteriores Pontifices, refert hìc Glossographus, & exposui in Tractatu *de Censuris.*

In Canonibus autem à Gratiano in hanc rem allegatis, præter pœnas Ecclesiasticas depositionis, excommunicationis vel pœnitentiæ, refe-

referuntur pœnæ quædam, sive emendationes, satisfactiones & compositiones introductæ ex veteribus constitutionibus Francorum & Germanorum; necnon ex capitularibus Regum Francorum, quæ in Conciliis probatæ fuerunt, quamvis incognitæ Jure Romano, uti notat Franciscus Florens in commentario huius quæstionis, qui erudite de his ibidem discurrit, ac notanter de compositione & emendatione, quæ in Canone 26. *Vuiregeldus*, dicitur. Vide etiam Stephanum Baluzium in notis ad hos Canones, ubi notat Canonem 24. & 26. qui sub nomine Paleæ exhibentur in multis Gratiani antiquis exemplaribus non haberi.

An sacrilegus habendus sit qui de judicio summi Pontificis disputat.

Porro quia percussores & interfectores Clericorum sacrilegii crimen incurrere dicuntur, captat Gratianus occasionem ostendendi, qui præterea pro sacrilegis sint habendi, puta, qui *de principali judicio disputant, an his dignus sit quem princeps elegerit*: hac occasione asserit Gratianus *similiter de judicio summi Pontificis disputare non licet*, prolato Canone 30. sub nomine *Nicolai Papæ omnibus Episcopis*. Huic Canoni hanc notam appendit Correctio Romana: „Epistola, ex qua hoc caput est sumptum, non extat: aliquid tamen simile habetur in Epistola prima ad Michaelem Imperatorem: & Antonius Augustinus *lib. 2. de emendat. Grat. Dial. 13.* hoc caput incertum sibi esse asserit. Extat inter Decreta Nicolai I. è Gratiano per Cochlæum collecta *tit. 4 num. 8*. Hinc patet, Gratiani assertum non probari auctoritate Canonis. Certum quoque simile quid non legi apud antiquos Patres, profluxit verisimiliter ex asserto Gratiani quod in moderna ordinatione Episcopi omissa sit interrogatio consecratoris, an Episcopi ordinandum præsentantes sciant esse dignum, *ne viderentur de SS. Pontificis judicio disputare, dubitantes an is dignus sit*, uti monuimus in *Jure Ecclesiastico part. 1. Tit. 15. cap. 3.*

Nemo cum injuria filiorum Ecclesiam debet facere hæredem.

Cum autem hactenus nihil pene attulisset Gratianus ad propositam à se quæstionem pertinens, adfert tandem *Canone ultimo* dictum sancti Augustini: *quicunque vult, exhæredato filio, hæredem facere Ecclesiam, quærat alium, qui suscipiat, non Augustinum, imò Deo propitio, nullum inveniet*: laudatque Augustinus factum Aurelii Episcopi Carthaginensis: *quidam enim cum filios non haberet, neque speraret, res suas omnes (retento usufructu) donavit Ecclesiæ. Nati sunt ei filii postea, & reddidit Episcopus nec etiam opinanti illi, quæ donaverat. In potestate habebat Episcopus non reddere, sed Jure fori, non Jure poli.*

An exeunti è Monasterio bona ab eo oblata sint restituenda.

Hinc concludendum videbatur, etiam sine licentia de Monasterio recedenti, reddenda esse quæ obtulerat. At negat consequentiam Gratianus: „Si ait, Sanctus Aurelius, degenti in laicali „habitu oblata reddidit, quia post oblationem „filios accepit, non ideo in apostasiam euntibus „sua reddenda sunt, quibus utilius necessaria subtraherentur, ut coacti redirent ad ordinem, à „quo recesserant. Sed sicut inimicis & perse„cutoribus jubemur necessaria subministrare, „sicut ab Apostolo monemur tempus redimere, „ut expeditius orationi vacemus: sic ne Ecclesia „scandalum patiatur, ne discedens in deteriora „præcipitetur, ne in perniciem Monachorum, „aut incendium Monasterii occasione suorum exardescat, laudabilius sibi sua, non dico reddantur, sed auferri sinantur, quæ ab illo ista inferantur. Indubiè in his reddendis vel retinendis summa opus est prudentia, ne vel retinendo avaritiæ nota incurratur, aut reddendo apostatis luxuriandi, aut in apostasia persistendi occasio detur.

CAUSA DECIMA OCTAVA.

Casus propositus.

Tractatum de Monachis prosequens Gratianus pro *causa* 18. hunc casum singit: "Quidam Abbas consecratus in Episcopum prius „Monasterio multa concludit, postea in Episcopatu plura acquisivit: cui dum fratres successorem quærerent, Episcopus loci semet electio„ni volebat inserere, ut per ipsum Abbas in Mo„nasterio „ordinaretur: fratres renituntur.

Ex hoc casu duas elicit quæstiones: Prima quæritur: "An Monasterium possit petere, quæ „ab Episcopo quæsita sunt: An Episcopalis Ec„clesia possit sibi vindicare, quæ Monasterio fue„runt tradita?

Quæst. 1. An Monachus ad Episcopatum assumptus fiat capax successionis paternæ.

Hanc quæstionem absolvit unico Canone Concilii habiti apud Altheum, quo decernitur, "ut „Monachus, quem canonica electio à jugo re„gulæ monasticæ professionis absolvit & sacra „ordinatio de Monacho Episcopum facit, velut „legitimus hæres, paternam sibi hæreditatem „postea jure vindicandi potestatem habeat.

Ex hoc decreto constat, monachum per promotionem ad Episcopatum, quasi secularizari, capacemque successionis in hæreditatem paternam fieri: quod à moribus nostris alienum est; similiter & Gallicanis, uti notavit Antonius Bengænus advocatus Parisiensis in suo tractatu de *Beneficiis cap. 4. §. 30. num. 6. & 7.* idipsum notavit D. Hericourt in sua Analysi ad hanc quæstionem.

Quidquid Monachus acquirit, monasterio acquiritur.

Deinde hoc Canone decernitur: „sed quid„quid acquisierat (hic Monachus ad Episcopa„tum promotus) vel habere visus fuerat, Mona„sterio relinquat, & Abbatis sui qui fuerat secun„dum Regulam Sancti Benedicti, arbitrio: mo„net hic Franciscus Florens recte dignum esse, „*vel habere visus fuerit*, quia nihil proprium monachus habere potest.

Acquisita ab Episcopo ex Ecclesia cedere debent Ecclesiæ.

Denique statuit Canon, ut ea quæ postquam Episcopus ordinatus fuit, acquirere potuerit, *ad Altare* (id est Ecclesiam) *ad quod sanctificatur & titulatur secundum sacros Canones, restituat*: sed nec hic illud hodie existentibus consanguineis, per omnia servatur, uti in *Jure Ecclesiastico part. 2. titul. 42. capit. 7. & 8.* ostendi; prout nec in Gallia: quamvis optandum esset, uti hic monet D. Hericourt, ut quoad Episcopum religiosum, hujus Canonis servaretur hic articulus, scilicet, ut temporalia per ipsum acquisita. Ecclesiæ cederent utpote ab Ecclesia profecta,

Quæst. 2. A quo Abbas sit eligendus?

Quæstione 2. Id tantum proponit Gratianus: „An per Episcopum Abbas sit eligendus & ordi„nandus, an tantummodo à propriis fratribus sit „instituendus;

Verum Gratianus more solito à proposito exorbitans, generaliter tractat hac quæstione de Episcoporum in Monasteria, Abbates & Monachos auctoritate; quin & in eorum bona, & reditus admiscens præterea quosdam Canones de monialibus earumque disciplina tractantes.

Olim quibusdam in locis

Quod autem ad Abbatis electionem spectat, certum est non eandem semper & ubique disciplinam obtinuisse, Aliquando enim à diœcesanis

electio Abbatis spectabat ad Episcopum.

nis Episcopis abbates fuisse constitutos secundum auctoritatem, quæ in monachos & monasteria Episcopis competebat, constat: atque ita in Hispania obtinuisse tempore Concilii Toletani IV. indicat Canon 50. relatus hic à Gratiano Canone 1. cum hac epigraphe: *Abbates & alia officia per Episcopos debent institui*; atque in ipso Canone aperte indicatur, Sacerdotibus, sive Episcopis competere, *secundum Canones Abbates & alia officia instituere.*

Aliis pluribus Monachorum congregationi relinquebatur.

At sæpius multisque in locis obtinuit, ut monachorum congregationi electio Abbatis permitteretur; confirmatio vero ad Episcopum diœcesanum pertineret, cui etiam licebat rejicere indignum electum' uti habet *L. 47. Cod. de Episcopis & Cler, & Novella* 123. *cap.* 34. Cui & concordat Regula S. Benedicti *cap.* 4. aliæque patrum Regulæ, quas in sua Regularum concordia retulit Benedictus Anianensis Abbas *cap.* 4.

Uti & plena bonorum Monasterii administratio.

Utque hoc jus ipsis Monachis contra Episcoporum prætensiones firmius assererent eorum fundatores, solebant in fundationibus Monasteriorum plerumque adjicere, ut electio abbatis ad congregationem Monachorum spectaret; necnon rerum ac proventuum plena administratio: hæcque à Regibus, Episcopis diœcesanis, ac tandem etiam à Romanis pontificibus confirmari petebant: quin & ultro ac sponte Episcopi diœcesani religionis augendæ ac promovendæ gratia, vel in ipsa fundatione, vel post ipsam fundationem, ex mera liberalitate, Conciliis etiam in eam rem convocatis, liberam electionem & bonorum administrationem Monachis concedebant, quin & jura temporalia Episcopis competentia remittebant; aliquando tamen certa pensione, aut censu retento, seu ut loquuntur Canones, certis *juribus, eulogiis, & servitiis* sibi nominatim reservatis, ut constat ex annotatis Gratiani ad *Canonem* 29. & 31.

De privilegiis monachorum sæculo VI

Hæc erant penè illa jura circa quæ versabantur privilegia sæculo 6. & aliquot sequentibus, vel in ipsa fundatione postulantibus fundatoribus, vel post fundationem ad postulationem Monachorum à Pontificibus, vel Episcopis, aut Regibus, indulta: in reliquis ad sacramentorum collationem, reformationem & jurisdictionem spectantibus, salva Episcoporum auctoritate, uti latè ostendi in *Jure Eccl. part.* 3. *tit.* 12. *cap.* 2.

Canones circa electionem Abbatis diversa statuentes facilè conciliantur distinctione locorum & temporum.

His præmissis facilis erit conciliatio citati Canonis Toletani relati Canone 1. cum aliis Canonibus ibidem à Gratiano relatis, qui electionem abbatis deferunt, non Episcopo, uti fit dicto Canone Toletano. sed congregationi monachorum.

Inepta conciliatio Gratiani.

Oportet quippe duntaxat tempora & loca distinguere; nequaquam autem Canonem Toletanum restringere ad casum, quo quidam Mo„nachi essent indomitæ cervicis, & effrenatæ su„perbiæ, quos dum abbates ad religionem co„gere voluerint, in eorum dejectionem conspi„rant & alium moribus sibi convenientem sibi „præficere contendunt, quales erant illi, qui in „necem beati Benedicti conspirasse leguntur, uti „loquitur Gratianus ad calcem canonis 8. con„cludens: „ pro hujusmodi constitutum est, ut „Abbates & alia officia per sacerdotes instituan„tur nimirum citato Canone Toletano; sed con„tra mentem & verba Canonis.

insuper notandum, quod illæ, quæ quibusdam Monasteriis specialiter indulta esse leguntur tum apud S. Gregorium, tum per aliorum pontificum aut Episcoporum litteras Gratianus *communia* fecerit omnibus Monachis, adducto eam in rem decreto Concilii Lateranensis sub Gregorio I. quod fictitium esse, neque in regesto Gregorii reperiri, notavit & ostendit vir eruditus Franciscus Florens in commentario *cap.* AUDITIS ꝟ. *de præscript. cap.* 2.

Indulta quibusdam monachis Gratianus fecit omnibus communia

Interim auctoritate Gratiani fidentes antiqui interpretes supposuerunt, Monachis Jure quasi communi Abbatis electionem rerumque temporalium dispensationem liberam, excluso Episcopo, competere exemptaque esse Monasteria à Juribus temporalibus Episcopo pendendis.

Nova distinctio circa subjectionem monachorum respectu Episcoporum.

Hinc novam & antiquitus incognitam disciplinam inter legem *diœcesanam & jurisdictionis* comminisci cœperunt? ac primus meminisse videtur vetus Glossographus Joannes Hugotio vel Teutonicus, qui ad initium causæ 10. dicit: " Lex diœcesana con„sistit in recipiendo vel cathedraticum, vel „tertiam partem decimationum, vel quartam, „vel hospitium. Lex *jurisdictionis* consistit in „conferendo: potest enim conferre Sacramenta „coercere delicta, de causis cognoscere.

Hæc præmissa distinctione subjungit: „ quan„tum ad legem *jurisdictionis* subsunt Episco„po & Ecclesiæ & Monasteria omnia: quan„tum ad legem *diœcesanam*, solæ Ecclesiæ „*sæculares*: sed *regulares* Ecclesiæ & Mo„nasteria non.

Hanc novam, nec in ullo antiquo Canone fundatam distinctionem probavit Honorius III. in *cap.* 18. ꝟ. *de offic. Judic. ordinarii*, ac dein à Canonistis uno consensu recepta fuit.

Occasio hujus novæ distinctionis.

Ex canonibus à Glossographo citatis, nequaquam obscurum est, ipsum ad comminiscendam hanc distinctionem inductum fuisse, occasione Canonum hac quæstione à Gratiano allegatorum, quorum alii, Monasteria Episcopis subjecta esse, alii ea à juribus quibusdam Episcoporum exempta pronuntiant, aut Episcopis ea in Monasteriis exerceri vetant. Nec advertit hæc pro quiete Monachorum, aut conservatione rerum temporalium Monasteriorum specialiter esse indulta; atque eatenus auctoritatem Episcoporum temperatam fuisse.

Ita Castorio Episcopo Ariminensi scribens sanctus Gregorius *Libr.* 4. *Epistol.* 43. *ad* instantiam Luminosi abbatis Monasterii SS. Andreæ & Thomæ, prohibuit *missas illic publicas per Episcopum fieri, ne,* ait, *in servorum Dei secessibus, popularibus occasio prabeatur conventibus, & simpliciores ex hoc animas pleramque, quod absit, in scandalum trahat: frequentior quoque Mulierum introitus arceatur.* Extat fragmentum hujus Epistolæ, nec non *Epistola* 41. ejusdem *lib. in Canone* 3. & 6. hac quæstione, sed verbis nonnihil mutatis, uti notant Correctores Romani.

Exemptione non subtrahebantur olim monachi jurisdictioni Episcopi.

Tametsi quieti Monachorum & rerum temporalium conservationi providere vellent Pontifices & Episcopi, ipsique fundatores; una tamen curam & jurisdictionem Episcoporum conservare voluerunt: unde nec ullum Monasterium, aut cellam Monachorum *extrui de novo sine consensu Episcopi diœcesani* permiserunt, ut multis Canonibus hic probat Gratianus.

Similiter abbates & Monachos, quantum ad morum correctionem & disciplinam regularem Episcopis subditos fuisse, probat Canone 15. 16 17. & 18. Item Canone 29. statuitur, *ut Episcopus*

Episcopus sæpius in Anno visitet Monasteria Monachorum, & si aliquid corrigendum sit, corrigatur: sed sic, ut ait canon 28. *Charitatis officium illic Episcopus impleat, ut gravamen aliquod Monasterium non incurrat.* Hoc & monet canon 30.

Vetantur monasteria duplicia, id est, virorum & virginum.

Addit & Gratianus quædam de sanctimonialium Monasteriis ac præsertim ut ab illis frequens virorum accessus arceatur: quapropter & duplicia Monasteria, id est sanctimonialium & Monachorum prohibentur, & ubi talia Monasteria extant, sanctimoniales à Monachis per Episcopos separari jubentur canone 21. 22. & 23. de quibus duplicibus Monasteriis vide notata in Tractatu Historico-canonico ad canonem 20. Synodi VII. qui in dicto canone 21. à Gratiano refertur.

Ad eundem scopum nimirum custodiam continentiæ, nec non Monachorum à Laicis separationem spectant canones 25. 26. & 27.

CAUSA DECIMA NONA.

Ratio adjectæ hujus causæ.

,,IN præcedenti 18. causa dictum est, quod nullus Abbas debeat recipere Monachum alienum, ait Glossa, sed quia forte idem putaretur de clericis sæcularibus, & canonicis regularibus, ideo supponitur hic 19. causa, in qua quæritur: An clerici sæculares, & canonici regulares, invitis prælatis suis possint ad regulam arctiorem transire?

Casus hic propositus.

Hunc in finem hunc casum proponit: ,,Duo clerici ad Monasterium transire voluerant: uterque licentiam ab Episcopo suo petiit: unus relicta Ecclesia propria, eo invito, alter dimissa regulari canonica cænobio se contulit. Causam in tres quæstiones dividit. *Quæstione* 1. quærit: ,,Si Episcopus debeat permittere, ut, relicta propria Ecclesia clericus monasterium ingrediatur.

Quæst. 1. De licentia Episcopi potest Clericus monasterium ingredi.

Ex uno canone concilii Toletani VI. hanc quæstionem resolvit, dicens, quod Episcopus clericis licentiam adeundi monasterium dare debeat; *quia* ait canon, *meliorem vitam sequi cupiunt.*

Quæst. 2. An invito Episcopo possit Clericus monasterium ingredi.

Quæstione autem 2. quærit: ,,Si Episcopus licentiam dare noluerit, an eo invito monasterium possit adire? Relato canone sub nomine S. Leonis ex *cap.* 9. *Epistolæ*, quæ est 12. in editione Quenelli, quo dicitur: *alienum Clericum, invito Episcopo ipsius, nemo suscipiat*: subjicit Gratianus: sed subaudiendum est: ,,nisi ad propositum *melioris vitæ* transire voluerit: tunc enim liberum est illi, ait, etiam Episcopo *contradicente*, monasterium ingredi.

Fieri id potest, si instinctu Spiritus sancti ducatur Clericus.

Huic restrictioni probandæ impendit canone 2. fragmentum Epistolæ Urbani II. quo ostenditur, legem privatam, *quæ instinctu sancti Spiritus in Corde describitur*, præferendam legi publicæ sive humanæ, adeoque si clericus sæcularis, cui Episcopus populum regendum commiserat, hac privata lege, sive *instinctu Spiritus sancti afflatus*, in aliquo monasterio vel regulari canonia salvare se voluerit, & Episcopus consentire noluerit, poterit, ipso etiam *invito*, vitam illam amplecti: *qui enim Spiritu Dei aguntur, lege Dei ducuntur. Et quis est qui Spiritui sancto possit digne resistere? quisquis igitur hoc spiritu ducitur*, ait, *etiam Episcopo contradicente, eat liber nostra auctoritate.*

Ad cavendum, ne hic intercludat dæmon.

Verum sicut Satanas nonnunquam se transformat in angelum lucis; sic spiritus nequam in spiritum Dei: quare non omni spiritui credendum; nec quisquam facile prætextu *privatæ legis*, seu instinctus spiritus sancti à lege positiva & ordinaria lege Ecclesiæ debet recedere: proinde est necesse, ut & hic rite probetur, *si Spiritus ex Deo sit.*

Porro limitatio legis vetantis alienum clericum invito Episcopo ab alio suscipi, *nisi Monasterium ingredi voluerit*, à Gratiano allata, neque citatis Leonis verbis, nec disciplinæ ejus temporis conformi est: sed Gratianus more suo canones ad disciplinam sui temporis contorquet. Quid vero recentior disciplina in hoc puncto habeat, ostendi in *Jure Eccl. part.* 1. *tit.* 27. *cap.* 5.

Quæst. 3. Qui Canonici sine licentia Episcopi fieri possint monachi.

Cum enim sæculo 9 & sequentibus, canonici deserta vita communi, ad vitam singularem ac privatam [à qua sæculares dicti) transire cœperunt, tunc & cœpit eis dari facultas ad Monachorum & canonicorum in *communi viventium*, etiam sine licentia Episcopi, migrandi: at canonicis in *communi* viventibus, sive *regularibus* transitus ad Monachorum monasteria permissus non fuit, quod *quæstione* 3. probat Gratianus; atque inter reliqua adducit canone 2. fragmentum Epistolæ Urbani II. quo mandatur ,,& universaliter interdicitur, ne quis canonicus regulariter professus, nisi, quod absit, publice lapsus fit, Monachus efficiatur.

Vita monachalis est pœnitentialis.

Hic per transennam nota etiam sæculo XI. vitam monasticam, sive monachalem reputatam fuisse pro vita *pœnitentiali*, ad qnam *publice* lapsi redigebantur: quod pluribus canonibus jam pridem sancitum fuit, uti observat Baluzius in notis ad Lupum Ferrariensem pag. 381. & 501. una observans veteres existimasse clericatum digniorem & sublimiorem gradum comparatione vitæ monasticæ: *quam ob causam veteres illi*, ait, *ex eis, qui in monasterio permanent, non nisi probatiores & meliores ad Clerum assumere solebant*, ut docet Augustinus supra *causa* 16. *q.* 1. *Canone* 36. & ibi notavimus.

Clericatus dignior vita monastica.

Qua pœna puniendus canonicus regularis fit monachus.

Deciditur in eodem decreto, quod ,,si canonicus regularis id tentaverit, ad ordinem canonicorum redeat & deinceps *memorialem cucullam deferat*: & ultimus in choro maneat.

Per *cucullam* hic intelligitur operimentum capitis, quo Monachi utebantur, atque canonicus regularis hic ferre jubetur in *memoriam* suæ desertionis & levitatis; unde *memorialis* vocatur, uti interpretatur Innocentius III in *cap.* 12. X *de ætate & qualit: ordinand.* ubi citans præsentem canonem, pro his verbis MEMORIALEM *cucullam deferat*, ponit: *Cucullam ad* MEMORIAM *delaturus*: uti & *lib.* 13. *Epist.* 4. ad quam vide notam Bosqueti.

Loca sacra usibus profanis non sunt applicanda.

Sicuti canonici regulares semel vitæ illi consecrati non possunt eam temere & sine licentia superioris mutare, prætextu propositi transeundi ad vitam perfectiorem; ita nec loca semel Deo & in monasteria dedicata, sunt profanis usibus applicanda, uti probat canone 4. & 5.

De novitiatu ejusque scopo.

Adjungit dein canone. 6. verba S. Gregorii *lib. Epist.* 23. ubi scribit Episcopo Neapolitano: *Omnibus Monasteriis interdicat, ut eos, quos ad conversionem susceperint, priusquam biennium in conversatione compleant, nullo modo audeant tonsurare*, id est, tonsura monachali induere: rationem addit: *Sed hoc spatio vita moresque eorum sollicite comprobentur, ne quis eorum aut non sit contentus eo quod voluit, aut ratum non habeat, quod elegit*: en scopus & finis probationis

nis seu novitiatus, monasticæ professioni præmittendi.

Cæterum quod præter regulam S. Benedicti, quæ annum probationi præfixerat, præcipiat S. Gregorius novitios per biennium in diœcesi Neapolitana probari casum particularem fuisse notant, & adstruunt Bnedictini *lib.* 1. *vita S. Gregorii cap.* 3. in fine in sua editione.

Ob specialem rationem olim miles monachus fieri non poterat sine consensu Episcopi.

Quod autem in fine canonis additur: „ Miles „vero si converti voluerit, priusquam nobis re„nuntiatur, nullus eum sine nostro consensu, qua„licunque præsumat ratione suscipere. Hoc præ„cipit eo tempore beatus Gregorius, ne omnino „videretur contemnere legem, quam Mauritius „Imperator tulerat, ne milites ante completum „militiæ tempus in monasteriis recipi possent, uti monent Correctores Romani. unà notantes illa non intellexisse auctorem Glossæ.

An monachi possint testari?

Ostendit & hic extra ordinem Gratianus, quod post ingressum monasterii, id est, *professionem*, nulli relinquatur libertas testandi: quam in rem etiam adducit quædam ex Novellis Justiniani, quibus præscribitur, qualiter ingredientes monasteria, de bonis suis disponere queant, & ad quos, si ante ingressum non disposuerint, bona devolvantur; de quibus fusius egi in dissertatione canonica *de Simonia* circa ingressum monasterii: eo quod Christianus Lupus has Justiniani leges ad justificandas hodiernas monachorum ac monialium dotium exactiones & pactiones assumeret:

Allegaverat Gratianus canone 7. verba S. Gregorii, quibus declaratur, quod ingredientibus monasterium convertendi gratia, ulterius nulla sit testandi licentia: cumque contra hanc Gregorii definitionem objecisset sibi, quod „ Paulus primus „Eremita *in testamento* colobium suum Athana„sio Episcopo Alexandrino reliquit, tunicam ve„ro beato Antonio; respondet: Sed aliud est de „his, qui in monasterium ingressi se & sua tra„diderunt: aliud de his, qui solitariam vitam du„centes, se nulli Ecclesiæ tradiderunt; illi semel „tradita nulli tradere possunt; isti nulli oblata li„bere testari possunt.

Convenientior fuisset solutio, si antiquam Eremitarum disciplinam & vivendi rationem à recentiore distinxisset: scimus enim quàm illa ab hac distincta sit.

CAUSA VIGESIMA

De impuberibus monasterium ingredientibus.

GRatianus tractatum *de Regularibus* prosequens, cum hactenus de *adultis* monasterium ingredientibus tractasset, tunc supponit *causam* 20.; ait Glossa, ubi tractatur de *impuberibus.*

Casus hic propositus.

De his hunc casum proponit: „ Duo pueritiæ „annos agentes à parentibus monasterio traditi „sunt: unus invitus, alter spontaneus cucullam „induit. Ad annos pubertatis venientes, invitus „ad sæcularem militiam rediit, spontaneus districtius monasterium petit.

Quæst. 1.

Ex hoc casu quatuor elicit quæstiones, quarum prima quæritur: *Si in pueritiæ annis traditi, cogantur religionis propositum tenere?*

An pueri religioni traditi teneantur adulti in ea perseverare?

Hic refert canone 1. decretum sub nomine Synodi *nonæ*; cum tamen nullibi synodus, quæ simpliciter *nona* appelletur, extet. Notant quidem Correctores Romani in nonnullis veteribus exemplaribus esse, *octavæ*; verum ut iidem monent, nec in *octava* sub Hadriano II. habita decretum hoc habetur.

Referuntur Gratiano Canones in utramque partem.

Interim in hoc decreto statuitur, quod *firma tunc erit professio virginitatis, ex quo adulta jam ætas esse cœperit, & ea, quæ solet apta nuptiis deputari ac perfecta.*

Videns Gratianus, hoc decreto sufficienter insinuari, professionem, virginitatis, tum demum dici *firmam*, si puella eam emittens *adultæ* sit ætatis, & ab alia parte pluribus canonibus cautum reperiret, quod à parentibus *parvuli* religioni oblati, etiam facti adulti tenerentur in religione perseverare, monuit ad calcem hujus canonis hic „ de illa professione agi, quæ in annis pueri„tiæ *proprio* arbitrio Deo offertur, quam non con„firmat parentum consensus. Cæterum, quæ à „parentibus Deo offertur professio, inviolatam „servari oportet.

Verùm, si legatur integer canon 18. Epistolæ canonicæ S. Basilii ad Amphilochium (è quo hoc decretum sumptum est, ut notat Antonius Augustinus *lib.* 2. *Dial.* 8.) apparebit, hanc Gratiani restrictionem plane adversam esse sententiæ auctoris; cum in hoc canone nominatim invehatur S. Basilius in *parentes*, qui filias suas „ *an„te perfectam ætatem* offerabant, non ex seipsis, „ait, ad cœlibatum incitatas; sed aliquid, quod „ad victum pertinet, procurantes quas non faci„le admittere oportet, donec aperte *propriam* „suam sententiam perscrutati fuerimus,

Interim Gratianus propositum prosequens, profert nonnullos canones, quibus probatur, quod pueri à parentibus religioni oblati, etiam in eadem debeant, jam facti adulti, perseverare.

Citat hanc in rem canone 2. responsum Gregorii III. ad Bonifacium Moguntinum, erronee à Gratiano attributum Gregorio I. ad Augustinum:

Quæsierat à Gregorio Bonifacius: „ Si Pater „aut Mater filium filiamve intra septa monaste„rii in *infantia* annis sub regulari tradiderint dis„ciplina, utrum liceat eis, postquam pubertatis „annos impleverint, egredi, & matrimonio co„pulari.

Respondit Gregorius: „ Hoc omnino devita„mus, quia nefas est, ut oblatis à parentibus Deo „filiis, voluptatis fræna laxentur.

Plures similes auctoritates profert in hanc rem Gratianus, atque præ cæteris canone 3. notandum vulgare hoc decretum concilii Toletani IV. *Monachum aut paterna devotio, aut propria professio: quidquid horum fuerit, alligatum tenebit.*

His aliisque relatis concludit Gratianus ad calcem canonis 7. „ Quod paterna professio pue„ros teneat obligatos: nec licebit eos à proposito „discedere, quod paterna devotione in puerili„bus annis susceperunt.

Non dubium, quin hæc disciplina olim fuerit recepta, multisque canonibus stabilita, conformisque videatur Regulæ S. Benedicti capit. 59. multisque eam adstruit Hugo Menardus in notis ad caput 66. concordiæ Regularum: ibidem refutans Glossatores & recentiores commentatores; qui hos canones restringere volunt ad eos, qui post pubertatis annos oblationem à parentibus factam, ratam habent, manifestè à verbis & mente canonum recedentes.]

Quæ hodie sit disciplina circa hoc punctum?

Verum est labentibus sæculis, hanc disciplinam mutatam esse; atque pueris à parentibus oblatis libertatem factam esse reclamandi, & ad sæculum

sæculum redeundi, cum ad annos pubertatis pervenerint: hancque disciplinam in posteriorum Pontificum decretalibus corpori Juris inclusis, esse probatam.

Invanum conantur recentiores Canones veteres cum decretalibus conciliare.

Harum autem auctoritate moti recentiores interpretes, antiquos Canones in eundem sensum contorserunt, ne decretales cum illis pugnare viderentur: non advertentes nihil fidei aut Ecclesiæ auctoritati decedere, tametsi Ecclesiæ disciplina temporum successu mutetur. Vide Emmanuelem Gonzales ad *cap.* 12. ⁘ *de Regularibus*, & ibi citatos. Notavit quoque Menardus, variam fuisse circa hoc punctum Ecclesiæ disciplinam: qui & idem asserit, quod nihil de ea oblatione ante tempora S. Benedicti, aut saltem S. Leonis I. qui agit de puellis oblatis à parentibus, legatur.

Develandis virginibus & varia circa hoc disciplina

Adjungit Gratianus nonnulla de ætate necessaria Abbatissæ, itemque de velandis virginibus circa quod punctum fuit pro temporum & locorum diversitate etiam varia disciplina, uti ex Canonibus à Gratiano relatis patescit, & plura addit auctor notarum in *Epistol.* 11. *libr.* 3. S. Gregorii (hodie *lib.* 4. *Epist.* 11.) è qua desumptus est Canon 12. hujus quæstionis.

Hoc autem & observandum, plura tum apocrypha, tum dubia hic à Gratiano immisceri: puta Canone 4. Isidoro adscribit, quæ in ejus libris non esse inventa monent Correctores Romani. Item Canone 10. sub nomine *Marcelli Papæ*, & Canone 15, adscripto *Pio Papæ*, quæ eorum non esse constat.

Quæst. 2. *Restringitur potestas parentum circa filiorum oblationem in Monasterio.*

Quæstione 2. prosequitur Gratianus agere de potestate parentum circa filiorum oblationem; atque Canone I. allegat decretum Concilii Toletani X. celebrati anno 656. quo illa parentum libertas offerendi nonnihil restringitur: ut nimirum *Parentibus filios suos religioni consecrare non amplius, quam usque ad quartum decimum eorum ætatis annum* [in concilio habetur, *annum decimum*, apud Burchardum & Ivonem, *usque ad annum* 12.] *licentia poterit esse: postea vero an cum voluntate parentum, an sua devotionis sit solitarium votum, erit filiis licitum religionis assumere cultum.*

Hoc autem canone 4. cautum, quod nonnisi sub plurimorum Testimonio pueriâ parentibus oblati suscipi debeant: *Ut omnis occasio maledicti gratia excludatur pessimorum hominum.*

At hic canon à Gratiano citatur ex *nona Synodo*, sed erroneè, uti monent Correctores Romani, at reperiri in libello S. Basilii *de inst. Monachorum* porro de hac cautione, aliisque ritibus hujus oblationis vide Heltenium in *disquisit. monasticis*.

An & quando possint parentes puellæ irritare?

Præterea allegat Gratianus Canone 2. decretum sub nomine concilii Triburiensis cap. 24. quod „ puella, si ante duodecim annos ætatis „sponte suâ sacrum sibi velamen assumpserit, pos„sint statim parentes ejus vel tutores id factum irritum facere, si voluerint: at si annum & diem „id dissimulando consenserint, ulterius nec ipsi, „nec ipsa mutare hoc poterunt: si vero in fortio„ri ætate adolescentula vel adolescens servire „Deo elegerit, non est potestas parentibus prohi„bendi. Ita legitur apud Gratianum, Burchardum & Ivonem in decreto: idque sub nomine concilii Triburiensis cap. 24.

Extat hoc concilium *tom.* 9. *Concil. General.* sed nulla posterioris membri mentio fit; sed prius membrum sic legitur: „ Quæcunque virgo „sub patrocinio ante annos 12. non coacte, sed „propria voluntate, sacrum velamen sibi impo„suerit, annumque & diem, nullo repetente, ve„lata permanserit, ab eodem sancto habitu ul„terius non recedat, sed sponsa vero Regi chri„sto; immaculato Agno, ulterius incorrupta & „immaculata deserviat: si vero idem patronus „post annum & diem sanctum propositum rum„pere, & velatam studuerit repetere, atque Chri„sto suam sponsam rapere, secundum statuta „canonum præjudicamus, ut vires non obtineat, sed Christo Regi suam sponsam re„linquat.

Haud obscurum est, canonem agere de puella liberta, sive manumissa, & sub patrono sive patrocinio constituta; & de jure, quod dominus habet ad repetendam libertam: pateque Gratianum nequaquam canonem ex fonte, sed ex aliis collectoribus sumpsisse.

Quæst. 3. *Nemo professionem monasticam nisi metu extortam deserere potest.*

Quæstione tertia tribus primis canonibus probat Gratianus, neminem posse professionem monasticam deserere, quam semel sponte emisit: secus si per metum & violentiam fuerit ad vovendum inductus, ut probat canone 4. in quo & ritus oblationis puerorum describitur.

Culpantur, qui lucro inhiantes quosdam ad religionem alliciunt.

Notandus canon 5. hujus quæstionis ex concilio Moguntino contra „ Episcopos & Abbates, „qui non in fructum animarum, sed in ava„ritiam & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines circumveniendo totunderunt, „& res eorum tali persuasione surripuerunt. *Hos pœnitentiæ canonicæ* (*utpote turpis lucri Sectatores*) *subjacere vult.*

Similes his sunt quidam hodierni superiores Monasteriorum, qui in assumptione ad religionem, plus ad dotes inferendas, quàm ad signa veræ vocationis attendunt.

Porro vult canon citatus, ut „ qui sic electi „comam deposuerunt, in eo, quod cœperunt, „perseverare cogantur: res vero eorum hæredi„bus reddantur.

Visum fuit & hic non ita pridem monasterium condemnatum ad restitutionem hæredibus ingressi, quod à superioribus videbatur injuste & supra modum honestum, extortum, uti notavi in *Jure Eccl.*

Quæst. 4. *An liceat ab uno Monasterio ad aliud transire.*

Denique *quæstione* 4 quærit; *Si ab uno Monasterio inaliud districtius liceat alicui transire.* Potissimum autem agit de Monachis & Monialibus ad aliud Monasterium transeuntibus, aut aliud votum emittentibus.

Et quidem canone 1. permittitur virginibus sacris; *pro lucro animæ propter districtiorem vitam ad aliud Monasterium pergere; ibique commanere: si vero, aut fuga disciplinæ alium locum quæsierint, redire cogantur* Similiter & canone 3. decernitur, Monachos de uno Monasterio ad aliud sine voluntate Abbatis migrare non posse. Item determinatur quando Monachis sit licitum ad privatas & solitarias cellulas migrare

An & quando liceat vovere sine consensu Abbatis.

Denique canone 2. generaliter decernitur, Monacho non licere votum vovere, sine consensu Abbatis: si autem voverit, frangendum esse.

Monet autem Gratianus ad calcem quæstionis: „ Hoc intelligendum de Monachis *religiose* „viventibus, quibus *vota* specialis abstinentiæ, „vel alicujus districtionis, quæ generaliter consu„etudinem suorum fratrum excedat, sine Abba„tis consensu vovere non licet, ne super eos fra„tres scandalizentur.

Verissimum est Gratiani monitum, si agatur de iis, quæ plane indifferentia sunt, nec ipsa religiosæ vitæ vel Christianæ Pietatis fundamenta attingunt: at velle impedire debitam observantiam votorum, aut eorum, quæ ad vitæ religiosæ substantiam pertinent, aut omnino conducunt, prætextu scandali accepti, vel murmurationis multorum, qui à votorum suorum ac vitæ religiosæ observantia recedunt, plane irreligiosum est: estque velle illos cogere, ut à via arcta, quam pauci ingrediuntur, recedant, & viam latam & spatiosam, quæ ducit ad perditionem, ingrediantur.

Addit & Gratianus: „ Causa illorum etiam „statutum est hoc, [nimirum Monacho non licere vovere sine consensu Abbatis) qui regularé disciplinam subterfugientes peregrinationis „vota sibi assumunt; quod nec Monacho inquit, „nec alicui Clerico licet, ne hac occasione ad sæcularem conversationem redeat.

CAUSA VIGESIMA PRIMA.

Connexio hujus causæ cum præcedenti juxta Glossographum.

„ FActa interpositione in quinque causis de statu Monachorum, revertitur Gratianus ad „Tractatum de statu Clericorum: continuat autem suum Tractatum ex fine Canonis ultimi „præcedentis causæ, ubi dictum est, quod Abbas non debet habere plura monasteria, sed „quia idem servandum est in Clericis, scilicet, „quod non debent habere plures Ecclesias, ideo „hanc vigesimam causam subnectit, ait Glossa, „in qua ostendit, Quod Clerici non debent habere plures Ecclesias, nisi in casibus exceptis.

An hæc fuerit vera connectendi ratio, nescio: hoc ex sequentibus constabit, admodum pauca de vetita aut permissa Clericis pluralitate Ecclesiarum in hac causa à Gratiano adferri; quamvis casus & prima quæstio ad hanc materiam spectare videantur.

Casus hic propositus.

Casus enim à Gratiano ita proponitur: „ Archipresbyter cujusdam Ecclesiæ præposituram „alterius accepit, nec priorem vult dimittere: „sæcularium negotiorum quoq; procurator efficitur: claris & fulgidis vestibus se exornans, „ab Episcopo suo corripitur, relicto officio suo „ad sæcularem Judicem habet confugium.

Quæst. 1.

Ex hoc casu quinque elicit quæstiones, quarum prima quæritur „ An Clericus in duabus „Ecclesiis possit conscribi.

De vetita pluralitate beneficiorum.

„Hac quæstione Canone I. adducit decretum Synodi VII. canone 15. quo absolute vetatur, Clericum connumerari in duabus Ecclesiis, adeo quidem, ut nec paupertatis seu insufficientis sustentationis titulo id permittatur: nam, ut ait Canon „ „ad vitæ hujus necessitatem studia sunt „diversa. Ex his ergo qui voluerit, acquirat cor„poris opportuna: ait enim Apostolus: sed ea, „*quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt,* „*ministraverunt manus istæ.* Vide Tractatum Historico Canonicum *part.* 3.*cap.* 3.§. 9. quæ citatum Canonem 15. ubi fusius ostensum est, pluralitatem beneficiorum eo penitus reprobari.

Restrictio Gratiani infundata.

At Gratianus Canonem hunc restringit ad duas duarum civitatum Ecclesias in quibus nullus debet conscribi. Præcipuum hujus restrictionis fundamenum sumpsit Gratianus ex hac finali clausula citati Canonis Synodi VII. *Et hac quidem in hac à Deo servanda* URBE. *Cæterum in* VILLIS, *quæ* FORIS *sunt, propter inopiam hominum indulgeatur.* Verum clausulam hanc nequaquam pluralitati Ecclesiarum, sive beneficiorum favere in præfato tractatu ibidem ostensum est.

Similiter nec favet fragmentum Canonis 10. Chalcedonensis relatum Canone 2. uti videri potest ex sæpe dicto tractatu *part.* 3.*cap.* 3.§. 6. *ad Canonem* 10. *Chalcedonensem.*

Potest quis habere duas Ecclesias, unam titulatam, alteram commendatam.

At hæc producit Gratianus Canone 3. decretum sub nomine Leonis IV, quo decernitur, ut, *qui plures Ecclesias, retinet, unam quidem* TITULATAM, *aliam vero* SUB COMMENDATIONE *retinere debeat*: nullatenus ad pluralitatem Ecclesiarum seu Beneficiorum pertinet.

Id enim unum voluit Leo, quod qui unam Ecclesiam parochialem in *titulum*, sive *titulatam* habet, possit aliam habere *commendatam*; sive, ut hodie loquuntur in *deservituram*.

Certum enim est, quod ætate Leonis IV. & in hoc decreto commendatio vel commenda coincideret cum hodierna deservitura, atque illa æque ac hæc ad certum tempus concederetur.

Quomodo hæc Ecclesiarum commendatio in origine laudabilis, tandem ad tegendam pluralitatem beneficiorum unicè servierit, & in maximum ac perniciosissimum degeneraverit abusum ostendi in *Jure Eccl. part.* 2. *tit* 20. *cap.* 2.

Quis sit Cardinalis Episcopus apud Gregorium.

Demum duos recitat Canones 5. & 6. ex Epistola 13. lib. 2. (hodie lib. 3. sancti Gregorii desumptos In hac Epistola Gregorius Agnellum Fundensem Episcopum constituit Episcopum *Cardinalem* Ecclesiæ Tarracinensis, hoc est ipsum huic Ecclesiæ præficit, ut *proprium & intitulatum* Episcopum, quod significat juxta illius temporis phrasim, *Cardinalem Episcopum constituere*, uti hic, & ad Canonem *Fraternitatem*, *dist.* 71. notant Correctores Romani.

Declarat autem Gregorius, quod licet esset *Cardinalis*, seu proprius Episcopus Tarracinensis, tamen Fundensis Episcopus esse non desinat, sed utriusque Ecclesiæ Episcopus maneat; quod Gregorius permisit, quia *ob cladem hostilitatis, nec in civitate, nec in Ecclesia Fundensi esset cuiquam habitandi licentia*, uti in Epistola legitur.

Quo sensu possit quis juxta Gregorium habere duos Episcopatus.

Monet autem Gratianus ad calcem Canonis 6. „quod non potest utrique præsidere tanquam ti„tulatæ, sed uni tanquam commendatæ, alteri „vero tanquam titulatæ præesse valet: id est tanquam deservitor, durante hostilitate, quamdiu proprium Episcopum habere nequeat, curam ejus gerere; quod textui Gregorii repugnare videtur.

Quæst. 2. Adscriptus alicui Ecclesiæ eam deserere sine licentia Episcopi non potest

Sicut clericus duabus Ecclesiis adscribi non potest; ita nec illam, cui semel adscriptus, est sine licentia deserere, nec absque literis dimissoriis sui Episcopi ad aliam transire potest: quod *quæstione* 2. probat Gratianus, adducto Canone 17 Synodi VI. additur Canone 2. Decretum Concilii Hispalensis, quo declaratur convenire, ut *similis desertor Clericus cingulo honoris, atque ordinis sui exutus, aliquo tempore Monasterio relegetur, sicque postea in Ministerium Ecclesiastici ordinis revocetur.*

Plures Sacerdotes eidem Ecclesiæ præfici non possunt.

Præterea, sicuti nullus duabus potest præfici Ecclesiis; ita nec convenit, uni Ecclesiæ plures præfici Sacerdotes, quod unico adducto Canone 4. sub nomine Concilii Rhemensis probat Gratianus, in quo dicitur, quod „ Ecclesia una divi„di nequeat inter plures presbyteros; sed unum „tantummodo habere Sacerdotem, qui eam

castè

„castè & sincerè regat: quia Ecclesia Christi uxor „& sponsa debet esse, non scortum, sicut Calix„tus Papa testatur.

Alludit ad suppositiitiam Epistolam Calixti I. omnibus Galliarum Episcopis inscriptam, cujus longum fragmentum extat *causa 7. quæst. 1. Can.* 39. Hinc habemus, quod Concilium Rhemense ut minus ad Sæculum IX. referendum esset: ante enim illud sæculum pseudo-decretales primorum Pontificum vix in Gallia notæ fuerant.

Illud quoque constat, eo circiter sæculo invaluisse, ut cura animarum cujuslibet presbyteri parochialis compararetur *conjugio carnali*, uti videri potest apud Lupum Ferrariensem *Epist*, 29. & sub idem tempus Chrodogandus Metensis Archiepiscopus cap. 63. Regulæ Canonicorum ait: *Presbyter non amplius, quam unam Ecclesiam habeat, sicut & vir unam uxorem.* plura testimonia vide relata apud Baluzium in notis ad citatam Epistolam Lupi Ferrariensis.

Quælibet Ecclesia debet habere suum proprium Sacerdotem.

Denique Gratianus in Canone 5. profert decretum Innocentii II. in Synodo Romana cap. 10. quo præcipit, ne conductitiis presbyteris Ecclesiæ committantur: & unaquæque Ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat Sacerdotem. Abusus subsequentibus sæculis amplius invaluit, dictique fuère similes presbyteri conductitii Ecclesiis parochialibus præfecti *vicarii amovibiles ad nutum*, de quo abusu vide dicta in *Jure Eccl. part.* 34. *cap.* 1.

Quæst. 3. Sæcularia negotia Clerici fugere debent.

Cum in casu à Gratiano proposito diceretur, quod Archipresbyter sæcularium negotiorum procurator esset effectus, quærit Gratianus *quæst.* 3. *An procurationes sæcularium negotiorum Clericis liceat suscipere.*

Negativam adstruit, adductis eam in rem canone 3. Chalcedonensi sub nomine *Paleæ*, & Canone 16. Codicis Africani, de quibus vide præfatum Tractatum Historico-Canonicum ad dictos Canones.

Addit varias sententias S. Cypriani atque inter cætera Canone 4. illud vulgare & à multis celebratum statutum in Concilio Carthaginensi, teste Cypriano: „Ne quis frater excedens ad tu„telam vel curam Clericum nominet: ac si quis „hoc fecisset, non offerretur pro eo; nec sacrifici„um pro dormitione ejus celebraretur: neque „enim apud Altare Dei meretur nominari in Sa„cerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes & mi„nistros voluit avocare.

Quæst. 4. Fulgidis & pretiosis vestibus uti non debent Clerici.

Dictum erat in casu proposito, quod Archi„presbyter claris & fulgidis vestibus se exornans „ab Episcopo suo corriperetur; hinc 4. quærit, „an claris & fulgidis vestibus Clericis ornari li„ceat?

Hoc non convenire Clericis, probat hic Gratianus, adductis Canonibus, quibus interdicitur Clericis, fulgidis ac pretiosis vestibus, adinstar sæcularium, se ornare: jubeturque Canone 2. ex decreto Synodi VI. *Ut nullus eorum, qui connumerantur in Clero vestimentum indecens habeat sive in civitate degens, sive in itinere ambulans: sed stolis utatur, quæ concessa sunt Clericis.* Glossographus hic *stolam* non malè interpretatur, *vestem talarem*, cujus fit mentio in *Canone distinct.* 32. atque hoc sensu concludit cum ea veste, quæ Canone 3. dicitur *tunica sacerdotalis.*

De forma vestium clericalium.

Eodem Canone vetatur Sacerdos ambulare sine *operimento*: „quia, inquit, sicut *mulier orans* „*in Ecclesia non velato capite, deturpat caput suum*, juxta Apostoli vocem, ita Sacerdos *sine o*„*perimento* deturpat sacerdotium suum.

Hoc vestimenti genus fuisse ob longum, sat innuit Canon, permittens, ut Sacerdotes sine illo incedant, *si in itinere longo ambulaverint*: quare Glossa illud accipit pro *cappa vel pallio.*

Cironius ad titulum *de vita & honestate Clericorum* putat accipi posse pro super pelliceo, quo non solum Pontifices in Ecclesia, & in publico uti jubebantur, sed & omnes sacerdotes, ut ibidem probat.

Clerici externo habitu modestiam & simplicitatem debent ostendere.

Quidquid sit de vera harum vocum significatione, ac de harum vestium pristina forma, hoc certum est, unicum canonum scopum esse, ut Clerici modestiam & simplicitatem clericalem in vestibus servent, & externo habitu præferant: *ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant*, ut loquitur Synodus *Trid. sess.* 14. *cap.* 6. *de reform.* vide dicta in *Jure Eccl. part.* 1. *tit.* 2. *c.* 2.

Quæst. 5. An & quando vetitum sit Clericis ab Episcopis ad sæcularem Judicem confugere.

Debent insuper Clerici suis subesse Episcopis, neque adinstar Laicorum ad sæcularem Judicem confugere, de quo agit Gratianus *quæstione* 5. quam ita proponit: „An ab Episcopo correpti „suum officium relinquere, & ad sæcularem Ju„dicem confugere valeant?

Citat hunc in finem canone 2. decretum Synodi Antiochenæ ex versione Isidori, & rursus canone 5. ex interpretatione Martini Bracarensis, & canone 3. Synodi Carthaginensis V. canonem 2. qui in codice Africano est 104. sed præcipuè hi canones agunt de Episcopis à Synodis & metropolitanis recurrentibus ad Principem; de qua re vide Tractatum Historico canonicum ad dictos canones.

Refert & canone 6. fragmentum *Epistola* 34 *Libri* 4. sancti Gregorii, quo conqueritur de Episcopis suis ad Imperatorem recurrentibus: „Si „Episcoporum causæ mihi commissorum, ait, „apud piissimos dominos aliorum patrociniis disponuntur, infelix ego in Ecclesia ista quid facio?

Evidens apparet Sanctum Gregorium hic loqui de Episcopis speciali titulo curæ suæ commissis, quales erant qui jure metropolitico in Ecclesiis suburbicariis, ipso Romano Pontifici suberant.

Cæterum ex contextu Epistolæ sancti Gregorii, necnon canonum improbantium recursum ad Imperatorem, intelligitur, hunc recursum improbari in illis, qui ordine judiciario, sive juxta regulas Ecclesiasticas à Synodis fuerant damnati: non autem de casu, quo via facti, sive neglecto ordino judiciario per Judices Ecclesiasticos, sive superiores opprimuntur; & sic oppressi ad protectionem Regiam confugiunt, uti ostendi in Tractatu *de recursu ad Principem.*

CAUSA VIGESIMA-SECUNDA.

De juramento & mendacio.

„SUperiori causa, ait Glossographus, tractatum „est de obedientia Clericorum erga suos Epis„copos: sed quia quandoque quis *jurat*, se suo „Prælato non obedire, ideo Gratianus hanc 22. causam subnectit, in qua de juramento tractat, & de mendacio, & quot comites juramentum habeat.

Utrum fuerit Gratiani hæc vera connectendi ratio, nescio, hoc constat, Gratianum materiam juramenti, & varia ad eam spectantia, hac causa per quinque quæstiones tractare

Casus hic propositus

Casum ita proponit: „Quidam Episcopus juravit

„juravit falsum quod putabat verum: quo comperto Archidiaconus juravit, se nunquam ei „præstiturum obedientiam, Compellitur Archidiaconus ab Episcopo ad exhibendam sibi consuetam reverentiam: accusatur Episcopus de duplici perjurio, & de eo, quod falsum juravit, & „quia Archidiaconum ad pejerandum compulit.

Quæst. 1. *An & quando jurare sit licitum.*

Quæstione 1. quærit: " An juramentum sit „præstandum, an non? Ac primo quidem auctoritate Scripturæ Sacræ arguit, jurandum non esse juxta illud Christi: *sit sermo vester, est, est: non, non: quod autem amplius est, à malo est.* Item illud Jacobi: *Ante omnia Fratres mei nolite jurare omnino.*

Respondet Gratianus: " sed aliud est ad juramentum sponte accedere: aliud vel ad asserendam innocentiam suam vel ad pacis fœdera confirmanda, vel ad persuadendum auditoribus, „quando pigri sunt credere, quod eis utile sit, „juramentum offerre. Primum prohibetur, secundum conceditur: Non enim jurare omninò „peccatum est?

Assertum suum probat auctoritate Concilii Toletani VIII. quo juramentum in fœdere adhibitum probatur. Item auctoritate sancti Augustini in expositione Epistolæ ad Galatas ad illa verba: " *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo; quia non mentior*; jurat utique; & quid „sanctius hac juratione: sed non est contra præceptum juratio, quæ à malo est, non jurantis, „sed incredulitatis ejus, cui juratur: nam hinc „intelligitur, ita Dominum prohibuisse à jurando, ut quantum in ipso est, quisque non juret: „quod multi faciunt, in ore habentes jurationem, tanquam magnum aut suave aliquid „.... Quantum ergo in ipso est, non jurat Apostolus: non enim appetit jurationem cupiditate aut delectatione jurandi. Ita legitur apud Augustinum, à quo nonnihil recedit Gratianus, ut etiam notant Correctores Romani.

Plura ibidem ad eundem sensum Gratianus adfert ex Augustino, atque inter alia Canone 5. „Ita ergo præcepisse Dominum intelligitur, ne „juretur, ne quisquam sicut bonum appetat jusjurandum, & assiduitate jurandi ad perjurium „per consuetudinem delabatur: quapropter qui „intelligit non in bonis, sed in necessariis jurationem habendam, refrænet se quantum potest, „ut non ea utatur, nisi necessitas cogat.

His congruit illud Isidori in Canone 13. "non „est contra Dei præceptum jurare: sed dum jurandi usum facimus, perjurii crimen incurrimus.

Ad calcem Canonis 14. ita concludit Gratianus: " Ex præmissis colligitur, quod jurare non „est peccatum: non tamen tanquam bonum est „appetendum, ne consuetudine jurandi labamur in perjurium: sed cum dicatur procedere „à malo non credentis, videtur, quod etsi jurare „peccatum non sit, juramentum tamen recipere, „malum sit. Sed nomine mali non malitia, sed „peccati pœna intelligitur. Ex pœnali enim infirmitate incredulitas ista processit, qua ad jurandum compellimur. Ipsum autem jurare sicut peccatum non est; ita juramentum ab aliquo recipere malum non est.

Licitè utimur fide ejus, qui per idola jurat.

Post hæc *parte* 4. quæstionis quærit: " An „sit utendum fide ejus, qui per dæmonia jurat? „Pro resolutione hujus dubii adducit Canone 16. sancti Augustini ex Epistola ad Publicolam, quæ est 47. in ultima editione. Hic respondet Augustinus, semper esse malum per falsos Deos jurare: "sed illud, ait, nemo recte reprehenderit, „quia fidem servavit..., ac per hoc qui utitur „fide illius, quem constat jurasse per falsos deos, „& utitur, non ad malum, sed ad licitum & bonum, non peccato ejus se sociat, sed bono pacto „jus, quo fidem servavit: sed, pergit Augustinus, alia quæstio est, utrum non peccet, qui per „falsos deos sibi jurari facit, quia ille, qui ei jurat falsos deos colit.

An licitè petatur juramentum à juraturo per falsos deos.

In hac quæstione dubius nonnihil hærebat Augustinus motis tamen exemplis Isaac & Jacob, qui sibi à Laban & Abimelech jurari fecerunt, inclinare videtur in partem negativam.

Gratianus exemplis ab Augustino adductis addit: quod cum in libro Machabæorum Romani leguntur pacem firmâsse cum Judæis, intelligendi sunt jurâsse per falsos deos; sicut & Judæi juraverant per Deum verum.

An sit licitum jurare per creaturas.

Dicit & ibidem Gratianus, dictum de juramento per *falsos deos*, etiam de juramento per creaturas intelligendum: nimirum, quod „ipsum qui dem jurare per *creaturas* malum sit; quia à Deo „prohibitum, sed servare quod juratur, bonum „est, ut evitetur peccatum mendacii & dolositatis.

Objiciens autem sibi exemplum Joseph, qui *per Creaturas* juravit, dum dixit fratribus suis: *per salutem Pharaonis non exibitis hinc* respondet, sanctos non tam per creaturas, quàm per „auctorem creaturarum jurâsse.... Deus autem „inquit, per creaturas jurare prohibuit, ne vel „more gentilium aliquod numen Deitatis creaturis inesse crederetur, vel ne creaturas contemptibiles judicando, per eas promissa pro nihilo duceremus.

De gravitate unius juramenti comparati ad alterum.

Scripserat in citato Canone Sanctus Augustinus: *sine ulla dubitatione minus malum est per* DEUM FALSUM JURARE *veraciter, quam per Deum* VERUM FALLACITER; rationem addens: *quanto enim id, per quod juratur, magis est sanctum, tanto magis est pœnale perjurium.*

Ex hac ab Augustino allegata ratione concludit Gratianus, quod licet duplex peccatum admittat, qui contra prohibitionem & jurat per creaturas, & una jurat *mendaciter*? tamen appareat, quod *graviori se subjiciat pœnæ, qui per Creatorem jurat mendaciter*, atque ita hoc unum peccatum periurii gravius appareat, duplici peccato, quod committit jurans illicite per creaturas mendaciter de qua quæstione locutus non fuit Augustinus: unde & nonnisi dubitanter per verbum, *apparet*, resolvit Gratianus,

De gravitate & pœna perjurii.

Parte 5. huius quæstionis probat Gratianus, periurii pœnam esse gravissimam: quam si quis „timens ad confessionem venire noluerit, à fidelium consortio sit abiiciendus.

In huius probationem adducit Canone 17. decretum sub nomine Eutychiani Papæ, prout etiam apud Burchardum & Ivonem citatur.

Monent autem Correctores Romani, inventum esse inter quædam capitula Theodulphi Episcopi Aurelianensis ad suos presbyteros scripta: quod & monent Phitei notantes caput 26. dictorum capitulorum, quæ habentur *tom* 7. *Conc. General. col.* 1136. ubi & hoc decretum reperitur.

Stephanus Baluzius monet in notis ad Reginonem, sub nomine huius Pontificis Eutychiani relata à Gratiano Decreta nullatenus ei posse attribui

bui, primumque à Burchardo ipsi fuisse suppo-sita, credit autem Baluzius (quod & verisimile apparet ex tenore contextûs) illa non esse ex concilio quopiam, neque in decretis alicujus Romani Pontificis, sed formulam, secundùm quam Episcopi interrogare debebant Laicos in unaquaque Parochia.

Retulit quidem Labbeus hæc decreta *tom.* 1. *Concil. General. colum.* 921. sub nomine *Eutychiani Papæ*, quamvis ab aliis Collectoribus conciliorum essent omissa, unà tamen insinuans se dubitare, an huic Pontifici sint tribuenda.

Quidquid sit de Decretorum istorum auctore, cùm eorum meminerit Regino Abbas Prumiensis, (licet sub nomine Eutychiani) apparet, quòd saltem sæculo nono nota fuerint.

An licitè petatur juramentum à juraturo per falsos deos.

In hac igitur formula, seu decreto dicitur, prædicandum esse, *ut perjurium fideles caveant & ab hoc summopere abstineant, scientes hoc grande scelus esse.* Præterea, *se audivisse, quosdam parvi pendere hoc scelus, & levem quodammodo perjuris pœnitentiæ modum imponere.* Quam hoc hodie usitatum!

An sit licitum jurare per creaturas.

Declarat autem, quòd illi nôsse debeant, *talem de perjurio pœnitentiam imponi debere, qualem & de adulterio, de fornicatione, & de homicidio sponte commisso, & de cæteris criminalibus vitiis.*

Denique si *quis de perpetrato perjurio, aut quolibet criminali peccato, timens pœnitentiam longam, ad confessionem venire noluerit, ab Ecclesia repellendus sit, sive à communione & consortio fidelium.*

Cæterum Canon 10. Pio Papæ falsò adscribitur, quod nequidem extat in Epistolis huic Pontifici ab Isidoro suppositis. Similiter Hieronymo falsò adscribitur Canon 12. *Capitularis* 1. Caroli Magni de Anno 789. relatus *Lib.* 1. *Capitularium capit.* 61. Consule Baluzium *in notis ad hoc caput* 12.

Degra...itate ...rus juramenti ...mparati ... alte...um.

Modus minuendi frequentiam perjuriorum

Si hodie Episcopi, Pastores & Confessarii cum falsum jurantibus ita procederent, iisque pro gravitate criminis pœnitentiam imponerent, sperandum esset frequentiam perjuriorum paulatim minuendam.

Quæst. II. An perjurus sit jurans quod falsum putabat verum.

Prosequendo Gratianus materiam juramenti *quæst.* 2. quærit, *Si sit perjurus, qui jurat falsum, quod putabat verum.*

Primo asserit, adductis duobus Canonibus: facile probari, quod *perjurium sit falsum jurare*, sed id intelligendum monet ad calcem Canonis 2. de eo qui *scienter*, seu *mentiendo* in dolo jurat: sed aliud est, ait, falsum jurare, „aliud jurare in „dolo.... Ille enim in dolo jurat, aut mendaci-„ter promittit, in cujus mente est non sic se factu-„rum, ut promittit: ille autem, qui promittit, „falsum, quod *putat verum*, nec in dolo jurat, „nec mendaciter promittit.

...gra...te & ...a per...ii.

Probat hanc distinctionem Canone 3. auctoritate S. Augustini, multis asserentis, perjurum esse, qui jurat, *quod falsum scit, aut saltem putat falsum esse*, licet reipsa verum sit: non esse autem, qui jurat falsum, quod *verum esse certo credit*: atque concludit: *Ream linguam non facit, nisi mens rea.*

Ex hoc concludit Gratianus, non esse perjurum, „qui nec temerè vel intelligenter, sed cum „magna diligentia videbatur sibi deprehendisse „*verum*, quod juravit *falsum*.

Discrimen inter mentiri & falsum dicere.

Quin & addit, nequaquam semper mentiri, qui falsum dicit; sed nec omnem qui mentitur, falsum dicere, uti probat Canone 4. verbis Augustini.

Item inter fallere & falli.

Ex dictis ulterius concludit, fallere semper esse peccatum, cùm fallere semper sit voluntatis: sed falli vel infirmitatis, vel temeritatis: hinc ulterius concludit parte 2. quòd aliquando contingat falli vel nullum, vel minimum esse peccatum: aliquando ex ipsarum rerum variâ consideratione, minus esse fallere quàm falli. Primum probat Canone 2. verbis Augustini in Enchiridio ad Laurentium cap. 21, & alterum canone 7. verbis ejusdem Doctoris ex eodem Enchiridio cap. 18. quæ mutilata refert, uti etiam monent Correctores Romani. Meritò hi textus S. Augustini legentur integri in ipso originali.

De variis mendaciorum generibus ex Augustino.

Parte 3. ostendit Gratianus varia esse mendaciorum genera, quorum alia aliis graviora, alia leviora sunt. Unà probat, nulla de causa mendacium reddi licitum.

Adducit in hanc rem Canone 8. textum S. Augustini desumptum ex ejus libro de *mendacio cap.* 14. & 21. Ubi priore capite, octo enumerat mendaciorum genera, & cap. 21. concludit, nullum eorum esse licitum: Et quidem circa quinque prima genera nulla videbatur difficultas: at circa tria ultima nonnulli hærebant: verum auctoritatibus divinis, quæ mendacium prohibent, diligenter discussis; nec-non iis, quæ in novo Testamento à sanctis facta sunt, *ubi morum imitandorum evidentissima commendatio est*, ut loquitur Augustinus, concludit, nec tria hæc mendaciorum genera licita esse.

Nullum genus mendacii licitum esse probatur ex eodem.

„Non est, ait, mentiendum sexto genere „(quod nulli obest & alicui prodest;) neque e-„nim rectè etiam testimonii veritas, pro cujus-„quam temporali commodo ac salute corrum-„pitur.

Quin nec pro æterna alicujus salute mentiendum esse subjungit dicens: „Ad sempiternam ve-„ro salutem nullus ducendus est, opitulante men-„dacio.

Septimum mendacii genus est, cùm sine ullius injuria mendacio meo vita alterius salva esse potest: sed nec hoc genere mentiendum esse, ait: „Non enim cujusdam commoditas aut salus tem-„poralis perficiendæ fidei præferenda est.

Octavum genus mendacii est, quod & nulli obest, & ad hoc prodest, ut ab immunditia corporali aliquem tueatur: „Nec in hoc genere men-„tiendum est: quia & in bonis castitas animi pu-„dicitiæ corporis præfertur: & in malis id quod „ipsi facimus, eo quod fieri sinimus, nobis dam-„nabilius est.

Concluditque his verbis: „Quisquis autem „esse aliquod genus mendacii, quod peccatum „non sit, putaverit, decipiet seipsum turpiter, „cùm honestum se deceptorem arbitratur alio-„rum.

Nullum ob finem licitum est mentiri.

Parte quartâ ulterius pluribus auctoritatibus, notanter sancti Augustini, probat, neque ad evitandam arrogantiam, conservandamque humilitatem esse mentiendum: „Cum humilitatis „causâ mentiris, si non eras peccator, antequam „mentireris, mentiendo effeceris quod evitaveras, ait Augustinus Canone 9. & Canone 11. dicit: „Non ita caveatur arrogantia, ut veritas relinqua-„tur.

Neque vitam temporalem, nec æternam proximi per mendacium nostrum esse procurandam docetur Canone 14. 15. & 17.

Potest tamen quandoque veritas occultari.

Parte 5. probat, quòd etsi nunquam liceat mentiri, & contra veritatem loqui, possumus tamen subinde, causâ exigente, veritatem occultare, Canone 21.

Dein

De facto Abraham & Jacob. Dein Canone 22. verbis Augustini solvit objectionem contra antedicta movendam vitam temporalem videtur mentitus, dicendo quòd Sara uxor sua, esset sua soror: sed monent Correctores Romani Canonem conflatum ex variis textibus S. Augustini in unum congestis.

Multis quoque respondet ipse Gratianus ad factum Jacob, dicentis Esau volens, ostendere mentitum non fuisse.

Cùm in proposito casu Episcopus juraverit falsum, quod putabat verum, concludit Gratianus ad calcem quæstionis, "Quòd Episcopus „non fuerit reus perjurii, juxta illud Augustini „supra relatum: *Ream linguam non facit nisi „mens rea.*

Quæst. III. Hinc ulterius resolvit quæstionem tertiam (quæ erat: "Si liceat Archidiacono denegare „Episcopo consuetam obedientiam) nullo adducto Canone, dicens, quòd consueta obedientia ab Archidiacono Episcopo denegari non debuit, & per consequens illicitum fuisse, quòd ab Archidiacono erat juratum.

Quæst. IV. Hinc *quæstione* 4. quærit: *Si constiterit esse illicitum, quod juravit Archidiaconus, an sit servandum?*

Iuramenta de re illicita servanda non sunt. Quòd juramenta illicita servanda non sint, pluribus auctoritatibus adstruitur parte 1. quæstionis; atque in primis auctoritate Concilii Toletani, cujus Canonis 2. fragmentum recitat Canone 1. sed integer Canon consulendus, cujus plura fragmenta extant apud Gratianum, ac signanter binâ hâc quæstione canone 9. & 14. Idem ostenditur & variis aliorum auctoritatibus, adjunctis tamen nonnullis nonnihil immutatis, ut notant Correctores Romani, & aliquibus dubiæ fidei, ut canone 10. sub nomine Augustini & canone 16. sub nomine Soteris Papæ.

Ex his tandem concludit, juramenta de re illicita non esse servanda juxta illud Isidori Canone 5. *In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum: quod incautè vovisti, ne facias: impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur.*

Verùm conclusionem illam, quòd juramenta illicita laudabiliter solvantur, damnabiliter serventur, intelligendam esse dicit parte 2. subjecta Canoni 19. "Quando juramentum illicitum de„seratur, ut ad bonum redeatur." Cæterum, si „propterea deseritur, ut in aliud malum transea„tur, illicitum Sacramentum damnabiliter serva„tur, sed damnabilius contemnitur. Probat hæc Canone 20. 21. & 22. auctoritate Sancti Augustini.

Quandoque licitè præstatur, quod illicitè juratum est. Denique parte 3. occasione juramenti, quod Gabaonitis fecit Josue, probat quædam juramenta, quamvis *illicitè* præstentur, tamen *postquam præstita* sunt, esse servanda: adductâ etiam Canone 23. auctoritate Sancti Ambrosii, cui dein longum discursum annectit Gratianus, in quo exponit, quando juramenta illicita sint, vel non sint servanda, qui tractatus non inutiliter legetur.

Quæst. V. *Quæstione* 5. è casu deducta erat: *Si constiterit juramentum illicitum ab Archidiacono servandum esse, an Episcopus sit reus perjurii, qui contra juramentum Archidiaconum suum ire compellit.*

Hanc quæstionem in septem partes dividit, quarum prima de pœna & gravitate perjurii tractat.

De pœnitentia imponenda perjuris. Circa modum pœnitentiæ perjuris imponendæ adducit duos priores Canones sub nomine Pii Papæ: at certum est, ea Pio I. tribui non posse, monentque Correctores Romani ea, ab aliis Collectoribus citari ex pœnitentiali Theodori, è quo & Canon 3. citatur.

In his Canonibus videmus, non eandem omnibus perjuris pœnitentiam impositam; imo trium annorum pœnitentiam impositam ei, qui pejeravit in manu Episcopi, aut cruce consecratâ, & tantum unius anni, qui pejeravit in cruce non consecrata, quæ disciplina vel sola redolet recentiorem ætatem. Nihilominus advertat Lector in his canonibus pristinæ disciplinæ quædam occurrere vestigia, quibus confundantur Confessarii, qui perjuris leviores, quàm exigit gravitas criminis, pœnitentias imponunt.

Provocans ad jurationem falsam dupliciter homicida est. Additur ex S. Augustino canone 5. & 6. quòd is, qui hominem provocat ad jurationem, & scit eum falsum esse juraturum, vincat homicidam: quia homicida corpus occisurus est, ille autem animam: Imo duas animas, & ejus quem jurare procuravit, & suam.

Quomodo se gerere debeat, qui aliquem audit falsum jurare, ut criminis particeps non fiat ostenditur canone 8. ex verbis S. Augustini.

Parte 3. inquirit "an perjurium evitet, qui „verborum *calliditate* se circumvenire putat il„lum, cui juramentum defert, nisi servaverit, „quod jurâsse creditur.

Perjurus est, qui non jurat ad mentem exigentis juramentum. Hic adducit Canone 9. vulgarem illum sancti Isidori textum, qui funditus evertitur perniciosâ illâ restrictionum mentalium fallaciâ: „Quacunque arte verborum, inquit, quis„que juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis „est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit.

Huic congruit Augustinus in canone 10. ubi docet perjurum esse, qui falsum jurat *per lapidem* tametsi jurans credat, nihil esse per quod jurat, eo quod is, *cui jurat, illud sanctum putat: non enim*, ait, *quando juras, tibi juras, aut lapidi juras, sed proximo juras.* Videndus ipse textus Augustini *sermone* 180. *n.* 13. in editione Benedictinorum: nam apud Gratianum nonnulla mutilata sunt, ut etiam monent Correctores Romani.

Objectio ex S. Gregorio solvitur. At his contraria apparent, quæ Canone 11. proferuntur ex S. Gregorio *lib.* 16. *Moralium c.* 7. Humanæ aures verba nostra talia judicant, „qualia foris sonant, divina verò judicia talia ea „audiunt, qualia ex intimis proferuntur.

Sed si integer textus sancti Gregorii legatur, apparebit S. Gregorium hìc loqui de Patriarcha Job, qui soli Deo loquebatur: tunc enim satis est, ut sic loquamur, qualiter Deus, qui inspector est cordis nostri, verba intelligit: at quando proximo loquimur, sic verba accipienda sunt, sicut ille, cui juratur, intelligit.

De ætate ad jurandum requisita. Post hæc Gratianus parte 4. inquirit, quâ ætatate quis ad præstandum juramentum sit capax?

Adducit Canone 14. locum ex *lib.* 1. *Capitularium* Regum Francorum, in quo decernitur: *parvuli, qui sine rationabili ætate sunt, non cogantur jurare.*

Ita hodie legitur *Libro* 1. *Capitularium capite* 61. Item apud Reginonem *Libro* 2. *capite* 313. & Ivonem *Parte* 12. *capite* 23. & his verbis exhibuerat Gratianus: at Correctores Romani addiderunt ex originali,

nali, ut ajunt: *sicut Gunebodigni faciunt*: quemadmodum & hodie legitur apud Baluzium in *Capitulari* 1. *anni* 789. *c.* 62. de qua lectionis varietate consule eundem Baluzium in notis ad Reginonem pag. 590. ubi & una notat, Gunebodignos fuisse dictos, qui Gundobadâ lege utebantur, adversus quam legem librum scripsit sæculo nono Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis, cui & notas addidit citatus Baluzius, quas consule.

De reverentia in juramento adhibenda.

Additur dein Canone 15. sub nomine Concilii Eliberitani, & Canone 16. sub nomine Cornelii Papæ, ut pueri ante annos 14. non cogantur jurare: in posteriori quoque dicitur: *Honestum etiam videri, ut qui in sanctis audet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honestate & timore.*

Certum est hæc non sapere disciplinam ætatis, quia vixit sanctus Cornelius Papa, eique falso adscribi, uti notavit Antonius Augustinus *lib.* 1. *dial.* 16. reperiuntur autem *lib.* 1. *Capitul. cap.* 61. ubi pro, *audet*, legitur, *habet*, uti & apud Reginonem *lib.* 2. *cap.* 312. quæ lectio apparet præferenda, ut hic monet Baluzius.

Interea hinc elucet, quanta cum reverentia & religione fieri voluerint juramenta auctores antiqui.

De tempore, quo vetitum est jurare

Adducit & Gratianus Canone 17. sub nomine Concilii apud sanctum Medardum, decretum, quo præcipitur, "ut à Septuagesima usque ad „octavam Paschæ, ab Adventu Domini usque in „octavam Epiphaniæ, & in jejuniis quatuor tem„porum, & in litaniis majoribus, & in diebus Do„minicis, & in diebus rogationum (nisi de con„cordia & pacificatione) nullus super sancta E„vangelia jurare præsumat.

De hoc Canone agens Antonius Augustinus citato *dial.* 16. dicit, se fontes hujus Canonis non invenisse; verisimiliter, Gratianum sumpsisse ex Burchardo, qui illud retulit *lib.* 12. *cap.* 20. sed pro verbis: *usque in octavam Epiphaniæ*, legit, *usque post consecratos dies*, & in fine ad verba, *super sacra*, non addit, *Evangelia*.

Monet insuper Antonius Augustinus ibidem ex S. Antonino, hæc consuetudine esse abrogata: quod partim tantum verum est: nam etiamnum hodie aliquid illius disciplinæ superest, puta quod juramenta judicialia non recipiantur diebus Dominicis & festis.

De juramento à vasallis præstando.

Nonnulla adducit Gratianus parte 5. de forma juramenti à vasallis dominis directis præstandi, Canone 18. de quo vide Antonium Augustinum *lib. de emendat. Grat. dial.* 9. Canon 19. Augustino tribuitur, sed apud illum non reperiri monent Correctores Romani, nec quidquam ibi de forma juramenti dicitur.

De mendacio in facto.

Ostendit parte 6. auctoritate Ambrosii in Canone 20. quod non verbis duntaxat; sed etiam simulatis operibus mendacium committitur: „Mendacium namque est, ait, Ambrosius, Chri„stianum se dicere, & opera Christi non facere: „mendacium est, Episcopum, Sacerdotem vel „Clericum se profiteri, & contraria huic ordini „operari.

An & quando Clericus coram laico cogi possit ad jurandum.

Sub nomine Concilii Rhemensis Canone 22. statuitur: "Nullus ex Ecclesiastico ordine cui„quam laico quidquam *supra Sacrosancta* Evan„gelia (Burchardus supra sacra) jurare præsu„mat; sed simpliciter cum veritate & puritate „dicat, EST, EST: NON, NON. Sed si „est aliquid quod sibi objiciatur (addunt Bur„chardus & Ivo, *ad Episcopum, in cujus terri„torio est deferatur, &c*) prout judicaverint, qui „ejusdem ordinis sunt, aut corrigatur, aut expur„getur.

Hæc in nullo Concilio Rhemensi hactenus reperi. Interim monet hic glossa, "hoc caput „intelligendum de juramento expurgationis, „quòd Clericus non debet facere coram laico, sed „tantùm coram Episcopo, vel ejus delegato, nisi „hoc faciat auctoritate Papæ: si enim Clericus pe„teret aliquid coram Laico, bene teneretur ibi „præstare juramentum calumniæ: vel dic, ait, „quòd sine licentia Episcopi nullum debet facere „juramentum Laico: Imperatori tamen jurant „Episcopi fidelitatem.

Quidquid sit de hoc glossæ commento, illud evidens est, clausulam illam: *nisi hoc fiat auctoritate Papæ*, sapere falsas decretales. Deinde & illud certum est, hodie ab hac disciplina non parum esse recessum. Nihilominus notet lector, quantâ circumspectione procedendum crederet auctor hujus decreti, ut Clericus ad jurandum cogeretur.

CAUSA VIGESIMA TERTIA.

Connexio hujus causæ cum præcedenti juxta glossographum.

Glossographus volens connectere hanc causam cum præcedenti ait: "supra tractatum „est de *Catholicis*, & dictum est, quòd non „sunt cogendi *ad malum*: nunc verò subnectit „Gratianus *causam vigesimam tertiam*, in qua de „*hæreticis* tractat, quærens, an ipsi sint cogendi ad „bonum. Item quæritur, an militare sit pecca„tum, & quòd bellum debeat dici justum, & quòd „injustum, & an vindicta sit inferenda, & an pec„catum sit judici, malos occidere, condemnando „scilicet.

Gratiano cura non ita fuit ordinem aut connexionem servare.

Verùm ex hactenus dictis & dicendis quisque facile perspiciet, nullam aut certè exiguam Gratiano curam fuisse, ordinem aut connexionem materiæ servandi, sed opportunè & importunè, occasionem quæsivisse, omnia quæ, quâcumque ratione ad disciplinam Ecclesiasticam & religionem spectare credebat, in suum opus conjiciendi.

Hâc causa agitur de bello, ejus justitia, &c. Casus in hac causa propositus

Itaque hâc causâ tractat & requiri de bello, ejusque justitia, & causis, & an hæretici vi armorum ad fidem Catholicam sint cogendi, & Clerici eisdem (bellis) sint implicandi.

Hunc in finem proponit hunc casum: "qui„dam Episcopi cum plebe sibi commissa in hæ„resim lapsi sunt, circumjacentes Catholicos mi„nis & cruciatibus ad hæresim compellere cœpe„runt: quo comperto Apostolicus Catholicis „Episcopis circumjacentium regionum, qui ab „Imperatore civilem jurisdictionem acceperant, „imperavit, ut Catholicos ab hæreticis defen„derent, & quibus modis possent eos ad fidei ve„ritatem redire compellerent. Episcopi hæc man„data Apostolica recipientes, convocatis militi„bus, apertè, & per insidias contra hæreticos „pugnare cœperunt: tandem nonnullis eorum „neci traditis, aliis, rebus suis vel Ecclesiasticis ex„poliatis, aliis carcere & ergastulo reclusis, ad „unitatem Catholicæ fidei redierunt.

QUÆSTIO I.

Primâ quæstione quærit: *an militare sit peccatum?*

Varia adducit Gratianus, quibus vide-

Sub initium quæstionis prolixo discursu profert ea, quibus videtur initui bellare vetitum esse Christianis: eo quòd id videatur contrarium præcepto patientiæ, & mandato diligendi inimicos:

tur probari quod bellum sit vetitum Christianis.

cos: atque ita militare alienum videri ab Evangelica doctrina, quæ ab omni vindicta nos alienos esse præcipit, & patientes esse contra omnes atrocissimas quasque injurias nobis à proximo illatas. Adducit eum in finem verba sub nomine Gregorii, sed quæ revera sunt Originis, ut in margine notatur.

At ostendit illa in præparatione animi servanda esse

Verum ad calcem Canonis 1. respondet Gratianus, « præcepta patientiæ non tam ostentatio-„ne corporis, quàm præparatione cordis retinen-„da esse, prolato eam in rem Canone 2. textu S. „Augustini, in quo dicitur: « paratus debet esse „homo justus & pius patienter eorum malitiam „sustinere, quos fieri bonos quærit, ut numerus „potius crescat bonorum, non ut pari malitiâ se „quoque numero addat malorum. Denique ista „præcepta magis ad præparationem cordis perti-„nere, quàm ad opus, quod in aperto fit: ut te-„neatur in secreto animi patientia cum benevo-„lentia, in manifesto autem id fiat, quod eis vide-„tur prodesse posse, quibus bene velle debemus.

Bellum gerere non est per se malum.

Adducit dein nonnulla Canone 3. 4. & 5. ex sancto Augustino, quibus hic Doctor docet, bellum gerere & militare per se malum non esse, & quæ præcipuè in bello vitanda sint: ac tandem ad calcem quæstionis concludit Gratianus: quod „militare peccatum non est, & quòd præcepta „patientiæ in præparatione cordis, & non in „ostentatione corporis servanda sunt.

An jubente Rege bellari possit, dum dubitatur de justitia belli?

Unum hìc notandum, quod ex sancto Augustino *lib. 22. contra Faustum cap. 74. & 75.* refertur Canone 4. quòd vir justus militans sub Rege iniquo, possit illo jubente militare, *si vice* (alias *civicæ*) *pacis ordinem servans, quod sive jubetur* (alias, *cui quod jubetur*) *vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est, ita ut fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.*

Manifestum est Augustinum militem hìc excusare ob justam ignorantiam factorum, quæ ipsi militi sine sua culpa ignota sunt, & ad quorum notitiam ordinariè pervenire non potest, ex quorum proinde ignorantia ipsi quoque ignota sit inculpabiliter injustitia belli.

Quæst. II

Quæstione 2. quærit Gratianus, « quòd bel-„lum sit justum, & quomodo à filiis Israel justa „bella gerebantur.

Bellum debet esse justum.

Hâc autem quæstione notatur verbis sancti Augustini Canone 2. *quòd nihil homo justus præcipuè cogitare debeat in his rebus, nisi ut justum bellum suscipiat, cui bellare fas est, non enim omnibus fas est. Cùm autem justum bellum susceperit, utrum apertâ pugnâ, utrum insidiis vindicat, nihil ad justitiam interest.*

Quæ ad justitiam belli requirantur.

Additur autem, quòd unicè ad quæstionem spectat: *Justa autem bella definiri solent, quæ ulciscuntur injurias, si qua gens, vel Civitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere, quod per injurias ablatum est, sed etiam hoc genus belli, sine dubitatione justum est, quod Deus imperat, apud quem non est iniquitas, & novit, quod cuique fieri debeat: in quo belli Ductor exercitus, vel ipse populus non tam auctor belli, quàm Minister judicandus est.*

Additur & Canone 3. ex Augustino quâ ratione Israelitæ justum bellum gesserint.

Quæstio III. An & quo sensu injuria à Proximo illata armis sit propulsanda?

Quærit *quæstione* 3.: « An injuria sociorum „sit armis propulsanda.

Sub initium quæstionis multis ac signanter exemplo Christi probat, injuriam, à Proximo illatam, armis non esse propulsandam. His relatis concludit: « patet, quod ad propulsandam inju-„riam non sunt petenda armorum auxilia: quod „autem petendum non est, illud jure præstari „non debet.

Deinde quasi se explicans addit: « è contra „multa ritè præstantur, quæ tamen jure non pe-„tuntur, bonus enim non ritè injuriæ vindictam „petit, quia malum pro malo redderet, quam ta-„men Judex rectè infligeret, nec nisi bonum pro „malo redderet.

In hujus probationem adfert Canone 1. verba S. Augustini, sed admixtis nonnullis ex Glossa ordinaria, ut notant Correctores Romani: sententia autem Augustini est, quòd discipulorum Christi non sit, malum pro malo reddere, *non quia vitiosum est* (ait) *ut recipiat unusquisque quod fecerit, alioquin lex nequaquam id constitueret: sed quia ulciscendi libido vitiosa est, magisque ad Judicem pertinet, inter alios hoc decernere, quàm bonum hominem sibi expetere.*

Quid intersit inter hominem se vindicantem & Judicem punientem.

Ita legitur apud Augustinum enarratione in *Psalm.* 108. *num.* 4. & *num.* 7. ostendit, quantum intersit inter exoptantem vindictam pro injuria sibi illata, & Judicem punientem iniqua « il-„le quippe (ait) reddit malum pro malo, iste „autem, etiam cùm vindicat, non reddit malum „pro malo, quoniam justum reddit injusto, quod „autem justum est, bonum est, punit ergo non „delectatione alienæ miseriæ, quod est malum „pro malo, sed delectatione justitiæ, quod est bo-„num pro malo. Licet verba Augustini à Gratiano non referantur, sententia tamen refertur.

Quibus ex causis justè peti possit auxilium ad propulsandam injuriam.

Addit autem ipse Gratianus, quòd interdum homo justus possit postulare auxilium ad propulsandam injuriam, non ad *propriam vindictam*, sed ut malis facultas delinquendi adimatur, ut Ecclesia pacem adipiscatur, ut aliquis multorum utilitati servetur.

Probat id auctoritate S. Augustini Canone qui in Epistola ad Bonifacium hodie 185. postquam narrasset, quòd Maximianus Bagaiensis (apud Gratianum legitur Vagiensis) Episcopus multis vulneribus lethalibus ac prope occisus esset, scribit num. 28. *auxilium ergo petivit ab Imperatore Christiano, non tam sui ulciscendi causa, quàm tuendæ Ecclesiæ sibi creditæ: quod si prætermisisset, non ejus fuisset laudanda patientia, sed negligentia meritò culpanda.*

Adjungit dein Canone 3. verba sancti Augustini Epistola ad Emeritum Donatistam, quâ Catholicos contra obtrectationes Donatistarum defendit, ostendit nihil illos contra Evangelium committere, *dum adversus illicitas & privatas* (*Donatistarum*) *violentias à potestatibus ordinatis tuitionem petunt, non qua* (ait) *vos persequantur, sed quâ se defendant.*

Discrimen inter persecutionem Catholicorum & hæreticorum.

Dein Canone 4. ex Augustino *lib* 2. *contra Epistolam Petiliani cap.* 88. ostendit, quid intersit inter persecutionem Catholicorum & hæreticorum: meritò integer Augustini textus legitur.

Intermiscet Canone 8. & 9. bina decreta apocrypha, alterum sub nomine Anastasii & Damasi Papæ, alterum ex Epistola 2. Calixti.

Oppressis quilibet quantum in se est, subvenire debet.

Ostendit denique, oppressis esse subveniendum, atque unumquemque teneri, quantum in se est, injuriam à Proximo avertere, adducto Canone 10. decreto Concilii Carthaginensis quinti, quo resolutum fuit *ab imperatoribus postulandum esse, propter afflictionem pauperum, ut defensores eis adversus potentias divitum cum Episcoporum provisione delegentur.*

Quæst.

Quæst. 4.

Quæstio quarta, ex casu deducta erat: an vindicta sit inferenda.

Quandoque mali in Ecclesia tolerandi sunt.

Hanc in octopartes divisit Gratianus: prima parte ostendit, in Ecclesia etiam malos esse tolerandos; nec bonos malorum consortio maculari, si ipsis in crimine seu malitia non communicent.

In hujus asserti probationem plura adducit ex scriptis S. Augustini contra Donatistas, qui sustinebant, reorum consortio, culpam & reatum incurri, atque inde concludebant Ecclesiam Catholicam in sola Donati parte integram remansisse cæterum in aliis terrarum partibus periisse; quasi *contagionis communione extinctam*, nimirum propter ordinationem Ceciliani, cum quo aliæ Ecclesiæ communicaverant, prout latius exponunt PP. Benedictini in præfatione ad tomum 9. operum S. Augustini.

Non corporali sed spirituali vindicta puniendi sunt.

Relatis igitur variis textibus S. Augustini (ad quos merito videndæ notæ Correctorum Romanorum) concludit Gratianus ad calcem Canonis 12. "Ecce quod mali tolerandi sunt, nec corporali, sed spirituali vindicta puniendi.

Post hæc Canone 14. ex Augustino *libr. 4. de Baptismo contra Donatistas capit: 12. quantus arrogantiæ tumor est, quanta humilitatis & lenitatis oblivio, arrogantia quanta jactatio, ut quis audeat, aut facere se posse credat, quod nec Apostolis concessit Dominus, ut zizania à frumento putet se posse discernere.* Verba hæc esse Cypriani citata ibidem ab Augustino, monent Correctores Romani.

Discrimen quoad hoc inter legem veterem & Evangelicam.

Addita eandem in rem Canone 15. sententia S. Gregorii concludit "Ex his omnibus colligitur, „quod malorum vindicta Deo reservanda est, nec „sunt corporaliter puniendi, sed crebra admoni„tione, & charitatis beneficio ad correctionem „invitandi.

Hinc eodem loco pluribus ostendit, lege Evangelica inimicos esse diligendos. Deinde, quod „in lege veteri corporalis pœna statuta sit, in le„ge vero Evangelii, omni peccanti per pœniten„tiam promittatur venia: unde illa (ait) à ter„rore incœpit dicens: *Ego sum Dominus Deus „zelotes, visitans peccata Patrum in filios usque „in tertiam & quartam generationem.* Hæc ve„ro à lenitate mansuetudinis & misericordiæ, ita „inquiens: *Beati pauperes Spiritu, Beati mi„tes, Beati misericordes, quoniam ipsi misericor„diam consequentur.*

Pluribus in probationem hujus distinctionis legis veteris ab Evangelica adductis, tandem subjicit: "Et ut univeraliter dicatur, in lege popu„lus ille rudis servili timere pœnarum tenebatur, „unde & legem in pædagogum accepit. In E„vangelio autem populus gratiæ, liber & adultus, „*filiali* amore & hæreditatis certitudine, ad cul„tum divinæ servitutis invitatur.

Quandonam mali in Ecclesia tolerandi sint & quandonam puniendi.

Verum, ne quis hinc argueret, in nullos malos in Ecclesia esse corporalibus pænis adverten dum, monet ad calcem Canonis 16. quod sint quædam mala: „quæ salubri duntaxat monitio„ne sunt corripienda, non corporalibus flagellis „animadvertenda, sed eorum vindicta divino ex„amini tantum est reservanda, quando in delin„quentes videlicet disciplinam exercere non pos„sumus, vel quia non sunt nostri juris, vel quia „illorum crimina etsi nobis nota sunt, tamen ma„nifestis indiciis probari non possunt.

Item ad calcem Canonis 17. „quando multi„tudo est in scelere, nec salva pace Ecclesiæ ma„li puniri possuut, tolerandi sunt potius, quàm „violata pace Ecclesiæ puniendi

Adstruit hæc Gratianus Canone 18. 19. citatis verbis sancti Augustini ex libro *de fide & operibus capit. 4. & 5. & libr. 3.* contra Epistolam Parmeniani cap. 2. quibus locis luculenter ostendit Augustinus contra Donatistas, quandonam mali in Ecclesia sint ex mansuetudine & amore unitatis tolerandi, quando ex zelo justitiæ in eos disciplina severior exercenda.

Neque prædestinatione ad vitam neque præscientia ad mortem redditur correptio malorum inutilis.

Parte tertia subnexa Canoni 19. incipit ostendere, quod correptio vel verberum vel verborum non sit inutilis bonis aut malis, licet *prædestinati ad vitam sine correptione mutentur, sicut Petrus & præsciti ad mortem inter flagella deteriores fiant, sicut Pharao.* Ex quibus sibi objicit, quod bonis *superflua, damnandis, hæc inveniuntur esse inutilia.*

Cum hanc objectionem multis diluerit sanctus Augustinus in his, quæ adversus Semipelagianos, sive Massilienses scripsit, Gratianus ex his nonnulla decerpsit; ac notanter Canonem 20. ex libro de *Correptione & gratia cap. 5.* ubi ostendit Augustinus; quod *sicut non est cessandum ab orando pro eis quos corrigi volumus, etiamsi nullo hominum pro Petro orante, Dominus respexit eum, & fecit eum peccatum suum flere, ita non sit negligenda correctio, licet Deus quos voluerit, etiam non correptos, faciat esse correctos: tunc autem* (inquit) *correptione proficit homo, cum miseretur atque adjuvat, qui facit quos voluerit, etiam sine correptione proficere.*

Liber de prædestinatione & gratia non est Augustini sed suspecti auctoris.

Canone 22. recitat verba desumpta ex libro *de prædestinatione & gratia* cap. 15. quem Gratianus Augustini esse credidit.

At eruditi revisores operum Augustini, librum hunc post Lovanienses, ut opus incerti ac suspecti auctoris, in appendicem tomi 10. ablegârunt ea potissimum ratione, quod, uti Bellarminus, Possevinus aliique existimârunt, in eo libro quædam reperiantur doctrinæ sancti Augustini contraria, quæ Cassiani sensus redolere videantur & signanter in verbis ex cap. 15. à Gratiano hic canone 22. relatis, ubi quæstionem tractans, cur Dei flagellis Pharao durior effectus; Nabuchodonosor vero ad pœnitentiam adductus sit, dicit eos sortitos esse fines diversos: quod unus, nempè Nabuchodonosor manum Dei sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter nimirum Pharao libero contra misericordissimam veritatem pugnavit arbitrio quasi scilicet pœnitenti bonæ voluntatis initium, Deo perfectionem tantum adsignari velit, uti hi eruditi revisores annotârunt in admonitione huic libro præfixa pag. 49. dictæ appendicis.

Prædestinatio non nocet libero arbitrio neque voluntati necessitatem infert.

Canone 23. refert sat prolixum fragmentum conflatum ex locis SS. Fulgentii, Prosperi Augustini, uti monent Correctores Romani: his autem ostenditur, prædestinationem Dei non officere libero arbitrio.

Unica causa prædestinationis est misericordia Dei.

Post hæc longum discursum subjungit Gratianus, quo ostendit, quod nec prædestinatio ullam inferat voluntati humanæ necessitatem, unicamque rationem prædestinationis ad gloriam esse Dei misericordiam, quod probat ex Augustino libro de *prædestinatione Sanctorum cap. 14.* seu etiam Prospero in responsionibus ad Genuensium excerpta, ad *excerptum* 8. ubi de Tyriis & Sidoniis uterque scribit: „ quid aliud dicere „possumus, quàm non esse eis durum ut crede„rent, quos etiam credituros fuisse ipsa veritas di„cit, si talia, qualia apud non credentes facta sunt, virtu-

„virtutum signa vidissent? Cur hoc factum non „sit, & quare apud non credentes signa facta sint, ad profunditatem judiciorum Dei referendum censet, *quod divina clementia in electis misericorditer venit ad bonum, in damnandis juste relinquit ad malum.*

Prædestinationis certitudo non tollit utilitatem correptionis.

Deinde concludit, quod, " quamvis certissimè „sciamus, neminem ultra terminum à Deo sibi „præfixum victurum, omnibus tamen languen„tibus non incongrue medemur, sic quamvis ne„mo salvetur, nisi prædestinatus ad vitam, omni „tamen delinquenti est adhibenda correptio, nec „malorum est negligenda disciplina.

Mali quandòque ad aliorum terrorem puniendi sunt.

Dein Gratianus quasi priora resumens, probat auctoritate sancti Augustini *Epist. ad Bonifacium* 185. non semper in eos, qui peccant vindictam esse exercendam: licet præcipuus scopus hujus Epistolæ sit, ostendere quod ad bonum mali subinde juste per potestatem sæcularem cogentur, justasque fuisse leges imperiales contra Donatistas promulgatas; merito integra Epistola evolvenda.

Idem ostendit Augustinus Epist. 89. ad Festum, cujus fragmentum extat Canone 25.

Ex his concludit Gratianus parte 4. subjecta Canoni 25. " quod aliquando delinquentium multitudo diu per patientiam ad pœnitentiam sit „exspectanda ut eorum exemplo cæteri terreantur „& ad pœnitentiam provocentur, prolata hanc „in rem Canone 26. auctoritate sancti Ambrosii.

Episcopus non potest quenquam ob injuriam sibi illatam excommunicare.

Notat quoque Gratianus, Episcopum non posse aliquem excommunicare ob injuriam sibi illatam: idque probat Canone 27. auctoritate sancti Gregorii *libr.* 2. *Epist.* 34. ubi ait Gregorius, *pro vindicta propria injuriæ maledictionem anathematis invehere sacris regulis prohiberi.* Meritò integer textus legitur.

Objectio ex facto Eliæ solvitur.

Huic autem objici potest (ait Gratianus ad calcem Canonis 29.) illud Ambrosii, *ad preces Heliæ descendit ignis de cœlo,* ut prophetæ vindi„caretur injuria: respondet Gratianus: quo facto „non cujus meriti apud Deum esset, voluit osten„dere, sed quod ille esset verus Deus, quem cole„bat, non ille, ad cujus culturam stupro proprii „corporis Jezabel nonnullos provocabat, eviden„tissimis indiciis monstrare curavit: injuria ergo „Prophetæ non alia, quàm injuria Domini ipsius „intelligitur: quæ in paucis vindicanda est, ut cæ„teri terreantur.

Solvitur etiam objectio desumpta ex epistola supposititia Silverii Papæ.

Post hæc adducit Canone 30. fragmentum Epistolæ Silverii Papæ ad Amatorem, cui hæc epigraphe præfixa est: *Apostolicus anathematizavit eos, qui eum ceperant, vel qui deinceps Episcoporum aliquem ceperint.*

Hanc Epistolam ut plane commentitiam rejiciunt hodie passim eruditi, & inter cæteros Labbæus in ultima Conciliorum generalium collectione *tom.* 5. *colum* 292.

At Gratianus, qui nec dubitabat de sinceritate hujus Epistolæ sub nomine Silverii Papæ citatæ, credidit hinc saltem in speciem posse concludi, Episcopo licitum esse, *injuriam sibi illatam per censuram vindicare,* & ideo respondet, quod & hic Silverius *non suam,* sed *Ecclesiæ* injuriam sit ultus, unaque ostendit exemplo Moysis & aliorum, quod peccatum populi in paucis subinde ulcisci oporteat.

Peccata multitudinis deflenda potiùs quam punienda.

Auctoritate sancti Augustini ostendit Canone 32. " quod à multitudine peccatur, vel ab eo, „qui multitudinem habet sociam ab Ecclesia non „punitur, sed defletur; nam [ait] consilia sepa„rationis plus perturbant infirmos bonos, quàm „corrigant animosos malos: merito legendus in„teger Augustini contextus *lib.* 3. *contra Epist. Parmeniani cap.* 3.

Sic peccantibus est misericordia impendenda, ut eis impunitas peccandi non tribuatur.

Cum itaque multa dixisset Gratianus de non vindicandis injuriis, & diligendis etiam inimicis, & ab altera parte de puniendis malis, tandem ad calcem Canonis 32. ut hæc omnia conciliet exponatque, ait: " Præcepta Evangelica de dile„ctione inimicorum & misericordia impenden„da proximis, exhortationes quoque Apostoli de „cibandis & potandis inimicis, non eatenus intel„ligenda sunt, ut peccandi relaxetur impunitas, „sed ut delinquenti correctio, & naturæ mini„stretur subsidium, donec per sententiam judicis „adempta spe correctionis, malorum tollatur „exercitium. In hoc ergo jubemur diligere inimi„cos & misereri eorum, ut de eorum perditione „doleamus, eorum salutem desideremus, & pro „eorum correctione quotidie laboremus, & ore„mus, pœnitentibus solatia impendamus, alter „alterius onera portantes non ut pertinaces & in „malo persistentes impunitate donemus.

Hac occasione adducit nonnulla patrum testimonia, quibus probatur, ita impendendam misericordiam, ne tribuatur peccandi impunitas; ac inter alia Canone 35. fragmentum sub nomine Augustini, quo quidem nonnulla ex variis scriptis Augustini excerpta continentur, sed integrum est apud Bedam in commentario Epistolæ ad Galatas cap. 6. ut monent Correctores Romani.

Hic docemur, homini esse miserendum peccatori irascendum, " nulli homini [ait] claudenda misericordia, nulli peccatori impunitas relaxanda.

Ecclesia utiliter implorat leges Principum contra pertinaciam hæreticorum.

Subjungit dein parte 7. quomodo Ecclesia rationabiliter persequi possit hæreticos: idque confirmat pluribus Canonibus ex scriptis S. Augustini desumptis, quibus contra Donatistas ostendit, non inutiliter leges imperiales ab Ecclesia contra pertinaciam hæreticorum implorari & impendi: easque non sine fructu, multorumque Donatistarum conversione adversus Donatistas impensas significat Epistola 93 ad Vincentium, è qua sumptus est Canon 37. & 41. merito integra legenda est.

Mala punienda non amore vindictæ, sed zelo justitiæ.

Denique ostendit parte 8. quod mala impunita relinquere nonnunquam provocet iram Dei; quod consequenter mala non tantum licite puniri queant, sed & debeant: ac tandem ad finem hujus quæstionis ita concludit; „ Ex his omnibus „colligitur, quod vindicta est inferenda, non a„more ipsius vindictæ, sed zelo justitiæ: non ut „odium exerceatur, sed ut pravitas corriga„tur.

Quæst. 5.

Quæstione quinta quærit Gratianus: „ An sit „peccatum Judici vel Ministro reos occidere. „Hanc quæstionem in septem partes dividit.

Varia adducit Gratianus, quibus videtur probari, non esse licitum reos occidere.

Prima parte adducit, septem primis Canonibus, nonnullas auctoritates; idq; præcipuè ex sancto Augustino desumptas, quibus probari videtur, malos non esse interficiendos, sed alia mitiori pœna castigandos.

In primis Canone 1. adducitur fragmentum ex Epistola Augustini 133. ad Marcellinum.

Pro intellectu autem hujus Epistolæ & Canonis, notandum occasionem scribendi hanc Epistolam fuisse: Donatistas post collationem Carthaginensem contumaces plecti voluerat Honorius Imperator, sanciveratque in eos legem 30,

Januarii

Januarii 412. quæ extat *in L. 52. Cod. Theod. de hæreticis.* porro hujus legis promulgatione (quam à Catholicis procuratam Donatistæ supponebant) in furorem ipsi acti, crudelius in Catholicos insurgere cœperunt.

Augustinus rogat Marcellinum, ut Donatistæ non occidantur, sed mitiori pœna puniantur.

Cum autem intellexit Augustinus, eorum quosdam Judicibus exhibitos, simulque de homicidio in *Restitutum Presbyterum* patrato, deque Innocentii alterius Catholici Presbyteri cæde, de oculo ipsius effosso digitoque abscisso, esse convictos, scripsit ad Marcellinum Tribunum præsentem Epistolam, enixe eum rogans, ne eis mortis pœnam infligeret.

Dicit quod potuisset quidem *ab eorum interitu dissimulare, qui non accusantibus Catholicis sed illorum notoria, ad quos tuendæ publicæ pacis vigilantia pertinebat præsentati videantur examini, nolumus tamen* [ait] *Passiones Servorum Dei, quasi vice talionis paribus suppliciis vindicari, non quo scelestis hominibus licentiam facinorum prohibeamus auferri; sed hoc magis sufficere volumus, ut vivi, & nulla corporis parte truncati, vel ab inquietudine insana ad sanitatis etiam legum coercitione dirigantur, vel à malignis operibus alicui utili operi deputentur.*

Merito legenda integra Epistola, quæ ostendit, quanta charitate & mansuetudine Augustinus in Donatistas licet in Catholicos feroces & adversus veritatem contumaces ferretur; nec aliud quam eorum intenderet salutem & correctionem.

Circumcelliones qui?

In hoc autem canone fit mentio Circumcellionum, qui erant inter Donatistas velut satellites, & qui per nundinas, villas, vicosque, & *circumcellas* (unde eis nomen *Circumcellionum*) vagantes, armis instructi, intentatum nihil relinquebant, nihil non audebant, & in Catholicos præ reliquis sæviebant & grassabantur.

Hinc Clericorum Hipponensium ad Januarium Episcopum Donatistam querela: *circumcelliones vestri novi generis & inauditæ crudelitatis persecutione in nos sæviunt. Epist. 88. inter* Epistolas Augustini.

Recte hic monent Correctores Romani pro *notariis*, in Epistola Augustini legi, *notoria*, ut supra exhibui: *notoria*, hic autem apparet pro brevi & compendiaria scriptione: occurrit & ejus mentio in *L. 6. ff. 2. ad J. C. Turpillianum* cujus ibidem notam consule.

Deprecatur iterum Augustinus, ne Donatistæ morte plectantur.

Adjungit Gratianus canone 2. fragmentum *Epist. 139.* sancti Augustini ad eundem Marcellinum, eadem occasione, eundemque in finem paulo post præcedentem datæ: *Pœna sane illorum,* ait, *quamvis in tantis sceleribus confessorum, rogo te, ut præter supplicium* MORTIS *sit, & propter conscientiam nostram, & propter catholicam mansuetudinem commendandam: ipse enim fructus ad nos pervenit confessionis illorum: quia invenit Catholica Ecclesia, ubi suam erga* ATROCISSIMOS *inimicos servet, atque exhibeat lenitatem.*

Ad idem tendit ejusdem Augustini *Epistola* 100. Donato proconsuli Africæ, cujus fragmentum extat canone 3. in qua enixe rursus rogat ne pro atrocitate criminum in Catholicos perpetratorum Donatistas puniat: *Neque enim,* ait, *vindictam de inimicis in hac terra requirimus, aut vero ad eas angustias animi nos debent coartare, quæ patimur, ut obliviscamur, quid nobis præceperit, pro cujus veritate ac nomine patimur.* Hæc in Epistola à Gratiano cum nonnullis aliis omissa sunt: de integra legenda.

Olim Episcopi intercedebant pro reis, ut eos ad pœnitentiam perducerent.

Ætate Augustini moris erat, ut Episcopi pro reis criminum apud Judices sæculares intercederent, quo eos à mortis supplicio liberatos pœnitentiæ subjicerent, & ad sinceram vitæ emendationem perducerent: illudque officii sui esse credebant Episcopi, uti ad Augustinum scribebat Macedonius, petens utrum illud ex *religione descendat:* „officium sacerdotii vestri esse dicitis, „inquit, intervenire pro reis, & nisi obtineatis, „offendi, quasi quod erat *officii vestri* minime „reportetis. Hic ergo vehementer ambigo, u„trum istud ex religione descendat.

Nequaquam ut eos à punitione eximerent.

Huic dubio respondet Augustinus *Epist.* 153. ad ipsum Macedonium in qua multis propugnat hunc interveniendi usum *ex religione descendere,* neque ullatenus repugnare auctoritati, quam Deus potestatibus sublimioribus dedit, malos puniendi, & crimina vindicandi, etiam mortis supplicio. Hujus Epistolæ fragmentum extat Canone 4. at integra Epistola legenda, è qua plene cognoscitur, intercessionum illarum scopum fuisse, ut reus à morte corporali ad tempus liberatus, securus ad beatam mortem, & ad vitam æternam transire posset. *Ita formidetur ultio cognitoris,* ait, *ut nec intercessoris religio contemnatur, quia & plectendo & ignoscendo hoc solum bene agitur, ut vita hominum* CORRIGATUR.

Falsum consequens ex dictis Augustini malè deductum.

Ad calcem canonis 7. (qui est incertæ fidei: uti & canon 5.) concludens Gratianus ait: „Hinc apparet, quod mali flagellis sint coercen„di, non membrorum truncatione vel tempora„li morte plectendi.

Verum id nullatenus locis relatis voluit Augustinus, sed duntaxat mansuetudinem Ecclesiæ erga reos criminum ostendit.

Præcepto non occides, non prohibetur occisio facta auctoritate publica, sed duntaxat privata.

Illud verius est, quod ad finem conclusionis dicit Gratianus, quod illo præcepto *non occides,* „prohibeatur quisque sua auctoritate in necem „alicujus armari, non legis imperio reos morti „tradere. Qui enim publica potestate functus, „ipsius legis imperio malos perimit, nec illius „præcepti transgressor, nec à cœlesti patria alienus „habetur.

Sententia Augustini & Ambrosii est nequidem ad vitam servandam licitum esse hominem occidere.

Hanc in rem profert Gratianus fragmentum *Epistolæ* 47. sancti Augustini ad Publicolam, in qua scribit: *De occidendis hominibus ne ab eis quisquam occidatur, non mihi placet consilium nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, vel pro civitate, ubi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si ejus congruit personæ.*

Hic aperte supponit Augustinus, licite occidi hominem à milite, scilicet in bello justo, & ab illo, qui publica functione tenetur.

Præterea sat aperte indicare videtur Aug. de occidendis hominibus non sibi placere consilium, dum quis pro se, hoc est pro re privata, id facit. Sensum suum clarius exposuerat *lib. 2. de libero arbitrio cap. 5.* ubi *num.* 13. comprobavit sententiam Evodii, eos videlicet apud divinam providentiam haudquaquam à peccato esse liberos, qui pro eis rebus, quas contemni oportet, humana *cæde* polluti sunt. Dixerat ante Augustinum ejus Magister sanctus Ambrosius *lib. 3. de officiis cap.* 4. non videtur, „quod vir Christianus & „justus & sapiens quærere sibi *vitam* aliena mor„te debeat: ut qui etiamsi in latronem armatum „incidat, ferientem referire non possit: ne dum „salutem defendi, pietatem contemnat. Quam procul hi patres erant à nefariis illis quorumdam Casuista-

Quantominus id licitum est pro

defensione honoris bonorum temporalium &c.

Casuistarum opinionibus, qui ob defensionem honoris aut bonorum temporalium etiam sat exiguæ quantitatis, hominem interficere, licitum dicere non exhorruerunt.

Nemini fas est se ipsum occidere.

Parte tertiâ hujus quæstionis multis probat Gratianus, nemini fas esse seipsum occidere: meritò hanc in rem legendum prolixum fragmentum relatum hic Canone 9. ex Sancto Augustino.

Sui idæ privantur sepultura Ecclesiastica.

Addit Gratianus ex Concilio Bracarensi Canone 12. "Placuit, ut qui sibi ipsis voluntariè „quolibet modo violentam inferunt mortem, „nulla prorsus pro illis in oblatione commemo„ratio fiat: neque cum psalmis ad sepulturam, „eorum cadavera deducantur.

Potestatis publicæ utilitas.

Parte quartâ adducit nonnulla, præsertim ex supra citata Epistola S. Augustini ad Macedonium, quibus probet, rectè institutam Regiam potestatem ad puniendos malos, atque per hanc potestatem nonnunquam terrore exequendum, quod Prælati Ecclesiæ per disciplinam Ecclesiasticam perficere non valent. Principes *Sæculi* (ait Canone 20. ex S. Isidoro) *nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adepta culmina tenent ut per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant. Cæterùm intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi, quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc impleat per disciplinæ terrorem.*

Potestatibus sæcularibus reverentia exhibenda est.

Quintâ parte dicit, "Ipsis Principibus & po„testatibus fidem & reverentiam servari oporte„re, quam qui non exhibuerit, apud Deum præ„mia invenire non poterit.

Sed id non probant relata Gratiano.

Etsi hoc Gratiani assertum verissimum sit, auctoritates tamen, quas ad id Canone 24. & 25. adfert, hoc nequaquam probare legenti facilè patescet, si advertat, priore Canone tantùm agi de obedientia, quam servi debent dominis suis carnalibus: posteriore verò de hoc à subditis exhibenda potestatibus sublimioribus obedientia non agatur, sed de mercede militantibus debita.

Sæculares potestates defendere Ecclesiam, protegere pupillos ac viduas &c.

Interim sicut reverentia debetur potestatibus, „ita sæcularium dignitatum administratoribus, „defendendarum Ecclesiarum necessitas incum„bit. Quod si facere contempserint, à commu„nione sunt repellendi, uti concludit Gratianus „parte sextâ.

Profert in hujus probationem Canone 26. decretum sub nomine Joannis VIII. sed quo loco extet non significat. Est autem Canon 13. Concilii Ravennatensis Anno 877. Joanne VIII. præside celebrati.

In Decreto asseritur, administratores sæcularium dignitatum ad Ecclesiarum tuitionem, pupillorum ac viduarum protectionem esse debere.

Ulterius horum officium esse, ut *eorum quarimonias attentiùs audiant, & secundùm quod necessitas expetierit, absque negligentia examinent, & diligenti studio corrigant, quoties ab Episcopis & viris Ecclesiasticis conventi fuerint.*

Denique additur: *quod si Dei timorem præ oculis non habentes, negligere post secundam & tertiam admonitionem inventi fuerint, omni se noverint communione usque ad condignam satisfactionem privatos.*

Non tamen potest judex Ecclesiasticus eo prætextu

Ex hoc similibusque fragmentis perperam creditum fuit à nonnullis Canonistis Ecclesiastico Judici fas esse, præcipere Judici sæculari administrare Justitiam, & in casum denegatæ Justitiæ, posse Judices Ecclesiasticos de causa judicare: quin & hic notat Glossographus, videri, "quod „ipso Jure sit excommunicatus Princeps, qui non „facit Justitiam Clerico.

quod officio suo desinit de causa judicare.

Cæterum insulsa hæc asserta, tanquam & Canonum auctoritati ipsique rectæ rationi contraria à foro recesserunt, uti exposuimus in *Jure Eccl. part. 3.*

Non potest judex dici crudelis, quòd malos puniat.

Parte septimâ quæ incipit à Canone 27. multis probat Gratianus, rectè à Judice malos puniri, nec punientem Judicem posse Jure crudelem dici: *Sed crudelis ideo vocatur, quòd crudelis patientibus esse videatur. Nam latro suspensus patibulo, crudelem Judicem putat*: uti ex S. Hieronymo legitur Canone 28.

Profert Canone 33. fragmentum ex *libr.* 2. S. Augustini *cap.* 83. & 84 *contra literas Petiliani*, quo refutatur quærimonia Donatistarum de legibus Imperialibus adversus ipsos promulgatis, agnoscitque Augustinus, *ad finem quidem nullum esse cogendum* INVITUM, *sed per Severitatem, imo & per misericordiam Dei, tribulationum flagellis solet*, ait, *perfidia castigari nunquid quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur, ideo mores pessimi non legis integritate puniuntur?* Dein monet Donatistas, ut, dum adversus ipsos leges eduntur, cogitent, quare illa patiantur: *Si propter justitiam, revera illi persecutores vestri sunt*, ait, *vos autem beati, qui persecutionem passi propter justitiam possidebitis Regnum cœlorum. Si autem propter iniquitatem Schismatis vestri quid illi, nisi Correctores vestri sunt?* Idem ex eodem Doctore asseritur Canone 34. & 35.

Neque misericors, quòd vitiis parcat.

Post hæc Canone 36. 37. & 38. ex sancto Augustino probat, quòd non sit dicendus misericors, qui vitiis parcit, officiumque Judicis esse crimina punire.

Schismatici per potestatem sæcularem coercendi.

Probat dein, quòd meritò adversus sceleratos ac notanter schisma in Ecclesia foventes potestas sæcularis impendatur, eamque in rem Canone 42. 43. 44. & 45. profert aliquot Epistolas Pelagii I scriptas circa Annum 556. Narsæ Patricio, quibus ipsum exhortatur, ut schismaticos exerceat, multisque ostendere conatur, schismaticos sive ab unitate Ecclesiæ divisos per sæculares potestates coërcendos.

Pro horum intellectu, notandum, has omnes literas pertinere ad reprimendum schisma perniciosissimum, quod occasione *trium Capitulorum* exortum fuit, dum damnatio dictorum Capitulorum per *quintam* Synodum facta fuit.

De schismate, quod occasione condemnationis trium Capitulorum ortum fuit.

Cùm autem Pelagius Anno 555 Pontifex factus, quintam Synodum probâsset, major inde scissura Occidentalium Episcoporum contigit: qui exhorrebant hanc Synodum, eò quòd eam repugnare Synodo Chalcedonensi existimabant, „ut nec potuerit Pelagius (inquit Baronius ad „Annum 556) reperire Episcopos Romæ, à qui„bus consecraretur, atque opus fuerit Presbyte„rorum Ostiensem (quod nunquam antea acci„disset) loco Episcopi munus illud obire, ipso „Pelagio ita jubente.

Hæc minimè præviderat Pelagius, sensitque difficile admodum sibi futurum, Occidentales Orientalibus conciliare eosque inducere, ut quintam Synodum reciperent: "Haud tamen à cœp„tis destitit, sed per arduum opus semel aggres„gressus, ait Baronius, illud perficere manibus (ut „ajunt) pedibusque conatus nervos omnes inten„dit, ut Occidentales Episcopos, potissimum „verò *Italos* sibi in his obsequentes redderet. „Verum omnes ferme repetit retinentes,

tum

„rum verò præ cæteris refractarios illos invenit, „qui in ea Italiæ erant Regione, quæ hactenus „Francis subdita fuit, nempe *Venetos, Istrios, Ligures*, quos ad Catholicam unitatem reducere „festinans, eosdem Apostolicis literis vocavit, & „provocavit aliorum exemplis. At cùm penitus „resilirent, per Narsetem eos compescere atque „coërcere putavit; Narses verò quòd pius ad„modum esset, veritus est, adversus Episcopos „aliquid agere, cùm ad eum ita trepidantem Pe„lagius hæc tunc scripsit.

Itaque tunc omnia, quæ in citatis Canonibus ex Epistolis Pelagii Papæ adducuntur, diriguntur adversus defensores trium capitulorum, qui ob quæstionem meri facti ab Ecclesiæ unitate sese separabant, & quintam Synodum hæc capitula damnantem recipere nolebant.

Hæc enim erat sola quæstio, utrum scripta Theodoreti, Theodori Mopsuesteni, & notanter Ibæ Epistola revera continerent errores, quos quidam illis contineri contendebant; porro Synodus Chalcedonensis, etiam ipsam Ibæ Epistolam non obscurè ab errore declaraverat immunem, idque mordicùs tenebant Episcopi Occidentales, & præcipuè Episcopi Istriæ. Cùm verò quinta Synodus hæc tria capitula, ac notanter ipsam Epistolam Ibæ ut erroribus infectam damnasset, hanc Synodum quintam ut legitimam & œcumenicam admittere noluerunt, utpotè quam sustinebant in hoc contrariam Synodo Chalcedonensi; imò tandem se à communione eorum, qui Synodum V. ut legitimam recipiebant & sic juxta illos videbantur rejicere Synodum Chalcedonensem, subtraxerunt. Hi sunt, adversus quos literæ Pelagii primi ad Narsem Patricium diriguntur, & quos tanquam schismaticos exagitat & per Narsem Patricium ad Ecclesiæ unitatem reduci postulabat. Porro Pelagius, ut hos Episcopos ad unitatem Ecclesiæ reduceret, totus in eo est, quod tametsi supponeretur, Synodum Chalcedonensem hæc tria capitula ac notanter Epistolam Ibæ eorumque auctores orthodoxos declarâsse, nihil tamen quinta Synodus ea reprobando egisset contra definitionem fidei aut dogmatum in Concilio Chalcedonensi definitorum, sed duntaxat revidisset acta Concilii Chalcedonensis in causa illorum Episcoporum, eorumque scriptorum, de quibus quæstio, in quibus nullatenus de fide agebatur: unde & ipse Pelagius expressè protestatur in Epistola Viatori & Pancratio inscripta, *si enim etiam ipsi* (scilicet schismatici) LICET IN SUO SENSU ABUNDANTES *intra materna tamen viscera positi, quærerent veritatem, à nobis repellendi non erant, donec apud eos ratione duce rei veritas claruisset, tom. 5. Concil. General. colum.* 806.

Quod & ipsi Pontifices Pelagius I. & II. nec non Sanctus Gregorius agnoverunt.

Idipsum urget Pelagius II. hujus immediatus successor è pluribus adstruit, præcipuè in Epistola tertia ad Episcopos Istriæ, in qua scribit inter alia *tom.* 5. *Concil. General. colum.* 631. " & „subjicitur: *Quidquid enim præter speciales cau„sas synodalium Conciliorum ad examen Episco„pale defertur, potest aliquem dijudicandi habere „rationem*: apertè nobis licentia tribuitur, ut, „quidquid illic extra fidei causas de personis ge„stum est, retractetur. Specialis quippe synoda„lium Conciliorum causa est fides. Quidquid „ergo præter fidem agitur, Leone docente, osten„ditur, quia nihil obstat, si ad judicium revoce„tur. Et speciatim de Epistola Ibæ, quæ præ aliis „duobus notabiliorem difficultatem fecerat, ait, „quamvis quia approbata sit, aut difficulter, aut „nullatenus demonstretur, licenter tamen unus„quisque eam reprehenderet; etiamsi Episcopi „in eodem Concilio residentes suis illam subscri„ptionibus approbâssent, quia postquam, Beato „Leone scribente, jus retractandi & dijudicandi „conceditur, etiamsi qua esse poterat eorum, „qui interfuerant, in privatis negotiis auctoritas „vacuatur.

Ex his proinde evidens est Pelagium sustinuisse quòd, licèt hæ duæ Synodi essent sibi contrariæ, hæc contrarietas nihil fidei per Synodum Chalcedonensem expositæ detraheret; idque & S. Gregorius Pelagii II. successor contra eos Episcopos Istriæ schismaticos acriter ursit, illis libertatem circa hanc quæstionem meri facti relinquens, dummodo schisma non facerent.

An interfectores excommunicatorum sint rei homicidii.

Profert & Gratianus Canone 47. fragmentum Epistolæ sub nomine Urbani II. *Godefredo Lucano Episcopo*, quo scribit interfectoribus excommunicatorum modum congruæ satisfactionis jungendum, *qua divinæ simplicitatis oculos adversus se complacere valeant, si fortè quid duplicitatis pro humana fragilitate in eodem flagitio incurrerint: non enim, ait, eos homicidas arbitramur, quos adversus excommunicatos zelo Catholicæ Matris ardentes, aliquos eorum trucidâsse contigerit.*

Petrus de Marca Canonem intelligit de solis excommunicatis ob violatas treugas.

Credit Petrus de Marca *lib.* 4. *de concord. sacerd. & imp. cap.* 14. *num.* 3. hoc decretum intelligi de solis excommunicatis ob violatas inducias seu treugas, quæ sæculo x & xi. adversus privata bella tunc usitata fieri solebant.

Credit præterea de Marca, hac interpretatione, levari posse invidiam, quæ ob textum hunc male intellectum creari solet adversus summos Pontifices.

At illa explicatio, neque contextui Canonis, neque menti Gratiani videtur congruere.

Utrum restrictio hæc contextui congruat, & an decretum hoc revera sit Urbani II. nescio. Inprimis hactenus inter Epistolas hujus Pontificis, hanc non reperi: extat tamen præsens fragmentum apud Ivonem *part* 10. *cap.* 54. sed paulò aliter, quàm apud Gratianum. Circa restrictionem per de Marca factam, nulla in Canone, vel vestium occurrit, sed nec Gratianus hunc Canonem cum illa restrictione intellexisse videtur, ut innuit conclusio ejus subjecta Canoni 48. nam ibi recolligens eos, qui occiendo non contraveniunt præcepto, *non occides*, inter alia dicit: " Si „illi, qui zelo Catholicæ Matris accensi excom„municatos interficiunt, homicidæ non judican„tur. Patet, quod malos non solùm flagellari, „sed etiam interfici licet.

Quidquid sit de auctore hujus decreti, certum nihilominus est hoc decretum ita expressum, meritò reputari ut admodum perniciosum, & planè alienum à mansuetudine Christiana, quam Christus suis Discipulis, ac præsertim Ecclesiæ Ministris tantopere commendavit.

Deus peccata punit quandoque per scientes, quandoque per nescientes

Quæstionem absolvens Gratianus, multis ostendit ad calcem Canonis ultimi, quòd Deus aliquando excitet populos aut Principes ad puniendos homines.

Et quidam sæpius per *nescientes* ipse Deus punit, quos vult, eisque utitur tanquam instrumentis licèt hoc nesciant. " Tales autem in eo, quod „puniunt, ait, Deo servire dicuntur, in eo, quod „ignorantes se esse Ministros iræ Dei, impia va„nitate superbiunt, mercedem suæ servitutis à „Deo nonnisi temporalem inveniunt, pœnam ve„rò suæ superbiæ non effugiunt.

Interdum autem per *scientes* punit Deus, sive Dei instinctu quidam aguntur ad puniendū peccata aliorum, uti populus Israeliticus excitatus fuit ad delendas gentes Amorrhæorum &c. quando autem ita divino instinctu excitantur, tunc sine culpa noxius sanguis effunditur, ait ibidem Gratianus. Ejus integer discursus utiliter legetur.

Quæst. 6. Mali ab Ecclesia cogi possunt ad bonum.

Quæstione Sexta, ostendit Gratianus, malos per Ecclesiam cogi posse ad bonum, idque potissimum auctoritate sancti Augustini Epistolæ 185. ad Bonifacium, in qua Augustinus, pluribus probat, nequaquam juste quæri Donatistas de legibus imperialibus, quibus cogebantur ad unitatem Ecclesiæ redire, atque inter cætera respondet donatistis schismaticis, qui *clamare consueverant liberum est credere, vel non credere: cui vim Christus intulit?* respondet Augustinus: *Ecce habent paulum Apostolum, agnoscant in eo prius Christum cogentem, & postea docentem; prius ferientem postea consolantem.*

Mirum est autem (ait) *quomodo ille, qui pœna corporis ad Evangelium coactus intravit, plus illis omnibus, qui solo verbo vocati sunt, in Evangelio laboravit, & quem major timor compulit ad charitatem, ejus perfecta charitas foras misit timorem.*

Hinc infert Augustinus, Ecclesiam etiam posse oves suas aberrantes cogendo revocare à schismate ad unitatem: Fatetur quidem *num. 21. melius esse ad Deum colendum doctrina homines duci, quam pœna timore vel dolore compelli. Sed non quia isti meliores,* sunt inquit, *ideo illi, qui tales non sunt, negligendi sunt: multis enim profuit (quod experimentis probavimus & probamus) prius timore vel dolore cogi, ut postea possent doceri aut quod jam verbis didicerant, opere sectari.*

Deus variis modis errantes ducit ad fidem.

Canone 2. ex eodem doctore ait, Deum variis modis corripientes errando ducere ad fidem, etiam *per potestatum temporalium leges.*

Sententia Augustini fuerat, neminem posse cogi ad unitatem Christi, at postea eam mutavit.

Et Canone 3. refert fragmentum Epistolæ 93. Augustini ad Vincentium, in qua fatetur: *suam primitus fuisse sententiam, neminem ad unitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos* (ait) *haberemus, quos apertos hæreticos noveramus: sed hæc mea opinio* (inquit) *non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis.*

Ostendit dein ibidem Augustinus quomodo multi ex Donatistis per legum severitatem paulatim ad unitatem Catholicam *veraciter & sincero* animo fuerint reducti, quod præcipuè probat *cap. 1. hujus Epistolæ.*

Hinc concludit in præsenti Canone, *non esse considerandum quod quisque cogitur, sed quale sit illud quo cogitur, utrum bonum an malum: non quod quisq; bonus possit esse invitus, sed timendo quod non vult pati, vel relinquit impedientem animositatem, vel ignoratam compellitur cognoscere veritatem, ut timens vel respuat falsum, de quo contendebat, vel quærat verum, quod nesciebat, & volens jam teneat, quod nolobat.*

Denique Canone 4. prolato fragmento *Epist. 26. lib. 3.* S. Gregorii, in qua scribit Januario Episcopo Calaritano, Rusticum Paganum, si tantæ fuerit pertinaciæ & obstinationis inventus, *ut ad Dominum Deum venire minime consentiat, tanto pensionis onere gravandum esse, ut ipsa exactionis suæ pœna compellatur ad restitutionem festinare.*

Notandum quod Rustici, de quibus in hac Epistola, coloni essent seu servi Ecclesiæ Calaritanæ in quos jure dominico vindicabat Episcopus: non vero agitur generaliter de diœcesanis, ita ut Episcopus instar proprietarii seu domini, non vero tanquam Episcopus contra eos ageret, uti etiam constat ex integro contextu Epistolæ quæ hodie est Epistola 26. lib. 4. concludit Gratianus ex his omnibus intelligi *quod mali cogendi sint ad bonū.*

Contra jam dicta objicitur, quod inutiliter fiat id, ad quod quis cogitur.

Post hæc format objectionem, „ quod nemo „ sit cogendus ad id, ad quod inutiliter cogitur, „ ad bonum autem quisque inutiliter cogatur, „ cum Deus aspernetur coacta servitia

Ut autem hæc objectio magis stringat, plura adfert testimonia è sacro textu, quibus probatur, opus, ut sit Deo gratum, debere esse *voluntarium, non coactum.* Deinde quod, „ etsi in vete„ ri Testamento timore pœnæ homines cogebantur ad bonū, tamen in novo testamento sola libertate & dilectione justitiæ sunt invitandi ad fidem.

Addit post hæc illud ex prima Epistola Joannis: *timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem* " qui autem cogitur „ (ait) timore illo ducitur, qui non est in charita„ te, qui manus comprimit, non animum mutat, „ quo pœna timetur, non bonum diligitur. Por„ ro sine dilectione boni nullus Deo placere, vel „ in numero bonorum connumerari poterit.

Respondetur præfatæ objectioni, scilicet id, quod initio fiebat timore pœnæ, postea fieri amore justitiæ.

His autem respondet tandem Gratianus: " Si „ bonum ad quod mali coguntur, semper inviti „ tolerarent, & nunquam voluntarii servirent, in„ utiliter cogerentur ad illud, Sed quia humanæ „ naturæ est, & ea, quæ in desuetudinem ducun„ tur abhorrere, & consueta magna custodia di„ ligere, flagellis tribulationum mali sunt cohi„ bendi à malo & provocandi ad bonum: ut dum „ timore pœnæ malum in desuetudinem ducitur, „ abhorreatur: bonum vero ex consuetudine dul„ cescat. Unde Augustinus in Psalm. 127. cum „ per timorem gehennæ continet se homo à pec„ cato, fit consuetudo justitiæ, & incipit quod „ durum erat amari: & incipit excludi timor à „ charitate, & succedit timor castus, de quo hic „ dicitur; quo timemus, ne tardet sponsus, ne „ discedat, ne eo careamus, ille utilis est, sed non „ permanet in æternum ut iste.

Monent recte hic Correctores Romani, verba à Gratiano sub nomine Augustini, non esse per omnia Augustini, sed potius convenire cum glossa ordinaria: quo ad sensum tamen conveniunt cum Augustino, cujus sunt verba *in psalm. 127 num. 7.* „ Cum per timorem continent se à pec„ cato, fit consuetudo justitiæ & incipit quod du„ rum erat amari, & dulcescit Deus: & jam in„ cipit homo propterea juste vivere, non quia „ timet pœnas, sed quia amat æternitatem. Ex„ clusus est ergo timor à charitate, sed successit „ timor castus.

Quæst. 7. Hæretici possunt auctoritate legum juste suis & Ecclesiæ rebus spoliari.

Quæstione 7. ostendit Gratianus, quod hæretici suis & Ecclesiæ rebus juste spoliari possint, quodq; Catholici eas auctoritate legum possidentes, nequaquam dicendi sint aliena possidere.

Cum de hoc quererentur Donatistæ, sæpe ipsis respondit Augustinus.

Probat hæc Gratianus auctoritate S. Augustini Can. 1. 2. & 3. in quibus refert nonnulla, quæ Augustinus scripsit contra Donatistas, clamantes quod Catholici impetrâssent leges imperiales adversus ipsos, ex cupiditate res & Ecclesias ipsorum habendi & occupandi.

Ipsis respondet Augustinus Epist. 93. ad Vincentium num. 50. in primis ostendens, quod Donatistæ falso asserant, res & Ecclesias esse suas, postquam juste ipsis per leges imperiales sunt ablatæ. Dein addit; *sed tamen quisquis ex occasione hujus legis, quam Reges terræ Christo servientes, ad emendandam vestram impietatem promulgaverunt, res proprias vestras cupide appetit, displicet*

plicet nobis. Idipsum asserit de omni eo, qui ipsorum Basilicas, vel eorum pauperum res per avaritiam tenet.

Refellitur calumnia Donatistarum adversus Catholicos.

Idem probat Gratianus Canone 2. desumpto ex Augustino *lib 2. contra literas Petiliani, & Canone 3. ex Epistola ejusdem* 185. ad Bonifacium, ubi multis probat Augustinus, calumniam esse Donatistarum, objicientium Catholicis, quod eos in suam communionem violento legum imperio coarctari velint, ut res ipsorum auferrent *utinam* (ait Augustinus) *Catholici fiant, & non solum quæ dicunt sua, sed etiam* NOSTRA *in pace nobiscum & charitate possideant.*

Contra jam dicta objicitur, quod inutiliter fiat id, ad quod quis cogitur.

Quin & ostendit, hæc inter se esse contraria, eos ad communionem compellere, & eorum res desiderare: *Quis avarus quærit compossessorem; quis dominandi cupiditate inflammatus, vel fastu dominationis elatus desiderat habere consortem?* ait Augustinus.

Provocat & ad Donatistas, qui ad Catholicam communionem redierunt, ut intelligant: *quemadmodum sua teneant, non solum quæ habebant, sed etiam* (ait) *nostra quæ non habebant.*

Concludit dein Augustinus, *quidquid ergo nomine Ecclesiarum partis Donati possidebatur, Christiani Imperatores legibus religiosis cum ipsis Ecclesiis ad Catholicam transire jusserunt.*

Alludit hic Augustinus ad *L. 52. Cod Theod. de hæreticis* promulgatam Anno 412. quam exponit, prolatis testimoniis S Augustini ex hac Epistola, Jacobus Gothofredus.

Latissime in citata Epistola ad Bonifacium ostendit Augustinus, id unice desiderare Catholicos, ut à schismate ad unitatem Ecclesiæ Donatistæ convertantur, & cum Catholicis unum hic corpus Christi constituant, ac una salutem æternam cum ipsis consequantur, uti patet ex fragmento ejusdem Epistolæ relato in Canone 4.

Quæst. VIII Etsi mali ad bonum cogi possunt, nequaquà tamen Clerici in eum finem sua auctoritate arma arripere valent.

Cum hactenus probasset Gratianus malos per potestates sæculares posse cogi ad bonum, & hæreticos ad fidem, *quæstione* 8. probat, quod " Episcopi vel quilibet Clerici, nec sua auctoritate „nec auctoritate Romani Pontificis arma arripere „valeant.

In hujus asserti probationem reproducit in primis Gratianus Dictum Christi ad Petrum, *converte Gladium tuum in vaginam.* ac si aperte *ei diceretur* (ait) *hactenus tibi tuisque prædecessoribus inimicos Dei gladio corporali licuit persequi: deinceps in exemplum patientiæ gladium tuum, id est tibi hactenus concessum, in vaginam converte: & tantum spiritualem gladium*, quod est verbum Dei „*in mactatione veteris vitæ exercere. Omnis enim præter illum, vel auctoritatem ejus, qui legitima potestate utitur, qui* (*ut ait Apostolus*) non sine causa gladium portat, *cui etiam omnis anima subdita esse debet; omnis, inquam, qui præter auctoritatem hujusmodi gladium acceperit, gladio peribit. Item Ambrosius, arma Episcopi lacrymæ sunt & orationes. Item illud Apostoli*: nos vosmetipsos defendentes charissimi, *quamvis omnibus generaliter dicatur, specialiter tamen prælatis dictum intelligitur.*

Arma Clericorum sunt fletus, orationes, lacrymæ.

Adducit dein plures auctoritates, quibus interdicitur Clericis arma portare, atque inter alia Canone 3. hæc sub nomine Ambrosii: " dolor „fletus, orationes, lacrymæ fuerunt mihi arma „adversus milites. Talia enim munimenta sunt & „Sacerdotis.

Possunt tamen Clerici alios hortari. ut ad oppressorum defensionem arma arripiant.

Porro *parte* 2. subjecta Canoni 6. ostendit Gratianus: " hæc intelligenda esse de Sacerdoti„bus propria manu arma arripientibus, sed alios „ad arripiendum ad oppressorum defensionem „atque ad inimicorum Dei oppugnationem eis „licere hortari.

Probare id primis nititur fragmentis Epistolarum Leonis IV. Canone 7. 8. & 9 sed has Epistolas non extare monent Correctores Romani, referentes quædam ad eandem materiam pertinentia ex vetustis Pontificalibus, quæ, cujus sint auctoritatis, nescio: Ivo autem in Panormia parte 10. canone 30. citat Canonem 9. sub nomine Nicolai Papæ.

Addit plura alia testimonia usque ad canonem 18. quibus intendit probare quod " Sacer„dotes etsi propria manu arma arripere non de„beant, tamen vel his, quibus hujusmodi officia „commissa sunt, persuadere, vel quibuslibet, ut „ea arripiant, sua auctoritate valeant imperare.

Videndæ autem sunt notæ correctorum Romanorum, quibus indicantur variantes lectiones, & in quibus fragmenta à Gratiano relata à suis originalibus discrepent.

Refertur decretum Nicolai I. contra Episcopos militantes, quod videtur repugnare facto Leonis Papæ.

Post hæc per modum objectionis allegat Canone 19. partem Epistolæ Nicolai I. ad Ludovicum & Carolum Reges [de qua inscriptione videnda nota Correctorum Romanorum] in qua conqueritur, quod Episcopi, eorum jurisdictioni subjecti, ad synodum non venirent, prætextu quod cum fidelibus aliis contra piratas maritimos invigilarent, *cum militum Christi sit, Christo servire: & quid* [ait] *ad Episcopos & milites Christi, nisi ut vacent orationibus.*

Et Canone 20. refert *ex Epist. 1. lib. 7. Sancti Gregorii*, ubi scribit: *Si in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem nec Ducem, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset divisa: sed quia Deum timeo* [ait] *in morte cujuslibet hominis memiscere formido.*

Cum ergo Nicolaus improbet, Episcopos sæculari militia occupari, nec etiam contra maritimos piratas permittat eos ad pugnam accedere, videtur Gratiano, in speciem saltem contrariari Leoni Papæ, qui *adversus Saracenos Urbem egreditur, & ut eos procul à littore arceat, populum undique convocat, & suorum injurias præsentialiter vindicat*, (Alludit ad Canonem 7.) *atque cum Gregorio milites ad arma invitat.* Ità Gratianus ad calcem Canonis 20.

Hæc conciliare nititur Gratianus

Ut hæc conciliet, distinguit Gratianus Episcopos, in illos, qui levitica tantum portione contenti, de solis decimis & primitiis vivunt, & illos, qui his non contenti, & prædia & castella & civitates possident, " ex quibus (ait) Cæsari debent „tributa, nisi Imperiali benignitate immunita„tem ab hujusmodi promeruerint. Illis autem „qui solis decimis & primitiis sunt contenti nihil „est [ait] commune cum Principibus sæculi, quia „temporalia penitus abjiciunt, ne occasione eo„rum legibus imperatorum obnoxii teneantur.

At ejus conciliatio congruens non apparet.

Neque pristinæ, neque hodiernæ disciplinæ hæc conciliandi ratio conveniens apparet: si tempora, loca, personas, aliasque circumstantias attendisset & hic Gratianus, non dubium quia congruentiorem conciliandi rationem reperisset.

Circa immunitatem Ecclesiarum & Clericorum quædam in speciem contraria allegat Gratianus.

Interim Gratianus Canone 21. profert aliqua fragmenta ex Epistola Ambrosii ad Marcellinam, & ex oratione contra Auxentium in unum congesta, (ut monent Correctores Romani) ut probet Ecclesias non esse subjectas Imperatoribus & Canone 22. Decretum sub nomine Urbani

Urbani Papæ, quo probetur Ecclesiam *de suis exterioribus solvere tributa.* Sed cujus Urbani sit vel ubi habeatur non scribit.

Attamen *parte quarta*, huic Canoni subjecta, contra hoc prætensum Urbani decretum objicit, quod urgente fame in Ægipto sub Pharaone sacerdotes liberi fuerint, *Domino ex tunc pronuntiante* [inquit] *Sacerdotes in omni gente liberos esse oportere.*

Hic subjungit Gratianus, quæ tum in legibus Imperatorum, tum in Conciliis præsertim *Saeculo* 8. & 9. pro immunitate Clericorum indulta & sancita fuêre; ac præ reliquis notandus Canon 25. ex Concilio Wormatiensi, quo sancitum est, *ut unicuique Ecclesiæ* UNUS *mansus integer* absque ullo servitio attribuatur; de quo vide notata in *Jure Eccl. part.* 2. *Tit.* 35, *cap.* 2.

Illa conciliare conatur, sed non conformiter canones.

Gratianus conciliationis causa notat ad calcem Canonis 25, quod „Ecclesia de his, que imperiali beneficio, vel à quibuslibet pro benefi io „sepulturæ possidet, nullus juri, nisi Episcopi, „teneatur adstricta: de his vero, quæ à quibuslibet emerit, vel vivorum donationibus acceperit, Principibus consueta debet obsequia, ut & „annua eis persolvat tributa, & convocato exercitu cum eis proficiscatur ad castra. Conciliandi rursùs similis ratio in Canonibus difficulter invenietur.

Juxta Gratianum Episcopi non possunt ad castra proficisci sine consensu Romani Pontificis

Interim Gratianus pro limitatione ultimæ partis adducit hanc clausulam: *quod tamen hoc ipsum non sine consensu Romani Pontificis fieri debet.*

In probationem hujus clausulæ limitativæ adducit fragmentum cujusdam Epistolæ sub nomine *Gelasii Papæ E pidio Episcopo.* Item Canonem 11. Antiochenum & octavum Sardicensem, in quibus tamen Canonibus nulla de Romani Pontificis, sed tantum de Metropolitani licentia ab Episcopis obtinenda decernitur, cum ad comitatum pergere volunt.

At in Canonibus, quos citat in probationem illius clausulæ, tantùm fit mentio Metropolitani.

Concludit autem Gratianus ad calcem Canonis 28. quod „Prælatis Ecclesiæ liceat ab Imperatoribus, vel quibuslibet ducibus defensionem „fidelibus postulare, & etiam quoslibet ad sui „defensionem contra adversarios sanctæ fidei viriliter adhortari: atque ad vim infidelium pro„cul arcendam quosque excitare; effusionem „vero sanguinis nulli Episcoporum sua vel Impe„ratorum auctoritate imperare licet.

Probibetur Sacerdotibus, ne sint Judices in causa sanguinis.

Pro tertio & finali membro suæ conclusionis, adducit Canone 29. decretum Concilii Toletani IV. quo decernitur; *Sacerdotibus seu Episcopis, ne consentiant Regibus fieri Judices, nisi ubi jurejurando supplicii indulgentia promittitur, non ubi discriminis sententia præparatur: quia* (ait) *à Christo ad ministerium salutis electi sunt.* Sacerdos, qui decreto contravenerit, declaratur quod *sit reus effusi sanguinis apud Christum, & apud Ecclesiam perdat proprium gradum.*

Affert & Canone 30. decretum Concilii Toletani XI. quo statuitur, quod *his à quibus Domini Sacramenta tractanda sunt, judicium sanguinis agitare non liceat.*

Idque sub pœna depositionis & perpetui carceris.

Decernitur ulterius, quod, si quis hæc præsumpserit, *aut quod morte plectendum est sententia propria judicare præsumat, aut truncationes quibuslibet personis per se inferat, aut inferendas præcipitat, concessi ordinis honore privetur, & loco; sub perpetuo quoque damnationis tueatur ergastulo.*

Addit autem Concilium hanc moderationem: *cui tamen communio exeunti ex hac vita, non est neganda propter Domini misericordiam, qui non vult peccatoris mortem, sed ut convertatur & vivat.*

Subjicit dein Canone 31. Pseudo Decretum sub nomine Eutychiani Papæ, de quo vide supra notata.

¶Interim ex citatis Canonibus patet, quam enixe voluerint Patres, ab effusione sanguinis humani alienos esse sacerdotes, de quo vide dicta in *Jure Eccl. part.* 2. *tit.* 10. *cap.* 4. ubi de irregularitate ex defectu lenitatis profluente agitur.

Pœna incendiariorum.

Post hæc parte *sexta* agit Gratianus contra incendiarios, prolato decreto Concilii Lateranensis sub Innocentio II. quo decernitur pœna excommunicationis contra incendiarios ex proposito sive ex odio, & vindicta, & mortuis negatur Ecclesiastica sepultura. Statuitque insuper, *ut non absolvatur, nisi prius damno, cui intulit, secundum facultatem suam, resarcito, juret se ulterius ignem non appositurum. Pœnitentia autem ei detur, ut Herosolymis, aut in Hispania in servitio Dei per annum integrum permaneat.*

Quale fuerit iter Hispanicum ipsis loco pœnitentiæ impositum.

Recte hic notat Stephanus Baluzius, quod Hispanicum illud iter non esset simplex peregrinatio religionis ergo, sed ad pugnandum adversus Saracenos, qui tum Hispaniæ incubabant; ad versus quos propterea institutum erat bellum sacrum quod innuitur his verbis Canonis: *in servitio Dei.* Legitur in fine Canonis: *sane Regibus & Principibus faciendæ justitiæ facultatem, consultis Episcopis & Archiepiscopis non negamus.* Hæc clausula restringere videtur auctoritatem supremorum principum &c. notandum autem has voces: *consultis Episcopis & Archiepiscopis*, omitti in Canone 15. Concilii Rhemensis Anno 1148 præside Eugenio III. ubi iste Canon renovatur.

Quis dicendus homicida.

Additur Canone 33. sub nomine sancti Augustini quidem, ait ex variis fragmentis diversorum auctorum conflato, (ut notant Correctores Romani) esse velut homicidam judicandum, qui sine publica aliqua administratione, quemcunque criminosum interfecerit aut truncaverit, vel membris debilitaverit, *& tanto acrius* [ait] *quanto non sibi à Deo concessam potestatem abusive usurpare non timuit.*

Quis ex pluribus concurrentibus dicendus sit homicidii reus.

Denique *parte septima* Gratianus agit de homicidio commisso pluribus concurrentibus & præsentibus, quis eorum homicidii reus censeatur: atque profert unicum Canonem sub nomine concilii *apud Vermerias* juxta Pithæos habito *Anno* 752. *in Gallia*, in Concilio Vermeriensi eo anno celebrato, nec præsens Canon, nec quidquam ei simile reperitur, neque in ullo, quod extat, apud Vermerias habito Concilio hoc decretum hactenus reperi.

CAUSA XXIV.

Casus in hac causa propositus.

CUM *causa vigesima tertia* tractâsset Gratianus de hæreticis, *causa vigesima quarta* eandem materiam prosequens, casum hunc proponit. „ Quidam Episcopus in hæresim lapsus, ali„quot de Sacerdotibus suis officio privavit, & „sententia excommunicationis notavit, post „mortem de hæresi accusatus damnatur, & sequa„ces ejus cum omni familia sua.

Quæst. 1. *Hæreticus alium excommunicare aut officio privare non potest.*

Ex hoc casu elicit tres quæstiones, quarum „prima quærit: An lapsus in hæresim possit „aliquos officio privare, atque sententia notare?

Id non posse facile probatur, ait Gratianus: „ Omnis enim hæreticus, aut jam „damnatam hæresim sequitur, aut no„vam confingit: qui vero jam damnatam hæresim

„hæresim sequitur, ejus damnationis se participem facit.

Ultimam asserti sui partem probat Gratianus aliquot fragmentis desumptis ex literis Gelasii Papæ, notanter Epistola 13. ad Episcopos Dardaniæ, quibus scribit, Acacium Constantinopolitanum Episcopum hæreticis pertinaciter adhæsisse, & à Sede Apostolica recessisse, & consequenter novâ condemnatione opus non esse, eo quòd damnatæ hæresi adhærens, in damnationem jam factam ipso jure incidat, & ab Ecclesia hâc suâ adhæsione recedat. De quo schismate Acacii videri potest *dissertatio* 19. sæculi quinti Natalis Alexandri. Item Nicole vir doctissimus in præstantissimo Tractatu *de unitate Ecclesiæ contra Ministrum Jurium lib. 2. cap.* 10.

Quòd autem excommunicatus alium excommunicare non possit, probat ulterius Gratianus Canone 4. prolato testimonio Alexandri II. scribentis Valeriano Episcopo; sed hæc Epistola non extat, refertúrque hoc fragmentum à Labbæo *tom. 9. Concil. col.* 1552. inter fragmenta Epistolarum, quarum auctoritas non aliunde probatur, nisi quòd apud varios Collectores sub nomine hujus Pontificis prostent. Canoni verò subjungit Gratianus longum discursum, quo pluribus probare contendit, lapsis in hæresim, sive etiam schismaticis, non competere potestatem ligandi vel absolvendi: "quia hæc potestas veris, „non falsis Sacerdotibus à Domino tradita est: „Apostolis enim dicturus: *quorum remiseritis* „*peccata* &c. præmisit: *accipite Spiritum sanctum*, ut evidenter cunctis ostenderet, eum, qui „Spiritum sanctum non habet, peccata non posse „tenere vel remittere, porrò Spiritum sanctum „nemo, nisi intra Ecclesiam accipit, quia & ipsam „unitatem per gratiam facit.

Dicta Gratiani non de quibuscunque hæreticis aut excommunicatis intelligi possunt.

Hæc aliaque hic à Gratiano asserta, indubiè intelligenda sunt de hæreticis, sive in hæresim prolapsis, qui auctoritate legitimâ ut tales publicè declarati & ab Ecclesia abscissi sunt: quin enim occultè in hæresim prolapsi, possint auctoritate ligandi & solvendi, quamdiu ab Ecclesia tolerantur, ac ei externè manent uniti, validè uti suâ potestate nemo dubitaverit.

Ut autem probet Gratianus, hæreticos ligandi vel solvendi auctoritatem non habere, plurimas adducit auctoritates, nonnullas apocryphas, & nonnullas alienas à materia seu quæstione, quam tractandam susceperat.

Quandonam judicium Romani Pontificis censeri debet judicium Petri.

Imprimis Canone 5. profert vulgatissimam, multorumque annotationibus vexatam S. Leonis sententiam ex ejus *sermone* 3. in anniversario suæ assumptionis: *Manet ergo Petri privilegium, ubicunque ex ipsius fertur æquitate judicium, nec nimia est vel severitas, vel remissio, ubi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod beatus Petrus aut solverit, ligaverit.*

Ex hoc loco jam pridem statuerunt Hincmarus Rhemensis, aliique Episcopi Gallicani, ea judicia, quæ canonicâ æquitate non nituntur, nullius esse momenti: utpote quæ privilegio Petri destituta essent, cujus privilegii perpetuò debet esse indivulsa comes beati Petri sinceritas & æquitas, uti notat Petrus de Marca *lib. 4. de Conc. Sacerd. & imp. cap. 6. & 8.* ubi & plura in eam rem adducit, quibus jungatur nota Paschasii Quenelli citato sermoni Leonis subjecta.

Ecclesiæ datæ sunt claves in persona Petri.

Et ne ex verbis Leonis concluderetur, soli Petro à Christo datam esse ligandi & solvendi potestatem, subjungit Gratianus Canone 6. verba sancti Augustini ex Tractatu 50. *in Joannem numer.* 12. quibus docet, claves à Christo datas *non soli Petro*, sed *Ecclesiæ in persona Petri*: quia *Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit.* Hoc pluribus locis inculcat Augustinus.

Gratianus probat Ecclesiam Romanam à fide non deviasse, sed præcipuè ex apocryphis.

Canones deinde profert, quibus probet, in causis fidei recurrendum esse ad Romanam Ecclesiam, atque hanc ab omni hæresi hactenus fuisse immunem.

At Canones illos, è quibus id præcipuè evincere conatur Gratianus, nimirum 9. 10. 11. 13. 14. & 15. ex Epistolis apocryphis deprompsit, ut facile intelligi poterit, si fontes, quos referunt, conferantur cum illis, quæ circa supposititias pseudo-Isidori merces sæpius annotavimus.

De unitate Ecclesiæ ex Cypriano

Post hæc incipit Gratianus probare unitatem Ecclesiæ, producitque Canone 18. & 19. verba sancti Cypriani ex *Tractatu de unitate Ecclesiæ Catholicæ.*

Quædam omittuntur à Gratiano quæ habentur apud Cyprianum.

Monent Correctores Romani in nota marginali ad initium Canonis 18. omitti aliqua verba: *ædificabo Ecclesiam meam*, in Cypriano sequuntur reliqua sacri textûs verba: *Et portæ inferorum non vincent illam, & tibi dabo claves regni cælorum, quæ ligaveris super terram, erunt ligata in cœlis, & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis.*

Quin & in vulgatis editionibus & exemplaribus, etiam hæc sequuntur: *Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit*, PASCE OVES MEAS. *Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas.*

Verisimiliter textui Cypriani inserta fuerunt.

Apud Gratianum, omissis cæteris sola hæc habentur: *Super unum ædificat Ecclesiam*: creditque vir eruditus Nicolaus Rigaltius, integram hanc periodum esse recentiori manu textui Cypriani adjectam, eamque minimè convenire proposito sancti Cypriani, qui unicè in hoc tractatu intendit ostendere Ecclesiæ Catholicæ unitatem.

Fundamentum unitatis Ecclesiæ ex Cypriano.

Ut hanc unitatem demonstret Cyprianus, notat: "quòd, quamvis Apostolis omnibus post re- „surrectionem suam parem potestatem tribuat „& dicat, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos,* „*accipite Spiritum Sanctum*; tamen ut unita- „tem monstraret, unitatis ejusdem originem ab „uno incipientem suâ auctoritate disposuit. Hoc „erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit & „Petrus, pari consortio præditi, & honoris & po- „testatis. Sed exordium ab unitate proficiscitur, „ut Ecclesia una monstretur.

Apud Cyprianum in vulgata editione post verba, *Sed exordium ab unitate proficiscitur*, sequitur, *primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & cathedra una monstretur, & Pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur.*

Horum rursus nihil occurrit apud Gratianum præter hæc: *Ut Ecclesia una monstretur.*

Necessitas conservandæ unitatis & fugiendi schismatis.

Hanc *Ecclesiæ* UNITATEM (ait Cyprianus) *tenere firmiter & vindicare debemus, maximè* EPISCOPI, *qui in Ecclesia præsidemus*; rationem addit: *Ut Episcopatum* UNUM *atque* INDIVISUM *probemus..... Episcopatus* UNUS *est, cujus à singu[illegible]n solidum pars tenetur.*

Docet autem Cyprianus esse quasi ramum aridum à trunco arboris rescissum, qui hanc *unitatem* scindit, & ab ea se separat, ut patet ex fragmento relato in canone 19.

Multa

Multa dein profert Gratianus, quibus unitatem Ecclesiæ, atque necessitatem ejusdem retinendæ demonstret, necnon hæreticorum consortia esse vitanda: item gravitatem & malitiam schismatis, inter quæ sunt nonnulla apocrypha, puta Canone 25. ex epistola Hieronymi ad Damasum, & Canone 32. ex epistola *Liberii Papæ ad Athanasium*, & plura mutilata uti notant Correctores Romani.

An hæreticus item schismaticus consecrare & excommunicare possit.

Profert autem bina, eaque sat extensa fragmenta Canone 33. & 34. sub nomine Pelagii Papæ, quorum primus hanc profert epigraphen: *Non consecrat, nec consecratur in schismate constitutus Episcopus.*

Posteriori autem est hoc summarium præfixum: *Unitati non communicat Schismaticis consentiens.*

Dein ex diversis litteris Nicolai I. Papæ adstruit, quòd Episcopus fidei contraria docens alium excommunicare non possit: item non habeantur excommunicati, qui ab hæreticis excommunicantur. Sed si literæ Nicolai legantur, ac attendatur textus Cælestini Papæ, quo nititur Nicolaus, apparebit, nihil hinc aliud erui posse, quàm Cælestinum Imperatori scripsisse, non habendos pro excommunicatis, quos Nestorius injustè excommunicaverat orthodoxos.

Non videtur Gratianus assecutus sensum canonum quos citat.

Quare nimis generaliter ex his auctoritatibus conclusisse videtur Gratianus ad calcem Canonis 37. "Quod ex quo aliquis contra fidem cœperit „aliquid docere, nec dejicere quemquam valet, „nec damnare.

Excommunicatus ab hæreticis ob crimina sine pœnitentia à Catholicis suscipi non debet.

Subjungit dein Canone 38. & 39. verba sancti Augustini scribentis, quod sibi displiceat, aliquos in communionem à Catholicis suscipi, qui apud Donatistas ob *crimina* aliqua fuerunt excommunicati: scribitque epistola 35. (cujus verba extant Canone 39.) Ego; *si domino placet, istum modum servo, ut quisquis apud eos* (*Donatistas*) PROPTER DISCIPLINAM DEGRADATUS, *ad Catholicam transire voluerit, in* HUMILITATE POENITENTIÆ *recipiatur, quo & ipsi eum forsitan cogerent, si apud eos manere voluisset.*

Ostendit Gratianus id non repugnare antedictis de hæreticis non habentibus potestatem excommunicandi.

Ut autem hæc conciliet Gratianus cum eo, quod dixit, penes hæreticos non esse potestatem excommunicandi, eorumque excommunicationem esse spernendam, respondet, quòd "illud „Augustini intelligatur dictum non propter sen„tentiam, cujus potestas nulla est extra Ecclesiam, „sed in detestationem criminum, quæ in hæreticis „sicut in Catholicis æquè sunt punienda.

Addit & alteram conciliandi rationem. "Po„test tamen, ait, illud Augustini de potestate bap„tizandi intelligi, non ligandi aut solvendi, vel „cætera Sacramenta ministrandi: baptisma nam„que sive ab hæretico, sive à Laico ministratum „fuerit dummodo in unitate Catholicæ fidei ac„cipiatur, non carebit effectu.

Alia verò Sacramenta, ut sacri corporis & sanguinis Domini, *excommunicationis, vel reconciliationis, si ab hæretico, vel Catholico non Sacerdote ministrentur, vel nullum vel lethalem habebunt effectum; unde & ab omnibus fidelibus nullatenus sunt recipienda.*

Indubiè dictum Gratiani de Sacramentis ab hæreticis collatis, cum grano salis intelligi oportet. Neque enim dubitandum, quin Sacerdos per hæresim aut schisma ab Ecclesia separatus, possit validè Sacramentum Altaris conficere & administrare; sed & illud constat, neminem scienter & citra necessitatem posse ab hæreticis aut schismaticis Sacramenta recipere.

Licitè baptismus suscipitur ab hæretico in necessitate.

Probat id Gratianus Canone 40. verbis Augustini ex *lib. 1. de baptismo contra Donatist. cap. 2.* ubi Augustinus docet, in necessitate posse licitè à Donatistis baptismum suscipi, dum copia Catholici baptizantis haberi nequit. *Si quis autem,* ait, *cùm posset in ipsa catholica accipere, per aliquam mentis perversitatem eligit in schismate baptizari, procul dubio perversus & iniquus est, & tanto perniciosius, quanto* SCIENTIUS.

Sed non communio.

Adducit & Canone 14. decretum sub nomine Julii Papæ, Ivo autem illud nonnihil extensius consignat *parte 15. cap. 117.* sub nomine Eutychiani Papæ, uti & Burchardus *lib. 19. cap. 105.* sed nec inter decreta Julio & Eutychiano à pseudo-Isidoro supposita reperitur. Pithæi monent fortè in pœnitentiali Theodori, quod & in margine à Correctoribus Romanis annotatum est.

Sed nec in hoc pœnitentiali hactenus reperi.

Modus agendæ pœnitentiæ præscriptus aliquatenus conformis est ei, qui sæculo 11. & 111. servabatur, sed verba: *Missam celebrare* multo recentiorem ætatem indicant.

Quod probat Gratianus exemplo Hermenegildi.

Denique Canone 42. refert ex *lib. 3. dial. S. Gregorii cap. 31.* exemplum sancti Hermenegildi Wisigothorum regis filii, qui mortem maluit subire, quàm de manu Episcopi Ariani sacram communionem accipere: uti latius ex S. Gregorio hodie legitur in hujus sancti Regis solemni officio die 13. Aprilis.

Quæstio II.

Quæstione secunda quærit Gratianus, *an post mortem aliquis possit excommunicari?*

Nullus post mortem potest excommunicari aut absolvi.

Resolvit autem, quòd, cum Christus duntaxat dederit Apostolis auctoritatem ligandi & solvendi super terram, de mortuis sententiam Episcopi ferre non possint.

Id probat Gratianus ex epistola S. Leonis circa cujus lectionem est magna varietas.

Hunc in finem primo adducit Canone 1. verba S. Leonis in Epistola 2. editionis Quenelli, quibus respondit Rustico Episcopo Narbonensi interroganti de his, qui animo jam deficientes pœnitentiam accipiunt, & ante communionem moriuntur. "Horum causa ait, Dei Judicio reser„vanda est, in cujus manu fuit ut talium obitus „non usque ad communionis remedium differ„retur. Nos autem quibus viventibus non com„municavimus, mortuis communicare non pos„sumus.

Ita legitur apud Gratianum, Burchardum *lib. 11. cap. 52.* Ivonem *parte 14. decreti cap. 62.* & in Pannormia *lib. 5. cap. 118.* & apud Reginonem *lib. 1. cap. 115.* legitur sine negatione: sed notat Baluzius in margine, *lege non diff.* & in notis amplioribus ad idem caput pag. 557. rursus monet, ita indubiè esse legendum. "Sic enim habent (in„quit) vulgatæ editiones epistolarum S. Leonis, & „plerique codices manuscripti.

Quas vulgatas editiones hic intelligat vir clarissimus, nescio: fallit saltem editio, quam *tom. 3. Concil. General.* exhibet Labbæus, quæ sine *negatione* legit, adjectâ tamen in margine voculâ, *non*: quin & correctissima editio à Paschasio Quenello summo labore & exactitudine ad codices manuscriptos & editos collata, sine ulla indigitata lectionis varietate legit sine negatione sicut apud Reginonem.

Equidem sententia S. Leonis & praxis Ec-

Quidquid sit de hac lectionis diversitate, hoc constat, sententiam Leonis fuisse, communicandum non esse post mortem cum his, qui in pœnitentia constituti moriuntur priusquam

Ecclesiæ Romanæ fuit, ut extra communionem mortuis post mortem non communicaretur. At hæc praxis à pluribus aliis Ecclesiis non fuit observata. Excipitur à Gratiano crimen hæresis.

quam gratiam communionis seu reconciliationis obtinuissent.

At hunc Ecclesiæ Romanæ morem ab aliis plerisque Ecclesiis servatum non fuisse, ostendit Quenellus nota 13. in hanc Epistolam: sed in illis observatum fuisse, *ut memoria talium in Ecclesiis commendetur, & oblatio pro eorum dedicata spiritibus accipiatur*, ut loquitur Synodus Toletana XI. anno 675. Canon. 12.

Et cum hic de solo puncto disciplinæ agatur, nihil obest fidei Catholicæ sinceritati & unitati Ecclesiarum diversa observantia.

Nonnulla post hæc refert Gratianus, quibus itidem ostenditur, quod propriè nemo post mortem excommunicari, aut absolvi queat, è quibus tandem ad calcem Canonis 5. concludit, "quod „viventes, non mortuos, solvere possimus vel „ligare." Mox tamen conclusionem restringit dicens, "quædam tamen esse crimina, de qui„bus etiam post mortem accusari posset quilibet „vel damnari, velut hæresis.

Exceptionem istam probat ex V. Synodo.

In probationem hujus exceptionis profert Gratianus Decretum sub nomine quintæ Synodi conflatum esse monent Correctores Romani, quibus probatur, mortuos etiam damnari & absolvi posse.

Sed non rectè ab illo intellecta fuit controversia, quæ tum agitabatur.

Scitur super hoc articulo summas fuisse contentiones, neque quæstionem hanc ad certa crimina fuisse restrictam, quemadmodum hic prætendit Gratianus, non sat perspectum habens, qua de re controversia tempore hujus quintæ Synodi fuerit.

Quæstio III. Pro peccato alicujus tota familia excommunicari non potest.

Tertiâ quæstione quærit Gratianus, "an pro „peccato alicujus tota familia sit excommuni„canda.

Sub initium quæstionis argumenta in utramque partem ex sacro textu proponit, quæ, ut conciliet, distinguit inter pœnas temporales, & pœnas spirituales, aitque: "Pro peccatis paren„tum parvulos *corporaliter* flagellari ex verbis „Evangelii apparet.... *spiritualiter* autem pec„catis parentum parvuli non tenentur, ex quo „per Sacramentum regenerationis ab originali „peccato fuerint emendati .... quia vero apud „Deum non sententia Sacerdotum, sed vita eo„rum quæritur, patet, quod non est notandus „sententiâ, quem peccati macula non inficit.... „non ergo (inquit) pro alicujus peccato tota fa„milia excommunicanda est.

Id rectè probat Gratianus ex Epistola Augustini ad Auxilium Episcopum.

Ut hanc conclusionem probet Gratianus profert Canone 1. longum fragmentum Epistolæ Augustini 250. *ad Auxilium Episcopum.* Conquestus fuerat apud Augustinum Classicianus, quod non ipse duntaxat, sed & tota ejus *domus* sive familia ab Auxilio Episcopo fuisset *anathematizata.*

Literis Classiciani perlectis non mediocriter æstuans, cogitationibus magnâ cordis tempestate fluctuantibus, Augustinus scribit Auxilio, eum rogans, *ut, si haberet de hac re sententiam certis rationibus, vel scripturarum testimoniis exploratam, ipsum quoque docere dignetur, quomodo rectè anathematizetur pro patris peccato filius, aut pro mariti uxor, aut pro domini servus, aut quisquam in domo etiam nondum natus, si eodem tempore, quo universa domus est anathemate, obligata, nascatur, nec ei possit per lavacrum regenerationis in mortis periculo subveniri.*

Neque enim hæc (pergit Augustinus) *corporalis est pœna, quâ legimus quosdam contemptores Dei cum suis omnibus, qui ejusdem impietatis participes non fuerunt, pariter interfectos. Tunc quidem ad terrorem viventium mortalia corpora perimebantur, quandoque utique moritura.* SPIRITALIS *autem pœna, qua fit, quod scriptum est;* QUÆ LIGAVERIS IN TERRA, ERUNT LIGATA ET IN COELO, *animas obligat: de quibus dictum est,* ANIMA PATRIS MEA EST, ET ANIMA FILII MEA EST: ANIMA QUÆ PECCAVERIT, IPSA MORIETUR.

Ita legitur in Epistola, at apud Gratianum omittitur negatio, diciturque *ejusdem impietatis participes fuerunt*, contra manifestum totius contextûs sensum: unde haud obscurum est, Gratianum hæc non ex originali, sed ex Ivone, apud quem idem error occurrit, desumpsisse.

Episcopo probrosum non est revocare, quod temere fecit.

Interim merito legenda integra Epistola fortiter stabiliens sententiam Gratiani, pro peccato alicujus totam familiam non esse excommunicandam: ostenditque Augustinus nec Episcopis probrosum videri debere, revocare quod subinde temere ab ipsis factum est. *Nec arbitreris* (inquit) *ideo nobis non posse subrepere injustam commotionem, quia Episcopi sumus: sed potius cogitemus, inter laqueos tentationum nos periculosissimè vivere, quia homines sumus.*

Illicita excommunicatio non lædit excommunicatum.

Ex hac igitur Augustini authoritate concludit Gratianus, quod "illicite excommunicetur „quis pro peccato *alterius*, neque aliqua ratio„ne nitantur, qui pro peccato unius in totam fa„miliam ferunt excommunicationem: addit in„super, quòd illicita excommunicatio notatum „non lædat, sed excommunicantem.

Probat hoc postremum membrum constituens quæstionis secundam partem, authoritate sancti Gregorii *Epist. 26. Lib. 2.* permittens cuidam Laurentio, ut communionem sine aliqua sumat formidine, quem Episcopus, nullis suis culpis exigentibus, communione privaverat. Notandum apud Gratianum, inscriptionem mendosam esse, nam pro his vocibus, *Mediolanensi Episcopo*, legendum est *Mediolanensi Presbytero*, prout legitur apud Gregorium: & illud notandum, quòd causa *Magni* devoluta fuisse videatur ad Sedem Apostolicam, cum Papam inter & Episcopum Mediolanensem nullus esset superior intercedens.

Sed potius excommunicantem.

Imo ipsum excommunicantem potius lædi probatur Canone 5. authoritate Rabani Episcopi Moguntini, & Canone 6. authoritate Concilii Parisiensis VI. ubi tum ex Novella Justiniani 123. cap. 11. tum aliis probatur, neminem ab Episcopo, nisi Canonicis de causis excommunicari posse, & secus facientem esse puniendum.

Probat & Gratianus, quòd apud Deum quemlibet *vita, non sententia liget*, allegatis Canone 3. & 4. quibusdam sententiis sub nomine Hieronymi, sed quæ sunt revera Origenis, uti monent Pithæi, cujus & aptissimus in hanc rem locus refertur Canone 7.

Apud Deum non sententia, sed prava vita ligat.

Profert dein Canone 8. fragmentum aliquod sub nomine S. Augustini, ut probet, vitam sceleratam potius, quàm sententiam ab Ecclesia rescindere, at fragmentum parum convenire cum originali monent Correctores Romani, quod apparebit, si integer *sermo* 71. S. Augustini in editione Benedictinorum, cum fragmento conferatur.

Tandem adducto testimonio ex Synodo quinta, quo dicitur, quod, qui *impius demonstratus est, omnimodo sit separatus à Deo*, sicuti etiam ille,

ille, qui anathematizatus tanquam impius separatus est, concludit ex præmissis patere, quod illicita excommunicatio non lædat eum, qui notatur, sed eum à quo notatur "ac per hoc, „qui innocentes sunt, ex alterius crimine, con„demnari non possunt.

Objicit Gratianus, quod nec criminosi sententia maledictionis sint feriendi.

Sed priusquam quæstionem finiat, hìc sibi objicit, quod "non solum innocentes, sed nec „etiam criminosi sententia maledictionis sint „feriendi.

Hanc objectionem stabilit Canone 10. verbis S. Hieronymi in Commentario ad *cap. 3. Epist. ad Titum*, ubi ostendit ex Epistola Judæ nos ab omni maledicto puros esse debere; & Canone 11. verbis Origenis sub nomine ejusdem Hieronymi falso citatis.

At ipsum Deum primos parentes pro transgressione mandati maledicto mortis percussisse, nec-non sanctos viros, tam in veteri, quàm in novo Testamento, maledicto in quosdam usos fuisse, demonstrat ad calcem dicti Canonis 11.

Respondit, distinguendo duplex maledictum.

quæ, ut inter se conciliet, dicit: "Distinguen„dum est inter maledictum quod à Domino, & „sanctissimis viris rationabiliter profertur. Ma„ledictum, quod prohibetur, est illud, quod pro„cedit *ex voto* ULTIONIS & ODIO persequentis, „non ex amore justitiæ: maledictum vero, quo „sancti maledicunt, est illud, quod procedit *ex „amore justitiæ*, non ex livore vindictæ.

Hanc conciliationem probat authoritate S. Gregorii, qui docet, quod *cum sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non in hanc ex voto ultionis, sed ex justitia examine prorumpant.* Notant Correctores Romani, non referre Gratianum omnino verba S. Gregorii, sententiam tamen eandem manere.

Oves morbidæ si incorrigibiles sint, ab Ecclesia ejiciendæ sunt.

Deinde probat incorrigibiles excommunicari posse, adducta Canone 14. Epistola fictitia *Anacleti Papæ.*

Plura dein profert Canone 15. 16. 17. & 18. quibus probet, oves morbidas è Christi ovili, sive Ecclesia esse ejiciendas, ne cæteræ inficiantur, quando scilicet *nec æquanimiter sustinentis, ac piè increpantis medela processerit* (seu potius *profecerit*) *in eis, qui diu portati & salubriter objurgati, corrigi noluerunt, tanquam putres Corporis partes debent ferro excommunicationis abscindi*, uti loquitur Canone 18. verbis Prosperi, seu potius Juliani Pomerii *Lib. 2. de vita contempl.*

De quibusdam criminibus excommunicatione puniendis.

Subjungit post hæc aliquot Canonibus quædam crimina excommunicationis sententia punienda: sed plerique incertæ ac dubiæ authoritatis sunt, atque inter cætera decretum relatum Can. 23. sub nomine Calixti Papæ, quo *Communione Christianâ carere jubentur, qui Romipetas & peregrinos, & Apostolorum limina, & aliorum sanctorum oratoria visitantes capere, seu rebus, quas ferunt, spoliare tentaverint.* Nullatenus Calixto I. attribui potest, sed reperitur in Concil. Lateranensi anno 1123. sub Calixto II. Can. 16. atque inde sumptum esse verisimile est.

Canonem 25. relatum sub nomine Nicolai Papæ omnibus Episcopis esse Nicolai II. qui sub medium sæculi 12. sedit, notavit Baluzius; neque eum posse adscribi Nicolao I. hinc manifestissimè colligitur, quod illic agatur de treuga & pace, quæ demum Nicolai II. ævo reperta, ætate Nicolai I. inaudita fuit.

Discrimen inter hæresim & schisma.

Parte quarta quæstionis ostenditur ex Hieronymo Can. 26. & 28. quid inter hæresim & schisma intersit, & unde propriè hæresis dicatur, atque inter cætera observat, quod: "nullum „schisma aliquam sibi confingat hæresim, ut „rectè ab Ecclesia recessisse videatur.

Qui propriè dicendi hæretici?

Tum *parte quinta* inquirit, qui propriè dicuntur hæretici? ubi Canone 29. ex S. Augustino notat, quod, *qui sententiam suam, quamvis falsam, atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ sumptionis pepererunt..... quærunt autem causa solicitudine veritatem corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi*, at illi, *qui pravum sapiunt, si correpti, ut sanum certumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici sunt*, ut ex eodem Augustino ait Canone 31.

Intermiscet dein aliqua de hæreticis abjiciendis & evitandis, ac inter cætera quædam sub nomine *Urbani* Papæ Canone 32. ex Epistola Urbani Papæ, quæ suspectæ fidei sunt, & Canone 35. tres Canones Concilii vulgo *Carthaginensis IV.* in unum conglomeratos.

De variis sectis hæreticorum eorumque dogmatibus.

Tandem Canone 39. refert singulatim omnes sectas hæreticorum ex S. Isidoro (qui sæculo VII. vixit) breviter indigens, unde singulæ sectæ nomen sumpserint, & quæ præcipua eorum fuerint falsa dogmata: circa quæ nonnulla adnotârunt Correctores Romani, & si quis accuratorem earum desideret notitiam, consulet authores, qui de singulis, aut earum saltem notioribus & famosioribus singulas historias scripserunt.

Quam ob causam Deus hæreses permittat.

Claudit Gratianus hanc quæstionem *sexta parte* prolato Canone 40. textu S. Augustini, quo ostendit, qua de causa Deus permittat variis temporibus varias hæreses oriri.

CAUSA XXV.

„EXpedito Tractatu hæreticorum (ait Glos„sographus) subjungit Gratianus causam „vigesimam quintam, in qua tractat de privile„gio Romanæ Ecclesiæ.

Casus in hac causa propositus.

Thema sive casum hunc proponit Gratianus: "Sancta Romana Ecclesia quandam baptisma„lem Ecclesiam suis munivit privilegiis, deci„mationes suæ Diœcesis ex integro sibi attri„buens. Item quoddam Monasterium similiter „munivit privilegiis propriis, decernens, ut ex „propriis prædiis nulli decimas persolveret. Ac„cidit itaque, ut intra Diœcesim præmunitæ „baptismalis Ecclesiæ præfatum Monasterium „alia emptione, donatione prædia sibi inveni„ret. Oritur itaque contentio inter Monachos „& Clericos de decimis.

Ex hoc casu duas format quæstiones, quarum *prima* quærit, "an Clerici baptismalis Ecclesiæ, „authoritate privilegii decimas suæ Diœcesis ex „integro sibi valeant vindicare.

Quæst. I. Juxta Decreta SS. Patrum quatuor sunt portiones decimarum.

Prima parte quæstionis negativam hinc probari arguit Gratianus: "quia decimæ juxta de„creta SS. Patrum quadripartito dividuntur: „quarum una pars Episcopis, secunda Clericis, „tertia Fabricis restaurandis, quarta vero pau„peribus est assignata. Decreta vero SS. Cano„num, neminem magis, quàm *Apostolicum* ser„vare oportet.

Sedes Apostolica præ cæteris Decreta SS. Patrum servat & exequitur.

Hinc arreptâ occasione, pluribus ostendere nititur, Sedem Apostolicam decreta Patrum, & Conciliorum servare, ipsaque etiam Decreta Sedis Apostolicæ ab aliis esse servanda.

Profert ante omnia authoritates, quibus ostendat, quod Sedes Apostolica præ reliquis exequatur Decreta Conciliorum, & quò ipsa est sublimior, eò magis ipsi incumbit invigilare, ne Decreta

creta Patrum violentur. " Si quidem reatu majore „delinquit, qui honore potiore perfruitur : & „graviora facit vitia peccatorum sublimitas pec„cantium, ut loquitur Hilarius Papa Canone 4.

Meritò legenda, quæ ex Gelasio & S Leone referuntur Canone 1. 2. & 3. meritòque legetur integra *Epist. Leonis 83. ad Anatolium,* cujus fragmentum refertur Canone 3.

Quin & Canone 5. sub nomine Damasi Papæ dicitur, blasphemos esse in Spiritum Sanctum, qui sacros Canones violant.

Romanus Pontifex, etsi novas leges condere possit, tamen adversus statuta Patrum nihil valet.

Canone 6. sub nomine Urbani Papæ, non experimento, an primi an secundi : neque Correctores Romani notârunt, quin nec indicârunt unum alium Canonem collectorem, apud quem hoc decretum extet. Eruditi Pithæi hæc in titulo addiderunt: *fortè circa Annum* 1090. *Romæ,* quibus insinuârunt, verisimilius esse Urbani Papæ II. qui sub id tempus Pontifex sedit, sed cui inscripta sit, aut ubi extet, non indicant.

Hoc decreto interim dicitur Romano Pontifici semper licuisse novas leges condere; sed hoc, ubi apertè *dominus, vel ejus Apostoli, & eos sequentes SS. Patres sententialiter nihil definierunt,* aliàs ubi id factum est, *non novam legem Romanus Pontifex dare, sed potiùs, quod prædicatum est, usque ad animam & sanguinem confirmare debet. Si enim, quod docuerunt Apostoli & Prophetæ destruere (quod absit) niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur. Sed hoc procul sit ab eis, qui semper Domini Ecclesiam contra luporum insidias optimè custodierunt.*

In hoc decreto tametsi apocrypho, uti & in pluribus aliis, non obscurè supponit Gratianus possibilitatem errandi in Pontifice, quemadmodum sæpius notavimus.

Citat Canone 7. verba Zozimi Papæ, quibus declaratur quod, *contra statuta Patrum, condere aliquid vel mutare nec hujus sedis (Apostolicæ) possit auctoritas. Apud nos enim* [ait] *inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxère reverentiam.*

Hæc sumpta sunt ex Epistola Zozimi Papæ ad Episcopos Provinciæ Viennensis & Narbonensis II. quâ acriter invehitur in Proculum, qui indebitè videbatur sibi usurpâsse auctoritatem ordinandorum Sacerdotum in Narbonensi secunda.

Id olim sæpius agnoverunt ipsi Romani Pontifices.

Hanc Epistolam primus evulgavit Baronius, & à Labbæo inserta est *tom. 2. Concil. General. colum.* 1570. eamque se non vidisse fatentur Correctores Romani.

Huic dicto Zozimi apprimè consonat Hormisdas Papa Canone 9. dicens: *Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, & à constitutis Patrum nullatenus deviare.* Congruunt & quæ referuntur Canone 14. 15. & 16.

Utque Pontifices suam de recta fide & Patrum decretis servandis sententiam amplius manifestârunt, solebant sub initium suæ ad Pontificatum assumptionis facere professionem fidei, eamque etiam ad alias Ecclesias, quin & ad Reges & Principes mittere, ut hic Canone 10. exemplo Pelagii Papæ ostenditur. & pluribus adstruitur *tom.* 1. *probationum Libertatum Eccl. Gall. cap.* 2. & latiùs deduximus in supplemento *ad partem Juris Eccl. tit.* 15. idque signanter ex libro diurno Romanorum Pontificum.

Intermittet quoque Gratianus apocrypha nonnulla, puta Canone 11. ex capitulis Hadriani [de quibus supra cap. 1.] quo declaratur, quod *anathema apud Deum fiat, qui censuram Romanorum Pontificum violat,* ut habet titulus Canonis, qui tamen nec cum ipso Capitulo congruit, ut intelligi potest ex notis Correctorum Romanorum.

Apocryphum quoque est, quod Canone 12. adducitur sub nomine Damasi Papæ in Epistola Prospero Episcopo sive Stephano, ut alii legunt, quam suppositiam esse agnoscunt eruditi.

Ex his igitur concludendum videbatur, quod nec à Sede Apostolica contra statuta sacrorum Canonum privilegia concedi debeant. Vidit & id Gratianus, qui propterea ad calcem quæstionis longum discursum format, quo probare intendit, quòd " sacrosancta Romana Ecclesia jus & „auctoritatem sacris Canonibus impartiatur, sed "non eis alligetur. Habet enim (ait) Jus con"dendi Canones, utpote quæ caput est & cardo „omnium Ecclesiarum, à cujus regula nemini dis„sentire licet. Ita ergo Canonibus auctoritatem „præstat, ut seipsam non subjiciat eis. Sed sicut "Christus, qui legem dedit ipsam legem carna"liter implevit octava die circumcisus, quadra„gesimo die in templo cum hostiis præsentatus, „ut in seipso eam sanctificaret, postea verò, ut se „Dominum legis ostenderet, contra legis lite„teram leprosum tangendo mundavit.

Deinde pluribus adhuc ostendit, quòd Christus se legi nonnunquam subjecerit, ut legem impleret, & adimplendo hominibus exemplo præiret, sed tamen etiam se Dominum legis monstravit, atque hinc concludit: "sic & summæ Sedis „Pontifices Canonibus sive à se, sive ab aliis suâ "auctoritate conditis reverentiam exhibent, & "eis se humiliando ipsos custodiunt, ut aliis ob„servandos exhibeant, nonnunquam verò seu ju„bendo, seu definiendo, seu aliter agendo se de„cretorum dominos, & conditores esse osten„dunt.

Hæc omnino ætatem Gratiani redolent, nec genuinis decretis & Patrum sententiis antè relatis conveniunt, ut mirum non sit, nullum hic à Gratiano sincerum & priscæ ætatis Canonem referri, sed falsas ac confictas decretales impendi.

Neque enim Romanus Pontifex dici potest Canonum dominus, uti eum vocat Gratianus; sed tantum executor & fidelis dispensator.

Quis enim Patrum unquam dixit, aut quis Canon declaravit, Pontifices Romanos esse decretorum *dominos,* ut quâ Christus homo se *Dominum legis* esse dixit?

Conceditur quidem, penes Pontificem esse auctoritatem dispensandi, quando necessitas aut utilitas Ecclesiæ id postulaverit, at eum dominum Canonum instituere, nec Patrum, nec Conciliorum placitis consonat; sicut nec illud pristinis Ecclesiæ decretis congruit, quod ibidem asserit in „nonnullis Capitulis Conciliorum, cùm aliquid "observandum decernitur, statim subinfertur, "*nisi auctoritas Romanæ Ecclesiæ aliter imperave„rit, vel, salvo tamen in omnibus jure Sanctæ Ro„manæ Ecclesiæ, vel, salva tamen in omnibus Apo„stolica auctoritate.* Imò nec dubito, si decretum similem clausulam continens venerandæ antiquitatis titulum præferat, hoc vel apocryphum vel manu recentiore adulteratum reperietur.

Unde Claudius Fleuri in sua historia *libr.* 70. *n.* 28. agens de Gratiano ejusque decreto imprimis notat, quòd ubique faveat novis prætensionibus Curiæ Romanæ fundatis super falsis decretalibus.

Post hæc affert in exemplum summarim hunc Gratiani discursum & assertum; ac dein subjicit: „ita loquitur Gratianus, sed è suo sensu, nullâ ad„ductâ auctoritate, quâ doctrinam hactenus in- audi-

„auditam probet. Et nihilominus (pergit hic „Historicus) subsecuta sæcula receperunt, ejus „verbo quasi contenta.

Praxis hodierna Romanæ Curiæ videtur conformis sententiæ Gratiani

Et sanè, si quis attenderit hodiernam Curiæ Romanæ praxim, in danda dispensatione ex levissimis causis, imò & sine causa, ex plenitudine potestatis Pontificiæ, facilè intelliget. eam novam & hactenus inauditam Gratiani doctrinam in Curia Romana videri receptam, atque Romanum Pontificem ibidem non reputari ut executorem & fidelem dispensatorem. sed verum *Dominum* sacrorum Canonum.

Quæst. 2.

Quæstio 2. A Gratiano supra è relato casu elicita est. " subsequenti Privilegio Monacho„rum derogetur antiquioribus privilegiis baptis„malium Ecclesiarum.

Privilegia Ecclesiarum inviolatè servanda.

Occasione hujus quæstionis congerit Gratianus plures auctores, quibus probet, privilegia Monasteriorum vel quarumlibet Ecclesiarum inviolatè esse servanda, etiam à Romanis Pontificibus; item ea, quæ contra leges fiunt, pro infectis habenda, at more suo nonnullos apocryphos,, nonnullos mutilatos Canones producit.

Et quidem Canone 1 apocryphum decretum ex fictitia decretali *Anacleti*.

Et Canone 2. fragmentum Epistolæ 78. S. Leonis ad Marcianum Augustum, additis his, *& Monasteriorum*, ac insuper nonnullis detractis, quæ ostendunt, hic unicè agi contra Episcopum Constantinopolitanum, qui primum post Sedem Romanam locum prætendebat S. Leo; nullatenus autem spectat ad privilegia *Monasteriorum*, tunc necdum nota. Similiter ad conservationem Jurium Metropolitanorum per Canones Nicænos fixorum spectat Canon 5. ex Epistola 12. S. Leonis ad Anastasium. Item Canon 3. ex S. Gregorio, qui Jura Ecclesiæ Arelatensis integra servari vult.

Ad idem tendit, quod Canone 8. ex S. Gregorii *Epist. 39 lib. 2. in. 10.* refertur, in qua appositè scribit hic S. Pontifex, quòd Ecclesiarum privilegia non sint lædenda, & Romanæ Ecclesiæ Jura ita defendenda, ut singulis quibusque Ecclesiis sua Jura serventur.

Institutio Gratiani magis congruit, quod ex eodem Greg. *Epist. 116. lib. 7.* refertur Canone 9. scribit enim solicitudinis curam adhibendam, ut ea, quæ pro quiete Monachorum religiosæque conversationis sunt ordinata, non perturbentur.

Exceptio Canone 9. addita, Gratiani non est, sed in ejus textum aliunde irrepsit.

Additur in fine hujus Canonis: *nisi fortè, ubi major est auctoritas*, quæ indubiè ad auctoritatem Sedis Apostolicæ respicit: at notant Correctores, quòd " exceptio hæc absit à plerisque ve„tustis, & Anselmo, & Codicibus Gregorii im„pressis & manuscriptis. Quod & fusiùs notavit vir eruditus Petrus Gussanvillæus in notis ad hanc Epistolam.

Hinc firmatur, quod supra notavi, similem clausulam redolere manum adultricem.

Notari meretur, quod monent hic Correctores Romani, quòd in uno exemplari Gratiani apposita esset dicta clausula tanquam *Glossa*, quæ sensim in textum fortè incuriâ Typographorum irrepsit: quemadmodum in aliis frequenter contigisse adverterunt eruditiores, multisque erratis occasionem dedisse.

Nulla habenda sunt, quæ contra Canones fiunt.

Subjungit Gratianus nonnulla, præsertim ex titulo Codicis, de precibus Imperatori offerendis, quibus probet, quòd non tantùm nulla & infecta habenda sint, quæ contra leges & Canones gesta sunt, sed quod nec Juri contraria à Principe postulanda sint, rescriptaque similia à Principe impetrata, habenda esse ut subreptitia & obreptitia.

Rescripta contra jus elicita nullius sunt vigoris.

Arreptâ hinc occasione, apposuit hic Gratianus discursum de re rescriptis, ostendens, quòd rescripta, sive sint annotationes, sive pragmaticæ sanctiones, expressam in se debeant habere conditionem, *si preces veritate nitantur*: dei de rescripta contra Jus elicita non valere, productis plerisque legibus contentis sub titulo Codicis, *si contra jus vel utilitatem publicam, vel per mendacium fuerit aliquid postulatum vel impetratum*: additis nonnullis ex titulo Codicis *de diversis rescriptis*.

Decreta Sedis Apostolicæ ab omnibus servanda.

Nonnulla dein addit, quibus evincat, decreta Sedis Apostolicæ esse ab omnibus servanda. adducto inter alia Canone 18. decreto Nicolai I. in Synodo Romana Anni 863. in causa divortii Lotharii Imperatoris, qui repudiatâ legitimâ suâ uxore Teutbergâ, superinduxerat Waltrudem pellicem suam.

In hac Synodo rescissa fuere acta Synodi Metensis in eadem causa celebratæ, nec non excommunicati ac depositi Teutgandus Trevirensis & Guntarius Agrippinensis Archiepiscopi, contra quos & præsens decretum dirigitur, eoque anathema pronuntiatur contra eos, qui decreta à Sedis Apostolicæ Præsule salubriter promulgata contempserint. De hac causa varii varia scripsère, atque inter cæteros tractatum specialem scripsit Hincmarus Remensis, qui sub id tempus vivebat, vide, quæ & de hac causa referuntur *tomo 8. Concil. General. colum.....* & sequentibus, & auctores ibidem citatos.

Si tamen salubriter promulgata fuerint.

Notandum est diligenter, non decerni hoc canone, cuncta generaliter Præsulis Rom. decreta, mandata, &c. servanda esse, sed illa, quæ ab illo SALUBRITER *promulgata* fuerint: quin & illud notandum, ipsum Nicolaum I. hujus canonis auctorem esse, qui tamen ex pseudo decretalibus Isidori deceptus, in multis novas nonnullas prærogativas Sedi Apostolicæ conatus fuit vindicare.

Privilegia Ecclesiarum non violanda probat Gratianus ex legibus.

Privilegia verò Ecclesiarum non esse violanda, potissimum probat Gratianus auctoritate legũ ab Arcadio & Honorio Imperatoribus promulgatarum, quæ extant in Codice Theodosiano *lib. 29. & 30. de Episcopis & Clericis*, quibus firmantur & renovantur privilegia jam pridem ab Imperatoribus indulta Ecclesiis. Consuli poterit commentarius Jacobi Gothofredi ad has leges.

Cùm igitur privilegia singulis Ecclesiis sint servanda, & contra leges facta pro infectis habenda, videbatur consequens, quòd " posteriora „privilegia anterioribus derogare non possint, „nec eorum auctoritate eis aliqua objici excep„tio; cùm etiam, si contra illa specialiter fierent, „pro infectis essent habenda. Respondit Gratia„nus, quod sancta Romana Ecclesia suâ auctori„tate congregata valet disjungere, & disjuncta „congregare, rationis tamen æquitate considera„tâ. Unde, ait, vel pietatis vel necessitatis intui„tu semel à se concessa valet vel in totum, vel in „partem commutare.

Quibusdam tamen casibus juxta Gratianum aut in totum, aut pro parte privilegia tolli possunt.

Deinde dicit, subinde ob *vitium personale*, tolli posse privilegium à persona sive personaliter. eò quòd privilegium amittere mereatur, *qui permissa sibi abutitur potestate*.

Hoc licèt verissimum sit, quæ tamen in probationem adducit aut apocrypha sunt, puta Canone 22. sub nomine Sylverii Papæ Epist. 22. quam ut *suppositittiam* rejicit Baronius aliique:

Alii

aut non probant intentum, ut relatum sub nomine Simplicii Papæ Canone 23.

Denique ait, quod generaliter aliqui mereantur privilegium amittere, " veluti dum civitati „Episcopalis dignitas perpetuo subtrahitur, quæ „suos Episcopos interimere consuevit, prolato hanc in rem in canone 25. prolixo fragmento sub nomine Gelasii Papæ, ad quod videndæ variantes lectiones Pithæorum.

Concludens tandem Gratianus ait: " Serven„tur ergo privilegia Ecclesiarum cunctis incon„cussa temporibus ne videlicet præter ejus aucto„ritatem à quo data sunt contra ea liceat ire alicui.

In Confessione privilegiorum monitum Gratiani merito attendendum.

Ac de privilegiis Monasteriorum (de quibus quæstio primario erat instituta) hoc sub finem quæstionis notandum monet, quod, si privilegium circa decimas solvendas propter instantem temporis necessitatem concedi nequiverit, nisi aliis derogetur, " ita privilegiorum auctoritas vi„deatur esse servanda, ut eorum (Monachorum) „subveniatur inopiæ, ut non suarum divitiarum „augmento, & possessionum non modica exten„sione porrecta, baptismales seu parochiales Ec„clesiæ penitus destruantur. Hoc utinam hodie attenderetur, non tot Ecclesiæ baptismales & parochiales, Monasteriis affluentibus, egerent.

CAUSA VIGESIMA SEXTA.

De sortilegio.

Absoluta causa vigesima-Sexta incipit Gratianus tractare causa vigesima sexta de sortilegio, nulla connexionis indicata occasione, quam nec Glossographus hic divinare potuit.

Casus in hac causa propositus.

Proponit autem casum sequentem, ex quo sex "quæstiones elicit: " Quidam Sacerdos sortilegus "esse, & divinus convincitur apud Episcopum: cor"reptus ab Episcopo noluit cessare: excommuni„nicatur tandem egens in extremis, reconcilia„tur à quodam Sacerdote, Episcopo inconsulto: „indicitur sibi pœnitentia sub quantitate tempo„ris Canonibus præfixa.

Quæstio I. Qui sint Sortilegi.

Prima quæstione quærit, qui sint sortilegi? eamque uno canone absolvit auctoritate Isidori Sortilegos asserentis, *Qui sub nomine ficta Religionis per quasdam, quas Sanctorum sortes vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum inspectione, futura promittunt.*

Quæst. II

Secunda quæstione quærit, " An sit peccatum, „esse sortilegum.

Quædam adducuntur usui sortium faventia.

Prima parte proponit exempla ex sacro textu, tum veteri, tum novo, quæ videntur usum *sortium* probare, adducitque Canone 1. illud Augustini *in Psalmum* 30. *Sors non aliquid mali est, sed res in dubitatione humana divinam indicens voluntatem.*

Usus tamen ille jam prohibitus est.

Porro parte secunda resolvit, quod licet sortibus nihil ex se mali insit, atque in veteri Testamento permitterentur, tamen " prohiberi fideli„bus, ne sub hac specie divinitatis ad antiquos „Idololatriæ cultus redirent.

Ostendit dein canone 2. auctoritate sancti Hieronymi & canone 4. auctoritate venerabilis Bedæ, *non statim deberi sub exemplo Jonæ sortibus credere*, vel illud de actibus Apostolorum „huic testimonio copulare, ubi sorte in Apostolatum Mathias eligitur: cum privilegia singulo„rum non possint legem facere communem. Addit Beda: *Si quis tamen necessitate aliqua compulsi Deum putant sortibus exemplo Apostolorum esse consulendum, videant hoc ipsos Apostolos non nisi collecto Fratrum cœtu, & precibus ad Deum fusis egisse.*

Præsertim in electione ad dignitates Ecclesiasticas.

Ob plura ex simili per sortes electione ad dignitates Ecclesiasticas provenientia incommoda, illæ absolute tandem vetitæ sunt & in desuetudinem abierunt; de quo consulendi commentatores ad titulum decretalium de sortilegiis.

Sanctorum sortes quæ? & an licitæ.

Ostendit canone 3. verbis sancti Augustini, usum sortium non esse probandum: dicit enim Augustinus sibi displicere consuetudinem, quâ nonnulli *de paginis Evangelicis sortes legunt, ad negotia sæcularia, & ad vita hujus vanitatem.*

Vocatæ sunt hæ *sortes Apostolorum* vel *Sanctorum*, quando scilicet ad libri sacri apertionem, vel ad *sacræ lectionis* auditionem, ex lectione inibi occurrente vaticinium futurorum captabatur; de quibus vide Christianum Lupum tom. 2. scholiorum in canones synodi VIII. pag. 1458. & sequentibus. Item Emmanuelem Gonzales ad *cap. ix. de sortilegiis num.* 7. & ibi citatos.

Enumerantur ab Augustino varia genera superstitionum

Profertur canone 6. prolixum fragmentum ex S. Augustino *lib.* 2. *de Doctrina Christ. cap.* 20. 21. 22. & 23. ubi varias istius ætatis superstitiosas observationes enumerat. Merentur legi integra capitula, quæ mutilata à Gratiano producuntur.

Ostendit & ibidem Augustinus, quod non semel occulto Dei judicio permittantur evenire, ut istis superstitiosis & perniciosis divinationum generibus multa præterita & futura dicantur, nec aliter accidant, quam dicuntur, multaque observantibus secundùm observantias suas eveniant; atque ita cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi & decipiendi pro meritis voluntatum suarum, & ut his implicati curiosiores fiant, & sese magis magisque inserant multiplicibus laqueis perniciosissimi erroris.

Quod refertur canone 7. sub nomine Augustini in libris de *Civitate Dei*, apud Augustinum non reperitur sed haberi in libro Rabani de *Magorum præstigiis* monent Correctores Romani; & quod habetur Canone 9. sub nomine *Hieronymi* esse *Originis homilia* 5. *ad cap.* 3 Josue quibus superstitiosæ illæ observationes reprobantur.

Priusquam finiat quæstionem Gratianus, monet; " Sortilegia non usque adeo detestanda esse "à Christiano, ut, si aliquid de arca vel torculari "dæmonibus fuerit immolatum, quod reliquum „est ideo credatur immundum, aut si ipsum quod „oblatum fuerat, à nobis ignorantibus sumi con„tigerit, ideo credamus non deliquisse.

Post hæc canone 10. verbis S. Augustini & canone 11. sub nomine Ambrosii: sed notant Pithæi esse *Hilarii Diaconi*, quod & probant eruditi Monachi Benedictini operum S. Ambrosii revisores, commentarios in Epistolas S. Pauli Ambrosio abjudicantes, & in appendicem tomi 2. rejicientes.

Quæst. III. & IV. De variis divinationum generibus eorumq; origine.

Tertiam & quartam quæstionem conjungit Gratianus inquiens. " A quibus genus divinitatis „sumpserit exordium, vel quod sint genera ejus, „Augustinus exponit.

Varia divinationum genera recitat, & unde singula nomen acceperint, exponit canone 1. adducto prolixo fragmento sub nomine sancti Augustini libro *de Natura*, seu potius divinitate dæmonum. Prima hujus fragmenti verba, ubi ex Varrone origo divinationum refertur, haberi apud Augustinum de *Civitate Dei libr.* 6. *cap.* 35. monent Correctores Romani: " Reliqua ve„ro capita (ajunt) sunt in libello Rabani de *Ma*„*gorum*

„gorum præstigiis, quem ipse ex variis Augustini „& Isidori locis collegit, & Gratianus sæpe citat „sub Augustini nomine. Et apud Ivonem in Pannormia *part.* 8. *cap.* 66. citatur ex dictis *Augustini, & Isidori cap.* 9. *lib.* 8. *Etymol.* in decreto autem Ivonis simpliciter ex dictis S. Augustini, uti & apud Burchardum *lib.* 10. *cap.* 43. ut ignoretur, unde sunt titulum hauserit Gratianus.

De natura dæmonum eorumque vi ad cognoscendum futura.

Interim sat accurate multiplex genus divinationis hic describitur. Post hæc Canone 2. prolatis prolixis segmentis ex citato libro S. Augustini, de *divinatione dæmonum cap.* 3. 5. & 6. ostenditur, quæ sit natura dæmonum & qua ratione futura prænoscere queant, & qualiter videantur futura ad instar prophetarum prædicere, eaque prædictione homines fallant. Integer textus Augustini legi meretur.

Dixerat autem Augustinus citato cap. 5. (quod & refert Gratianus) *Dæmones aliquando & hominum dispositiones, non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscere.*

Verum postea re attentius considerata visum est & ipsi Augustino, rem se dixisse *occultissimam audaciore asseveratione, quam debuisset*, ut ipse de se humiliter fatetur *lib.* 2. *Retract. capit.* 30. *Nam*, ait, *pervenire ista ad notitiam dæmonum per nonnulla etiam experimenta, compertum est, sed utrum signa quædam dentur ex corpore cogitationum illis sensibilia, nos autem latentia, an alia vi, & ea spiritali ista cognoscant, aut difficillime potest ab hominibus, aut omnino non potest inveniri.* Textum hunc recitat Gratianus Canone 3.

Hac Augustini auctoritate motus Gratianus ait, " Quod autem hominum dispositiones co„gitatione conceptas, per exteriora signa diabo„lus deprehendat, non firma ratione videtur ap„probatum.

Quæst. 5. *Qua pœna puniendi sortilegi & divini.*

Quæstione 5. probat Gratianus, quod sortilegi & divini, si cessare noluerint, sint excommunicandi: eo quod sit genus quoddam *culturæ Idolorum* ex dæmonum consultationibus futura prædicere.

Variis id auctoritatibus confirmare vult Gratianus, profertque Canone 2. decretum Synodi Ancyranæ Canone 23. vide dicta in tractatu Historico-Canonico *part.* 2. *cap.* 1. §. 8. ad calcem Canonum Ancyranorum.

Canones ex versione Martini Bracarensis sæpe citat Gratianus sub nomine Martini Papæ.

Adducit Canone 3. decretum tanquam ex *Concilio Martini Papæ*, sed esse sumptum ex collectione *Martini Bracarensis*, monent Correctores Romani. Nosque sæpe notavimus, Gratianum solicitum esse, adscribere Concilio *Martini Papæ*, quæ huic collectioni tribuenda erant.

Præsens autem Canon conflatus est ex diversis dictæ collectionis capitulis, iisque inverso ordine positis, ita ut evidens sit, Gratianum hæc non ex ipsa Martini collectione, sed aliunde sumpsisse.

Præterea etiam quandoque annotavimus, à Gratiano non fuisse animadversum, à Martino Bracarensi non fuisse edita & promulgata *nova* decreta, sed duntaxat *antiqua*, eaque præcipue è synodis Græcis collecta, & per ordinem disposita esse.

Ex quo fit, ut quandoque bis eundem Canonem recitet ex diversis versionibus.

Hinc contigit, ut eundem Canonem, quem è versione Dionysii aut Isidori retulerat, rursus referat ex versione & collectione Martini Bracarensis, uti hic contingit.

Canonem enim Ancyrannum retulerat Canone 2. ex versione Dionisii exigui, & Canone 3. rursum eundem producit ex dicta collectione Martini.

Quæ utilitas ex diversis illis versionibus habeatur.

Hoc tamen ex diversis ejusdem Canonis habetur versionibus, quod nonnunquam se mutuo juvent, ut verus Canonis sensus habeatur, uti hic præsens Canon Ancyranus exemplo esse potest.

In Canone enim ex versione Dionysii legitur, quod " hi, qui divinationes expetunt. . . . autho„mines hujusmodi in domos suas introducunt „exquirendi aliquid arte magica *sub regula quinquennii jaceant.* Quæ verba quodammodo exponit, eorumque sensum aperit versio Martini Bracarensis, ea sic reddens: *quinque annis pœnitentiam agant:* quibus verbis sensum genuinum expressum esse notavit quoque Antonius Augustinus *lib.* 1. *Dial.* 10. *de emend. Grat.* " Illud e„nim jacere duplex est ait, alterum generale om„nium pœnitentium, alterum speciem notat gra„dus pœnitentiæ. Alii ante fores erant, alii erec„cti, sed neque offerebant, neque communionis „sacræ erant participes.

Capitula quæ hic Gratianus una cum Canone Ancyrano commiscuit, extant apud Ivonem in Decreto *part* 11. *cap.* 40. 46. & 47. tanquam ex Concilio Bracarensi & in margine notatur *cap.* 75. & 76 *Synod. Græcarum Martini Bracarensis Episcopi.*

Ut admodum verisimile sit, Ivonem hanc collectionem pro Concilio Bracarensi accepisse. Neque enim in aliquo Concilio Bracarensi repeRiuntur.

Plura recitat Gratianus contra has artes magicas, ac præsertim contra Clericos has exercentes aut fontes: refertque Canone 12. prolixum decretum sub nomine *Concilii Arquirensis*, vel ut apud Burchardum & Ivonem legitur, Ancyrensi, sed in Concilio Ancyrano Græco, aut Latino, sive impresse, sive manuscripto, non est inventum, inquiunt Correctores Romani. Neque huic Concilio tribui posse notavit Antonius Augustinus *lib.* 1 *de emend. Grat. Dial.* 14. primumque hujus falsæ inscriptionis auctorem fuisse Burchardum notavit Stephanus Baluzius ad Reginonem pag. 592. una indicans quæ errandi occasio Burchardo fuerit.

De illusionibus quibus mulieres à dæmonibus decipiuntur.

Interim in hoc decreto (quod Baluzius alicui capitulari inedito tribuendum auguratur) agitur de quibusdam sceleratis mulieribus, *quæ dæmonum illusionibus & phantasmatibus seductæ, credunt & profitentur se nocturnis horis cum Diana Dea Paganorum, vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias & multarum terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire, ejusque jussionibus velut dominæ obedire, & certis noctibus ad ejus Servitium evocari.*

Hæc esse mera deliramenta & somnia à dæmone excitata solide ibidem ostenditur; quæ merito leguntur, cum & hodie non desint mulierculæ, quæ similibus incantationibus & deliriis infatuantur & à dæmone falluntur.

Notant autem post Antonium Augustinum Correctores Romani, fere eadem haberi apud Augustinum *in libr. de Spiritu & Anima cap.* 28. verum adverterunt eruditi librum hunc Augustino tribui non posse, eumque in appendicem tom. 9. rejecerunt Benedictini, quorum monitio ad lectorem huic operi præfixa pag. 34. dictæ appendicis, videri poterit.

Profert

De maleficiis per res sacras ipsumque missæ Sacrificium.

Profert insuper Gratianus Canone 13. decretum sub nomine Concilii Toletani XIII. contra quosdam Sacerdotes, *qui* (ut loquitur Concilium) *obstinatæ mentis dolositate confusi, cum aliqua eos molestia fraternorum jurgiorum pupugerit, insana illico temeritate abrepti, Altaria nudantes sacratis vestibus exuunt, luminaria subtrahunt, ac divinorum sacrificiorum cultum, malitia intercedente, subducunt. Et quod in hominibus se vindicare non possunt, injuriam Deo* (quod pejus est) *inferunt.* Integer contextus Concilii Canone 7 merito legendus, quem truncatum retulit Gratianus, sensum tamen expressit his verbis Canoni præfixis: "Nonnulli inveniuntur, qui interno livore permoti, in perniciem suorum inimicorum Altaria sacris vestibus exuunt, aut veste lugubri accingunt, vel consueta luminariorum obsequia Ecclesiis Dei subtrahunt.

Quod autem additur contra Sacerdotes, *qui sauciati inimicitia dolo missam pro defunctorum requie promulgatam fallaci voto pro vivis student celebrare, non ob aliud, nisi ut is, pro quo ipsum offertur sacrificium, ipsius sacrosancti libaminis interventu mortis incurrat periculum,* non reperitur in Concilio Toletano XIII. sed extat in Concilio Toletano XVII. Canone 5. qui merito integer legitur: Gratianus enim nonnulla omisit.

Incantationum variæ species.

Tandem quæstionem hanc concludit Gratianus notabili fragmento, quod sub nomine Sancti Augustini recitat, sed revera sumptum esse ex libello Rabani de Magorum præstigiis monent Correctores Romani, quamvis plura ibidem relato extent apud Augustinum, è quo à Rabano descripta fuerunt, eaque annotant, designatis locis Augustini, Correctores Romani.

Multa notanda circa magicas has incantationes, earumque diversas species ibi occurrunt, & quare eas facere, atque per eas illud hominibus à dæmonibus Deus permittat, ex Augustino exponitur.

In themate seu casu à Gratiano sub initium hujus causæ proposito dicebatur, quod „Sacerdos, de quo in casu, esset ab Episcopo *excommunicatus*, quodque tandem agens in extremis, reconciliatus fuisset à quodam Sacerdote, „inconsulto Episcopo. Hac occasione quærit Gratianus, *quæstione sexta* " An excommunicatus ab „Episcopo possit reconciliari à presbytero, illo „inconsulto?

Quæst. 6.

Pœnitentium reconciliatio ad Episcopos pertinet.

Itaque primo ostendit Gratianus, reconciliare pœnitentes, Episcopalis officii esse non sacerdotalis: adducto eam in rem Canone 1. decreto Concilii Carthaginensis I. quo placuit, *reconciliare quemquam in publica missa Presbytero non licere.*

Et Canone 3. refert ex Concilio Agathensi, „Benedictionem quoque super plebem in Ecclesia fundere, aut *pœnitentem* in Ecclesia benedicere presbytero penitus non licebit.

De reconciliatione publica id intelligendum esse monet Gratianus.

Ad calcem hujus Canonis 3. ita concludit Gratianus: " Ecce quod ab Episcopo excommu„nicatus, per Sacerdotem reconciliari non potest. „Sed notandum est (ait) quod reconciliatio „alia est *publica*, alia *privata*: publica reconcili„atio est, quando pœnitentes ante *Ecclesiæ in„gressum* publice repræsentantur, & per imposi„tionem manus Episcopalis, Ecclesiæ publice re„conciliantur, hæc Sacerdotibus videtur esse pro„hibita. Unde circa finem illius capituli, non „simpliciter prohibentur pœnitentes reconciliare „sed in publica missa: *privata* vero *reconciliatio* „*est*, quando de occultis peccatis pœnitentes, vel „in extremis agentes ad gratiam reconciliationis „accedunt. Hæc reconciliatio potest fieri per Sa„cerdotem.

Quod hic de publica & privata pœnitentium reconciliatione asserit Gratianus, præsertim urgente necessitate, Canoni Carthaginensi & pristinæ disciplinæ consentaneum apparet; probatque vir avitæ disciplinæ diligens investigator Gabriel Albaspinæus Episcopus Aurelianensis in notis ad citatum Canonem dicens: Canon addit, „*in missa publica*, quod per Sacerdotes pœni„tens extra septa Ecclesiæ *urgente necessitate*, in „gratiam redire possit, ut plurima Canonum te„stimonia clare probant. Notatque insuper, quod privata hæc reconciliatio *extra septa Ecclesiæ*, quæ urgente necessitate presbytero permittebatur, spectaret duntaxat simplicem absolutionem; non autem reconciliationem perfectam in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

Opinio Gratiani de reconciliatione privata ab peccata occulta non est conformis veteri disciplinæ.

Quod autem Gratianus generatim potestatem faciat presbyteris privatam reconciliationem impertiendi, etiam *extra necessitatem*, quando de *occultis* peccatis agitur, nec Canoni, nec ætatis illius disciplinæ congruit: sed ex sui temporis moribus antiquos mores metiendo, de suo Gratianus addidit.

Decretum autem quod in probationem adducit sub nomine *Evaristi Papæ*, huic Pontifici nequaquam adscribi posse, sed manu recentiore ei affictum esse fatentur eruditi.

Pœnitenti moribundo non est neganda reconciliatio.

Post hæc pluribus Canonibus, præsertim Carthaginensibus, & Nicænis, probat Gratianus beneficium reconciliationis non esse pœnitenti *moribundo* negandum: ita tamen, ut si ex morbo convaluerit, tempus pœnitentiæ, quod supererat absolvendum, absolvat. Quin & additur Canone 11. ex Synodo Epaunensi, quod *si aliquis excommunicatus fuerit mortuus, qui jam sit confessus, & testimonium habeat bonum, & non potuerit venire ad Sacerdotem, ut reconcilietur, sed præoccupaverit eum mors in domo, aut in via; faciant pro eo Parentes ejus oblationem ad Altare, & dent redemptionem pro peccatis.*

Hanc fuisse Ecclesiæ Gallicanæ & plurium aliarum disciplinam contrariam disciplinæ Ecclesiæ Romanæ, supra notavimus.

Juxta Canonem Carthaginensem hic relatum presbyter pœnitentem moribundum reconciliare non potest, nisi consulto Episcopo.

Multum torquet Gratianum, quod in citato Canone Carthaginensi, quem retulit Canone 5. dicatur, quod presbyter pœnitentem in periculo mortis constitutum reconciliare *non possit*, nisi prius consuluerit Episcopum, si hic absens fuerit: quid igitur (ait Gratianus) " si ne„cessitate mortis peccator urgetur, & Episcopus „ita remotus est, ut presbyter eum consulere „non possit, negabitur pœnitentia morienti, & „beneficium reconciliationis non præstabitur „pœnitenti, quem conversum Deus recipit ad ve„niam? Plura ibidem adducens quæ ostendunt, veniam peccatoribus, præsertim in periculo mortis eam postulantibus, nunquam ab Ecclesia negari: adductis quoque Canone 12. decretum sub nomine Julii Papæ, sed apocrypho, quo presbyter, *qui pœnitentiam morientibus abnegaverit, reus Animarum declaratur*, & Canone 13. decreto Cælestini Papæ, ubi hic Pontifex scribit, *se horrere tantæ impietatis aliquem inveniri, qui pœnitentiam morientibus denegaret, nec illorum desideriis annueret*, QUI OBITUS SUI TEMPORE *hoc Animæ suæ cupiunt remedio subveniri.*

His relatis concludit Gratianus: "cui autem „pœnitentia non negatur, nec reconciliatio sibi „deneganda est: inconsulto ergo Episcopo pœ„nitentem Presbyter reconciliare non debet, nisi „ultima necessitas cogat. Hoc probat canone 14. auctoritate Concilii Carthaginensis III. quo decernitur: "Presbyter inconsulto Episcopo non „reconciliet pœnitentem; nisi absente Episcopo „ultima necessitas cogat.

Hinc concludendum apparuit Gratiano, supra citatum Canonem Carthaginensem debere intelligi duntaxat de casu, quo *absens* Episcopus consuli potest, *si necessitas non urgeat*, eum prius absolvi non debere, quàm Episcopus consulatur.

Canonem illum male intelligit Gratianus ex ignorantia pristinæ disciplinæ.

Verum minime advertit Gratianus priorem canonem Carthaginensem non loqui de simplici & necessaria pœnitentis reconciliatione, (de qua alii adducti canones loquuntur) sed de *perfectissima* qua pœnitens etiam sacræ & Eucharisticæ communionis particeps reddebatur: quod innuitur per hæc Canonis verba: *si reconciliari* DIVINIS ALTARIBUS *petierit*: quam nec *necessitate* cogente pœnitentibus Presbyter, *inconsulto* Episcopo, impartiri poterat; uti advertit & notat Albaspinæus.

Hic habemus, uti & in multis accidit, Gratianum à vero sensu canonum deviâsse ex ignorantia pristinæ Patrum disciplinæ.

Quæst. VII.

Cum in casu à Gratiano sub initium causæ proposito supponeretur, quod sacerdoti *in extremis* agendi indicta esset pœnitentia sub quantitate temporis Canonibus præfixa, quærit septimo, " si morientibus indicenda est pœnitentia sub quan„titate temporis?

Pro resolutione hujus quæstionis profert canone 1. decretum sub nomine Theodori Cantuariensis Archiepiscopi in suo pœnitentiali: ex quo & illud referunt Burchardus *lib.* 18. *cap.* 14. & Ivo *part.* 15. *cap.* 36.

Pœnitentia peccatis proportionata moribundis proponenda.

In hoc decreto dicitur, *quod ab infirmis in* PERICULO MORTIS *positis per presbyteros pura inquirenda sit confessio peccatorum, non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda: & cum amicorum orationibus, & Eleemosynarum studiis, pondus pœnitentiæ sublevandum, & si forte migraverint, ne obligati à communione, vel consortio veniæ fiant alieni.*

Et si convaluerint eis imponenda.

Prætereà decernitur, si à morbo convaluerit infirmus, *pœnitentiæ modum à Sacerdote (vel suo Confessore) sibi impositum diligenter observet.*

Denique, ut *orationibus & consolationibus Ecclesiasticis, sacra unctione olei inuncti (seu animati) secundum statuta sanctorum Patrum communione viatici reficiantur.*

Si hoc decretum genuinus sit Theodori Cantuariensis fœtus, ex illo docemur, sæculo septimo moris fuisse, ut etiam moribundis pœnitentia canonica peccatis conveniens proponeretur, eamque si à morbo convaluissent, ab ipsis adimpleri debuisse: quemadmodum de pœnitentibus, qui nondum pœnitentiæ casu expleto, ob instans mortis periculum, reconciliati fuissent pluribus Canonibus jam pridem ordinatum erat.

Olim infirmis conferebatur extrema unctio ante viaticum.

Prætereà decretum illud evidenter supponit, ætate sua, unctionem olei infirmis impensam fuisse ante susceptionem viatici: quam disciplinam usque ad ultima sæcula constanter conservatam esse notavimus in *Jure Ecclesiast. part.* 2. *titul.* 5. *cap.* 2.

Decretum hoc in pœnitentiali Theodori Cantuariensis evulgato per Jacobum Petitum non reperi, neque inter capitula Theodori edita à Luca d'Acherio tomo 9. Spicilegii; & per Labbæum translata in appendicem *tomi VI. Concil. General. colum.* 1875. at dictus Petitus inter fragmenta ex quibusdam Codicibus M. SS. collecta refert pag. 81. hoc decretum ex pœnitentiali magistri Bartholomæi Oxoniensis Episcopi, sed cujus ætatis aut auctoritatis sit hoc pœnitentiale, non dicit: additur autem ex dicto pœnitentiali: si „peccatum mortale fuerit, sed occultum, inno„tescenda eis pœnitentia, quæ imponeretur, si „peccatum publicum esset, sed nulla sunt impo„nenda, quæ observari absque peccati publicatio„ne non possunt, quale est extra Ecclesiam pœ„nitere, & similia, quæ non nisi Laicis, & publi„ce peccantibus sunt injungenda. Ex hoc vero „intelligant, ad quid teneantur vel quantum eis „pareatur, eo quod per secretam confessionem „facti sunt ipsorum primi accusatores: & ut pro „erubescentia, quam sustinerent in publica pœ„nitentia abundantiorem cordis contritionem & „devotionem cum charitatis operibus recompen„sent.

Peccatori occulto proponenda est pœnitentia, quæ publico imponi deberet.

Hinc habetur, quod ætate hujus pœnitentialis adhuc publica & canonica pœnitentia imponeretur pro peccatis publicis, eandemque peccatoribus occultis fuisse propositam, quod merito & hodierni confessarii imitabuntur.

Fatendum tamen est, hæc non præferre aut sapere ætatem Theodori, id est sæculo 7. etiam pro peccatis *occultis* pœnitentia publica imponeretur, uti ex Morino ostendi in *Jure Eccl. part.* 2. *tit.* 6. *cap.* 2.

Pœnitentia criminum qualitati sine personarum acceptione attemperanda est.

Deinde *parte* 2. quæstionis ostendit Gratianus quod pro qualitate criminum præsidentium arbitrio tempora pœnitentiæ decernenda sint.

Probat Gratianus assertum suum canone 2. auctoritate S. Leonis in Epistola ad Nicetam Episcopum cap. 6. & canone 4. ex synodo Laodicena canone 2.

Adducit Canone 3. decretum sub nomine *Nicolai Papæ*, quod sub titulo *de pœnitentia num.* 2. inter decreta à Gratiano Nicolao I. adscripta retulit Cochlæus, & *incertum* esse asserit Antonius Augustinus *lib.* 2. *de emend. Gratian. Dial.* 18.

Profert canone 6. decretum sub nomine *Concilii Carthaginensis IV. cap.* 74. ex septem Canonibus hodie in dicto Concilio extantibus conflatum, sed inverso plane ordine. Credunt nonnulli hæc à Gratiano aut aliquo canonum collectore, è quo Gratianus sua descripsit, decerpta esse ex aliquo pœnitentiali, in quo verisimiliter ea reperiebantur continua serie descripta: neque enim ad sic referenda & in unum conflata materia capitis compellebat, quandoquidem duntaxat probare vellet sine acceptatione personarum implorantì pœnitentiam dandam esse: ad quod probandum solus canon 74. subservire poterat, reliquis huic rei nullatenus convenientibus: adeoque non alia ratione in unum compacti apparent, nisi quod omnes ita subnexos repererit Gratianus.

Citat canone 7. decretum sub nomine *Synodo octava*, notant autem Correctores Romani, „videri posse sumptum ex regulis brevioribus B. „Basilii cap. 106. quod notatum alibi est (inqui„unt) evenire in iis capitibus quæ ex octava sy„nodo citantur, uti & hic canone 8. 9. 10. & 11.

Cæterum conclusio Gratiani de attemperanda pœnitentia pro gravitate criminum & dispositio-

ne

ne pœnitentium sacris Canonibus conformis est, eamque probavit Synodus Tridentina *sess.* 14. *cap.* 8. *de Sacramento Pœnit.* monens Sacerdotes, quod " debeant, quantum spiritus & prudentia suggerit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere; ne si forte peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.

Quo affectu pœnitentes suscipiendi & impœnitentes abjiciendi?

Deinde Canone 9. 10. & 11. probare vult Gratianus, quo affectu pœnitentem suscipere, & impœnitentem abjicere debeamus, nimirum *affectu intimo charitatis.*

Profert autem hos Canones uti & septimum & octavum sub nomine Synodi VIII. sed nullus eorum inter Canones hujus Synodi reperitur, videnturque potiùs ex dictis S. Basilii excerpti, uti ex Correctoribus Romanis supra notavi, quibus addi potest Antonius Augustinus *lib.* 2. *de emend. Grat. Dial.* 9. idipsum observans.

De variis superstitionibus Gentilium à Christianis vitandis.

Denique Gratianus saltem in fine suæ causæ volens materiam præcipuam sibi initio propositam attingere à Canone 13. usque ad finem agit contra varias ac superstitiosas Gentilium observationes, quas à Christianis vitandas ostendit.

De superstitiosa Calendarum observatione.

Et quidem Canone 13. ex Martino Bracarensi refertur, quòd *non liceat observationes iniquas agere calendarum, & otiis vacare Gentilibus, neque lauro aut viriditate arborum cingere domos: omnis enim hæc observantia paganismi est.*

Unde hæc sumpserit Martinus, nescio, citat quidem Doujatius tanquam hujus capituli fontem Canonem 39 Laodicenum, sed nihil ibi de observatione *Calendarum* aut *lauro & viriditate arborum.*

Addit & Concilium Turonense II. Canone 22. quod cultus *Calendarum Januarii* quidem meminit, qui & reprobatur; at reliquorum nulla ibi mentio fit.

Hoc constat, publica & superstitiosa lætitiæ signa ipsis calendis primùm à Gentilibus, dein à Christianis fuisse exhibita, quæ & in decoris choreis, aliisque vanis & superstitiosis observantiis fœdabantur, uti pluribus ostendit du Cange in suo glossario latinitatis verbo, *Calendæ* & verbo, *Cervulus.*

Cùm autem verisimile sit, diversa pro varietate locorum & populorum adhibita fuisse vana & superstitiosa lætitiæ signa, quidni dicamus, quod Martinus Bracarensis Canonem, quo *Calendarum* observantiæ proscribebantur, accommodaverit gentis suæ moribus, addendo, quæ ibidem usitata erant? quod ipsi familiare fuisse pluribus ostendi potest.

Ejusdem festivitatis Calendarum Januariarum meminit & Canon 14 sub nomine Zachariæ Papæ in Concilio Romano c. 9. ubi & aliarum observationum, quæ eisdem Calendis exhibebantur, mentio occurrit, atque inter cætera prohibetur quis *Brumam ritu Paganorum colere.*

Notat Antonius Augustinus, quod *Canone* 62. *Synodi VI. in Trullo, Brumalia* prohibeantur, eaque videantur esse à *Bruma* dicta. Incidere autem *Bruma* solebat saturnalibus diebus, non longè à Calendis Januariis: unde apparet, Brumam coincidisse quodammodo cum Calendis Januariis, unde Canon hic dicit: *Si quis Calendas Januarias & Brumam ritu Paganorum colere præsumpserit.* Vide Tractatum Historico-Canonicum parte 3. cap. 3. §. 7. ad citatum Canon. 62. Synodi VI.

De magicarum artium inefficacia.

Docet Canone 15. Gratianus, magicas artes & incantationes nec morbis hominum, aut morbidis animalibus quidquam remedii posse adferre. Citatur hic Canon sub nomine S. Augustini, sed verba apud ipsum non reperiri monent Correctores Romani, qui unà judicant loca, unde desumpta apparent.

Dies Ægyptiaci qui?

Rursus Canone 16. sub nomine Augustini (sed penes quem rursus non reperitur) interdicitur observatio *Calendarum Januarii*, quibus adduntur *dies*, qui dicuntur *Ægyptiaci.*

De his diebus varii varia scripserunt, uti videre est apud du Cange in glossario latinitatis verbo *dies Ægyptiaci*, apparetque sat verisimile, quod scribit Durandus in rationali *lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 201. hos dies dici *Ægyptiacos* qui ab Ægyptiis sunt inventi, In Ægypto enim (ait) erant quidam Astrologi, qui quasdam constellationes nocivas humanis actibus in illis diebus invenerunt, ideoque illas notas hominibus esse voluerunt. Tamen illarum constellationum puncta scire propter errorem nostri computi non valemus: vel fortè invenerunt dies bene constellatos, & ideo eos in Calendario notaverunt, ut in illis diebus potiùs, quàm in aliis, actibus insistatur, quorum errorem, ne Ecclesia sequi videatur, à talibus cavetur abstineri.

De origine strenarum.

Describuntur & in eodem hoc Canone inhonestæ & superstitiosæ observationes, quæ Calendis Januariis fieri solebant, atque inter alia scribitur: *Et ad invicem dona donantur, quasi in principio Anni*, boni fati augurio, quòd hinc ad Christianos dimanaverit mos, Calendis Januarii strenas donandi aut mittendi admodum verisimile est. Hic mos cùm nihil videatur superstitionis continere, meritò retinetur, quemadmodum & alia plura Religio Christiana à Gentilibus accepta, rejecta eorum superstitione, religiosissimè retinet, & etiam inter Ecclesiasticas cæremonias recepit, uti in *Jure Eccl.* sparsim notavi, & signanter *part.* 2. *Tit.* 38. *cap.* 1.

De superstitiosa observatione dierum, annorum, &c.

Eodem Canone, uti & Canone 17. ex S. Augustino ostenditur, superstitiosum & enorme peccatum esse, observare dies & annos, aut Lunæ Solisque cursum: variæque & aliæ superstitiosæ observationes describuntur.

CAUSA XXVII.

De matrimonio hic agit Gratianus, cur?

„Glossographus ad initium hujus causæ ait: „Tractato de negotiis & Ministeriis Ecclesiasticis, adjungit de Sacramentis. Primò de "Matrimonio, licèt alia sint digniora & magis "necessaria, & hoc ideo, cùm matrimonium magnum sit in Christo & Ecclesia Sacramentum, „& tempore antiquius est, & usu communius. "Antiquius, quia ante peccatum institutum est, "communius, quia, cùm Sacramenta omnia "sint in Ecclesia Dei, hoc tamen apud gentes „omnes est, sanctitas autem ejus non est, nisi „in monte sancto ejus, id est, ubi Ecclesia ædificata est.

„Et quia de matrimonio (pergit Glossographus) sæpè quæritur in Judicio; ideo assignando multiplicia ejus impedimenta tractaturus de „eo continuat decem causas.

Unde hic Tractatus à causa vigesima-septima usque ad causam trigesimam-sextam vocari solet tractatus de matrimonio.

Quæst. 1. De impedimento voti.

Incipit autem Gratianus ab impedimento voti; quæritque primò, " An conjugium possit esse „inter voventes.

Votum castitatis impedit matrimonium.

Quòd voventes matrimonia contrahere non possint, multis auctoritatibus ostendere nititur parte prima suæ quæstionis, quæ demùm finitur ad Canonem 40.

Neque sanè desunt auctoritates, quibus evincatur, post votum virginitatis nemini licere, voto durante, ad matrimonium convolare.

De duplici specie virginum scilicet, velatarum & non velatarum.

Illud tamen è multis patet, jam pridem discrimen fuisse inter eas, quæ simpliciter virginitatem Deo promiserant, & eas quæ publicè se Deo sacraverant, & ab Episcopo velamen, ut indicium suæ consecrationis acceperant.

Illis gravior, quā his imponebatur pœnitentia, si votum violāssent.

Et his quidem major diuturniorque pœnitentia, si votum violāssent, imponebatur, quam illis, uti probat Canone 2. qui refertur sub nomine Gregorii ad Bonifacium, extatque apud Reginonem, itemque apud Burchardum & Ivonem, ex quo indubiè illud descripsit Gratianus, neque apud Gregorium reperitur.

Quidquid sit, in hoc manifestissimè indicatur distinctio inter virgines velatas, & non velatas, circa pœnitentias illis injungendas, si à voto recedant.

Et sanè hæc velatio arctiore quasi vinculo virginem Deo consecrabat, & Christo quasi desponsabat: unde non nisi post diuturnam virginitatis probationem velabantur: quin & quibusdam Canonibus cautum fuit, ne qua ante *quadragesimum* ætatis annum velaretur, uti notat Hugo Menardus ad *Sacram. Sancti Gregorii pag. 21.*

Distinctio inter velatas & non velatas expressis terminis probatur quoque ab Innocentio I. *Epist. 2. ad Victricium cap. 12. & 13.* & à Gratiano refertur utriusque capitis textus Canone 9. & 10. monetque Glossographus ad Canonem 9. quòd virgines necdum sacro velamine tectæ & votum solventes, minùs peccent quàm velatæ.

De viduis continentiam promittentibus.

Nec tantùm de puellis virginitatem promittentibus, sed & de viduis, mortuis maritis, continentiam pollicentibus tractat Gratianus, earumque mentio etiam occurrit in citato Canone 2. refertque Canone 8. decretum sub nomine Concilii Martini Papæ, qua inscriptione indicatur collectio Martini Bracarensis, quæ inscriptio falsa est, cùm Canon hic sit cap. 25. Concilii Triburiensis de Anno 895. uti etiam monent Correctores Romani.

Viduæ velari prohibentur.

Viduas autem velare, [inquit hic Canon] *Pontificum nullus attentet, prout statutum est in decretis Gelasii Papæ* cap. 13.

Deinde adjicitur ex ejusdem Papæ decretis capt 21. *quod si propria fuerit voluntate continentiam professa, ejus intentio pro se reddat rationem Deo.* At in decretis ita legitur: " Nam de viduis „sub nulla benedictione velandis, superiùs latè „duximus differendum; quæ, si propriâ voluntate „professam pristini conjugii castitatem mutabili „mente calcaverint, periculi earum intererit, „quali debeant Deum satisfactione placare.

Post hæc ex dicto Concilio Triburiensi subjicitur: *Nos autem auctoritate Patrum suffulti, in hoc sancto Concilio sancimus, & liberè indicamus, si sponte velamen, quamvis non consecratum, sibi imposuerit, & in Ecclesia inter velatas Deo oblationem obtulerit, velit, nolit, sanctimoniæ habitum ulterius habere debet, licèt Sacramento confirmare velit, eo tenore, & ratione sibi velamen imposuisse, ut iterum posset deponere.*

Quod Triburiense aliudve ejusdem aut recentioris ætatis Concilium decernit *de viduis & velamen, quamvis* NON CONSECRATUM, sibi imponentibus, non apparet pristinis Canonibus aut decretis Gelasii Papæ satis conforme. Olim enim solæ *Virgines* ab Episcopis *velatæ* leguntur: hinc plures sunt de velandis virginibus Patrum tractatus, sed nullibi viduarum velatarum mentio occurrit.

Quæ velationis virginum origo?

Virginum velatio originem habuisse videtur ex ritu antiquo apud plerasque Gentes, etiam non Christianas, recepto, quo novis nuptis flamen seu velamen imponebatur, quo faciem velarent: ut, quemadmodum his imponebatur velamen in signum contracti *carnalis* matrimonii, ita verisimiliter invaluit, ut mulieribus in publica continentiæ professione velamen imponatur in signum contracti *spiritualis* cum Christo matrimonii.

Cur virgines potiùs, quā viduæ velatæ?

Quod solæ Virgines, non viduæ velarentur, ratio ex Apostolo, in secunda ad *Corinth.* 11. sumpta apparet, ubi dicit: *Despondi enim vos uni Viro Virginem castam exhibere Christo.*

Hinc enim concludendum apparebat non posse propriè dici *desponderi* Christo ut *Virginem* castam, quæ alteri viro fuerat juncta.

Alia postea inter virgines & viduas data distinctio & cur?

Labentibus Sæculis, cùm sensim vera velationis origo & ratio in oblivionem abiit, creditum apparet, quòd omnis inter consecrationem virginum & viduarum distinctio esset penes solemnem Episcopi aut Sacerdotis benedictione, adeo, ut hæc solemnis benedictio solis virginibus imponeretur, hæque solæ velamen *ab Episcopo benedictum* acciperent; viduæ verò sine illa *solemni benedictione* sibi velamen etiam *non consecratum* imponerent, & continentiam profiterentur, ad exemplum ejus, quod in nuptiis carnalibus contigit.

Scitur enim, secundas nuptias, præsertim dum tales sunt ex parte mulieris, solemni benedictione Sacerdotis carere: quidni ergo similitudine quadam rationis hinc accepta, viduæ spiritualiter nubenti cum Christo, eadem benedictio negata?

Tandem in professione virginum & viduarum omnis distinctio sublata est.

Tandem labentibus sæculis, veteri Patrum disciplina quasi oblivioni tradita, & velatione ac professione puellarum & viduarum ad simplices presbyteros devoluta, omnis inter virginum & viduarum professionem differentia evanuit, eodemq; modo solemnem professionem emittunt & velum religionis, si eas solemnem in religione professionem emittere contingat, recipiunt.

Exemplum tacitæ professionis.

Quod verò eodem Canone ex Concilio Triburiensi additur, quòd vidua quæ sponte sibi velamen *non consecratum* imposuit, & in Ecclesia inter velatas oblationem obtulerit, debeat etiam, velit, nolit, sanctimoniæ habitum retinere, evidenter *tacitæ* professionis, cujus in decretalibus frequens mentio occurrit, exemplum est.

Verùm hanc tacitam professionem ab usu recessisse scitur.

Quibus pœnis punienda violatio voti & professionis continentiæ.

Variæ pœnæ decernuntur in virgines, aliasque, quæ continentiæ professionem vitio carnis violaverint.

Primò à fidelium communione & cœtu excluduntur, quin & recludi jubentur, præsertim viduæ, ut habet Canon 2. item Monachi aut Monachæ; ut habetur in Canone 11. ex Concilio Triburiensi, de quibus ita statuitur. *Monachos atque Monachas, quæ abjecto proposito sanctitatis, illicita atque sacrilega contagione se miscuerunt, & in abruptum conscientiæ desperatione perducta*

perducta, de illicitis complexibus libere filios procrearunt, à Monasteriorum cœtu, Ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus, quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus lamentatione continua deflentes, purificatorio possint igne pœnitudinis decoqui, ut eis vel ad mortem, solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam possit subveniri.

Quâ pœna puniendus, qui sacratam virginem ducit.

Nec tantum mulieres continentiam professæ, ac deinde nubentes, excommunicantur, sed etiam ille, qui sacro velamine consecratam in conjugium duxerit, & post dicatum Deo propositum incesta fœdera sacrilegaque miscuerint, *à sacra communione detrudi jubentur, & nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi. Si tamen dignè pœnituerint, transeuntibus de Sæculo viaticum non negetur.*

Et rursùs canone 30. ex Novella Justiniani 124. cap. 64. decernitur "ut, si quis rapuerit, „vel solicitaverit, vel corruperit *Ascetriam* vel „*Diaconissam*, vel *Monacham*, vel aliam Mulierem, religiosam vitam, vel habitum habentem, bona ipsius & eorum, qui hujusmodi sceleris communione contaminati sunt, Ecclesiæ „vindicentur, ipsi autem *capitali periculo* subjiciantur.

Porro notandum, non eandem ubique, aut omni tempore circa hæc fuisse disciplinam, ideoque, loca & tempora, quibus canones editi fuerint, aut eorum authores floruerunt, diligenter distinguenda esse.

Insuper observandum, in præsenti quæstione, plurimos à Gratiano referri textus mutilatos, nec non alienis authoribus inscriptos, uti pene ad singulos notârunt Correctores Romani, quibus adde canonem 20. assignato S. Augustino de *conflictu vitiorum & virtutum*, quem non esse Augustini à multis observatum erat, & pluribus præmonitione huic tractatui præfixa in Appendice *Tom.* 8. *operum S. August. col.* 219. probant eruditi eorum operum revisores Monachi Benedictini.

Quædam in Gratiano alleгantur pro invaliditate matrimonii contracti à voventibus.

Ex his interim authoritatibus concludit Gratianus ad calcem canonis 40. quòd " voventes „prohibeantur contrahere matrimonia, & qui„dam eorum, si contraxerint, separari jubean„tur. Hoc postremum membrum probat præcipuè authoritate canonis 40. ex Concilio Romano sub Innocent. II. qui sæculo XI. sedit: quo sancitur, ut sacris ordinibus initiati, *Regulares Canonici, Monachi atque conversi professi, si sanctum transgredientes propositum, uxores sibi copulare præsumpserint*, SEPARENTUR, *hujusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam*, MATRIMONIUM NON ESSE CENSEMUS.

Quædam è contra pro validitate.

Post hæc allegat canone 41. textum S. Augustini ex Tractatu *de bono viduitatis*, quo appertè probat Augustinus, matrimonia post votum continentiæ, à Virginibus & Viduis quidem illicitè contrahi, sed tamen non esse adulteria, imo esse veras nuptias: *Qui dicunt*, ait, *talium nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria, non mihi videntur satis acutè ac diligenter considerare, quid dicant.*

Conatur illa conciliare Gratianus, sed male.

Gratianus pro conciliandis his in speciem diversis authoritatibus, ad calcem canonis 43. ait, „quòd voventes præmissis authoritatibus juben„tur ab invicem discedere, quorum vero conju„gia authoritatibus Augustini & Theodori sol„venda non sunt, in capitulo de ordinatione „Clericorum evidenter ostenditur.

Evidens est, nos à Gratiano hìc remitti ad *Distinctionem* 27. ubi hanc in speciem contrarietatem solvit per distinctionem voti simplicis & voti solemnis: quam distinctionem ætati Augustini aut Theodori non convenire ibidem notavimus; atque Gratianum fuisse primum authorem distinctionis inter votum solemne & simplex in ordine ad impediendum vel dirimendum matrimonium.

Si Gratianus tempora & loca distinxisset, nequaquam ad novam hanc distinctionem inter *solemne & simplex* votum recurrere debuisset.

Altera quæstione hujus causæ quærit Gratianus: " An puellæ Altari desponsatæ possint re„nuntiare priori conditioni, & transferre sua „vota ad alium? *Quæst. II.*

Priusquam quæstionem hanc resolvat, quærit, utrum solus consensus matrimonium faciat, & qualis debeat esse consensus.

Solus consensus matrimonium facit.

Quod solus consensus matrimonium faciat & conjuges, probat in primis ex vulgata definitione matrimonii, quæ ad nuptias solum consensum requirit, juxta illud Isidori, *consensus facit matrimonium.* Item authoritate authoris operis imperfecti in Mathæum (quem hìc canone 1. & alibi sæpius falsò citat Gratianus sub nomine S. Chrysostomi) qui dicit: *Matrimonium quidem non facit coitus, sed voluntas*, & Canone 2. authoritate Nicolai I. at notandum Correctores Romanos ex ipsis Nicolai responsis aliqua mutâsse, quo fit ut in Codicibus correctis, non amplius habeatur decretum, prout à Gratiano editum fuit, sed ut à Correctoribus illis, prætextu correctionis, mutatum est, ut sæpius ab ipsis factum esse monuimus.

Ex his ergo concludit Gratianus: cum solus consensus matrimonium faciat, etiam illos, inter quos talis consensus intercessit, veros conjuges esse.

Quis consensus matrimonium facit, an cohabitationis, an carnalis copulæ?

At nunc ulterius quærit: " Quis consensus „matrimonium faciat, an consensus cohabita„tionis, an carnalis copulæ, an uterque?

Ratio dubitandi erat, quia si prior sufficeret, tunc frater cum sorore matrimonium posset contrahere: si posterior, scilicet *carnalis copula* requiratur, *inter Mariam & Joseph non fuit conjugium:* "Voverat enim Maria se Virginem „perseveraturam.... Si ergo contra suum pro„positum postea consensit in *carnalem copulam*, „rea facta est voti virginalis mente, etsi non „opere violati. Quod de ea sentire nefas est, „sicut Augustinus, ait.

Tum subjicit prolixum discursum sub nomine Augustini, quo vult ostendere, quomodo sine violatione pudicitiæ, aut voti virginalis, fuerit conjugium inter Mariam & Joseph: *Committens*, inquit, *Virginitatem suam Divinæ dispositioni consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed Divinæ inspirationi in utroque obediendo.* Discursum hunc non reperiri apud Augustinum, " sed videri à Collectore ex variis lo„cis B. Augustini, potissimum ex libello de Vir„ginitate confectū, monent correctores Romani.

Pluribus post hæc probat Gratianus consensum, non carnalem coitum conjuges facere.

Multa quoque hac quæstione miscet Gratianus, quæ sibi in speciem contraria videntur, variasque conciliandi rationes adducit.

An conjux sine alterius licentia possit continentiam profiteri.

In primis Canone 23. & sequentibus, probat, neutrum conjugum posse sine licentia alterius continentiam profiteri: " Sponsi vero (ait ad cal„cem Canonis 26.) inconsultis, quas sibi despon-

saverunt,

„saverunt, exemplis & authoritatibus probantur continentiam posse servare. Probat id exemplo SS. Macharii & Alexii, qui initis *nuptiis*, sponsas suas deseruisse, & continentiam, vitamque eremiticam seu solitariam amplexi dicuntur: atque ex his concludit: "Horum exemplo patet, „quod sponsi sponsarum suarum non exquisito „consensu, continentiam valeant profiteri.

Famosa admodum est historia S. Alexii, cujus hic meminit Gratianus, at non æquè eruditis apparet authentica, uti nec Decretum sub nomine *Eusebii Papæ*, hic à Gratiano Canone 27. in ejusdem assertionis probationem allegatum.

Interim ex allegatis sat probatum supponens Gratianus, desponsatos posse sine mutuo consensu se Deo in *Monasterio* consecrare, ad calcem Canonis 28. concludit, quòd inter sponsum & sponsam conjugium non sit: quia conjuges sine mutuo consensu se Deo offerre non possint, quod sponsis licet.

Quæ impotentia dirimat matrimonium, & quæ non?

Post hæc allegat Canone 29. Decretum sub nomine Gregorii de separatione conjugis ob probatam viri impotentiam: quod falsò Gregorio attribui notat Stephanus Baluzius, probatque sumptum ex Epistola Rabani Mauri Archi-Episcopi Moguntini ad Heribaldum, quam cum brevi præfatione evulgavit ad calcem Reginonis Abbatis: extatque præsens Decretum seu responsum cap. 29. hujus Epistolæ; sed Cælestinus III. in *cap.* 5. ※ *de frigidis & malefic.* citat hoc ipsum responsum sub nomine Gregorii, secutus nimirum, morem aliorum Pontificum, authoritatem Gratiani.

Interim ex hoc Decreto concludit Gratianus, quod impossibilitas commercii carnalis, si post carnalem copulam in aliquo inventa fuerit, non solvat conjugium: si vero ante carnalem copulam deprehensa fuerit, liberum facit mulieri alium virum accipere, uti loquitur ad calcem dicti Canonis, concluditque inde apparere, illos non fuisse conjuges: *alioquin non liceret eis ab invicem discedere, exceptâ causâ fornicationis: & sic discedentes, oportet manere innuptos, aut sibi invicem reconciliari.*

Matrimoniū aliud est initiatum sive ratum aliud consummatum.

Cum autem hæc contrariari viderentur illis authoritatibus, quibus sponsi etiam *conjuges* dicuntur, antequam carnaliter commisceantur, pro conciliatione notandum monet ad calcem Canonis 34. "Scriptum esse, quod conjugium „desponsatione initiatur, commistione perficitur. Unde, ait, inter sponsum & sponsam „conjugium est, sed *initiatum*, inter copulatos „& conjugium *ratum*.

Alludit hìc Gratianus ad illud, quod sub nomine Ambrosii scriptum est Canone 5. & rursus paucioribus verbis reperitur Canone 35. *Cum initiatur conjugium, conjugii nomen asciscitur, non cum puella viri admistione cognoscitur.*

Tum iterum concludit Gratianus: *Ecce, quod in desponsatione conjugium initiatur, non perficitur.*

Hanc distinctionem latius extendit ad finem Canonis 39. docens, quod, juxta hanc distinctionem intelligenda est illa authoritas Augustini: *Non dubium est, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commixtio Sexûs non docetur fuisse* (Canone 16.) *ad matrimonium perfectum*, subintelligendum est, tale videlicet, "quod habeat in se Christi & Ecclesiæ „Sacramentum.... Cuncta ergo, ait, quæ de non „separando conjugio inducta sunt, de *perfecto* „intelliguntur, quod sponsali conventione initiatum est, & officio corporalis commistionis „est consummatum. Illa vero, quibus separabile conjugium ostenditur, de *initiato* intelligitur, quod nondum " officio sui perfectum est.

Ratum dissolvi potest, consummatum non item.

Et ad finem Canonis 45. concludit: *Sponsas conjuges appellari spe futurorum, non spe præsentium: quomodo ergo conjuges à prima fide desponsationis appellantur, si ista, quæ asserunt sponsa, conjux esse negatur? Sed à prima fide desponsationis, conjux dicitur appellari, non quod in ipsa desponsatione fiat conjux, sed quia ex fide, quam ex desponsatione invicem debent postea efficiuntur conjuges.*

Ex his haud difficile est intelligere, triplicem distinctionem illam Canonistis & Theologis familiarem, sponsalium de futuro, matrimonii rati, sive sponsalium de præsenti, & matrimonii consummati, Gratiano notam fuisse; imo forsan primo à Gratiano expressã & impensa, ejusdem authoritate à Canonistis & Theologis recepta fuit.

Quæ sit illius distinctionis Origo?

Ulterius quidni dicamus, eâdem authoritate Gratiani fuisse receptum, per matrimonium *consummatum* præsentari unionem *Christi* cum *Ecclesia*: per ratum vero, sive initum consensum de præsenti, duntaxat *initiatum*, repræsentari solam unionem Christi, cum *animâ justi per charitatem*: atque hinc illud esse omnino indissolubile: hoc vero solvi posse saltem per professionem continentiæ, uti notavit Gratianus ad calcem Canonis 26. ad quam notam respexisse Alexandrum III. in *capit.* 2. ※ *de convers. conjug.* indicat clausulâ parenthesi inclusa, *sicut sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt*, & observavit Franciscus Florens in commentario ad hanc quæstionem pag. 116.

Sponsalia alia sunt de præsenti alia de futuro, quæ sit inter illa differentia.

Denique *Canone ultimo* sub nomine *Augustini* evidenter expressit distinctionem inter sponsalia de futuro & de præsenti. Asseritur enim, quod *duobus modis dicatur fides, pactionis & consensus: si quis* (inquit) *alicui mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam ducere: si aliam duxerit, pœnitentiam debet agere de fide mentita: maneat tamen cum illa, quam duxit, non enim rescindi debet tantum Sacramentum. Si autem fecerit fidem consensus, non licet aliam ducere, si autem duxerit, dimittet eam, & adhærebit priori.*

Hic evidenter Gratianus expressit, sponsalia de futuro solvi per sequens matrimonium, licet illicitè contractum contra fidem datam: nihilominus sic contractum esse verum & validum matrimonium. Sponsalia autem de præsenti non dissolvi, sed contractum secundùm matrimonium esse invalidum, propter sponsalia de præsenti.

Sponsalia de futuro per copulam sequentem olim transibant in sponsalia de præsenti.

Quod autem Canoni adjungit Gratianus: "est „autem fidem pactionis, quando aliquis pro„mittit fidem alicui, quod eam ducet, si permi„serit ei rem secum habere, vel etiam pro consen„su, videtur eam habere sententiam, ut, qui „post sponsalia *concubitus*, atque congressus sequitur, *sic pro fide consensus*, atque ita pro matrimonio *præsumptio*; quod & authoritate Gratiani receptum fuit, & in Decretalibus præsumptum matrimonium appellatur, *cap.* 20. *& fin.* ※ *de Sponsal.* quibus declaratur, sponsalia de futuro per subsecutam copulam carnalem transire in sponsalia de præsenti: *quia licet præsumptum matrimonium videatur, contra præsumptionem tamen hujusmodi non est probatio admittenda*, ait citatum caput 20.

Plura hic

Circa authoritates præsenti quæstione à Gratiano

mutilata & supposititia à Gratiano allegantur.

tiano adductas, speciatim notandum plerasque vel mutilatas esse, vel authoribus non suis inscriptas, uti & ad singulos pene canones notârunt correctores Romani & Stephanus Baluzius.

Pluribus exemplis ostenditur decretalium collectores cœco modo Gratianum fuisse secutos.

Porro sicuti Gratianus simpliciter secutus fuit fidem præcedentium collectorum, atque ita & eorum errata mutuavit; sic & subsequentes collectores, qui & Romani Pontifices in suis responsis & Decretalibus fidem Gratiani secuti sunt: ac signanter ex hac quæstione jam supra monui referri sub nomine Gregorii fragmentum Epistolæ Rabani Mauri, & rursus refertur *in capit.* 1. ꝟ *de R.* 1. sub nomine Joannis Chrysostomi: *omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur,* quia hic canone 4. sub ejus nomine extant, quæ tamen non Chrysostomi, sed incerti authoris *operis imperfecti* in Matthæum esse monent correctores Romani.

Similiter, quæ canone 8. referuntur ex concilio Africano, extant sub nomine ejusdem concilii in *cap.* 1. ꝟ *de condit. appositis, &c.* quamvis in nullo concilio Africano inveniantur.

Rursus, quæ canone finali falso attribuuntur Augustino, eidem inscribuntur in *cap.* 1. ꝟ *de sponsa duorum:* & quod amplius, verba Gratiani explanationis gratiâ Canoni subjecta, hîc tanquam verba canonis referuntur: quia scilicet hæc Gratiani verba irrepserant per errorem in ipsum textum, uti monet Franciscus Florens.

Ut inde appareat, quàm cæco modo authoritatem Decreti Gratiani secuti fuerint Decretalium authores & collectores.

CAUSA XXVIII.

De impedimento infidelitatis.

PRosequens Gratianus materiam matrimonialem, ac notanter impedimentorum, hâc causa agit de impedimento infidelitatis, eumque in finem proponit hunc casum:

Casus in hac causa propositus.

Quidam infidelis in conjugio positus, ad fidem conversus est, uxor vero odio fidei Christianæ ab eo discessit. Ille quandam fidelem uxorem accepit, quâ mortua Clericus efficitur. Tandem vitæ & scientiæ merito in Episcopum eligitur.

Quæstiones ex ca su elicitæ.

Ex hoc casu tres elicit quæstiones, quarum *prima* quærit, an conjugium sit inter infideles? *Secunda*, an, si alter infidelium convertatur ad fidem, altero manente in infidelitate, liceat fideli ab infideli recedere, & alias nuptias, eo adhuc vivente, contrahere? *Tertia*, an sit reputandus bigamus, qui ante Baptismum habuit unam, & post Baptismum alteram?

Quæst. I. & II.

Duæ primæ quæstiones vix separari possunt, cum authoritates ad utramque pertinentes inter se misceantur.

Imo nec nisi unicus canon 2. ad decisionem secundæ quæstionis pertinens sub illa quæstione referatur.

Verum est matrimonium inter infideles.

Gratiani resolutio circa has quæstiones hæc est. Primò inter infideles, & inter Judæos esse, & fuisse verum ac legitimum matrimonium, quemadmodum concludit ad calcem canonis 14. una respondens eis, quæ in speciem contrariari videbantur.

Matrimonium fidelis cum infideli verum est.

Secundo, matrimonium fidelis cum infideli aut Judæo esse utroque Testamento veteri & novo verum, uti multis authoritatibus ac signanter S. Augustini canone 9. *ex Lib.* 1. *de adulterinis conjugiis* probat.

Matrimonium infidelium non habet vim

Tertio, matrimonium duorum infidelium vel Judæorum inter se, non esse *ratum*, neque habere effectum & vim *Sacramenti:* adeoque neque esse indissolubile.

Van Espen Comment. ad Decret. Grat.

Sacramenti, ideoque nec indissolubile est.

Hinc ad finem canonis 17. ait: *Conjugium aliud est legitimum & non ratum, aliud ratum & non legitimum, aliud legitimum & ratum. Legitimum conjugium est, quod legali institutione vel Provinciæ moribus contrahitur. Hoc inter infideles ratum non est, quia non est firmum & inviolabile conjugium eorum: dato enim libello repudii, licet eis recedere ab invicem, & aliis copulari lege fori, non lege poli, quam non sequuntur. Inter fideles vero ratum conjugium est, quia conjugia semel inita inter eos, ulterius solvi non possunt. Horum quædam sunt legitima, veluti cum uxor à Parentibus traditur, à sponso dotatur, & à Sacerdote benedicitur.*

Gratianus distinguit triplex conjugium, legitimū, & non ratum, ratum & non legitimum, legitimum & ratum.

Hæc talia conjugia legitima & rata appellantur. Illorum vero conjugia, qui contemptis omnibus illis solemnitatibus, solo affectu aliquam sibi in conjugem copulant, hujusmodi conjugium non legitimum, sed ratum tantummodo esse creditur.

Cum ergo infidelium matrimonium non sit *ratum*, nec *indissolubile*, quæritur, an uno eorum ad fidem converso, liceat huic ab infideli recedere, & ad alias nuptias transire.

Hanc quæstionem fusè discutit S. Augustinus Lib. 1. de adulterinis conjugiis, è quo desumpti sunt canones 8. & 9. hujus primæ quæstionis, quibus jungendus canon 4. ex eodem Doctore *de Fide & Operibus, cap.* 16. præsertim, si ipse locus Augustini legatur, quem ad calcem canonis junxerunt correctores Romani.

Quandonam conjux fidelis ab infideli discedere possit, & ad alias nuptias transire.

Docet autem Augustinus, quod unus infidelium ad fidem conversus ab infideli discedere nequeat, si infidelis sine contumelia Creatoris fideli cohabitare velit, conformiter ad monitum Apostoli 1. *ad Corinth. cap.* 7. SI QUIS FRATER UXOREM HABET INFIDELEM, ET HÆC CONSENTIT HABITARE CUM ILLO, NON DIMITTAT ILLAM, &c. *Non propter vinculum cum talibus conjugale servandum, sed ut acquirantur Christo, recedi ab infidelibus conjugibus Apostolus vetat.*

Quod pluribus ibidem prosequitur Augustinus, qui & illic exponit rationes, cur fideli non liceat infidelem dimittere, eo scilicet casu, quo uterque conjux unius erant infidelitatis tempore initi matrimonii, & postea unus illorum ad fidem est conversus, & consentit infidelis sine periculo perversionis cum fideli cohabitare.

Si vero infidelis nolit absolutè cum fideli cohabitare, sed recedere velit, aut saltem nolit, nisi sub conditione fidei Christianæ adversante, tunc liberum est fideli recedere, & ad alias nuptias transire, prout locis citatis latè docet S. Augustinus: reflectens enim ad Apostoli verba: *quod, si infidelis discedat, discedat: non est enim Frater aut Soror subjectus in ejusmodi, id est,* (ait) *ut propter fidem Christi etiam ipsa uxor legitimâ societate conjuncta, sine ulla culpa relinquatur, si cum viro Christiano propter hoc, quod Christianus est, permanere noluerit.*

Similiter citata verba Apostoli exponit Ambrosius: ejus verba nonnihil mutilata referuntur *Canone* 2. *quæst.* 2. falso attributa S. Gregorio: *Non enim ratum est matrimonium, quod sine Dei devotione est: ac per hoc non est peccatum ei, qui dimittitur propter Deum, si alii se junxerit: Contumelia enim Creatoris solvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur, ne accusetur, si alii copuletur.* Ita legitur apud Ambrosiu.

Ex his concludit Gratianus sub finem citati *Canonis* 2. *quæstionis* 2. quod infidelē descedentem

tem fidelis sequi non debeat, liceatque ei aliam ducere.

At una monet, "hoc non nisi de his intelligendum esse, qui in infidelitate copulati sunt. „Cæterum (inquit) si ad fidem uterque conversus est, vel si uterque fidelis matrimonio junctus est, & procedente tempore alter eorum à fide discesserit, & odio fidei conjugem dereliquerit, derelictus discedentem non comitabitur: non tamen illa vivente alteram ducere poterit: quia ratum conjugium fuerat inter eos, „quod nullo modo solvi potest.

Sententiam Gratiani secuti uno consensu Theologi & Canonistæ: quin & ipsi Romani Pontifices eam in omnibus adoptârunt, uti videre est in Decretalibus Clementis III. & Cælestini III. quæ extant sub titulo de *conversione infidelium* in secunda collectione apud Antonium Augustinum, & quod notandum, secuti Gratianum verba Ambrosii tribuunt S. Gregorio, quia, uti notavi, ea à Gratiano Canone 2. huic Pontifici fuerant assignata.

Similiter & Innocentius III. sententiam Gratiani quoad utrumque distinctionis membrum adoptavit in *cap.* 7. ※ *de Divortiis.*

An sit bigamus, qui duas uxores, unam ante, alteram post Baptismũ habuit? Quæstio III.

In casu sive hypothesi ad initium causæ proposito, supposuerat Gratianus, quod infidelis, qui in infidelitate acceperat uxorem infidelem, postmodum conversus & baptizatus, secundam duxerit uxorem fidelem. Hinc quærit, an hic consensus sit bigamus, & ea ratione excludendus à Clericatu, & concludit *quæst.* 3. authoritate S. Augustini & Innocentii I. illum habendum pro bigamo, de quo latius autem dist. 26.

CAUSA XXIX.

De impedimento erroris. Quæst. I. Error triplex personæ, qualitatis & conditionis.

HAc causa tractat Gratianus de impedimento erroris, eamque in duas quæstiones dividit.

Priorem nullâ adductâ authoritate resolvit, aitque, errorem versari vel circa *personam*, vel circa *fortunam* aut *qualitatem*, vel denique circa *conditionem*, puta quod sit conditionis servilis, qui putabatur liber; ac dein exposita natura singulorum errorum, resolvit hac quæstione, errorem circa *personam antecedentem*, impedire matrimonium, non autem errorem *fortunæ*, aut *qualitatis*.

Quis error matrimonium impediat? Quæst. II.

Quæstione secundâ autem quærit, an error *conditionis* ponat impedimentum, ac tribus primis Canonibus probat, inter omnes cujuscunque conditionis homines posse consistere matrimonium, quod hodie etiam receptum est, & probatum, licet fatendum sit Decreta hic à Gratiano relata esse apocrypha.

Post hæc adductis nonnullis authoritatibus, concludit, quod, si ingenuus acceperit in conjugem aliquam servilis conditionis, aut ingenua servum, cum crederetur *liberæ conditionis*, non cogatur cum ea remanere, quod potissimum probat Decreto relato in Canone 5. sub nomine Concilii apud Vermeriam, *cui interfuit Rex Pipinus cap.* 8. "cum enim ibi dicitur, *sciens illum* „*servum*, datur intelligi (inquit) quod, si nesci„ret illum servum esse, non cogitur cum eo ma„nere.

Extat Tom. 6. Conciliorum generalium col. 1656. Concilium Vermeriense celebratum anno 752. temporibus Regis Pipini, sed decretum hoc inter illius Canones non reperitur, quamvis Canone 6. aliqua occurrant eorum, quæ sub nomine ejusdem Concilii apud Vermeriam refert hic Gratianus Can. 4. sed non parum mutilata.

Monent ad calcem citati Canonis 4. Correctores Romani, "scriptum est nomine totius „Universitatis Lovaniensis ad S. D. N. Gregorium XIII. extare in Bibliotheca B. Trudonis „librum manuscriptum sub titulo: *Excepta De„cretorum*, in quo inter alia capitula istius Con„cilii apud Vermeriam, habentur hoc & sequens „caput.

Etsi adducta à Gratiano non videantur solidè probare errorem conditionis servilis dirimere matrimonium, ejus tamen opinio recepta est.

Sed cum non dicatur cujus ætatis aut conditionis sit hic liber manuscriptus, nihil quoque de authoritate Decreti hoc manuscripto certi statuere possumus.

Sanè, si ad incudem revocarentur à Gratiano adducta, nescio num sat solido fundamento niteretur Gratiani resolutio de errore conditionis dirimente matrimonium. Hoc scimus, authoritate Gratiani, à Theologis & Canonistis receptam esse restrictionem hic per Gratianum factã, nimirum quòd error conditionis servilis inducat impedimentum dirimens, non autem error circa aliam qualitatem seu conditionem, notanter postquam Pontifices juxta eandem responderunt eorumque responsa in Decretales sub titulo *de conjugio servorum*, & alibi relata fuêre.

CAUSA XXX.

De impedimento cognationis spiritualis.

GRatianus pergens in exponendis impedimentis matrimonii, hac causa agit de impedimento *cognationis spiritualis*, intermiscens tamen more suo, nonnulla ab hoc articulo aliena puta *qu.* 2. aliqua *de ætate ad* matrimonium necessaria, & *quæst.* 5. de vetitis matrimoniis *clandestinis.*

Casum hunc proponit: "Quidam populo„rum frequentia impeditus, Filium suum de ba„ptismate suscepit, dum crederet se alienum su„scipere, uxor autem ejus dum callide vellet su„scipere proprium, suscepit alienum, quem vir „sibi adoptavit in filium, & ex uxore sibi filia „nascitur, quam filio suo adoptivo, spirituali „uxoris, dum uterque esset in cunabilis, tradit. „Post triennium uxor moritur, & compater „ejus relictam compatris uxoris suæ clam sibi „desponsavit: aliquantulum temporis effluxit, „& alius eam duxit in uxorem.

Ex hoc quinque quæstiones efformavit Gratianus.

Quæst. I. An conjux levans proprium filium de sacro fonte debeat à conjuge separari? Quædam allegantur à Gratiano pro parte affirmativa.

Quæstione 1. quærit: "An uxori suæ debitum „reddere valeat, qui proprium filium de sacro „baptismate suscepit.

Parte 1. allegat duos Canones, quibus negativè probari videtur.

Et quidem Canone 1. refert fragmentum Epistolæ sub nomine *Deus dedit S. Romanæ Ecclesiæ Episcopi*, quo dicitur in quodam Concilio constitutum est, *ut nullo modo se in conjugio reciperent mulieres, ac viri, quicunque aliqua ratione susceperint natos* PROPRIOS, *sed separarent se, ne suadente diabolo tale vitium innotescat.*

Verum Concilii vel conventûs, cujus hic mentio fit, nulla extat memoria, multaque alia in hac Epistola occurrunt, quæ eam ut spuriam rejiciendam eruditis persuaserunt, eamque uti suspectam notat Labbæus *Tom.* 5. *Conc. gener. col.* 1648.

Adde & Papenbrochium in conatu Chronico-Historico ad Catalogum Pontificum in hoc Pontifice.

Adducit prætereà Gratianus Can. 2. decretum sub nomine Concilii *apud Vermerias*, sed in Concilio Vermeriensi anni 752. inserto *Tom.* 6. *Conc. gener.* non extat, sed reperitur in Concilio Compen-

Compendiensi Anni 757. Canone 12. ubi & præsens Canon in margine notetur.

Hoc Canone decretum legitur: *Si quis filiastrum vel filiastram suam ante Episcopum tenuerit ad confirmationem, ab uxore sua, & nunquam aliam recipiat.*

Gratianus supponere videtur, hæc sat apertè probare, quod is, qui proprium Filium in spiritualem sibi transferens, uxori suæ debitum reddere non valeat.

Additur in Epistola Deusdedit relato Canone 1. quod post annum possit aliam uxorem ducere.

Sed notandum, quod post verba dicti Canonis 1. ex Gratiano jam relata, additur in ipsa Epistola *Deusdedit*, prout integra inter decretales RR. Pontificum edita est, & hodie extat apud Labbæum hæc clausula: " mulieres vero, cum „separatæ fuerint pro hac illicita re, à propriis vi„ris totam præcipimus recipere dotem, quam in „die nuptiali receperunt & post expletum an„num recipiant *alium virum*, similiter & *vir uxorem*.

Mirum quantopere hæc decretalis sic concepta vexaverit doctores quod hic viderent matrimonium *legitime* contractum & *consummatum dissolvi*, quoad *vinculum*, ob superveniens impedimentum solo jure humano inductum.

Sed non reflexerunt, quod vel hoc ex capite merito tanquam fictitia hæc Epistola esse rejicienda; præterquam, quod nec alia suppositionis desint indicia.

Interim qui hanc suppositiriam Epistolam ut authenticam reputarunt & inter decretales Pontificum retulerunt, nequaquam dubitâsse videntur, quin Pontifices similem errorem in suis decretalibus proponere possent.

Tum plures auctoritates adducit pro parte negativa

Porro Gratianus *parte* 2. suæ quæstionis adducit plures auctoritates, quibus probari videtur, conjuges propter superveniens simile impedimentum separari non debere, ac signanter canone 3. responsum Nicolai I. qui interrogatus, utrum *mulier, quæ viri filium ex alia fœmina genitum de sacro fonte levaverit, postmodum possit cum eodem viro copulari, respondit, ideo eos jungi posse, quia secundum sacros Canones, nisi amborum consensu, nullius religionis obtentu debet conjux dimittere conjugem.*

Extat hoc Nicolai responsum apud Cochleum inter decreta è Gratiano collecta *tit.* 19. *cap.* 5. illudque incertis annumeraverat Antonius Augustinus *lib.* 2. *de emend. Grat. Dial.* 19.

Si tamen id per fraudem aut fallaciam contigerit, pœnitentiam injungendam esse indicat idem Nicolaus in Epistola Bituriensi Episcopo, cujus fragmentum extat Canone 6. Extat & apud Cochleum eodem titulo cap. 2. pronuntiatque & de hoc Antonius Augustinus eodem dialogo: *hoc etiam caput in incertis numeratur.*

Refertur quoque de uxore, quæ filium suum coram Episcopo tenuit ad confirmationem, canone Concilio Cabilonensi II. *si fraude aliqua*, ut à viro suo separetur, id egerit, *propter fallaciam suam, aut propter fraudem, quamdiu vivet, agat pœnitentiam, à viro suo tamen non separetur.*

Tum addit canone 7. fragmentum Epistolæ Joannis VIII. quo scribit, virum, qui in *necessitate* propriam prolem baptizavit; *suæ uxori sibi jam legitime sociatæ, impune, quamdiu vixerit, manere conjunctum,*

Est etiam quædam cognatio spiritualis inter confessorium & pœnitentem.

Cum autem non tantum per baptismum quis dicatur regenerari, sed etiam per Sacramentum pœnitentiæ, tanquam per secundas naufragii tabulas, hinc & creditum jam pridem fuit, inter pœnitentem & Sacerdotem, spiritualem quamdam cognationem oriri, aitque Gratianus ad calcem Canonis 7. " dicitur etiam spiritualis filia Sacerdotis, quæ ei peccata sua confitetur.

Unde peccatum eum carnis inter illos gravius est, graviusque puniendum.

In hanc rem profert canone 3. decretum sub nomine Symmachi Papæ, quo agitur contra Sacerdotes fornicantes cum suis pœnitentibus, diciturque, quod *Sylvester docens admonet unumquemque Sacerdotem, ut nullus causa fornicationis, ad suam pœnitentialem accedat: quia scriptum est*: OMNES, QUOS IN POENITENTIAM ACCIPIMUS, ITA FILII NOSTRI SUNT, UT IN BAPTISMATE SUSCEPTI, *quapropter hoc scelus, si quis perpetraverit, non solum dignitatis honorem amittat, verum etiam usque ad exitum vitæ suæ jugi pœnitentiæ se subdat.*

Et canone 9. sub nomine Cœlestini decernitur, ut, *si quis Sacerdos cum filia spirituali fornicatus fuerit, ipsa fœmina, si laica est, omnia derelinquat, & res suas pauperibus tradat, & conversa in monasterio Deo usque ad mortem serviat: Sacerdos autem, qui malum exemplum dedit hominibus, ab omni officio deponatur, & peregrinando* 12. *Annis pœniteat: postea vero ad Monasterium vadat, ibique cunctis diebus vitæ suæ Deo serviat.* canone 10. autem sub nomine ejusdem, injungitur Episcopo, scelus hoc perpetranti, pœnitentia quindecim Annorum.

Quamvis de veritate seu sinceritate horum decretorum respondere non ausim, hoc autem asserere non dubitem, pœnitentiam Sacerdotibus hic injunctam, non esse scelere majorem.

Relatis utrimque auctoritatibus concludit Gratianus non esse separandos præfatos conjuges.

Ex omnibus autem concludit Gratianus, quod „sive proprium, sive tantummodo viri filium de „sacro fonte susceperit, non ideo à viro suo sit „separanda: quod & de viro similiter oportet in„telligi.

Ejusque sententiam secuti sunt Pontifices.

Hanc Gratiani conclusionem secuti Pontifices, ac signanter Alexander III. in *cap.* 3. X *de cognat. spirit.* respondit, quod, " sive ex ignoran„tia sive ex malitia, proprium filium de sacro fon„te susceperint, non esse ab invicem separandos, „nec alter alteri debitum debere subtrahere, nisi „ad continentiam servandam possint induci.

Præmittit autem " Quod quamvis generaliter „sit institutum, ut debeant separari, quidam ta„men humanius sentientes, aliter statuerunt.

Nequaquam obscurum est, Alexandrum hic reflectere ad apocryphum decretum sub nomine *Deusdedit*, relatum à Gratiano canone 1. ipsumque pressè secutum auctoritatem Gratiani.

Quæst. II De ætate & consensu ad sponsalia requisito.

Quæstione 2. qua quæritur, " An sponsalia contrahantur inter infantes, hoc unum resol„vit Gratianus, quod sponsalia ante *septennium* contrahi non possint. " Solo enim consensu con„trahuntur, qui intervenire non potest, nisi ab al„terutra parte id intelligatur, quod inter eos agi„tur. Probatur ergo sponsalia non posse contrahi „inter pueros, quorum ætatis infirmitas consen„sum non admittit.

In probationem hujus sui asserti adducit unicum canonem sub nomine Nicolai I. his verbis: „Ubi non est consensus utriusque, ibi non est „conjugium. Ergo qui pueris dant puellas in cu„nabilis & econverso, nihil faciunt, nisi uterque „puerorum, postquam venerit ad Annos discre„tionis, consentiat: nec est conjugium, nisi sit „consensus utriusque, etiamsi Pater & Mater voluerint & fecerint.

Hoc autem decretum extat apud Cochleum inter decreta Nicolai I. è Gratiano collecta tit. 18. cap.

capit. 3. monetque Antonius Augustinus *lib. 2. de emend. Grat. Dial.* 18. quod fons hujus capitis *Nili fontibus obscurior sit.*

Interim in prima decretalium collectione apud Antonium Augustinum, *tit. de desponsat. impuberum cap.* 4. legitur initium hujus decreti cum clausula, &c. additurque, *hujus ergo Decreti auctoritate districtius inhibemus, ne de cætero aliqui, quorum uterque vel alter ad ætatem legibus vel Canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur.*]

Hinc evidens est, non eundem fuisse hujus decreti & verborum adjectorum fontem, uti putârunt Correctores Romani, reflectentes duntaxat ad ea, quæ habentur in *cap.* 2. *X.* de *desponsat. impub.* ubi initium quoque hujus Canonis cum adjectis verbis refertur, sed his omissis, *Hujus ergo decreti auctoritate.*

Nequaquam obscurum est, auctorem decretalis apud Antonium Augustinum per adjectam clausulam, &c. voluisse indicare decretum integrum, prout exstabat apud Gratianum sub nomine Nicolai I.

Insuper cum in decreto Nicolai I. apud Gratianum exprimeretur ætas septem annorum, non dubium, quin per ætatem legibus & Canonibus determinatam, auctor hujus decretalis, conformiter ad decretum à Gratiano relatum, intellexerit ætatem septem annorum.

Itaque auctoritate Gratiani, & hujus decretalis, communi consensu tandem receptum fuit, ad sponsalia requiri ætatem septem annorum.

Quæst. 3. De impedimento cognationis spiritualis.

Tertia quæstione tractat Gratianus de cognatione spirituali, & ex ea resultante impedimento, quæ *fraternitas* dicitur; patetque ex responso Nicolai Papæ in canone 1. hanc cognationem ad similitudinem cognationis carnalis & legalis esse indictam.

Ad hæc ex dicto canone 1. & canone 2. qui est ex Epistola Zachariæ ad Theodorum (quam exhibet Baluzius in appendice auctorum ad Reginonem) & Canone 3. sub nomine *Zacharia & Deusdedit* (quod non extat) colligitur quod censeretur cognatio spiritualis generans impedimentum matrimonii, non tantum inter susceptum aut susceptam de sacro fonte, & proles natas ante vel post susceptionem ex *ipso suscipiente*, sed etiam inter proles patris vel matris *naturalis* ipsius suscepti, id est inter Fratres & Sorores suscepti; perinde ac si omnes inter se fratres & sorores essent ex eisdem Parentibus geniti, quoniam utrique Parentes invicem se compatres & commatres appellabant.

Verum Canone 4. qui refertur sub nomine Urbani, scilicet secundi, qui sub finem Sæculi XI. sedit, dicitur quod *spiritualium Parentum filii vel filiæ ante vel post compaternitatem geniti, possint* LEGITIME *conjungi, præter personam illam, per quam compatres sunt effecti.*

In quo Gratianum est secutus Alexander III.

Hanc restrictionem amplexus est Alexander III. in *cap.* 1. *X. de cognat. spirit.* quamvis expresse notat, quod " Canones secundum diver„sorum locorum consuetudines contrarii inveni„antur, licet„ ait, *primus Canon* exinde *editus* „*post* compaternitatem natos ad invicem copulari „prohibeat, alter tamen canon posterius editus „primum videtur corrigere.

Tum recitat verba dicti canonis unde rursus patet, quàm exactè in omnibus Gratiani auctoritate usus fuerit Alexander III.

Quæst. 4. De impedimento cognationis spiritualis, quæ compaternitas vel commaternitas dicitur.

Quæstione 4. quæ erat: " An uxorem com„patris uxoris suæ alicui ducere liceat? agit Gratianus de cognatione spirituali impedimentum constituente, quæ *compaternitas vel commaternitas* appellatur. Cumque vir & uxor *sint duo in carne una*, oriebatur hoc impedimentum non tantum inter susceptionem maritum, vel susceptricem uxorem & parentes suscepti, sed & inter utrosque conjuges, licet unus duntaxat suscepisset: ita ut vir non posset mortua uxore sua ducere matrem suscepti, tametsi non ipse, sed uxor sua filium hujus de fonte suscepisset: atque hoc est, quod dicitur Canone 1. quod unus *duas commatres* habere nequeat in conjugem unam post alteram: *Quia*, ait, *vir & mulier una caro per connubium efficiuntur, restat nimirum, virum compatrem constitui illi mulieri, cujus matrimonio assumpta uxor commater esse videbatur.*

Inter quas personas olim reperiebatur.

Canon hic adscribitur Nicolao Papæ scribenti Constantiensi Episcopo Salomoni, extatque apud Cochleum *tit.* 17. *cap.* 5. reponiturque ab Antonio Augustino *lib.* 2. *de emend. Grat. Dial.* 19. inter *incerta.*

Quæ Gratianus adducit ad astruendum illud impedimentum parum authentica sunt.

Simile decretum adscribitur Canone 2. Concilio Chalcedonensi, at rectè monent Correctores Romani: " in Concilio Chalcedonensi nihil, hujusmodi extat tractatum, aut definitum.

Similiter quod Canone 3. exhibetur tanquam ex Epistola Innocentii Exuperio Tolosano Episcopo, non haberi in hac Epistola dicti Correctores annotârunt.

Interim ex his aliisque parum authenticis fragmentis, auctoritate Gratiani ultra modum extensum fuit hoc impedimentum, uti ostendi in *Jure Eccl part.* 2. *tit.* 13. *cap.* 6. ubi & exposui quam restrictionem induxerit Concilium Tridentinum.

Quæst. 5. De matrimoniis clandestinis.

Quinta & finali *quæstione*, quæ erat: An clan„destina desponsatio manifestè præjudicet? agit Gratianus de matrimoniis clandestinis, seu furtivis, producitque Canone 1. fragmentum Epistolæ Evaristi Papæ ad Episcopos Africanos, in qua declarantur esse *adulteria*, vel *contubernia*, vel *stupra*, aut *fornicationes potius, quàm legitima conjugia, nisi ab his, qui supra fœminam dominationem videntur habere, & à quibus custoditur, uxor detatur, & à parentibus & propinquioribus sponsetur, & legibus dotetur, & suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicatur, & à paranymphis, ut consuetudo docet, custodita & sociata, à proximis congruo tempore petita legibus detur, ac* SOLEMNITER *accipiatur: & biduo vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant.*

Videntur declarari invalida Can. 1. ex Epistola Evaristi Papæ.

Mirum quantopere hoc decretum quosdam Theologos vexaverit, quasi hinc concluderetur, ad *validitatem* matrimonii desiderari *consensum parentum*, aliasque ibidem expressas cæremonias, præsertim quia in Epistola additur, *ut à patribus accepimus, & à sanctis Apostolis, eorumque Successoribus traditum invenimus.*

At illa Epistola supposititia est.

Verum nihil aut parum nos hujus Epistolæ auctoritas movere debet; quia hodie eruditis nota & probata est ejus suppositio, quæ, etsi aliunde non probaretur, eam vel solum hoc fragmentum plene evinceret.

Non majoris auctoritatis habenda, quæ sub nomine ejusdem Evaristi refert Gratianus Can 10. & sub nomine Eleutherii Papæ Canone 11.

Ecclesia ejusmodi matrimonia semper improbavit.

Interim ex omnibus relatis concludit Gratianus, matrimonia clandestina ac Ecclesia semper fuisse improbata, neque eorum in foro externo à judice rationem haberi posse, ob defectum *legitimorum*

morum testium: neque tamen negari, esse vera conjugia, nec ea dissolvi posse: imò tanquam *vera* matrimonia debere agnosci si conjuges ambo *coram Judice* fateantur, se *clandestine* inter se contraxisse. "Conjugia (ait ad calcem Canonis 9.) quæ *clam* contrahuntur, non negantur „esse *conjugia*: nec jubentur dissolvi, si utriusque „confessione probari poterunt.

Olim tamen fuerunt coram Deo valida.

His itaque significare voluit Gratianus, clandestina matrimonia à Judice seu Ecclesia nullatenus pro *legitimis* conjugiis, ob defectum probationis, agnosci, nisi *utriusque conjugis Confessione* coram Judice seu Ecclesia matrimonium antè contractum agnoscitur: quo casu supponit, matrimonium tanquam ab initio ritè contractum ob consensum utriusque interpositum, esse reputandum; quod ad calcem Canonis 2. probari dicit finali clausula Canonis 1. ex Epistola Evaristi, ubi postquam dictum esset, *aliter præsumpta non esse conjugia, sed adulteria*, additur: *nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitima.*

An hæc clausula hujus spuriæ decretalis benè à Gratiano intellecta fuerit, dubito. Interim Alexander III. *in cap. 2 de cland. despons.* motus auctoritate Gratiani, respondit: "Si matrimonia „ita occultè contrahuntur, quòd exinde legitima „probatio non appareat; ii, qui ea contrahunt, „ab Ecclesia non sunt aliquatenus compellendi, „nimirum ad consummationem matrimonii.

Verùm (ait Alexander) *si personæ contrahentium* hæc voluerint publicare, nisi rationabilis „causa præpediat, ab Ecclesia recipienda sunt & „comprobanda, tanquam à principio in Ecclesiæ „conspectu contracta.

Hinc communi consensu conclusêre Theologi & Canonistæ, de jure communi matrimonia clandestinè quidem improbari, sed tamen à principio valida esse *apud Deum*, licèt non apud Ecclesiam; sed tunc primum declarari valida, postquam contrahentes voluerint publicare, uti ad citatum capitulum verbo, *à principio*, loquitur Glossographus.

Quid hac in parte mutaverit Synodus Tridentina, & qualiter matrimonia clandestina irritaverit, dixi *in Jure Eccl. part. 2. tit. 12. cap. 5.* ubi & *tit. 11. cap. 6.* egi de ritibus nuptiarum & eorum significatione, quorum meminit hic Gratianus Canone 3. & 7.

CAUSA XXXI.

Casus in hac causa propositus.

GRatianus hac causa tractat de impedimento matrimonii, quod præstat adulterium, casu ita proposito: "Uxorem cujusdam alius constu„pravit: eo mortuo adulter adulteram sibi in „uxorem accepit, filiam ex ea susceptam, cuidam „in conjugem daturum juravit, illa assensum non „præbuit: deinde Pater alii eam tradidit; à primo „reposcitur.

Quæst. 1.

Ex hoc casu tres elicit quæstiones: quarum prima quærit: "An possit duci in conjugium, „quæ priùs est polluta per adulterium?

Olim adulterium quodcunque impediebat matrimonium inter adulterum & adulterã.

Primò refert Canone 1. decretum sub nomine Leonis Papæ quo cavetur, ut nullus ducat in matrimonium, quam priùs polluit adulterio.

Similiter & Canone 3. synodali decreto declaratur Christianæ Religioni non convenire, *ut nullus ducat in conjugem, quam priùs polluit per adulterium*.

Hic Canon citatur ex Concilio apud Althæum habito præsente Conrardo Rege; at hactenus Concilium hoc non reperi.

Hæc eadem interim habentur Canone 40. Concilii Triburiensis Anni 895. atque applicantur speciali casui, qui Patribus fuerat propositus, nimirum de quodam, "qui alterius uxorem stu„pro violaverat, & insuper mœchæ, vivente viro „suo, juramentum dedisse dicebatur, ut post legi„timi mariti mortem, si supervixisset, duceret uxo„rem.

Hoc connubium prohibent & anathematizant Patres Triburienses, ac dein decretum suum concludunt his verbis: Non licet ergo, nec Christianæ „religioni oportet, ut ullus eâ utatur in matri„monio, cum qua priùs pollutus est adulterio.

Hinc non obscurum est, Patres Triburienses nequaquam impedimentum matrimonii restrinxisse ad hunc casum particularem ipsi Concilio propositum, sed generaliter reputasse, adulterium pro impedimento inter adulterum & adulteram.

Gratianus malè Canonem Concilii Triburiensis intelligens id restrinxit ad adulterium certis circumstantiis vestitum.

Nihilominus Gratianus, decreta non ex ipsis originalibus & primitivis auctoribus, sed ex aliis collectoribus desumens, fragmentum duntaxat illius Canonis Triburiensis prout apud Burchardum & Ivonem extabat, vidit & retulit, quo casus ille separatim à generali hac clausula referebatur, è quo Gratianus conclusit, hoc speciali casu duntaxat, adulterum inter & adulteram oriri impedimentum, addito & altero, quo adulter aut adultera in viri aut uxoris mortem fuerint machinati; quem casum addidit occasione decreti Concilii Meldensis Anni 845. quod sub nomine Concilii Triburiensis retulit Canone 5.

Hanc restrictionem proposuit ad calcem Canonis 3. Cùm enim hoc Canone dictum esset: *Nolumus enim, nec Christianæ religioni convenit, ut ullus ducat in conjugium, quam priùs polluit per adulterium*, subjungit per modum explanationis, "hic subaudiendum est, nisi peracta „pœnitentia, & si *nihil in mortem viri machina„tus fuerit*; vel si, *vivente viro fidem adulteræ „non dedit, se sumpturum eam sibi in conjugem*, si viro ejus superviveret.

Apertè hic docet Gratianus, adulterum posse adulteram habere in conjugem *peracta pœnitentia*, modò neutrum illorum, quæ ibi describuntur, intervenerit.

Hæc restrictio, etsi ante Gratianum ignota, à Pontificibus probata fuit.

Quamvis hæc restrictio ante Gratianum nullibi reperiatur expressa, multisque sæculis adulteriũ fuerit impedimentum inter adulterum & adulteram, neque nullus authenticus Canon sciatur, quo hæc modificatio ante Gratianum sit probata, nihilominus auctoritate Gratiani invaluit, eamque Pontifices in suis decretalibus probârunt, uti videri potest *in cap. 3. 5. & 6. X de eo, qui duxit, &c.* citatque Pontifex in citato *Capitulo 5.*

Canonem Meldensem sub nomine Concilii Triburiensis: quia ita apud Gratianum extabat, ut hinc rursus pateat, quòd passim, imò penè in omnibus ipsi etiam Pontifices in suis responsis Gratianum sequerentur, & disciplinam, tametsi à Gratiano contra antiquiores Canones primum adductam amplecterentur. Vide plura de hoc impedimento *in Jure Eccl. part. 2. tit. 13. cap. 7.*

Respondet Gratianus ad exemplum Davidis.

Post hæc objicit sibi Gratianus exemplum Davidis, "qui cum Bethsabee adulterium commisit, „& in mortem viri Uriæ machinatus est: & ta„men tandem eandem Betsabee duxit in uxorem. „Respondet Gratianus: In veteri Testamento „permittebantur propter infirmitatem, quæ in „Evangelii perfectione eliminata sunt.

Addit ad hanc rationem, ob quam uxor defuncti huic nubere non possit: generaliter enim „prohibentur viri & mulieres frequenter matri-„monia contrahere.

An & quo sensu à Patribus improbatæ secundæ nuptiæ.

Hinc arreptâ occasione refert Gratianus canone 8. 9. & 10. auctoritates, quibus secundæ nuptiæ improbari videntur, dicitque Gratianus ad finem canonis 10. hoc videri dictum in exhortationem *vidualis continentiæ*, non in condemnationem secundarum, & deinceps nuptiarum.

Verùm hæc solutio convenire non videtur verbis, quæ sub nomine S. Chrysostomi recitat Gratianus canone 9. ubi apertè pronuntiatur, quod *accipere* SECUNDAM *uxorem, secundùm veritatis rationem*, VERE FORNICATIO SIT. *Sed dum permittente Deo, publicè & licenter committitur, honesta fornicatio est.*

Sed hæc non sunt ipsius Chrysostomi, prout existimavit Gratianus, sed auctoris *operis imperfecti Matthæum*, ut post Correctores Romanos observârunt eruditi; notantque opus illud, aut ab hæretico aliquo compositum fuisse, aut ab hæretico aliquo corruptum: quamvis alioqui liber sit doctus, & minimè spernendus, uti loquitur Bellarminus *de Scriptoribus Eccl. in Chrysostomo.*

Meritò reflectetur ad variantes lectiones, quas canonibus hujus quæstionis subjecerunt Correctores Romani, & notas Stephani Baluzii ad aliquot ex his canonibus; poteritque etiam consuli Tractatus Historico-Canonicus *part. 2. §. 9. ad Canonem 3. & 7.* Neo Cæsarienses, quos recitat Gratianus canone 9. ubi ostendi, secundas nuptias quidem fuisse Patribus odiosas, atque ipsis aliquando pœnitentiam bigamorum fuisse impositam, nunquam tamen esse reprobatas, aut reputatas pro fornicatione.

Quæst. 2.

Quæst. 2. quæ erat, "An filia invita sit traden-„da alteri? probat Gratianus, quòd ad matrimo-„nium requiratur *liber* contrahentium consensus.

An sponsalia libero contrahentium consensu sint valida.

Et quidem canone 1. reprobantur sponsalia: *Si pater ipse coactus & dolens filiam infantulam, nolentem, flentem, & pro viribus renitentem, nonassentientibus, sed valde dolentibus matre & parentela desponsavit.*

Canonem hunc recitat Gratianus sub hac inscriptione: *item judicium Urbani Papæ*, apud Ivonem autem tam in decreto, quàm Pannormia additur: *de filia Jordani Principis*: quomodo etiam legi in veteri canonum collectione M. S. in Bibliotheca Regia monet hic Baluzius.

Refertur decretum pro validitate dictorum sponsalium.

Notandum autem hic dici, quòd *pater coactus & dolens* filiam desponsaverit: cùm enim de filia *impubere* seu *infantula* agatur, videbatur, quòd Pater ejus, cui voluisset, eam, etiam sine filiæ consensu, desponsare poterat; quemadmodum de filio *nondum adulto, cujus voluntas nondum discerni potest*, dicitur canone 2. legitur enim in hoc canone: *potest autem de filio nondum adulto, voluntas, cujus nondum discerni potest, pater eum, cui vult, in matrimonium tradere.*

Quin & additur: *& postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, omnino observare & adimplere debet.*

Concluditur decretum his verbis: *Hoc ab omnibus orthodoxæ fidei cultoribus sancitum, à nobis tenendum mandamus.*

At illud apocryphum, est.

Decretum hoc à Gratiano, uti & in prima decretalium collectione, refertur sub nomine Hormisdæ Papæ, & apud Gregorium IX. *cap. 1. & de desponsat. impub.* extat, omissis verbis conclusionis, sub nomine *Honorii Eusebio Episcopo*, uti monent Correctores Romani, sed hactenus, nec inter hujus, nec inter illius Epistolas aut scripta repertum est: ut proinde meritò inter apocrypha reponatur, & solius Gratiani auctoritate per Pontifices assumptum.

Plurimi in præfato decreto explicando laborant commentatores.

Interim laborant hic commentatores, quâ ratione *filius nondum adultus, voluntas, cujus nondum discerni potest*, possit à patre tradi alicui filiæ in matrimonium, ut, *postquam pervenerit ad perfectam ætatem, omnino debeat hoc adimplere*, uti legitur in citato *capitulo 1. de desponsat. impub.*

Glossographus ait, hoc de honestate esse intelligendum, non autem de necessitate; sed verba, tam apud Gratianum, quàm in decretalibus inanem & falsam hanc solutionem evincunt, uti rectè monet Franciscus Florens in commentario ad præsentem quæstionem, nam nihil evidentius, quàm verba illa, *omnino debet adimplere*, necessitatem absolutam imponere. "Et dicendum (ait „Florens) filium puberem non posse dissolvere „matrimonium, quod eo impubere pater elege-„rat. Nam sicut dicitur in *lege* QUAMVIS §. „*penult. ff. de acquirenda possessione*, judicium „impuberis pupilli infirmum suppleri auctoritate „& consilio tutoris, ita pariter in hac specie mul-„tò magis dicere possumus, infirmum impuberis „filii judicium suppleri & confirmari auctoritate „& consilio patris, perinde ac si ipse plenissimè „consensisset.

Sed vereor, ne hæc solutio sat firmo fundamento nitatur; neque ea apparet danda potestas tutori aut patri in matrimonium filii, sicut in ejus res temporales.

Verisimile admodum est, auctorem hujus decreti, quisquis ille fuerit, præ oculis habuisse canones, qui filium astringunt regulæ & vitæ monasticæ, cui à patre impubes oblatus & addictus fuerat, uti supra ad causam vigesimam *quæst. 1.* notavimus: atque credidisse, à professione monastica ad matrimonium carnale argumentum duci posse.

Quidquid sit, hoc constat, quod, sicut filius impubes paternâ pietate monasterio oblatus, postmodum pubes factus, hodie in Monasterio perseverare non tenetur, ita nec à patre desponsatus, teneatur, postquam ad pubertatem pervenit, sponsalibus illis stare.

Canon 4. constat ex verbis commonitorii, quod Nicolaus I. dederat duobus suis legatis, quos in Gallias mittebat, ut supra auctoritate interessent Synodo celebrandæ in negotio divortii Lotarii II. Regis & Thetbergæ uxoris suæ, quam dimiserat, uti monent correctores Romani, de qua lite plures sparsim canones apud Gratianum extant, eamque in rem insignem tractatum edidit Hincmarus Remensis *de divortio Lotharii & Thetbergæ.*

Quis metus coactas faciat nuptias.

Interim ex commonitorio habemus, non quemlibet metum facere coactas nuptias, quæ ob coactionem dissolvi queant, sed duntaxat metum gravem, qui cadat in *constantem virum*, sicut declarant hæc verba commonitorii: METU UNIUS HOMINIS TANTUS *Rex non debuit, &c.*

Quæst. 3. An & quando parentes sponsalia frangere possint.

Quæstione 3. unicum refert Gratianus canonem Concilii Eliberitani, quo parentibus imponitur pœnitentia triennii, qui fidem sponsalium filiorum suorum fregerint; excusantur autem, si liberi ipsi absque eorum consensu ea fregerint, quod his verbis significare voluit Concilium: *Si tamen iidem Sponsus vel Sponsa in illo gravi cri-*

mine

mine fuerint deprehensi, excusati erunt Parentes: quemadmodum legitur in originali & apud Gratianum legatur, cùm negativè NON *fuerint deprehensi:* quæ lectio genuinum sensum Canonis pervertit.

Post relatum Canonem ita concludit Gratianus "Ecce, quod non licet parentibus filiorum „suorum sponsalia frangere. Verùm hoc de illis „intelligendum est, qui illorum consensu contra„huntur.

Finalis clausula non obscurè insinuat, ætate Gratiani matrimonia filiorum familias sine consensu parentum inita, fuisse invalida, quod & notavit Hericourt in Analysi hujus quæstionis.

CAUSA XXXII.

Casus in hac causa propositus.

GRatianus materiam matrimonialem prosequens hunc casum proponit: "Quidam „vir, cùm non haberet uxorem quandam mere„tricem sibi conjugio copulavit, quæ erat steri„lis, neptis ingenui, filia originarii: quam, cùm "pater alii vellet tradere, huic avus eam copulavit, "causâ solius incontinentiæ. Deinde hic pœni„tentiâ ductus, ex ancilla propria filios sibi quæ„rere cœpit, postea de adulterio convictus & pu„nitus, quendam rogavit, ut vi uxorem oppri"meret suam, ut sic eam dimittere posset: quo fa"cto quandam infidelem sibi copulavit, eâ tamen „conditione, ut ad Christianam religionem tran„siret.

Quæst. 1. An licitè matrimonium contrahatur cum meretrice. Quædam pro parte negativa adducit Gratianus.

Quæstione 1. quærit: "An meretrix licitè du„catur in uxorem?

Sub initium quæstionis, pro parte negativa sic arguit: "quòd autem meretrix in conjugem duci „non debeat, multis auctoritatibus & rationibus „probatur. Illa enim, quæ adulterii rea convin„citur, nisi post peractam pœnitentiam, in con„jugii consortio retineri non potest.

Occasione hujus asserti de non retinenda adultera in conjugii consortio, plures auctoritates, sed pleraque sub falsis nominibus adducit, quibus probari videtur, quòd vir uxorem de adulterio convictam retinere, aut recipere nequeat. Verùm ad calcem Can. 4. auctoritates generaliter & indefinitè loquentes monet intelligendas, "nisi „ab adulterio mulier recedere voluerit: quo ca„su, ait, uxorem suam vir recipere potest, nul„lum periculum ei illaturus.

At monet ea intelligenda de casu, quo meretrix nolit se corrigere.

Quam restrictionem nonnullis dein testimoniis probat, ac signanter S. Augustini Canone 7. *ex lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 6.* Pollentio, *enim durum videbatur, ut post adulterium reconcilietur conjux conjugi. At si fides adsit* (respondet Augustinus) *non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros, quos vel baptismate ablutos, vel pœnitentiâ credimus esse sanatos?*

Ejusmodi matrimonium cum meretrice legibus Romanis erat vetitum.

Admodum verisimile est, Palentium non tantùm veteris Testamenti lege motum fuisse, sed etiam legum Romanarum, quas Ecclesia quoque suscipiebat, auctoritate, quibus sancitum erat, marito non licere deprehensam in adulterio, vel damnatam reducere, nec alteri cuilibet uxorem ducere: alioquin maritus in crimen lenocinii incidebat, & in pœnas legis Juliæ *de adulteriis*, uti & extraneus eam in uxorem ducens *L. 29. ff. ad legem Juliam de adult. & L. 2. Cod. eodem*, cujus & meminit Gratianus ad calcem Canonis 10. quam restringit ad eam, quæ in adulterio *perseverare elegerit:* quo casu juxta cantatam *legem* 2. dicit, quod, "Patronus turpitudinis & lenocinii „reus maritus habebitur, nisi eam adulterii ream „facere voluerit.

Hinc ulteriùs concludit, pro resolutione propositæ quæstionis, quod, "si adulteram nulli re„tinere permittitur, multò minùs in conjugium „duci licebit, cujus pudicitiæ nulla spes habetur.

Auctoritates, quas hanc in rem allegat canone 11. 12. & 13. nihil simile probant; citatque verba S. Hieronymi sub nomine S. Ambrosii, uti ad canonem 12. notant Correctores Romani.

Juxta Gratianum licitum est cum meretrice conjugium, dum per illud ad castitatem revocari potest.

Interim resolvit propositam quæstionem ad calcem canonis 13. dicens, licere "accipere in „conjugem meretricem, vel retinere adulteram, "quam (ait) tuâ consuetudine, castitate & pudi"citiâ exornes: non autem aliquam earum habe„re, quam *nullo pacto* à luxu carnis suæ revocare „valeas.

Quin imò Pontifices Gratianum secuti ejusmodi conjugium tanquam valde meritorium laudant.

Hac Gratiani resolutione dicti Pontifices, non tantùm nuptias cum publicis meretricibus non improbârunt, sed & laudârunt, tanquam opus summè meritorium: de quo notanda est decreta lis Clementis III. prout integra extat in secunda collectione apud Antonium Augustinum, fragmentum refertur *in cap. 20. X de sponsalibus.* „Scribit enim, inter opera charitatis, non mini„mum esse, errantem ab erroris sua semita revo"care, ac præsertim mulieres voluptuosè viven„tes, & admittentes indifferenter quoslibet ad „commercium carnis, ut castè vivant, ad legiti„mum thori consortium invitare. Hoc igitur at"tendentes (ait) auctoritate Apostolicâ statuimus, "ut omnibus, qui publicas mulieres de lupanari „extraxerint & duxerint in uxores, quod agunt, „in remissionem proficiat peccatorum.

Sed in hoc puncto à legibus civilibus & pristina disciplina recessum est.

Non dubium, quin hac in parte à legibus civilibus procul recessum fuerit, utpote quæ similes nuptias omnino improbabant, uti videre est *L. 41. & seq. ff. de ritu nupt. & L. 7. Cod. de incestis nupt.*

Quin & Patres jam pridem has nuptias ùt minùs honestas existimâsse evincitur, quandoquidem, qui cum meretrice contraxerant, post mortem uxoris ad ordines promoveri vetarent *Canone 2. dist. 33. & Can. 9. dist. 34.*

Hic rursus videmus quomodo Pontifices auctoritate Gratiani à Patrum ac pristina disciplina recesserint.

Quæst. 2

Secunda quæst. quærit Gratianus, "an ea, quæ „causâ incontinentiæ ducitur, sit conjux appel„landa?

Quis sit finis matrimonii.

Pro quæstionis resolutione monet ad finem Canonis 2. "ex prima institutione conjugii in „Paradiso, debere esse thorum immaculatum & „honorabiles nuptias, ex quibus sine ardore con„ciperent & sine dolore parerent. At post lapsum extra paradisum institutio conjugii facta est, (ait) "ut infirmitas prona in ruinam turpitudi„nis, honestate exciperetur conjugii, *juxta illud* „Apostoli, *propter fornicationem unusquisque* „*suam uxorem, & unaquæque virum suum ha*„*beat.*

Concludit ergo Gratianus, quòd, licèt prima institutio sit, ut duntaxat ob filiorum procreationem actus conjugalis adhibeatur, non tamen nuptiæ malæ indicentur, tametsi præter generandi intentionem adhibeatur: "quod enim (ait) „præter intentionem generandi fit, non est nu„ptiarum malum, sed est veniale propter nuptia„rum bonum, quod est tripartitum: fides videli„cet, proles & Sacramentum.

Hoc probat Canone 3. auctoritate S. Augustini

stini docentis, quod *in ipsa quoque immoderata exactione debiti carnalis, quam eis non secundum veniam concedit Apostolus, ut etiam præter causam procreandi sibi misceantur, etsi eos pravi mores ad talem concubitum impellunt, nuptiæ tamen ab adulterio, seu fornicatione defenduntur: neque enim* (ait) *illud propter nuptias admittitur, sed propter nuptias ignoscitur*, ut scilicet hujusmodi concubitus in crimen adulterii seu fornicationis non reputetur, sive, ut loquitur Gratianus, ut sit *veniale* malum propter nuptiarum bonum.

Intermiscet hic Gratianus Canone 13. & sequentibus aliqua de consensu parentum in nuptiis filiorum, videturque hisce probari, quod antiquitùs ad validitatem matrimonii, conformiter ad jus civile, consensus parentum fuerit necessarius: at hodie scitur, non esse omnino necessarium ad validitatem matrimonii.

Quæst. 3. Cujus consensus ad matrimonium requiratur, an avi liberi, an patris servi?

Quæstionem tertiam, qua erat, " cujus arbi„trium aliqua sequatur, an liberi avi, an origina„rii patris? resolvit Gratianus relato unico Cano„ne sub nomine Pelagii: quod si filia sit in pote„state avi ingenui, cujus pater est *servus*, debeat „habere consensum *avi*: quia Pater, utpote ser„vus, videtur civiliter mortuus, cujus nullo modo „liberum potest esse arbitrium, ait Canon.

Hactenus responsum hoc inter Epistolas aut decreta Pelagio primo vel secundo assignata non reperi, ideoque nihil certi inde concludi potest, neque hodie hic usui venit; utpote qui veros servos non cognoscimus.

Quæst. 4.

Quæstione 4. quærit Gratianus, " si vivente „uxore liceat alicui filios ex ancilla quærere?

Polygamia licita fuit in veteri lege.

Dubitandi ratio oriebatur propter Abrahæ, Jacob & aliorum Patriarcharum exempla, qui propter uxorum sterilitatem, prolis procreandæ causâ ad ancillas accesserant, uti ad initium hujus quæstionis arguit Gratianus.

Verùm auctoritatibus, quas Canone 3. & sequentibus refert Gratianus, ostenditur, Patres advertisse, ea ante legem *Moysis*, & post diluvium permissa fuisse.

Primum quidem ob generis humani rationem Patriarchæ conjugibus miscebantur (ait Augustinus Canone 7.) non concupiscentia percipiendæ voluptatis, *sed providentia propagandæ successionis.*

Secundò, ob mysticam & occultam quandam rationem, & quòd pro varietate temporum dispensatio illa divina locum habuerit: ut enim (ait) Hieronymus Canone 6. *servivit ille* (Abraham) *legi & tempori suo: serviamus & nos Evangelio & tempori nostro, in quos fines sæculorum decurrerunt.*

In nova lege omni casu est illicita.

Pluribus dein Canonibus evincit Gratianus, nullo fine, nullaque de causa hodie licitum esse, vivente legitimâ uxore, ad aliam ingredi: *Satius est defungi sine liberis, quàm ex illicito coitu stirpem quærere*, ait Augustinus Canone 8. & rursus Canone 10.: *sic non sunt facienda adulteria, etiam voluntate generandi regenerandos: quemadmodum nec furta facienda sunt, etiam voluntate pascendi pauperes sanctos.*

Hinc ad calcem hujus Canonis concludit Gratianus: " Ecce, quod nullo modo licet alicui, vi„vente uxore sua, vel ex ancilla, vel ex alia quali„bet quærere filios: qui etiam suscepti, Filiorum „nomine judicantur indigni.

Quid dicendum de immunditiis cum propriis uxoribus.

Addit autem Gratianus: " simplex etiam for„nicatio in Sacra Scriptura prohibetur. Probat id Canone 11. auctoritate S. Augustini & Canone 12. verbis S. Hieronymi, qui & docet, damnari & in propriis uxoribus voluptates extraordinarias & immunditias, *ipsarum quoque opera nuptiarum* (ait) *si non verecunde & cum honestate quasi sub oculis Dei fiant, ut tantùm liberis serviatur, immunditiam & luxuriam nominavit.*

Non dubium tamen, quin immunditias cum propriis uxoribus, quæ extra legitimas uxores essent mortales, ipsæ nuptiæ facere possint interdum *veniales*, uti supra notatum est.

Quæst. 5. Virgo vim patiens pudicitiam non amittit, neque uxor sit rea adulterii.

Quinta quæstio à Gratiano proposita est, " si ea, quæ vim patitur, pudicitiam amittere comprobetur; Multis Patrum auctoritatibus sed nonnullis mutilatis, uti notant Correctores Romani, probat Gratianus usque ad Canonem 14. Si virgini vel nuptæ stuprum aut adulterium *per vim* inferatur *omnino reluctanti & invita*, nec pudicitiam amittere virginem, nec adulterii ream esse uxorem. *Proposito enim animi permanente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori aufert sanctitatem violentia libidinis alienæ, quam servat perseverantia continentiæ suæ*, ait August. Can. 4. & Can. 6. *de pudicitia quis dubitaverit, quin ea sit in animo constituta, quandoquidem virtus est; unde à violento stupratore eripi nec ipsa potest.*

Hac quæstione à Canone 15. incipit Gratianus de adulterio agere: cumque Canone 15. & 16. dictum esset, eum esse adulterum, qui vivente uxore ad *explendam libidinem* vel alia de causa ad aliam accessit, concludit ad finem Canonis 16. non posse dici adulteram, nec fornicariam, quæ *violenter aliena libidine oppressa vim pertulit.*

Nulla ex causa potest dimitti uxor, nisi ob fornicationem.

Dein relatis verbis Evangelii, quibus Christus respondit discipulis, neminem posse uxorem dimittere, *excepta causa fornicationis*, infert: „unde datur intelligi, quod qualescunque fuerint „vir & uxor, ex quo conjugali affectu sibi adhæ„serint, ulterius ab invicem discedere non valent

Pluribus igitur auctoritatibus adstruit, nulla quacunque ex causa, *excepta causa fornicationis*, conjuges à se mutuò recedere posse, imò quidquid (*excepta* FORNICATIONE) *cogitari potest vehementer horribile, pro fide & societate sustineat*, inquit S. Augustinus Canone 18

Æqualis est jus mariti & uxoris ad dimittendam comparem adulteram.

His quoque auctoritatibus probatur, quod, sicuti vir uxorem de adulterio accusare potest, id simpliciter uxori liceat respectu mariti (*apud nos*, ait Hieronymus Canone 20.) *quod non licet fœminis, æquè non licet viris, & eadem servitus pari conditione censetur.*

Quæst. 6

Post hæc *quæstione* 6. quærit: " Si adulter pos„sit dimittere adulteram.

Adulter comparem adulteram dimittere non potest.

Tribus primis Canonibus auctoritate Augustini probat Gratianus, *nihil iniquius esse, quam fornicationis causa dimittere uxorem, si & ipse convincitur fornicari: occurrit enim illud: IN QUO ENIM ALTERUM JUDICAS, TEMETIPSUM CONDEMNAS: EADEM ENIM AGIS, QUÆ JUDICAS: quapropter quisquis fornicationis causa vult abjicere uxorem, prius debet esse à fornicatione purgatus. Quod similiter etiam de fœmina dixerim, uti habetur* Canone 1. propterea graviùs puniendos viros adulterantes, quàm mulieres, eò quòd *magis ad eos pertineat & virtute vincere, & exemplo regere uxores*, uti loquitur Canon 4.

Allegat Canone 5. fragmentum ex libro de decem chordis sub nomine Augustini: sed Augustini non esse, notant Benedictini.

Quæstione

Quæst. 7.

Quæstione septima quærit Gratianus: si vir dimissa uxore ob adulterium possit ea vivente aliam accipere?

Nullo casu matrimonium per adulterium dissolvitur.

Canone primo usque ad decimum sextum profert auctoritates, præsertim S. Augustini, licet nonnihil mutilatas, ut ad Canonem 3. monent Correctores Romani, è quibus ad calcem Canonis 16. monstrari ait, "quod, quicunque causa „fornicationis uxorem suam dimiserit, aliam illa „vivente ducere non poterit, & si duxerit, reus „adulterii erit.

Restrictio à Gratiano adducta falsa est & inepta

Verum post factam generalem ac indefinitam conclusionem, immediate subjungit Gratianus, has auctoritates de his loqui, "quorum conti-„nentia carnalis infirmitas non impedit, vel de „his, qui præstantes causam dissidii, aliorum „conjunctione se reddiderint indignos.

Hanc restrictionem parum convenientem relatis auctoritatibus excogitasse videtur Gratianus ut eas in speciem saltem conciliaret cum textu, quem sub nomine S. Ambrosii refert Canone 17. ubi relatis verbis Apostoli 1. *ad Corinth.* 7. UXOR à VIRO NON DISCEDAT, &c. additur, *ideo non subdit* (Apostolus) *de viro, quod de uxore præmisit, quia viro licet ducere aliam.*

Merito ad illa verba sub nomine Ambrosii hic relata notandum monitum Correctorum Romanorum; ipsamque conciliationem à Gratiano adductam esse ineptam & falsam Catholici fatentur, utpote negantes matrimonium ob adulterium alterutrius partis dissolvi, ita, ut alteri parti innocenti liberum esset ad alias nuptias transire.

Responsum Gregorii relatum Canone 18. falsum est.

Post hæc Canone 18 refert Gratianus responsum Gregorii juniori datum Bonifacio Episcopo. Quæsierat Bonifacius, *Si mulier infirmitate correpta non potuerit viro debitum reddere, quid ejus faciat jugalis?* respondet Gregorius, *bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret: sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non poterit continere, NUBAT MAGIS, non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas prævedit, non detestabilis culpa excludit.*

Epistola hæc à Gratiano tribuitur Gregorio *juniori*, qui vulgo creditur *Gregorius* III. unde & in decreto correcto simpliciter tribuitur huic Gregorio; at probat Jacobus Sirmundus in nota ad hanc Epistolam non posse eam tribui Gregorio III. sed adscribendam Gregorio II. ait, & in editione Conciliorum tom. 6 tribuitur à Labbæo.

Id fatetur ipse Gratianus.

Vidit Gratianus, hoc Gregorii responsum nulla specie conciliari posse cum relatis auctoribus & doctrina ab Ecclesia circa indissolubilitatem vinculi matrimonialis recepta, ideo ad calcem hujus canonis 18. dicere non dubitavit: "illud Grego-„rii sacris Canonibus imo Evangelicæ & Aposto-„licæ doctrinæ penitus invenitur adversum.

Evidens est, Gratianum nequaquam dubitasse quin Gregorius in hoc suo responso à veritate Evangelica recesserit, adeoque manifeste supposuerit Pontifices in suis responsis, & decretis circa fidem sive Evangelicam veritatem posse errare, quod & aliis locis ac notanter in Canone *si Papa Distinct.* 40. supposuisse & non obscure declarasse in his reflectionibus notavimus.

Idem post Gratianum supposuerunt veteres Canonistæ & Theologi.

Et quidem Glossographus secutus Gratianum, uti & veteres passim Canonistæ & Theologi idipsum supposuerint, unde & ad hunc Canonem verbo, *adversum*, notavit Glossographus, quod in hoc responso aberraverit, sive non bene dixerit Gregorius. Objiciens enim sibi, *quod Leo quartus dicta Gregorii minoris sine exceptione mandavit tenenda*, respondet, *sed illud in aliis in quibus bene dixit*, manifeste indicans Gregorium, hic non bene dixisse, & ideo observari non debere.

Nulla hic apud ipsos reperitur distinctio inter decreta cathedratica & non cathedratica.

Insuper notandum, quod Gratianus, dum dixit & supposuit Pontificem in suis decretis & responsis posse à veritate Evangelica recedere, nullam adhibuerit unquam distinctionem inter decreta *Cathedratica*, sive, ut hodie nonnulli loquuntur, *ex Cathedra* prolata: & non *Cathedratica*, seu non pronuntiata ex *Cathedra*, neque eam apud veteres Canonistas aut Theologos Gratianum secutos adhibitam legimus, ut proinde hæc distinctio videatur à recentioribus nonnullis, postremis his sæculis, pro asserenda Pontificis in fidei & morum dogmatibus infallibilitate adinventa.

Præfatum responsum Gregorii, etiam juxta modernos debet dici cathedraticum

Verum quidquid recentiores hi sive Theologi sive Canonistæ, etiam adinstruendæ huic Pontificum infallibilitati studiosissimi, requirunt, ut Decretum aliquod dicatur per Pontificem pronuntiatum ex Cathedra, nequaquam negabit esse circa hoc decretum à Gratiano hic relatum, qui integram Epistolam hujus Pontificis, è qua hoc decretum desumptum est, serio attenderit.

Ex hac enim Epistola, quæ integra extat *tom.* 6. *Concil. General. col.* 1448 habetur, & signanter ex ejus præfatione Bonifacium postulasse à Gregorio Papa, non quid ipse Gregorium tanquam doctor & singularis Episcopus de capitulis in Epistola per Bonifacium propositis sentiret, *sed qualiter teneat vel doceat hac sancta Apostolica Romana Ecclesia.*

Præterea ex eadem præfatione habetur, Gregorium conformiter ad postulationem Bonifacii respondisse: relato enim prædicto Bonifacii postulato, subjungit: "bene satis, quia Beatus Pe-„trus Apostolus & Apostolatus & Episcopatus „principium exstitit: & consulenti tibi de statu „Ecclesiæ, non ex nobis, quasi ex nobis sed ejus „gratia, qui aperit os mutorum, & infantium „linguas facit disertas, qualiter tenere debeas „Apostolici vigoris doctrinam dicimus.

Ulterius constat Gregorium, non voluisse solummodo Bonifacium, suum per Germaniæ legatum, instruere, quid ipse tenere deberet de articulo hic proposito, sed qualiter populus quoscunque instruere teneretur.

Habetur enim ex Epistola 3. hujus Pontificis ad Episcopos & alios omnium ordinum tum Clericos tum Laicos, quod Bonifacium miserit ad convertendos populos ubicunque eos reperiret: igitur censendus est Pontifex voluisse, ut Bonifacius super articulis propositis (inter quos erat hic à Gratiano relatus) ita populos instrueret, & ita ab ipsis tenendum qualiter non ipse, sed ejus gratiâ qui aperit os mutorum, & infantium linguas facit disertas, ipse in hoc responso tenere deberet Apostolici vigoris doctrinam, dixerat: adeoque ipse Gregorius juxta hanc resolutionem super articulo proposito universos populos, ubicunque eos reperiret Bonifacius, instruendos censuerit.

Hæc occasione eorum, quæ Gratianus de decreto Gregorii Papæ dixit.

Locus S. Ambrosii relatus Can. 17. inepte à Gratiano explicatus.

Cæterum circa sententiam S. Ambrosii relatam Canone 17. in qua Ambrosius apertè videtur dicere, viro licitum esse ob adulterium uxoris ad aliud matrimonium transire, varias reconciliandi rationes eodem loco adducit Gratianus, sed

sed parum convenientes, imo à mente auctoris plane alienas.

Verisimilior responsio.

Verisimilius apparet, quod sub initium hujus discursus ex quorundam opinione refert Gratianus, scilicet: *illud Ambrosii à falsatoribus dicitur insertum.* Notatur enim in recentiore & accuratiore operum S. Amb. editione à Benedictinis procurata, hæc verba: *ideo non subjecit*, &c. abesse à codice Remigii uno, & adjectum contendit P. Lombardus *lib.* 4. *dist.* 35.

Monent quoque Correctores Romani pluribus locis ibi citatis contrariam sententiam ab Ambrosio asseri; supponunt tamen citatam sententiam esse revera S Ambrosii ex ejus in Epistolas Pauli commentariis.

Verum hæc commentaria falso attribui Sancto Ambrosio notant prædicti operum illorum revisores in admonitione his commentariis in appendice operum S. Ambrosii præfixa, in qua & in verum hujus operis auctorem inquirunt.

De incestu.

Nonnulla addit dein Gratianus de adulterio & sacrilego concubitu cum consanguineis, aut affinibus, pœnitentiisque eis peragendis.

Inter adulteros incestuosos nullum erat matrimonium.

Porro ex canone 19 20. & sequentibus probari videtur, nullum tunc temporis inter adulteros incestuosos matrimonium consistere potuisse, perpetuamque pœnitentiam agere debuisse.

Nonnulla apocrypha aut dubiæ fidei hic à Gratiano impenduntur, ac notanter canone 20. 25. & 26.

Vinculum conjugale manet, etiam factâ separatione ob adulterium.

Cum autem præcipue hac quæstione quæreret Gratianus, num dimissa ob adulterium posset, vivente viro, aut vir, vivente uxore, alteri jungi, resolvit simpliciter Gratianus ad calcem canonis 26. id nequaquam licere, "manet enim (ait) inter eos quoddam vinculum conjugale, quod nec „ipsa separatione dissolvitur.

Quæstio VIII. Unde nec tunc aliud matrimonium etiam ob finem optimum contrahi potest.

Quin & *quæstione* 8. prolata Augustini sententia, sed paulo aliter, quàm apud Augustinum exprimitur, dicit, quod nec post dimissam conjugem *ream adulterii* liceat, ea *vivente*, ducere aliam etiam *infidelem*, *ut faciat Christianam* quemadmodum, *qui non alligatus uxori continentiam Deo voverit*, *nullo modo debet ista compensatione peccare*, *ut ideo credat uxorem sibi esse ducendam*, *quia promisit*, *quæ nuptias ejus appetit*, *futuram se esse Christianam.*

CAUSA TRIGESIMA TERTIA.

Casus in hac causæ propositus.

Gratianus matrimonialem materiam prosequens, casum hunc proponit, "quidam vir „maleficiis impeditus, uxori suæ debitum reddere non poterat, alius interim clanculo eam corrupit, à viro suo separata corruptori suo publice "nubit: crimen, quod admiserat, corde tantum „Deo confitetur: redditur huic facultas cognoscendi eam: reperit uxorem suam: qua recepta, „ut expeditius orationi vacaret, & ad carnes agni „purius accederet, continentiam se servaturum „promisit: uxor vero consensum non adhibuit.

Quæst. I.

Quinque hinc quæstiones formas, quarum prima quærit: "An propter impossibilitatem „coeundi, à viro suo aliqua sit separanda?

Fragmenta quædam refert Gratianus canone 1. & 2. sub nomine *Gregorii Joanni Ravennati Episcopo*, at hæc apud Sanctum Gregorium non reperiuntur.

Notat Stephanus Baluzius, prius fragmentum esse desumptum ex cap. 29. Epistolæ Rabani ad Hericaldum, quam & edidit in appendice ad Reginonem; apud quem etiam hoc fragmentum sub nomine Rabani extat *libro* 2. *capit.* 241.

Interim ex his auctoritatibus Gratianus ad calcem Canonis 3. concludit quod, "impossibilitas reddendi debitum solvit vinculum conjugii. „Addit autem sed hoc de naturali impossibilitate „statutum esse.

Aliud est de impotentia superveniente post contractum matrimonium.

Hoc dictum Gratiani indubie intelligendum de impossibilitate sive impotentia naturali reddendi debitum, quæ erat tempore contracti conjugii; non autem de *superveniente impotentiâ* post contractum legitime matrimonium.

Hanc enim non dissolvere matrimonium contractum probat Augustinus in canone 27. & 28. Caus. 32. q. 7. nec de hoc quæstio est.

Olim in Ecclesiâ Romanâ impotentia non erat impedimentum dirimens.

Verum impotentiam reddendi debitum nec tempore Alexandri III. id est, sæculo 12. fuisse ubique & generaliter impedimentum dirimens, constat ex ejus decretalibus, prout extant in *cap.* 2. & 3. *de frigidis & maleficiatis* in prima decretalium collectione apud Antonium Augustinum, respondit que quod, "diversa sunt inde decreta & „diversæ sententiæ: sed consuetudo est (inquit) "Romanæ Ecclesiæ in similibus taliter tenere, "quod, si non potest eam sicuti uxorem habere, „ipsam habeat ut sororem, & in dicto cap. 3.

Alia erat disciplina Ecclesiæ Gallicanæ.

„quod, si consuetudo generalis Ecclesiæ Gallicanæ habeat, ut hujusmodi matrimonium dissol"vatur, nos, ait, patienter tolerabimus, si secum "dum illam consuetudinem eidem mulieri, cui „voluerit in Domino nubendi concesseris facul„tatem.

Quam tandem Romana totaque Ecclesia amplexa est.

At sensim Ecclesia Romana aliarum Ecclesiarum consuetudini se conformavit, atque ita per totam Ecclesiam impotentia naturalis & absoluta impedimentum *dirimens* matrimonium constituit, uti patet ex titulo decretalium Gregorii IX. *de frigidis & maleficiis* ubi dictæ decretales referuntur, rescissis iis, quæ contrariam Ecclesiæ Romanæ consuetudinem indicabant. Hinc rursus videmus etiam tempore Alexandri III. Ecclesiam Gallicanam diversam disciplinam à disciplina Romanæ Ecclesiæ retinuisse; neque hanc unquam recepisse, sed èconträrio Ecclesiam Romanam disciplinam Ecclesiæ Gallicanæ acceptâsse.

Quandonam impotentia ex maleficio dirimat matrimonium.

Profert denique Gratianus canone 4. fragmentum Epistolæ hincmari Rhemensis, quo asseritur, si per sortiarias & maleficas factum sit, ut concubitus non sequatur, neque adhibitis orationibus ac Eleemosynis, & exorcismis aliisq; mediis sanari potuerunt, *tunc separari valebunt, sed postquam alias nuptias expetierint, illis in carne viventibus, quibus juncti fuerant prioribus, quos reliquerant, etiamsi possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt.*

Circa dissolutionem matrimonii ratione impotentiæ aut adulterii, non fuit semper eadem opinio.

Ad calcem hujus Canonis monet Gratianus, „hoc videri contrarium præmisso capitulo Gre"gorii (in canone 2.) ibi enim post possibilitatem "redditam jubetur separari ab ea, cui secundo "nupserat, & redire ad primam. Hic autem vi„vente eo, cui secundo copulata fuerat, primo re„conciliari non poterit.

Quæst. II Gratiani opinio de dissolutione matri-

Hic enim rursus sub initium *quæstionis secundæ:* ait, "quod autem ei, cum quo prius fornicata fuerat, post separationem nubere possit, „superius probatum est. Mortuus enim est sibi

monii per divortium factû authoritate Ecclesiæ.

„sibi vir ejus, ex quo judicio Ecclesiæ ab eo separata ab ejus lege soluta est, unde juxta Apostolum: *Nubat cui vult tamen in Domino*, sed „quæritur, si sine Ecclesiastico judicio, nulla „causa dissidii rationabiliter probatâ ab ea discessisset, an esset cogendus redire ad eam.

Non licet sine sententia Ecclesiæ facere divortium.

Nequaquam obscurum est, quod Gratianus non dubitaverit, quin conjuges in causâ fornicationis judicio Ecclesiæ ab invicem separati, possint liberè alteri jungi, sed præsenti *quæst.* 2. quærit de eo, qui sine judicio Ecclesiæ dimisit uxorem, & *priore parte* probare vult, non licere viro sine judicio, & sententia Ecclesiæ ex qualiber causa dimittere uxorem, vel uxori virum relinquere, alioquin per censuras redire compelli possint.

Olim in Ecclesiâ Romanâ impotentia non erat impedimentum dirimens.

Et quidem Canone 1. citat Canonem sub nomine Concilii Carthaginensis, cui Augustinus interfuit, sed revera est Synodi Agathensis, ut notant Correctores Romani, in quo decernitur, quòd "si mariti antequam apud Episcopos comprovinciales dissidii causas dixerint, & priusquam in judicio damnentur, uxores suas abjecerint, à communione S. Ecclesiæ, & populi „cœtu, pro eo quod fidem & conjugia maculant, excludantur.

Alia erat disciplina Ecclesiæ Gallicanæ.

Profert & Canone 3. fragmentum sub nomine Nicolai Papæ Carolo Regi; sed rectè monet Antonius Augustinus *Lib.* 2. *de emend. Gratian. Dial.* 12. non esse Nicolai, sed esse *Isidori Mercatoris* in præfatione Conciliorum, refertur que in eo fragmento quoddam excerptum ex historia *Eusebii Lib.* 7. *Histor. Eccl. cap.* 17. editionis Valesianæ, ubi historia de muliere à viro de adulterio accusata fusius describitur.

Quam tandem Romana totaque Ecclesia amplexa est.

Addit Canone 4. fragmentum ex Epistola Nicolai I. ad Carolum Calvum in causa divortii Lotharii cum Thietberga, è qua Epistola plura fragmenta à Gratiano relata sunt, uti loco citato monet Antonius Augustinus: de quo divortio specialem tractatum scripsit Hincmarus Rhemensis, uti supra monuimus.

Ex his igitur concludit Gratianus, viro non licere sua authoritate uxorem dimittere. Et "quia separatio pœna est, & pœna nulli inferenda, nisi per judicem, generaliter hoc, ait, intelligendum est, ut sive ob causam præmissam, „sive nullâ causâ existente, non liceat, alicui sua „authoritate uxorem dimittere.

De interfectoribus uxorum, & pœnitentia ipsis imponenda.

Post hæc agit Gratianus de interfectoribus uxorum propriarum ob commissum adulterium, profertque in eam rem Can. 5. & 6. nonnulla sub nomine Nicolai Papæ, sed utrumque fragmentum *incertum* esse monet Antonius Augustinus *Lib.* 2. *Dial.* 18. quod autem Can. 7. citat sub nomine Pii Papæ apocryphum esse hodie exploratum est.

Agit dein de pœnitentia interfectoribus uxorum imponenda, eamque in rem adfert prolixum fragmentum sub nomine *Stephani Papæ Hastulpho*, at Burchardus *Lib.* 6. *cap.* 40. illud allegat ex Epistola *Paulini Forojuliensis Episcopi* ad *Heistulfum*, quam esse genuinam inscriptionem probat hic Stephanus Baluzius: extatque hæc Paulini Epistola *Tom.* 7. *Conc. general. col.* 1064.

Interim ex hoc fragmento & Epistola apparet, quod etiam sub fine sæculi VIII. pœnitentia publica pro enormibus criminibus esset agenda, duraq; & diuturna opera pœnitentiæ subeunda.

Pœnitentes post septennem pœnitentiam in pristinum gradum restitui.

Parte 5. hujus quæstionis quærit Gratianus, "quare sacris Canonibus sit institutum, ut post „septem annos, pœnitentes in pristinum statum „revocentur? Suppositum autem probat unico canone 11. sub nomine Isidori ad *Massonem* sive *Massanum Episcopum*: adstruiturque ibi, quod cum MARIA Soror Aaron peccâsset contra Moysen, lepra perfusa, *septem diebus* pro emendatione extra castra egredi debuerit, atque post *septem dies* regredi jussa sit. *Maria ergo Soror Aaron* (inquit) *caro intelligitur Sacerdotis, quæ dum superbiæ dedita, sordidissimis cogitationum maculatur contagiis, extra castra septem diebus, hoc est extra collegium S. Ecclesiæ septem annis projicitur, ut post emendationem vitiorum loci, vel pristinæ dignitatis recipiat meritum.*

Hinc ergo concludit Gratianus, quod "quanquam de Sacerdotibus videatur specialiter dictum, generaliter tamen de omnibus pœnitentibus oportere intelligi.... ut majorum criminum pœnitentia septem annorum spatio concludatur, nisi vel officii excellentia, vel criminum magnitudo vulgarem consuetudinem excedens, præmissum spatium transcendere cogat.

Id probat Gratianus unico Canone apocrypho.

Verum notârunt eruditi, hanc Epistolam non esse legitimum S. Isidori Hispalensis fœtum, sed putridam *Isidori Mercatoris* mercem. De illa loquens Joannes Morinus dicit, eam plane *commentitiam* esse: idque pluribus probat Natalis Alexander *in Hist. Eccl. Sæculi* 7. *cap.* 4. *de scriptoribus ejusdem Sæculi art.* 4. *de S. Isidoro.*

Equidem hac occasione mutari cœpit disciplina circa restitutionem Clericorum lapsorum.

Interim hujus similiumque suppositorum fragmentorum authoritate cœpit sæculo IX. collabi disciplina pristinis canonibus stabilita, & per octo sæcula constanter conservata, de non restituendis ad sacras functiones Clericis in crimen præsertim carnis prolapsis.

Horum quoque occasione inducta fuit à Gratiano distinctio inter prolapsos *publicè* & *occultè*, uti latius ostendit in dissertatione *de instituto Canonicorum Part.* 2. *cap.* 2. ubi fusè hanc disciplinam adstruxi, & quid circa eam hodie Ecclesia tolerare videatur, ostendi.

An, & quando fuerit olim licitum post pœnitentiam conjugium contrahere?

Denique quærit sextâ parte Gratianus de pœnitentibus: "An eis generaliter post pœnitentiam peractam conjugia concedantur?

Authoritate Siricii Papæ canone 12. & sancti Leonis in Epistola ad Rusticum Episcopum Narbonensem canone 14. videtur probari, quod pœnitentibus generaliter inhibitum fuerit, etiam post *peractam* pœnitentiam conjugium contrahere: excipit autem S. Leo, eum, *qui in adolescentia constitutus, si urgente, aut metu mortis, aut captivitatis periculo, pœnitentiam gessit, & postea timens lapsum incontinentiæ juvenilis, copulam uxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur fecisse venialem, si præter conjugem nullam aliam cognoverit.*

Addit autem Leo: *In quo tamen non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius æstimamus.* Quæ sat ostendunt, ex regula generali, pœnitentibus conjugium non fuisse permissum, quod & amplius probant verba sequentia Epistolæ, sed à Gratiano omissa: "Nam secundùm veram cognitionem nihil magis ei congruit, qui pœnitentiam gessit, quam castitas perseverans & „mentis & corporis.

Quæstio III. Insertus hic à Gratiano tractatus de Pœnitentia, de postea.

Quæstione 3. quærit Gratianus, "si sola confessione cordis crimen possit deleri?

Gratianus ad explicandam hanc tertiam quæstionem multa attulit ad Sacramentum Pœnitentiæ spectantia, quæ, cum prolixum admodum tractatum conficerent, & ob confusionem admodum obscuram, qui Gratianum postmodum secuti

cuti sunt, in septem distinctiones eum diviserunt, uti notant Correctores Romani ad initium hujus quæstionis; vocaturque tractatus *de Pœnitentia*, cujus annotationes dabimus post absolutam integram hanc secundam partem Gratiani.

Quæstio IV. De tempore, quo ab actu conjugii abstinendum.

Quæstione 4. Discutit Gratianus, si tempore „orationis quis valeat reddere conjugii debitum.

Plures recitat authoritates, quibus probatur, diebus orationis & jejuniorum ab actu conjugii esse abstinendum, sed pleræque authoribus non suis adscribuntur: sic Canone 1. refertur fragmentum sermonis sub nomine Hieronymi, quē ejus non esse monent Correctores Romani.

Sermonem S. Augustino adscriptum cujus verba extant Canone 2. non esse ipsius, notant Patres Benedictini in monitione præfixa sermoni 116. in Appendice *ad Tomum V.* operum Augustini.

Verba Canonis 3. non esse Ambrosii, aut saltem mutilata esse, monet Correctio Romana, quæ autem Canone 4. referuntur ex commentario ejusdem *in* 1. *Epist.* ad Corinthios falsò ipsi adscribi supra monuimus.

Librum quæstionum veteris & novi Testamenti, è quo desumptus est Canon 5. Augustino tribui non posse, hodie compertum est.

Canonem 6. Non inveniri apud Chrysostomum, cujus nomini inscribitur, monent Correctores Romani.

Circa ea, quæ ex responso S. Gregorii ad *interrogationem* 10. Augustini Anglorum Apostoli referuntur Canone 7. merito consulentur recentiores notæ in Epistolam S. Gregorii.

His nihilominus sat probatum credidit Gratianus, quod *orationis tempore conjugali operi vacare non liceat.*

De tempore, quo nuptiæ celebrari non debent.

Imò ex his ulterius concludit ad calcem Canonis 7. *Hinc etiam in diebus abstinentiæ nuptiæ celebrari prohibentur.*

In hujus probationem subjicit quatuor Canones, quorum præcipuus est Canon 52. Laodicenus, quem Canone 8. refert ex versione vulgari, & rursus Canone 9. tanquam ex Concilio Martini Bracarensis, sed revera ex collectione hujus Martini.

Quod Canone 10. ex Concilio Illerdens. refertur, recentioris ætatis apparet: decernitur enim: *Non oportet à septuagesima usque ad octavas Paschæ; & tribus hebdomadibus ante festivitatem S. Joannis Baptistæ, & ab adventu Domini usque ad Epiphaniam, nuptias celebrare: quod, si factum fuerit, separentur.* Nihil simile apud antiquos determinatum legimus.

His interim non parum consonat hodierna disciplina nostra circa tempus, quod *clausum* vocant.

Gratianus videtur hanc nuptiarum prohibitionem intellexisse duntaxat in ordine ad actum conjugalem; nam ad calcem Canonis 11. ait: *hæc autem servanda sunt, si uxor consensum adhibere voluerit: cæterum sine ejus consensu, nec causa orationis continentia servari debet.*

Huic conclusioni stabiliendæ impendit hic duos Canones; & ulterius prosequitur *quæstione* 5. in qua quærit, « utrum vir sine consensu „uxoris continentiam vovere possit. *Quæst. V.*

Probat Gratianus, conjuges non posse sine mutuo consensu votum continentiæ emittere, sed si vir uxori, aut uxor viro suo *semel* permiserit continentiam vovere, « si postmodum in irritum deducere voluerit, qui permisit, non tamen valet: quia in debito conjugii æquè mulier habet potestatem viri, sicut & vir mulieris: ut loquitur Gratianus ad calcem Canonis 11.

De potestate viri in uxorem, & vota ab ea emissa.

Porrò à Canone 12. usque ad finem agit de potestate & superioritate viri in mulierem, & de hujus subjectione.

Plura adducit hanc in rem ex S. Augustino, sed nonnulla admodum mutilate, uti notant Correctores Romani ad Canones 1. 4. 5. 12. 13. 16. Canon autem 17. citatur sub nomine S. Augustini *ex libro Quæstionum veteris Testamenti*, quem non esse Augustini supra monuimus.

Cæterum præ relatis reliquis ex S. Augustino, notandus Canon 4. desumptus ex Epistola *ad Ecditiam*, quæ integra pro resolutione hujus quæstionis merito legitur.

Citatur Canon 10. ex Concilio Rhemensi, ubi non reperitur, sed habetur in Concilio Vermeriensi Anni 752. è quo eum citat Regino Lib. 2. cap. 125. at Burchardus substituit Rhemense, additque hæc finalia verba: *sed similiter convertatur*, quæ nec in Concilio, nec in Reginone leguntur. Gratianus secutus est Burchardum, addita eadem clausula, *similiter convertatur*, cujus in Concilio nulla mentio fit.

Moderna disciplina circa conversionem conjugatorum sat congruit lectioni, quam hic exhibet Gratianus; uti videre est ad titulum decretalium *de conversione conjugatorum.*

Canon 19. citatur ex Ambrosio supra primam Epistolam ad Corinthios, at Commentarium illum non esse Ambrosii supra monui.

Ex omnibus autem tandem concludit Gratianus: *Evidentissimè itaque apparet, ita virum esse caput mulieris, ut nulla vota abstinentiæ, vel religiosæ conversationis lic at sibi sine ejus licentia Deo offerre: etiamsi vero permittente emissa fuerint, non licet ei votum opere complere, cum vir voluerit revocare permissum. Vota vero continentiæ ita alterius permissu ab altero valent offerri, quod post permissionem non valent in irritum deduci.*

CAUSA XXXIV.

HAc causa in duas quæstiones divisa, quas junctim resolvit, examinat, *An sit ista rea adulterii, quæ viro suo in captivitatem ducto, alteri nupsit? & an redeunte primo sit cogenda recedere à secundo, & redire ad primum.*

Matrimonium ob captivitatem vel absentiam unius conjugis non dissolvitur.

Utramque quæstionem terminari authoritate S. Leonis in Epistola ad Nicætam Aquileiensem Episcopum (cujus verba extant Canone 1.) asserit Gratianus.

Et sane clarissimè citato loco resolvit S. Leo, matrimonia ob captivitatem virorum non dissolvi, nec posse mulieres viventibus viris in captivitate, alteri jungi, & si alteri junctæ sint, eo quod viros suos mortuos crederent, debeant redeuntibus viris, à secundo recedere, & ad primum redire.

Plura eandem in rem citat hic Gratianus, at inter cætera notandus Canon 4. ex Concilio apud Vermerias Anni 752. Can. 11. ubi decernitur: *Si quis necessitate inevitabili cogente ad alium Ducatum seu Provinciam fugerit* (in Concilio additur: *aut seniorem suum, cui fidem mentiri non poterat, secutus fuerit*) *& uxor ejus, cum valet & potest, amore Parentum & rerum suarum, eum sequi noluerit, ipsa omni tempore, quamdiu vir ejus, quem secuta non fuit, vivit, semper innupta permaneat.*

Hic Canon non obscurè innuit, non omni casu mulierē, cujus vir ad *aliam Provinciam* fugerit,

vivente

Casu permittit quandoque aliam conjugem ducere.

vivente viro, debere manere innuptam, quod manifestius significant verba finalia Canonis à Gratiano omissa, sed relata à Burchardo *Lib. 9. cap.* 54. Verba Canonis sunt: *Nam ille vir ejus, qui necessitate cogente in alium locum fugit* (Burchardus legit: *in* ALIA PATRIA MANET, *si nunquam in suam patriam se reversurum sperat*) *si se abstinere non potest, aliam uxorem cum pœnitentia accipere potest.* Habetur Canon *Tom. 9. Concil. general. colum.* 1658.

Nequaquam obscurum est, hoc Canone permitti viro, ut ad alias nuptias transeat ob diuturnam conjugis absentiam: non igitur mirum, quòd simile interdum permissum fuisset & uxori.

Pro quo notandum legibus civilibus ob multiplices causas, ac signanter ob *diuturnam* conjugis *absentiam divortium* permissum fuisse.

Ratio illius Canonis.

Porro Ecclesia in imperio nata, has leges simul & semel abrogandas non duxit, sed sensim atque uno in loco citius, in alio serius: quemadmodum circa dissolutionem matrimonii propter adulterium contigisse, alibi notavimus: ut mirum non sit, si divortium & libertas transeundi ad alias nuptias, sed quâdam moderatione permittatur hoc Canone, qui alibi absolutè tunc etiam prohibitus erat, & sensim tandem generaliter interdictus fuit, uti ostendimus in *Jure Eccl. Part.* 2. *Tit.* 15. *cap.* 3.

CAUSA XXXV.

De impedimento consanguinitatis & affinitatis.

Casus in hac causa propositus.

GRatianus materiam matrimonialem prosequens, hâc causâ de impedimento consanguinitatis & affinitatis discurrit, hunc casum proponens: "Quidam vir, mortua uxore sua, „aliam sibi in matrimonio copulavit, quæ uxo„ri defunctæ quarto gradu consanguinitatis, vi„ro autem sextâ lineâ adhærebat: post triennium „vero, liberis ex ea susceptis, accusatur apud Ec„clesiam: iste prætendit ignorantiam.

Quæst. I.

Hinc decem quæstiones educit Gratianus quarum prima quærit, "si liceat aliquam ex pro„pria cognatione duci in uxorem.

Rationes hujus impedimenti ex Augustino.

Hic authoritate S. Augustini resolvit, cur in novo Testamento conjugia inter consanguineos & affines sint vetita, quæ in veteri Testamento permittebantur. "Habita est (ait Augustinus „hic Canone unico) ratio rectissima charitatis, „ut homines, quibus esset utilis atque honestis„sima concordia, diversarum necessitudinum „vinculis necterentur, nec unus in una multas „haberet, sed singulæ spargerentur in singulos, „ac sic ad socialem vitam diligentius colligan„dam plurimæ plurimos obtinerent.

Desumptum est hoc fragmentum Augustini ex *Lib.* 15. *de civit. Dei, cap.* 16. ubi & hanc, à Gratiano omissam, rationem dictæ prohibitionis reddit: "Quia nescio quomodo inest (in„quit) humanæ verecundiæ quiddam naturale, „atque laudabile, ut, cui debet causâ propinqui„tatis reverendum honorem, ab ea contineat, „quamvis generatricé, libidinem, de qua erube„scere videmus, & ipsam pudicitiam conjugalé.

In linea recta matrimonia in infinitum vetita sunt.

Hæc ratio potissimum militat in linea recta seu ascendentium & descendentium, inter quos propterea matrimonia usque in infinitum vetita esse pronuntiavit Nicolaus I. *cap.* 39. *responsionis ad articulos Bulgarorum*, uti notavi in *Jure Eccl. Part.* 2. *Tit.* 13. *cap.* 5.

Quæstio II. & III.

Quærit Gratianus *quæstione secundâ & tertiâ*, "usque ad quem gradum à consanguineis pro„priis abstinere oporteat, vel si ex cognatione „propriæ uxoris aliquam duci in uxorem liceat?

Usque ad quem gradum impedimentum consanguinitatis extendatur.

Gratianus authoritate Decretalium à Pseudo-Isidoro primis Pontificibus affictarum, probare videtur, primis etiam Ecclesiæ sæculis prohibitionem hanc extensam fuisse ad *septimum* gradum, at eam extensionem nullatenus convenire illis sæculis notavimus in *Jure Eccles. Part.* 2. *Tit.* 13. *cap.* 5. ac una ostendimus, pluribus sæculis Ecclesiam in hac prohibitione se conformâsse *legibus* imperialibus, nec impedimentum hoc ultra terminos *legibus* constitutos protendisse; at demum sæculo octavo & nono eam extensionem usque ad *septimum* gradum sensim invaluisse.

Admodum confusè & parum solidè hanc materiam tractat Gratianus.

Cum autem disciplinam pristinam & recentiorem non satis distinguat Gratianus, Canonesque hanc & illam disciplinam repræsentantes inter se nullo temporis ordine servato, misceat, confusè admodum hanc materiam tractat, præsertim, quia nec apocrypha à sinceris monumentis sufficienter segregat.

Quæstio IV.

Quæstione 4. quærit Gratianus: "Quare ad „sextum gradum consanguinitatis conjunctio „prohibeatur?

Ratio parum solida impedimenti consanguinitatis usque ad sextum gradum.

Ex Isidoro ideo id factum pronuntiat: *Ut sicut* SEX ÆTATIBUS *mundi generatio, & hominis status finitur*, ita PROPINQUITAS *generis tot gradibus terminaretur.*

De hac restrictione usque ad sextum gradum alibi me legisse non memini, multò minus rationem adductam ab ullo probatam scio.

Quæstio V.

De modo computandi gradus consanguinitatis & affinitatis.

Multis discurritur *quæstione* 5. de computatione graduum consanguinitatis & affinitatis, regulæque assignantur, & explanantur, juxta quas, tam de Jure Civili, quàm Canonico, graduum computatio ineunda est, sive in linea recta, sive collaterali.

Hæ regulæ hodie passim notæ sunt, easque breviter exposui in *Jure Eccl. cap.* 5. *Tit.* 13. unaque notavi, quo tempore invaluerit canonica computatio graduum diversa à Civili in linea collaterali.

Porro circa Canones hujus & præcedentium quæstionum meritor reflectitur ad notas Correctorum Romanorum, eo quod multa admodum mutilata, & falso authoribus assignata refert Gratianus.

Præterea meritò observationibus Correctorum Romanorum in Canonem 20. quæst. 3. adducuntur notæ recentiores in responsionem S. Gregorii ad interrogationem sextam Augustini Anglorum Apostoli, è qua hic Canon desumptus est.

Quæstio VI.

Qui possint esse accusatores & testes, ubi de consanguinitate agitur.

Tractat ulterius Gratianus, *quæstione sexta*, "quibus accusantibus vel testificantibus consan„guineorum conjunctio dirimenda sit?

Et quidem Canone 1. profert suppositicium Decretum Fabiani Papæ, quo decernitur: *Consanguineos extraneorum nullus accuset, vel consanguinitatem in Synodo computet, sed propinqui ad quorum notitiam pertinet.*

Ad hoc Decretum indubie reflexit author Decretalis, quæ hic Canone 2. refertur sub nomine Cælestini Papæ, & in *cap.* 3. ♃ *qui matrimonium accusare possunt*, sub nomine Clementis III. Papæ, ubi dicitur, quod "parentes, fra„tres & cognati utriusque sexûs, in testificatio„ne suorum ad matrimonium conjungendum, „vel dirimendum admittantur, tam *antiqua con„suetudine*, quàm *legibus* approbatur.

Formula juramenti pro accusatore & testibus.

Post hæc refert Canone 5. & sequentibus formulam juramenti secundùm quam primum accusator,

cusator, item testes, qui consanguitatem probare debent, jurare coguntur.

Formula juramenti pro separandis ob consanguinitatem.

Dein Canone 9. profert juramentum separationis præstandum ab iis, qui ob consanguinitatem detectam authoritate Episcopi separantur.

Divortium ob consanguinitatem propriâ authoritate fieri non potest.

Post hæc Canone 10. probatur, neminem propria authoritate uxorem suam occasione *consanguinitatis* dimittere posse, *donec* Episcoporum Religiosorum Concilium causam istam examinaverit: hodie Officialis authoritas sufficit; imo si nota sit ipsis conjugibus consanguinitas, saltem ab actu conjugali abstinere debent, licet publicè separari, & ad aliud matrimonium transire ante sententiam Judicis non possint.

Formula juramenti dum recipitur uxor injustè dimissa.

Deniq; Can. 11. proponitur juramentũ præstandum, dum vir recipit eã, quã injustè dimisit.

Notandum autem fontem Canonis 5. 6. & 9. esse collectionem Reginonis apud quem referuntur *Lib.* 2. *cap.* 231. 232. *&* 233. è quo illa desumpsisse videtur Burchardus *cap.* 25. 26. *&* 27. *Lib.* 7. additis in fine his verbis: *& ista Sanctorum Reliquiæ*, quæ apud Reginonem desiderantur, simpliciterque legitur *sic te Deus adjuvet*. Cum autem Gratianus referat Canones cum prædicta clausula, haud obscurum, non è Reginone, sed è Burchardo desumpsisse Gratianum.

Formula interrogandi Laicos dum Episcopus visitat.

Similiter Canon 7. extat apud Reginonem *Lib.* 2. *cap.* 2. *&* 3. apparetque fuisse formulam juxta quam Episcopi visitantes interrogare debebant *Laicos*, quæ Burchardus ineptè attribuit Eutychiano Papæ, quem errorem posteriores Collectores, ac signanter Gratianus secuti sunt; cum certum sit, hæc huic Pontifici adscribi non posse, multaque in eis contineri, quæ disciplinæ istius ætatis non conveniunt, uti supra monuimus & pluribus probat Stephanus Baluzius in notis ad Reginonem pag. 579.

Quæstio VII. An nati ex incestu filii reputantur?

Quæstione 7. refert Gratianus verba S. Augustini *ex quæstione* 76. *super Leviticum*, ubi Augustinus exponit, quid sacer textus velit per hæc verba: *sine Filiis morietur*, nimirum quicunque dormierit cum cognata sua: "Cum filii ex hu„jusmodi conjunctionibus & ante nati sint, ho„dieque nascantur, an hoc intelligendum est le„ge Dei constitutum, ait, ut quicunque ex iis „nati fuerint, non reputentur filii, id est, nullo „parentibus jure succedant;

Sicuti hìc nihil resolvit Augustinus, ita nec Gratianus, sed simpliciter hæc Augustini verba refert.

Pluta circa successionem hanc tum legibus Romanis, tum Principum posteriorum edictis ordinata fuère.

Quæstio VIII. Ignoranter conjuncti in gradu prohibito quandonam separandi.

Octava quæstione quærit Gratianus: "De his, „qui ignoranter conjuncti sunt, in quo gradu „consanguinitatis vel affinitatis ex dispensatione „Ecclesiæ relinquantur.

Pro resolutione hujus quæstionis refert Gratianus bina potissimum fragmenta sub nomine Gregorii ex plurium authorum centonibus conflati, uti notant Correctores Romani.

Ex his equidem concludit Gratianus: "Qui „in 4to, vel in 5to gradu consanguinitatis con„juncti inventi fuerunt, ab Ecclesia separari ju„bentur.

Dispensatio olim etiam ignoranter conjunctis difficillimè concedebatur.

Docent & hæc qualiacunque decreta, admodum ægrè tunc temporis, etiam in contractis matrimoniis inter consanguineos, quamvis ignoranter, fuisse dispensatum. Dicitur enim Canone 1. quod, *qui infra septimam generationem in matrimonio sunt inventi, si nescientes fuerint, & jam multa curricula Annorum sint revoluta, ita ut* Filios *habeant, in* Sexto, *qui inventi sunt, aut fortasse Quinto, hujusmodi non separentur, donec nos Domino permittente, ore ad os loquamur: hoc autem* (inquit) *dico* SECUNDUM INDULGENTIAM, *non secundùm imperium.*

Quoad contrahenda autem matrimonia, nunquam licentiam dari, licet impedimentum ad septimum gradum extendatur, declaratur in Canone 2. *Quoniam* (inquit) *usque ad septenarium numerum parentelæ, nulli unquam copulam contrahere licentiam damus*: de quo pristino in dispensando rigore vide dicta in *Jure Eccl. Part.* 2. *Tit.* 1. *cap.* 1.

Quæstio IX. Conjugium per errorem causa consanguinitatis separatum detecto errore redintegrari debet.

Inquirit Gratianus *quæstione* 9. Quid, si contigerit Ecclesiam decipi, & causa consanguinitatis aliquam à viro suo separare, quæ postea nuptiis hinc inde celebratis deprehenditur non esse consanguinea prioris, an secunda conjugia sint rescindenda, & priora sint redintegranda? Resolvit pro affirmativa, eumque in finem profert plura, quibus ostendat, quod sententia etiam *Romanæ Sedis* possit in melius commutari, cum sibi aliquid subreptum fuerit. "Suum *er„rorem* cuique corrigere licet (ait Gratianus) at„que ideo, quæ à quolibet illicitè committun„tur, sive à prædecessoribus admissa inveniun„tur, in *melius revocari* oportet.

Quæstio X. Affinitas à Gratiano multum extensa.

Decimâ quæstione resolvit Gratianus, si mulier defuncto viro ad secundas nuptias transeat, & ex his proles suscipiat, non posse has proles conjungi cum consanguineis prioris viri, hac unica ratione: quia vir & mulier una caro sunt, ac per consequens, consanguinei viri necessario reputandi sunt consanguinei uxoris & prolium ejus.

Profert hanc in rem Canone 1. prolixum fragmentum sub nomine Gregorii Papæ. Venerio Episcopo Caralitano, sed stylum Gregorii non refert, neque inter Epistolas Gregorii reperiri monet Stephanus Baluzius; nec majoris authoritatis reliqua adducta decreta videntur, quæ & incertas inscriptiones præferunt.

A Concilio Lateranensi restricta fuit.

Ex hac interim Gratiani ratiocinatione tandem receptum fuit triplex genus affinitatis, quod rursus ad unicum reduxit Concilium Lateranense sub Innocent. III. in *cap. penult.* ✕ *de consang. & affinit.* de quo plura in *Jure Eccl. Part.* 2. *Tit.* 13. *c.* 5.

CAUSA XXXVI.

Casus in hac causa propositus.

GRatianus hac causa de crimine raptus, casum ita exprimens: "Filiam cujusdam, ignoran„te Patre quidam muneribus illexit, & ad con„vivium invitavit: finito convivio Juvenis vir„ginem oppressit. Quo comperto à Parentibus „Juveni puella traditur, ac more nubentium à „Juvene dotatur, & publicè in uxorem ducitur.

Quæst. I. Quid sit raptus, & quandonam committatur?

Binas hinc quæstiones format Gratianus, quarum *prima* potissimum discutit, quandonam censeatur raptus committi; eumque ad calcem Canonis 2. asserit admitti, "cum puella *violen„ter* à domo Patris abducitur, ut corrupta in „uxorem habeatur: sive puellæ solummodo, si„ve Parentibus tantum, sive utrisque vis illa „constiterit.

De duplici raptu.

Et post Canonem 3. dicit rapinam fieri dupliciter. "Aliquando enim res ipsa rapitur, (in„quit) aliquando ipsius rei usus tantummodo „violenter eripitur. Res ipsa tunc rapitur, cum „violenter domino eripitur, ut in perpetuum te„neatur. Aliquando vero non res ipsa affectatur, „sed usus ejus domino prohibente violenter eri„pitur; puta dum quidem puella *violenter* non abducitur matrimonii causa, sed duntaxat *violenter*

lenter opprimitur, atque flos virginitatis ipsi renitenti violenter eripitur, ut loquitur Gratianus. Sed hic proprie non est raptus, sed potius stuprum.

De hoc impedimento raptus & quid hodie intelligatur per raptum ut constituat impedimentum dirimens, dixi in *Jure Eccles. part. 2. tit. 13. cap. 10.*

Secunda quæstione inquirit Gratianus: " An „purgato vitio rapinæ, raptor in uxorem possit „raptam accipere?

Quæst. 2. An & quando raptorem & raptã matrimonium esse possit.

Gratianus primo adducit auctoritates, quæ matrimonium raptorem inter & raptam absolute & simpliciter interdicere videntur.

Verum ipse resolvit, has auctoritates intelligendas de raptore, qui nondum crimen rapinæ per *pœnitentiam* abolevit; ac purgato hoc vitio, matrimonium inter raptorem & raptam admittit, idque præcipuè, ut apparet, auctoritate verborum, quæ sub nomine S. Hieronymi refert canone 8. quæ tamen apud Hieronymum non inveniri notârunt Correctores Romani ad *Canonem 13. caus. 27. q. 2.*

Jure legum & Canonum raptus erat impedimentum perpetuum.

Gratianus hic à vero sensu legum & Canonum deviavit: constat enim, jure civili, & nominatim *L. unica Cod. de raptu Virginum*, hoc impedimentum fuisse *perpetuum*, quale & perseverâsse Sæculo VIII probant capitularia Regum Francorum, ubi *libr. 6. cap. 96.* decernitur, ut raptor virginem, quam rapuit, nunquam uxorem habeat: & expressius *lib. 7. cap. 395.* cujus verba sub nomine *Concilii apud Aquisgranum* etiam recitat Gratianus canone 11.

Ab his recessit Gratianus.

Neque obscurum est, Gratianum vidisse his verbis, raptum declarari impedimentum *perpetuum*: dicit enim " sed hæc auctoritas non præ„judicat auctoritati S. Hieronymi, maximæ cum „illa testimonio *divinæ legis* nitatur.

Hæc verba immediate huic canoni subjiciuntur, ac dein infert: " Legitime igitur post pœni„tentiam peractam raptor sibi poterit copulare, „quam rapuit, nisi Pater puellæ illam raptori de„trahere voluerit.

Hic haud obscure innuebat Gratianus, inter raptam & raptorem posse consistere matrimonium si raptæ vel parentum consensus accedat.

Ita rursùs hic auctoritate Gratiani invaluit, ut hoc impedimentum in tantum fuerit relaxatum, ut inter raptorem & raptam matrimonium posse consistere crederetur, *Si prior dissensio transeat postmodum in consensum, & quod ante displicuit, tandem incipiat complacere*, uti loquitur Innocentius III in *cap. 7. X de Raptoribus.*

Quousque impedimentum hoc restituerit synodus Tridentin. *Sess. 24. cap. 6. de reformat.* exposui in *Jure Ecclesiast. part. 2. Titul. 13. cap. 10.*

OBSERVATIONES
AD
TRACTATUM DE PŒNITENTIA.

An sola contritione sine confessione remittantur peccata.

GRATIANUS integrum hunc tractatum continuata serie inseruerat post *Canonem 18. Causæ 33. quæst. 2.* sine ulla partitione in distinctiones, uti notatum est supra in præfatione ad Gratianum *cap. 3.* ubi etiam dictum fuit eundem tractatum sensim fuisse distinctum in septem distinctiones, ac postmodum ab interpretibus vocatum tractatum de pœnitentia, quem post absolutam secundam partem Gratiani, confusionis vitandæ causa subjiciendum judicavi, & brevibus reflexionibus illustrandum.

DISTINCTIO PRIMA.

Distinctione hac in utramque partem discutit quæstionem supra propositam: " Utrum sci„licet, sola cordis contritione, & secreta satisfa„ctione, absque oris confessione quisque possit Deo satisfacere?

Verum plura immiscet, quæ ad quæstionis resolutionem nihil aut parum faciunt.

A canone 1. usque ad canonem 5. inclusive, profert nonnulla, quæ probant peccata fletu, seu cordis contritione lavari.

Dein à canone 6. usque ad canonem 21. proferuntur ex jure civili quæ in criminalibus solum conatum subinde puniendum decernunt.

Et à canone 22. usque ad canonem 30. ostendit quod peccatum committatur non tantum actu externo, sed etiam sola voluntate & consensu interno.

Ex variis Canonibus perperam concludit Gratianus contritione non confessione peccatæ dimitti.

Interim ex his ad calcem canonis 30. ita concludit Gratianus, " luce clarius, constat, cordis „contritione non oris confessione, peccata di„mitti.

Sed falso id concludi facile quisque advertere potest: hisce enim Canonibus id unum evincitur, quod peccatum, puta homicidium, adulterium, aut furtum committat, is coram Deo, ejusque criminis reus est, qui voluntatem illud perpetrandi corde conceperit, licet opere externo non compleverit. *Si propterea non facis furtum, quia times ne videaris, intus fecisti, in corde fecisti, furti teneris, & nihil tulisti*, ait Augustinus hic canone 29.

Bini canones 31. & 32. immediate prædictæ conclusioni subjecti ex *lib. 1. de vita contemplat.* Juliani Pomerii (quem falso Gratianus tribuit Prospero) propius conclusionem attingunt. Hic enim ac signanter posteriore docetur, quod facilius remissionem peccatorum recipient, qui coram Deo peccata sua ultro agnoscunt, & in se voluntariæ excommunicationis sententiam ferunt.

Idem prætendit parte septima distinctionis subjecta canoni 32. probari auctoritate illa prophetica: *in quacunque hora peccator fuerit conversus & ingemuerit*, &c. non enim dicitur, *ore* confessus fuerit, sed tantum *conversus fuerit, & ingemuerit, vita vivet, & non morietur.*

Tum Canone 33. adductis verbis prophetæ: *Scindite Corda vestra, & non vestimenta*; subjicit: " ostendens in *Contritione Cordis*, quæ in „ejusdem scissione intelligitur, *non in Confessione oris*, quæ pars est exterioris satisfactionis, „quam scissuram vestium nominavit, à parte to-„tum intelligens, peccata dimitti.

Et Canone 34: relatis his verbis: *convertimini ad me in toto corde vestro, & convertar ad vos,* prolixo discursu idem adstruere conatur.

Ostendit præterea ad calcem Canonis 35. quod anima vivere nequeat sine Deo, *cum Deus sit vita animæ*, " habet itaque anima [ait] sibi „Deum præsentem per gratiam, quæ vivens pec-„catum suum confitetur, eamque vita, quæ De-„us est, inhabitat..... ergo templum Spiritûs san-„cti facta est, &c.

Relatis dein Canone 36. his verbis: *qui natus est ex Deo non peccat*, concludit: " ergo non „est filius diaboli: solo enim peccato diaboli filii „sumus ergo de regno translati sumus in regnum „charitatis filii Dei, & sumus recepti de potestate „tenebrarum & facti filii lucis.

Hinc ulterius ita concludit: " cum ergo *ante* „*Confessionem*, ut probatum est, simus resuscitati „per gratiam, & filii lucis facti, *evidentissime* „apparet, quod *sola Cordis* contritione sine con-„fessione oris peccatum remittitur.

Denique idipsum ostendere vult ex his citatis Canone 37. *omnis qui non diligit, manet in morte*, atque finaliter concludit: " non ergo in con-„fessione peccatum remittitur, quod jam remis-„sum esse probatur. Fit itaque confessio ad „ostensionem pœnitentiæ, non ad impetratio-„nem veniæ: & sicut circumciso data est Abrahæ „in signum justitiæ, non in causam justificationis? „sicut confessio Sacerdoti offertur in signum ve-„niæ acceptæ, non in causam remissionis accipi-„endæ.

Sed hoc unum probant oris confessionem non sufficere sed præcipuè requiri conversionem cordis.

Si Gratianus ex his quæ adduxerat, id unum conclusisset ad remissionem peccatorum non tantum requiri *oris* confessionem, sed præcipuè ac necessario requiri *Cordis* conversionem sive contritionem, recta ac legitima esset deducta conclusio: at nullatenus ex his concludi potuit, uti conformiter ad quæstionem propositam innuere visus est Gratianus, quod sola cordis conversio, sine *oris* confessione esset sufficiens.

Tum subjicit varia ad probandum necessariam esse confessionem oris & satisfactionem operis.

Post hæc nihilominus quasi in dubio hærens à Canone 38. usque ad Canonem 89. ea profert, quibus probari videtur, *sine confessione* ORIS *& satisfactione* OPERIS *neminem à peccato posse mundari*: atque ad calcem Canonis 87. concludit his auctoritatibus asseritur, neminem sine pœnitentia & *confessione propriæ vocis* posse mundari: subjungitque prolixum discursum, quo argumenta pro hac parte exponit, & contrariæ partis rationes solvere conatur.

Tandem Lectoris Judicio relinquit utri sententiæ sit adhærendum.

Dein Canone 88. prolixo fragmento ex libro de vera & falsa pœnitentia, quam falso adscribit Augustino, & Canone 89. ex S. Leone ita finaliter concludit: " quibus auctoritatibus vel qui-„bus rationum firmamentis, utraque sententia „satisfactionis & confessionis invitatur, in medi-„um breviter exposuimus: cui autem harum po-„tius adhærendum sit, *Lectoris judicio*, reserva-„tur. Utraque enim fautores habet sapientes & „religiosos viros.

Opinio illa Gratiani Tridentino contraria.

Sed ad hæc verba *Lectoris judicio* Correctores Romani hoc monitum appendendum censuerunt: " certissimum est, & pro *certissimo* „habendum, peccati mortalis necessariam esse „confessionem sacramentalem, eo modo ac tem-„pore adhibitam, quo in concilio Tridentino „post alia Concilia est constitutum.

Dubiæ hujus Gratiani sententiæ occasio.

Gratianus autem videtur prædictam suam in bivio hærentem conclusionem formâsse occasione verborum, quæ sub nomine *Theodori Cantuariensis* refert Canone 90. immediate huic conclusioni subjecto, & ex Burchardo aut Ivone, apud quos etiam referuntur, verisimiliter deprompsit. Hic enim dicitur: QUIDAM DEO SOLUMMODO *confiteri debere peccata dicunt, ut Græci.* QUIDAM *vero* SACERDOTIBUS *confitenda esse percensent, ut tota fere sancta Ecclesia...... Confessio itaque quæ soli Deo fit, quod est justorum, purgat peccata, quæ Sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata.*

Referuntur & hæc in Concilio Cabilonensi II. Anno 813. Canone 33. sed omissis his verbis, *ut Græci*, item, *ut tota fere Sancta Ecclesia*, uti notant Correctores Romani, qui & alias variantes lectiones indicant.

Decretum hoc in Concilio Cabilonensi *tom.* 7. *Concil.* editionis Labbæanæ *colum.* 1279. extat his verbis expressum: " Quidam Deo solum-„modo confiteri debere dicunt peccata, quidam „vero sacerdotibus confitenda esse percensent, „quod utrumque non sine magno fructu intra „sanctam fit Ecclesiam; ita duntaxat ut & Deo, „qui remissor est peccatorum, confiteamur pec-„cata nostra, & cum David dicamus: *delictum* „*meum cognitum tibi feci & injustitiam meam* „*non abscondi: dixi confitebor adversum me in-* „*justitias meas Domino, & tu remisisti impieta-* „*tem peccati mei*, & secundum Apostoli institu-„tionem, confiteamur alterutrum peccata no-„stra, & oremus pro invicem, ut salvemur. „Confessio itaque, quæ Deo fit, purgat peccata, „ea vero, quæ sacerdoti fit, docet qualiter ipsa „purgentur peccata Deus namque salutis & sani-„tatis auctor & largitor est, plerumque hanc „præbet sua potentiæ invisibili administratione, „plerumque medicorum operatione.

DISTINCTIO SECUNDA.

An pœnitentia reiterari possit?

Distinctione secunda multis utrimque auctoritatibus discutit, an pœnitentia reiterari queat. " alii dicunt (ait) pœnitentiam semel tantum „esse utilem, unica est enim, nec reiterari potest. „Si vero reiteratur, præcedens pœnitentia non „fuit. Et si de sententia Judicis ejus præsentiam, „cui omnia futura præsentia sunt, nunquam habentur remissa, quia non est servata illa senten-„tia veri Sacerdotis: *vade & amplius noli pecca-„re*: Item *sanus factus es, jam amplius noli pec-„care, ne deterius tibi aliquid contingat.*

Varia adducit Gratianus, quæ videntur probare inamissibilitatem charitatis

Tum Canone 1. producto fragmento sub nomine octavæ synodi, quod ex Basilio esse monent Correctores Romani, mox subjicit Gratianus: „Item sine charitate nulli adulto peccatum remit-„titur, non autem habet charitatem, qui aliquan-„do peccaturus est criminaliter.

Plura hac occasione profert Gratianus, quibus probari videtur, charitatem semel habitam amitti non posse.

Inter cætera allegat Can. 2. sub nomine Augustini ad Julianum Comitem hanc sententiam: *charitas quæ deseri potest: nunquam vera fuit.*

Monet Correctio Romana hanc sententiam extare apud Augustinum in tractatu *de salutaribus monitis ad quendam Comitem cap.* 7.

Hunc

Hunc tractatum non esse Augustini, à multis nunc observatum est, cumque in appendicem tomi 6. tanquam opus apocryphum rejecerunt Benedictini, quorum prævia ad lectorem monitio consulenda.

Profert quoque Gratianus canone 5. prolixum fragmentum ex Juliano Pomerio *de vita contemplativa*, quem hic & alibi sæpius Gratianus citat sub nomine *S. Prosperi*. In hoc autem fragmento multa de charitate Dei & dilectione proximi dicuntur: monentque Correctores Romani „operæ pretium fuerit, integrum locum apud „ipsum Prosperum (seu potius Julianum pomerium) legere, copiose enim & ornatissime explicatur, scilicet in quo consistat charitas Dei & dilectio Proximi.

Et tandem canone 12. sub nomine Ambrosii *super Epist. 2. ad Corinth. ad cap. 6.* (qui tamen Ambrosii non est) refert, *ficta charitas est, quæ deserit in adversitate*.

Notatur hic à Correctoribus Romanis relata verba esse Glossæ ordinariæ, apud Ambrosium vero ita legi: *simulata charitas in his est, qui in necessitate deserunt fratres.*

Interim huic canoni Gratianus subnectit hanc conclusionem " Ex præmissis itaque apparet, „quod charitas semel habita ulterius non amittitur: qui enim charitatem semel habuerit cri-„minaliter ulterius peccare non poterit, ut ad „gratiam, non ad naturam impossibilitas refe-„ratur.

In hujus sui asserti allatis canone 13. verbis S. Augustini ulterius concludit: " Cum ergo qui „criminaliter peccat, charitatem numquam ha-„buisse probetur, evidenter colligitur, pœniten-„tiam non agere, qui quandoque criminaliter „peccat.

Plura in hanc rem adducit in prolixo discursu subjecto canoni 14. conflato ex verbis sub nomine Augustini, quæ apud Augustinum non reperiuntur.

Dicta de inamissibilitate charitatis intelligit Gratianus de charitate perfecta.

Verum dicta sua de *inamissibilitate* charitatis restringit, parte 3. hujus distinctionis prædicto discursui subjecta, *ad charitatem* PERFECTAM „quæ (ait) semel habita nunquam amittitur: „exordia vero charitatis enutriuntur, ut crescant, „& conculcantur, ut perficiant, nemo enim repen-„tè fit summus, sed in bona conversatione, quæ „sine charitate nulla est, à minimis quisque in-„choat, ut ad magna perveniat. Sunt itaque gra-„dus non solum inter virtutem & virtutem, sed „& in eadem virtute.

Charitas illa est perfecta, alia imperfecta.

Plura dein profert, præsertim ex S. Augustino, quibus probet, charitatem in homine paulatim crescere, ac inter alia canone 16. *ex libro de gratia & libero arbit.* dicit *ipsam charitatem Apostolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit;* TIMOR ENIM NON EST IN CHARITATE *sicut ait Joannes Evangelista in Epistola sua*, SED PERFECTA CHARITAS FORAS MITTIT TIMOREM. *Et tamen, quamvis parva & imperfecta*, non deerat, quando dicebat: DOMINE ANIMAM MEAM PRO TE PONAM.

Imperfecta amitti potest & reparari.

Dein quibusdam interpositis, de hac Parva Petri charitate pronuntiat ad calcem Canonis 24. „Hæc itaque charitas, quæ in Petro ante negatio-„nem herba fuit, & in singulis nascitur, antequam „roboretur, ante sui perfectionem amittitur, & reparatur.

Et ibidem verbis Augustini affirmat: *quicunque ab illa originali damnatione, ista divina gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quod & procuratur eis audiendum Evangelium, & cum audiunt, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant, & si quando exorbitant, correpti emendantur, & quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant, redeunt.*

An in electis charitas sit amissibilis. Est quandoque charitas in reprobis.

Nonnulla & hic adducit, quibus probari videtur, quod electi à Deo charitatem non amittant: attamen ad calcem Canonis 40. prolixum admodum super hoc puncto discursum claudens ait: „Sed quia de *prædestinatis ad vitam* à nonnullis „conceditur quod charitatem amittant & amis-„sam recuperent, de reprobis] (ait) etiam viden-„dum est, an ipsi charitatem habeant, quia amissa „postea damnentur.

Posteriorem partem de *reprobis* probat prolatis nonnullis ex S. Augustino, atque ad finem canonis 44. ait: " quod vero *reprobi* negantur „comedere panem qui de cœlo descendit, vel bi-„bere aquam vivam, non sic accipiendum est, „ut à charitate penitus credantur alieni, sed ut „in charitate radicem figere non intelligantur, „quod ibidem latius prosequitur.

Quo sensu charitas quæ deseritur dici possit vera & ficta.

Tandem parte 6. distinctionem finiens ostendit, quod charitas quæ in adversitate deseritur, quodam sensu possit dici ficta & *vera nunquam fuisse*, & alio sensu rectè dicatur suo modo *vera & bona* alioquin: " (inquit) à nullo desereretur, „si nullo modo in eo esset. Quod enim nullo mo-„do verè est, nullo modo déseri potest. Quod si „aliquo modo vere deseritur; & aliquo modo id „vere esse oportet.

Ratio ob quam Gratianus hac distinctione egerit de charitate.

Quid moverit Gratianum, ut hâc secundâ distinctione egerit de charitate; aperit in prœmio distinctionis tertiæ dicens: " Hæc de charitate „breviter scripsimus, propter eos qui pœniten-„am negant reiterari posse, asserentes quod sicut „charitas semel habita nunquam amittitur ita pœ-„nitentia semel vere celebrata, nulla sequenti cul-„pa maculatur: Si vero criminalis culpa illam „aliquando sequitur, vera pœnitentia non fuit, „nec veniam unquam à Domino impetravit; quod „ex definitione ipsius pœnitentiæ & multorum „auctoritatibus probare contendunt.

DISTINCTIO TERTIA.

Itaque hac *tertia distinctione* inquirit: " num pœnitentia semel acta reiterari queat?

Variæ adducit Gratianus, quibus probari videtur, falsam esse pœnitentiam, quam gravis sequitur culpa.

Primis 21. Canonibus varia allegat Gratianus quibus probari videtur, quod falsa illa monstretur fuisse pœnitentia, quam aliquando grave peccatum sequatur, juxta illud sub nomine Ambrosii relatum canone 1. *Pœnitentia est & mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.*

Et similia canone 3. sub nomine Augustini *lib. de dogmat. Eccl.* & canone 4. sub nomine ejusdem *lib. de vera & falsa pœnitentia*, quæ opera Augustino falso attribui notum est.

Interim ad calcem canonis 17. monet, quod hæc verba definitionis (scilicet pœnitentiæ) non ad *diversa* tempora, sed ad idem tempus referantur; " videlicet, ut tempore, quo deflet mala, „quæ commisit, non committat, quod adhuc „eum flere oporteat.

Præterea canone 21. refert ex supposititia Epistola 1. Pii Papæ, hæc verba: *Nihil prodest homini jejunare & orare; & alia religionis bona agere, nisi mens ab iniquitate revocetur.*

Verissima & à patribus probata sententia, licet Pio Papæ falso adscripta.

Hinc satis monere, ex persona hujusmodi pœnitentis etiam intelligendas pleraſque auctoritates, quæ falſam & inanem dicunt pœnitentiam, quam ſequens culpa coinquinat.

Loca Auguſtini & Ambroſii explicat Gratianus de ſolemni pœnitentia.

Verum ſi auctoritates illæ attentius expendantur, apparebit, parum convenientem eſſe hanc Gratiani expoſitionem. Faceturque ipſe Gratianus eam congruere non poſſe verbis Ambroſii ex *lib. 2. de pœnit. cap.* 10. relatis Canone 2. quare aliam adjungit dicens: " Illud Ambroſii non ſe„cundum generalem, ſed ſecundum ſpecialem „conſuetudinem Eccleſiæ de ſolemni pœnitentia „dictum intelligitur, quæ apud quoſdam ſemel „celebrata non iteratur.

Eandem ſolutionem applicandam ait verbis Auguſtini ex Epiſtola ad Macedonium cujus fragmentum recitatur Canone 22. in qua Auguſtinus expreſſis verbis docet, *caute &* SALUBRITER *proviſum eſſe, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concedatur ne medicina vilis minus utilis eſſet ægrotis.*

Sed nullatenus congruit illa explicatio.

Sed ex textu Auguſtini evidens eſt Auguſtinum loqui generaliter de publica pœnitentia, quæ tum temporis pro omnibus gravioribus peccatis agebatur: uti de eadem loqui Ambroſium contextus evincit, præſertim ſi ipſum originale, quod truncatum refert Gratianus, conſulatur: Gratianus enim ita legit: *quia ſicut unum baptiſma, ita & unica pœnitentia*, quibus addit originale. *quæ tamen* PUBLICE *agitur.*

Dein pergit in eodem canone 2. Gratianus. *Verum præteriti ſemper nos debet pœnitere peccati: ſed hoc delictorum leviorum, illa graviorum.*

Evidens eſt Ambroſium hic duas duntaxat ſpecies pœnitentiæ agnoſcere, unam *publicam* non iterandam, eamque *delictorum graviorum*: & aliam *ſecretam & quotidianam*, *quotidiani peccati ſive delictorum graviorum.*

Quid pœnitentia perfecta & imperfecta ſecundum Gratianum.

Exponit dein ad calcem Canonis 21. quod ſicuti charitas dividitur in charitatem imperfectam & perfectam, ita & pœnitentia recte dividitur in perfectam & imperfectam, ut ſcilicet imperfecta ad exemplum charitatis imperfectæ dicatur, quæ quidem ſufficiat impetrandæ peccatorum veniæ „& quadam ratione perfecta poteſt dici: quia „*toto corde gemit & dolet*, licet & alia ratione po„teſt dici imperfecta, quia non uſque ad finem „duratura.

Igitur proprie *perfecta* pœnitentia ex opinione Gratiani eſt illa, quæ uſque in *finem* durat atque de hac intelligi vult Auguſtinum.

Verum inſpici duntaxat textus debet, ut appareat, inepte ad hanc pœnitentiæ ſpeciem verba Auguſtini reſtringi.

Subjicit Gratianus varia, quibus probatur ſæpius per pœnitentiam remitti peccata.

Poſt hæc contrariam multorum opinionem proponit, adductis auctoritatibus, quibus probari videtur, quod per pœnitentiam non ſemel tantum, ſed ſæpiſſime peccata remittantur.

Intermiſcet autem Gratianus quædam, quibus oſtendat, quæ ſit dicenda vera vel falſa pœnitentia: Item pœnitentiam veram agi non poſſe de uno ſolo peccato ab illo, qui pluribus eſt irretitus.

Sententia Gratiani de reiteratione pœnitentiæ.

Tandem ad finem diſtinctionis ſuper principali quæſtione de reiteratione pœnitentiæ ita concludit: " Pœnitentia ergo, ut ex præmiſſis appa„ret nulli in peccato perſeveranti utilis eſt, non ta„men alicui deneganda eſt, quia ſentiet fructum „ejus cum alterius criminis egerit pœnitentiam. „Sic itaque pœnitentiæ definitio, & cæteræ aucto„ritates ſibi conſonantes negant eum agere pœni„tentiam qui perſeverat in crimine, utilem vide„licet ſibi, & fructuoſam.

Repetit dein Ambroſii dicta, de non *reiteranda pœnitentia*, eſſe intelligenda de pœnitentia *ſolemni, ſecundum conſuetudinem quarumdam Eccleſiarum, apud quas pœnitentiæ ſolemnitas non iteratur.*

Hanc de ſolemni pœnitentia reſtrictionem non congruere dictis Ambroſii jam monuimus, notantque eruditi operum Ambroſii reviſores ad citatum cap. 10. hic agi de *publica* pœnitentia, monentque „ hac in deceptos eſſe Scholaſticos, „quod eos, qui peracta *publica* pœnitentia, rur„ſum in peccatum eſſent delapſi, ad *ſecretam* pœ„nitentiam admiſſos putaverint; etenim qui ad „priſtina ſcelera quaſi canes ad vomitum reverte„bantur, jam *ſibi ipſi* relinquebantur ut Deum qua potiori via viſum fuiſſet, placarent. Vide Morinum *de pœnit. lib. 9. cap. 29.*

Ratio ob quam decepti fuerint ſcholaſtici circa reiterationem pœnitentiæ.

Facilis & genuina fuiſſet auctoritatum conciliatio, ſi loca & tempora diſtinxiſſet Gratianus; attendiſſetque, Patres nullatenus velle, quod pœnitentia illius, qui relabitur, fuerit ſimpliciter falſa, aut ſine fructu, ſed duntaxat, quod relapſus præſertim in eadem crimina, ſit indicium non obſcurum falſæ pœnitentiæ: neque ſic relapſus ad publicam & canonicam pœnitentiam reiterandam admitteretur.

Modus conciliandi auctoritates in hac materia apparenter contrarias.

Interim auctoritate Gratiani tandem recepta fuit diſtinctio inter pœnitentiam publicam & ſolemnem: & quæ Patres de publica dixère huic fere ſolemni appropriata ſunt, uti notavi in *Jure Eccl. part. 2. Tit. 6. cap. 2.* ubi una oſtendi quantopere receſſum ſit à priſtina Patrum diſciplina in hac materia pœnitentiæ.

Diſtinctio inter pœnitentiam ſolemnem & publicam auctoritate Gratiani recepta.

DISTINCTIO QUARTA.

SUB initium Diſtinctionis quartæ ait: multis au„ctoritatibus ſupra monſtratum eſt pœniten„tentiam vere celebrari & peccata vere dimitti ei, „qui aliquando in crimen recaſurus eſt.

An & quo ſenſu peccata dimiſſa redeant?

Hinc educit aliam quæſtionem, quam diſcutit *diſtinctione quarta*, ſcilicet *an peccata dimiſſa redeant?*

Pro reſolutione hujus quæſtionis plures adducit auctoritates in ſpeciem ſibi contrarias, pro quarum conciliatione fusè diſcurrit, ac tandem ad calcem Diſtinctionis concludit: " Sicut bona, „quæ peccato moriuntur, per pœnitentiam revi„viſcunt ad præmium: ſic & mala, quæ per pœ„nitentiam delentur, reviviſcunt ad ſupplicium.

Quo ſenſu autem hoc poſterius membrum intelligi debeat, luculentius expoſuerat ad calcem Canonis 14. dicens, quod aſſertores ejus ſententiæ, quod peccata reviviſcant, auctoritates ſibi contrarias ita determinant: " Peccata dimiſſa re„dire dicuntur, quia quiſquis poſt acceptam pec„catorum remiſſionem ad vomitum redierit, tan„to gravius punietur, quanto magis benignitate „Dei abuſus, ſingulorum remiſſionis acceptæ in„gratus exſtitit.

DISTINCTIO QUINTA.

DIſtinctione quinta exponit Gratianus, " in „pœnitentia, quæ peccatorem conſiderare „oporteat?

Quæ peccator conſiderare debeat, & à quibus abſtinere.

Prolixum in hanc rem fragmentum *ex libro de vera & falſa pœnitentia* ſub nomine Auguſtini profert Canone 1. in quo fusè & diſtinctè exponitur, quid circa circumſtantias peccatorum, aliaque expendere oporteat pœnitentem.

In reliquis auctoritatibus unicè penè agitur de

interdicta negotiatione & militia ipsis pœnitentibus citaturque Can. 4. in hujus probationem *Can.* 11. *Nicænus*, ad quem consulenda nota Correctorum Romanorum è qua etiam habemus, non exiguo in pretio apud ipsos fuisse Zonoræ & Balsamonis Commentarios.

Addit dein Gratianus aliqua, quibus ostendat, quæ sit falsa pœnitentia: inter quæ notandus textus Gregorii VII. relatus Canone 6. quo *falsas pœnitentias dicit, quæ non secundum auctoritatem sanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur.*

Quæ juxta Gregorium VII. dicenda falsa pœnitentia.

Si vera sit hæc sententia, nemo non videt, quàm rara sit hodie vera pœnitentia.

DISTINCTIO SEXTA.

Quærit ulterius Gratianus Distinctione sexta, „ cui debeat fieri confessio, vel qualem illum oporteat esse qui aliorum crimina „judicet?

Profert hanc in rem prolixum fragmentum ex eodem *libro de vera & falsa pœnitentia*, sub nomine sancti Augustini, quo præ cæteris inculcatur. *Qui vult confiteri peccata, ut inveniat gratiam, quærat Sacerdotem scientem ligare & solvere: ne cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet & petit, ne ambo in foveam cadant, quam stultus evitare noluit.*

De dotibus confessarii.

Inculcatur insuper, debere Sacerdotem, qui alium judicare præsumit, esse immunem à crimine de quo alterum judicare intendit: *Sacerdos cui omnis offertur peccator, ante quem statuitur omnis languor, in nullo eorum sit judicandus, quæ in alio judicare est promptus. Judicans enim alium qui est judicandus, condemnat seipsum ...... in hoc itaque patentissimum est crimen sacerdotum, & ultra modum detestabile, qui non prius se judicant, & alios allegant, deberent enim in se timere crimen, quod in aliis timuerunt, & detestabile senserunt.*

Ulterius monent, *ut caveat spiritualis Judex ut sicut non commisit crimen nequitiæ: ita non careat munere scientiæ, oportet enim, ut sciat cognoscere quidquid debet judicare.* Merentur legi, quæ hic de scientia spiritualis Judicis seu confessarii notat & adducit Gratianus, & quomodo cum pœnitente agere debeat, & nonnisi omnibus circumstantiis rite perpensis pœnitenti indulgentiam indulgere. Sed illud absonum est quod hic in fine à Gratiano additur. *Nisi statutum fuerit à Romano Pontifice.*

Post hæc subjungit Gratianus, cavendum esse sacerdoti, ne peccata pœnitentium aliis manifestet: prolato canone 2. decreto sub nomine *Gregorii* absque specificatione *quis* sit, vel è quo opere sit sumptum, quæ nec à Correctoribus Romanis indicata sunt.

De sigillo confessionis.

Denique Canone 3. profert sub nomine Urbani II. decretum quo cautum legitur, ut " deinceps nulli sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri sacerdoti ad pœnitentiam suscipere „sine ejus consensu, cui prius se commisit, nisi „pro ignorantia illius, cujus pœnitens prius con„fessus est.

An & quando relicto confessario liceat alterum accedere.

Cum hoc decretum contrariari videretur verbis sub nomine Augustini relatis Canone 1. quibus dicitur, ut pœnitens eligat sacerdotem scientem ligare & solvere, pro conciliatione dicit Gratianus ad calcem Canonis 2. " Sed aliud est favo„re vel odio proprium sacerdotem contemnere, „quod sacris Canonibus prohibetur: aliud cæcum „vitare, quod hac auctoritate quisque facere monetur, ne, si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadant.

Solicite autem præcavendum ne quis *sub obtentu ignorantiæ, relicto proprio Sacerdote, extraneum eligens Sacerdotem, in cæcum incidat, qui se & pœnitentem in foveam præcipitet.*

Hæc ex libro de vera & falsa pœnitentia, quem passim sub nomine S. Augustini citat Gratianus.

DISTINCTIO SEPTIMA.

Distinctione septima agit Gratianus de tempore pœnitentiæ agendæ, asseritque, " tem„pus pœnitentiæ esse usque ad ultimum articu„lum vitæ.

De tempore agendæ pœnitentiæ.

Id probat pluribus relatis auctoritatibus ex S. Augustino è quibus patet, Augustinum judicâsse pœnitentiam esse dandam, eam petenti in extremo vitæ, sed securitatem dari non posse. *Si quis positus* (ait Canone 2.) *in* ULTIMA *necessitate* ÆGRITUDINIS *suæ voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, &* MOX *reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus quod petit sed non præsumimus, quod bene hinc exit. Si securus hinc exierit, ego nescio: pœnitentiam dare possumus, securitatem autem dare non possumus, numquid dico, damnabitur: sed non dico liberabitur. Vis ergo à dubio liberari? vis, quod incertum est evadere? age pœnitentiam, dum sanus es.*

Pœnitentia in fine vitæ admodum incerta.

Cur autem Augustinus id dixerit (ait Gratianus) ostendit Cyprianus *lib.* 4. *Epist.* 2. ad Antonianum, cujus fragmentum refert Canone 5. rationemque incertæ conversionis ejus, qui in articulo mortis petit pœnitentiam, in hoc refundit? *quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit.*

Concludit tandem Canone 6. hunc tractatum prolixo fragmento ex libro *de vera & falsa pœnitentiâ* in quo multis adstruitur falsam videri pœnitentiam & reputandam esse, quæ usque ad finem vitæ differtur.

OBSERVATIONES AD TERTIAM PARTEM GRATIANI *DE CONSECRATIONE.*

Tertia pars Decreti Gratiani inscribitur de Consecratione, eamque in quinque distinctiones distribuit.

DISTINCTIO PRIMA.

De consecratione Ecclesiarum earumq; pollutione, profanatione reconciliatione.

PRIMA Distinctione præcipuè agitur de consecratione Ecclesiarum, ejusque ritibus; nec non earum pollutione vel profanatione, ac demum earum reconciliatione.

Et quia consecratione Ecclesiarum solet fieri præviis jejuniis, & inter missarum solemnia, intermiscet hic Gratianus nonnulla de jejuniis & temporibus jejuniorum, nec non celebratione missarum.

Plura hic refert Gratianus supposititia.

Notandum autem, quod Gratianus hac distinctione plura referat, sub nomine primorum Pontificum, quæ ex materia convincuntur supposititia: eo quod illa, de quibus agitur, sciantur ætate horum Pontificum in Ecclesia fuisse ignota, ac demum pluribus post sæculis introducta.

Hoc titulo meritò rejicitur Epistola, quæ legitur sub nomine Felicis Papæ IV. cujus prolixum fragmentum recitat Gratianus canone 1. & 2. quo dedicatio & consecratio Ecclesiæ exhibetur cum omnibus suis ritibus, quos recentior ætas adjunxit, & prima sæcula ignorârunt.

Eodem titulo rejicitur, ut spurium decretum sub nomine Hygini Papæ exhibitum canone 4. quo præcipitur, ut omnes Basilicæ cum missa debeant consecrari, qui ritus Hygino recentior est.

Ad quem pertineat novæ Ecclesiæ constructio?

Canone 4. & sequentibus auctoritate Gelasii Papæ adstruere vult, nullam Ecclesiam de novo construi posse absque præcepto *sedis Apostolicæ.*

Et quidem canone 5 hoc apponit summarium: *Sine auctoritate summi Pontificis nova non dedicatur Ecclesia.*

Verum intelligenda hæc videntur de Ecclesiis duntaxat suburbicariis, ut observat D. Fleuri Hist. Eccles. lib. 30. num. 34. utpote apertè sacris Canonibus contraria, qui hanc auctoritatem singularum diœcesium Episcopis attribuunt; constatque ex Glabro Rodulpho *lib. 2. capit. 4. hist. Eccl.* quanto fervore se opposuerint Episcopi Gallicani, etiam sæculo undecimo cuidam Comiti Fulconi, qui Joannem Papam induxerat, ut Petrum Cardinalem mitteret in Galliam, ut auctoritate Papæ consecraret Ecclesiam à dicto Fulcone in proprio suo fundo exstructam in diœcesi Turonensi, & quam Episcopus Turonensis consecrare recusabat. Hoc factum "universi Episcopi Gallicani detestabantur (ait Glaber) quoniam „nimium indecens videbatur, ut is, qui Apo„stolicam regebat sedem, Apostolicum primitus „ac canonicum transgrediebatur tenorem, cum „insuper multiplici sit antiquitus auctoritate ro„boratum, non quispiam Episcoporum in alterius „diœcesi istud præsumat exercere, nisi præsule, „cujus fuerit, compellente seu permittente. Videri possunt, quæ hac de re dicta sunt in *jure Eccl. parte 2. tit. 16. cap. 3.*

Dum construitur Ecclesia, dos sufficiens ei assignari debet.

Sub nomine Concilii Aurelianensis profertur Canone 9. decretum quo inhibetur ædificatio Ecclesiæ *antequam Episcopus civitatis veniat, & ibidem crucem figat, publice atrium designet & ante præfiniat, qui ædificare vult, quæ ad luminaria, & ad custodiam, & ad stipendia custodum sufficiant, & ostensa donatione, sic domum ædificet.*

Hoc decretum in Concilio Aurelianensi non reperitur, sed pene iisdem verbis legitur *lib. 5. Capitularium cap. 382.* nisi quod omittantur hæc verba, *atrium designet* item pro his, OSTENSA *donatione*, legitur, FACTA *donatione.*

Ecclesia consecrata debet aqua sancta aspergi.

Addit dein Gratianus in fine hanc clausulam, cujus in capitularibus nulla fit mentio; *Et postquam consecrata fuerit, atrium ejusdem Ecclesiæ sancta aquâ conspergat*, quæ similiter occurrit apud Burchardum & Ivonem; ut admodum verisimile sit ex his potius, quam è capitularibus desumptum, & clausulam de conspersione *aquæ sanctæ* recentiori manu, juxta ritum recentioris ævi fuisse adjectam.

Varia refert Gratianus ex apocryphis, de locis in quibus missæ celebrandæ sunt, de dedicatione, reconsecratione, & reconciliatione Ecclesiarum, &

Idem decretum cum dicta clausula extat in ordine Romano, uti monent Correctores Romani, qui & verba referunt, sed cujus sit ætatis ordo iste incertum est, ut proinde hinc nihil pro antiquitate hujus ritus statui possit.

Post hæc subjiciuntur nonnulli Canones, quibus decernitur, non nisi in locis sacratis Missarum solemnia esse celebranda; idque fere ex Pseudo-Epistolis primorum Pontificum, quorum ætate hæc disciplina adhuc ignota erat.

Uti & annua dedicationis Ecclesiæ celebranda solemnitas, sicuti & reiteratio consecrationis, quoties

ties de ea *dubitatur*, ut in canone 16. sub nomine Felicis Papæ omnibus orthodoxis *Epist.* 1. *c*, 1. & 2. deciditur: quam Epistolam (è qua plura fragmenta refert Gratianus) ut apocrypham omnes passim rejiciunt.

Nec majoris ponderis sunt, quæ canone 19. 20. & 21. referuntur de consecratione vel reconciliatione Ecclesiarum sub nomine Hygini Papæ apud quem nihil simile extat; & ex canone Nicæno, in quo nihil tale legitur, & ex Joannis Papæ Epistola Episcopis Italiæ inscripta, quæ refertur *tom.* 4. *Concil. General.* sed quod eam *supposititiam multa evincant*, recte notavit Labbæus. Neque sane quæ ex his refert Gratianus, ullatenus congruunt ætati illorum, sub quorum nomine ea notantur, uti agnoscunt passim, qui de his ritibus scripserunt; quamvis dubitandum non sit, qui eorum auctoritate, maxime postquam decreta Gratiani inserta fuère ritus ille reconciliationis, prout ibidem præscriptus est, multum invaluerit, & stabilitus fuerit.

Refertur à Gratiano canone 24. fragmentum sub nomine Juliani Papæ: at Correctores Romani id restituerunt *Vigilio Papæ* ad *Euchertum Epistol.* 1. *cap.* 4. seu potius ad Eutherium, quæ integra extat *tom.* 5. *Concil. General. colum.* 311. locumque secundum inter Epistolas occupat sub titulo hoc: *Epist.* 2. *Vigilii adhuc Pseudo-Papæ ad Eutherium.*

Notandum in hoc Vigilii responso, quòd, *si qua sanctorum Basilica à fundamentis etiam fuerit innovata sine Altaris notatione, sine aliqua dubitatione, cum in ea fuerit Missarum solemnitas celebrata, totius consecrationis sanctificatio implebitur.*

Rationem præmisit; quia nimirum tanta est missarum solemnitas, ut vicem suppleat consecrationis, uti hic recte interpretatur Glossographus, qui reflectens ad usum sui temporis, inepte restringit resolutionem ad casum quo muri fabricæ per partes deciderunt & reparati fuerunt.

De Altaribus & eorum consecratione.

Nonnulla de consecratione Altarium hic quoque adducuntur, notanter canone 25. 26. & 31. quorum ultimo ex concilio Epaunensi refertur: *Altaria si non fuerint lapidea, chrismatis unctione non consecrentur.*

Et canone 32. ex concilio Agathensi, *ut non solum unctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrentur.* Vide *Jus Eccl. part.* 2. *Tit.* 16. *cap.* 3, ubi de variis ritibus consecrationis Altarium & Ecclesiarum agitur.

Dein canone 33. 34. & 35. agitur de oratoriis privatis, in quibus sacras functiones peragere sine licentia Episcopi inhibetur; additurque, quod si quis extra Parochias, in quibus legitimus est ordinariusque conventus, oratorium in agro habere voluerit, debeat in præcipuis anni festivitatibus, non nisi in civitatibus, aut in Parochiis missas audire: quæ moderato etiam hodie in concessione similium oratoriorum inseritur, uti notavi in *Jure Eccl. part.* 2. *tit.* 5. *cap.* 8.

An & qua auctoritate corpora sanctorum de loco in locum transferri possint.

Canone 36. sub nomine Augustini nullo loco indicato dicitur, *tribus ex causis loca sanctorum transmutanda sunt.*

Et canone 37. ut *corpora Sanctorum de loco ad locum nullus transferre præsumat sine consilio Principis vel Episcoporum, Sanctaque Synodi licentia.*

Glossographus ad hunc canonem verbo, „*Principis*, ait" id est *Papæ*. Et hoc verum est, „ait, cum corpus traditum est jam perpetuæ sepulturæ, nisi necessitas immineat, tunc sufficit "auctoritas Præsidis Provinciæ: si autem non "est traditum perpetuæ sepulturæ, bene potest „transferri sine auctoritate alicujus ad alium lo„cum. Bella sane canonis expositio.

Citatur canon ex *Concilio Moguntensi primo cap.* 51. at in concilio Moguntino primo prout extat *tom.* 8. *Concil. General.* nihil simile reperi. Interim scimus circa similia variam fuisse disciplinam, variaque pro casibus occurrentibus fuisse decreta: plurimum propterea aberrare, qui pristinos canones ad hodiernos mores & jura detorquent.

De ornamentis & vasis sacris, nec non materia ex qua conficienda sunt.

Dein Gratianus aliquot subsequentibus canonibus agit de non impendendis vestibus & ornamentis sacris in usus profanos, deque vetita contrectatione vasorum sacrorum à non sacratis hominibus.

Verum ex suppositiis plerumque decretalibus Romanorum Pontificum desumpta sunt.

Insuper inquirit, qua ex materia vasa & ornamenta sacerdotalia & sacra sint conficienda: refertur que canone 44. decretum concilii Triburiensis Anni 895. cui inseritur vulgare illud dictum Bonifacii Martyris & Episcopi: *Quondam Sacerdotes* AUREI LIGNEIS *Calicibus utebantur: nunc è contrario* LIGNEI *Sacerdotes* AUREIS *utuntur* CALICIBUS.

Major debet esse sollicitudo de sacerdotum moribus, quàm de ornamentis & vasis.

Ita legitur in concilio & etiam apud Gratianum in corpore correcto. At in antiquis editionibus Gratiani ita legitur: " quondam sacerdotes non „aureis, sed ligneis calicibus utebantur Reliqua videntur à Correctoribus Romanis addita ex concilio, cujus tamen editionis nullam mentionem fecerunt. Interim dicto Bonifacii jungi potest sententia Petri Damiani *opusc.* 31. *cap.* 6. ubi ostendit, quod " Sacerdotii meritum non nitor efficiat vestium, sed spiritualium norma vir„tutum, & non micantia margarita, & gemmæ, „sed mores aurei deceant Sacerdotes.

De Liturgia.

Post hæc canone 47. ex synodo VI. cap. 32. refert, à quibus fuerit tradita missarum celebratio, quo decreto probantur Liturgiæ, quæ sub nomine sancti Jacobi, & sancti Basilii extant: in quibus multa occurrunt, quæ recentiorem redolent ætatem, meritoque viris etiam Catholicis dubium ingenerant, num his sanctis tanquam earum auctoribus adscribi queant.

De tempore celebrandi missarum solemnia.

Ex Pseudo decretali *Telesphori Papæ* asseritur canone 48. *excepta nocte Nativitatis Domini*, missarum solemnia celebranda non esse *ante horam diei* TERTIAM: quia & *eadem hora Dominus crucifixus est, & super Apostolos Spiritus Sanctus descendisse legitur*, hæc nimis aperte recentiorem ætatem referunt, ut vel hoc solo titulo hæc decretalis merito supposititia rejiciatur.

De jejunio præmittendo celebrationi.

Sub nomine concilii Africani dicitur canone 49. Sacramenta Altaris à *jejunis* esse celebranda, *excepto uno die anniversario, quo Cœna Domini celebratur*, de qua exceptione consuli potest Tractatus Historico Canonicus *part.* 2. §. 5. *ad Canonem* 41. *Codicis Africani.*

Quo tempore jejunium quadragesimale solvi possit.

Agitur canone 50. contra illos, qui jejunium *quadragesimale* solvebant mox ut signum audierint *ad horam nonam*, quæ modernæ nostræ horæ *tertiæ pomeridianæ* correspondebat: vult autem ut jejunium protrahatur usque ad finitum officium *vespertinum*. Gratianus decretum hoc assignat concilio *Cabilonensi*: at monent Correctores Romani illud haberi in capitulis *Theodulphi Aurelianensis Episcopi pag.* 39. cumq; hic vixerit sæculo VIII. sequitur, eo adhuc

tem-

tempore, jejunium quadragesimale, in Gallia saltem, protractum fuisse usque ad *vesperam*, sive usque ad absoluta officia *vespertina*.

Olim ob multitudinem populi plures in eadem basilica celebrabantur.

Profert canone 51. fragmentum Epistolæ S. Leonis Dioscoro Alexandrino Episcopo cum hac epigraphe: *etiam prima parte dici missas celebrare licet.* Verum, si contextus Epistolæ inspiciatur, apparebit, unicum Leonis scopum fuisse, inducere Alexandrinum Episcopum, ut in Ecclesia Alexandrina observaretur consuetudo Romanæ Ecclesiæ ex forma paternæ traditionis descendens, "ut cum solemnior quæque festivitas conventum numerosioris populi indixerit, & ea fidelium multitudo convenerit, quam recipere Basilica simul unà non possit, sacrificii oblatio indubitanter iteretur... cum plenum pietatis atque rationis sit, ut quoties Basilicam in qua agitur præsentia novæ plebis impleverit toties, sacrificium subsequens offeratur.

Hinc remansisse consuetudinem bis vel ter celebrandi in aliquot solemnitatibus, puta S. Joannis Baptistæ in Nativitate Domini, in natalitiis Apostolorum &c. non tantum in eadem Basilica eodemque altari, sed & ab eodem sacerdote, credit Paschasius Quenellus nota 4. ad hanc Epistolam, qui & alias eruditas, more suo, adjungit reflectiones ad hanc Leonis Epistolam.

De missis privatis.

Canone 52. adducitur decretum sub nomine *Augustini, ut missæ particulares, quæ per dies solemnes à sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut propter eas populus à publicis missarum solemnibus, quæ hora tertia canonice fiunt abstrahatur.*

Cum Augustini ætate missæ illæ *privatæ* nondum invaluissent, recte notatur in margine, id haberi in *Capitulis Theodulphi* Episcopi Aurelianensis, Augustino pluribus sæculis posterioris.

An & quando Sacerdoti liceat plusquã unam missam in die celebrare.

Decretum relatum canone 53. edicit sufficere sacerdoti unam missam in die celebrare, adducta notanda & vulgo nota ratione: *non modica res est, unam missam facere, & valde felix est, qui unam digne celebrare potest.*

Videtur tamen permittere, ut *quidam pro defunctis unam faciant, & alteram de die, si necesse fuerit, hoc & una declarans, quod, qui pro pecuniis aut adulationibus sæcularium una die præsumunt plures missas facere, non evadent damnationem.*

Citatur hoc decretum sub nomine *Alexandri secundi*, sed ubi id habeat, hic Pontifex hactenus non inveni.

Culpanda decimatorum tenacitas quæ cogit Sacerdotes binare.

Hodie vix inveniuntur sacerdotes, qui propria auctoritate plures eadem die missas quæstus causa celebrare attentarent, sed non pauci reperiuntur, qui tenacitate & avaritia decimatorum ad id adiguntur, sive, uti hodie loquimur, BINARE coguntur. Num hi decimatores *damnationem* evadent, ipsi viderint.

De canendo hymno Gloria in excelsis in cœno Domini.

Tribus sequentibus Canonibus agitur de canendis hymnis, præsertim Angelico. *Gloria in excelsis*, præcipiturque canone 56. ut hic hymnus ab Episcopo " *in Cœna Domini* inter missarum solemnia dicatur ! quod & hodie observatur, non tantum ab Episcopis, sed omnibus sacerdotibus celebrantibus. Refertur hic canon sub nomine *Nicolai Papæ Rudolpho Archiepiscopo Bituricensi*, sed de ea dicit Antonius Augustinus *lib. 2. dial. 6. fontes inquirimus*, sat innuens, hactenus non inventos.

De ministris qui Episcopo Sacrificanti assistere & de Sacrificio participare debent.

Canone 59. & 60. agit de numero testium, scilicet Presbyterorum aliorumque, qui Episcopo in Sacrificio assistant, *custodientes eum à malevolis hominibus, & consensum ejus præbeant sacrificio: peracta autem consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus.*

Adscribitur *Anacleto Epist.* 1. sed decretum, una cum Epistola supposititium esse nôrunt eruditi, neque ibidem præscripta ad *Anacleti* tempora posse referri: uti nec quod canone 60. refertur sub nomine Lucii Papæ & canone 58. relatum *ex decretis Soteris Papæ.*

De missa solitaria.

Similiter relatum canone 61. quo decernitur, ut nullus Presbyterorum missarum solemnia celebrare præsumat: *nisi duobus præsentibus sibique respondentibus ipse tertius habeatur*, falso attribui *Sotero Papa*, vel ab aliis Anacleto, recte notavit Card. Bona *lib. 1 rerum liturg. cap. 13. num 6.* " nihil enim magis alienum (ait) à praxi & disciplina illius sæculi, quam *solitaria missæ* celebratio, nec puto voluisse sanctos illos Pontifices edita lege abusum tollere, qui nonnisi post aliquot sæcula inter monachos irrepsit.

Prohibentur fideles egredi ante benedictionem Sacerdotis.

Plures dein refert Canones Gratianus, quibus jubentur fideles ad missarum solemnia accedentes, ad finem usque permanere, vel saltem ante *benedictionem Sacerdotis*, non egredi. Vide Card. Bona loco citato *lib. 2. cap. 19. num. 3.* plura ibidem de hac benedictione, qua forma & in qua parte missæ pronuntiaretur, observans.

De oblatione in missa facienda, & de recitandis offerentium nominibus.

De oblatione à fidelibus inter missarum solemnia facienda, agitur canone 69. & de offerentium nominibus *recitandis* Canone 7?. de quibus consule latè & eruditè tractantem Card. Bona in citato opere *lib. 2. cap. 8. & 9.*

Deinde Sursum corda.

De ritu quo præparantur corda fidelium à sacerdote proclamante, SURSUM CORDA, ut dum populus respondet HABEMUS AD DOMINUM, *admoneatur nihil se aliud, quam Dominum cogitare debere*, agitur canone 70.

De novenario numero præfationum.

Extat canone 71. decretum sub nomine Pelagii II de novenario numero *præfationem*, verum illud huic Pontifici adscribi non posse, sed recentioris esse ætatis pluribus solidisque argumentis ostendit Bona loco citato *cap. 10. num. 3.* idipsum latè probat Baluzius in notis ad hunc canonem.

Olim quodlibet pene festum suam præfationem habebat.

Interim Romani Pontifices more suo secuti decretum Gratiani, è missali suo, quod *Romanum* dicitur, omnes præfationes, exceptis his novem in hoc canone expressis sustulerunt: cum in antiquis sacramentariis singula pene festa, suam haberent præfationem, uti potest videri in sacramentario S. Gregorii per Hugonem Menardum notis illustrato.

In missa orandum pro defunctis.

Denique canone 72 ex Concilio Cabilonensi II. refertur in omnibus missarum solemnibus pro defunctorum spiritibus esse orandum.

DISTINCTIO SECUNDA.

In Sacrificio panis, vinum & aqua solum offerenda sunt.

D*Istinctione secunda* tractat Gratianus de Sacramento Eucharistiæ. Primis Canonibus ostendit, in hoc Sacramento tantum esse offerenda panem & vinum & aquam, atque hanc vino permiscendam: quod postremum probat potissimum auctoritate S. Cypriani canone 2. & 3. quæ enim eam in rem profert canone 1. ex Alexandro Papa & canone 7. sub nomine Julii Papæ parum authentica esse nôrunt eruditi. Monent hic Correctores Romani multa hisce Canonibus esse addita: ut hic rursus pateat, hodie non habere hoc opus Gratiani, prout ab eodem editum fuit.

De

Vetantur offerri uvæ.

De abusu offerendi uvas in Sacrificio Missæ, de quo agitur Canone 6. consuli potest Canon 28. Synodi Trullanæ, quo abusus hic proscribitur.

De tempore dandæ pacis in sacrificio.

Reprobatur Canone 9. ritus, qui in quibusdam Ecclesiis invaluerat, & mos quorundam dandi pacem ante confecta mysteria, de quo vide Card. Bona *Lib. 2. rerum Liturg. cap. 16. n. 6.* ubi multa tradit circa ritum, qui in variis Ecclesiis, variisque temporibus fuit circa impertitionem *pacis.*

Hodie solet in Missa solemni pax dari post confecta mysteria sive consecrationem ante Communionem, conformiter ad hunc Canonem.

Sacerdos sacrificans debet communicare.

Sacerdotes sacrificantes, quoties celebrant, debere communicare probat Canone 11. authoritate Concilii Toletani XII. & Canone 10. ex decretali suppositia Calixti vel Anacleti Papæ, sed quæ de omnibus fidelibus Missæ adstantibus loqui videntur, de qua disciplina vide dicta in *Jure Eccl. cap. 3. Tit. 5. Part. 2.*

Quandonam fideles ad Communionem accedere debeant.

Adducit dein plures authoritates, quibus ostendat, quoties fidelis populus ad Communionem accedere debeat, sed plura è scriptis, apocryphis & authoribus, sub quorum nomine allegantur, falso adscriptis, puta quod Can. 13. tribuit Augustino ipsius non esse, monent Monachi Benedictini in monitione prævia ad librum *de Eccl. dogm.*, quem in Appendicem Tomi 6. operum Augustini relegârunt: pariter relatũ Canone 14. *ex Lib. de Sacramentis cap. finali* perperam Ambrosio attribui pluribus persuasum est, & verba Canonis 15. apud Hilarium, cui adscribuntur, non inveniuntur, sed potius apud Augustinum, uti monent Correctores Romani.

Quæ Canone 16. & 17. Fabiano & Sotero attribuuntur, Pseudo-Isidori esse hodie non ambigitur.

Interim ex Decreto Synodi Agathensis in Canone 19. habemus, quod saltem in aliquibus Ecclesiis esset disciplina sæculo V., quòd fideles ut minus ter in anno, scilicet in Natali Domini, Paschate & Pentecoste communicare deberent, ut *qui non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.*

Quin & hoc scitur, primis sæculis eam fuisse praxin, ut, qui Missæ Sacrificio assisterent, etiam Sacramentaliter communicarent.

De abstinentia ab uxoribus ante Communionem.

Quod Canone 21. de abstinentia aliquot dierum *à propria uxore* allegatur, id perperam Concilio Eliberitano assignari probat Ludovicus Mendoza *Lib. 1. Concil. Eliberit. cap. 6.* & Stephanus Baluzius in notis ad hunc Canonem 21. quanquam certum sit, quod Patres ad eam abstinentiam ante sacram Communionem sæpius fideles hortati sint.

De divisione Hostiæ in tres partes.

Refertur Canone 22. Decretum sub nomine *Sergii Papæ*, sed quis sit, non dicitur. Notatur ad marginem Glossa ordinaria in primam Epistolam ad Corinthios, Magister sententiarum, aliisque, qui sæculo IX. & sequentibus de officiis & ritibus Ecclesiasticis scripsêre, apud quos saltem in substantia, hoc Decretum reperitur: ex quo Decreto habemus, quòd saltem tempore istorũ scriptorum Hostia consecrata in *tres* partes divideretur, quarum una mitteretur in Calicem, altera consumeretur, tertia vero in altari usque ad finem Missæ remaneret, eaque communicaturis, sive infirmis (ait Micrologus *de Eccles. observat. cap. 17.*) necessario dimittitur.

Quod autem fuerit, & etiamnum hodie sit, varius ritus fractionis sacræ Hostiæ sit, latè exponit Card. Bona *Lib. 2. rer. Liturg. cap. 15. n. 4.*

Quod Canone 23. refertur exorbitans sub nomine *Clementis Papæ*, de abstinentia à *communibus* cibis servanda certo tempore ab iis, qui *residua* Corporis Domini, quæ in Sacrario sunt, comendunt, esse apocryphum, nemo hodie dubitat, uti & omnes *Clementis I.* decretales: quarum sæpius Gratianus meminit, quarumque fragmenta sparsim in hoc opere occurrunt.

Occurrit rursus Canone 25. error sat familiaris Gratiano, ut nimirum verba S. Basilii attribuat octavæ Synodo, cujus erroris originem hactenus ignoro, quanquam errorem ipsum sæpius notârint Correctores Romani, nec tamen erroris occasionem indicârint.

Quæ pœnitentia imponenda illi, cujus negligentia aliquid de Sanguine Domini ceciderit?

De pœnitentia ejus, cujus negligentia aliquid de *Sanguine* Domini distillaverit in *terram*, vel super altare, relatum Canone 27. Decretum *Pii Papæ* apocryphum agnoscitur ab omnibus: tamersi ejus mentio etiam fiat in Breviario Romano ad diem 11. Julii, quo hujus Pontificis festum recolitur.

Interim ex hac suppositia decretali verisimile evadit, tempore confictionis harum Decretalium, id est, circa sæculum IX. adhuc in usu fuisse, ut fideles sub specie *vini* communicarent. Hinc enim facilè contingebat, ut negligentiâ Sacerdotis aliquid de *sanguine* in terram aut altare caderet.

Reprobatur abusus circa delationem Eucharistiæ ad infirmos per Laicum.

Canon 29. desumptus ex Concilio Rhemensi sat indicat abusum aliquando fuisse, ut Eucharistia deferenda ad infirmos traderetur Laico, aut etiam fœminæ, qui & hìc reprobatur, de quo vide Baluzium in notis ad Reginonem pag. 536. in fine. Insuper ex hoc Decreto habemus, quod tempore hujus Synodi Mulieres non permitterentur ingredi Sanctuarium, neque ad altare accedere: dicit enim Canon: "quod quidam Pres„byteri in tantum parvi pendant Divina Myste„ria, ut Laico vel fœminæ sacrum Corpus Domi„ni tradant ad deferendum infirmis: & quibus „prohibetur, ne sacrarium ingrediantur, nec ad „altare appropinquent, illis sancta sanctorum „committuntur: quod, quàm sit horribile, quam„que detestabile, omnium religiosorum animad„vertit prudentia. Igitur interdicit per omnia „Synodus ne talis temeraria præsumptio ulterius „fiat, sed omnimodo Presbyter per semetipsum „infirmum communicet: quòd, si aliter fecerit „gradûs sui periculo subjacebit.

De arcendis Laicis à sacrario tempore, quo sacra celebrantur.

Decretum Canone 30. de arcendis Laicis à sacrario, dum sacra per Sacerdotes celebrantur, falso attribui *Clementi Papæ* certum est, monentque Correctores Romani, extare in Synodo Eugenii II. itemque in Synodo Leonis IV. *cap. 33. & in 7. Lib. cap. 278.*

Hoc Decretum sæpius renovatum scitur, sed non sat observatum fuisse, nec hodie servari, signanter quoad mulieres, merito deploratur.

Liturgia Metropolitanæ Ecclesiæ servanda in Comprovincialibus Ecclesiis.

Cavetur Canone 31. ex Synodo Gerundensi anni 517. ut ordo Missarum sicuti in Metropolitana Ecclesia, ita servetur *in omnibus Provinciis*, seu potius in *omnibus Comprovincialibus* Ecclesiis, uti legitur apud Burchardum & Ivonem, id est, omnibus Ecclesiis Metropolitanæ Ecclesiæ subjectis, quod coincidit cum eo, quod in ipsa Synodo legitur, *in omni Provincia Tarraconensi.*

De veritate Sacramenti Eucharistiæ, & præparatione ad illud requisita.

A Canone 32. usque ad Canonem 93. agit potissimum de veritate & substantia Sacramenti Eucharistiæ, ostendens, in ea revera contineri Corpus & Sanguinem Christi sub speciebus panis & vini, & quâ præparatione à fidelibus hoc

hoc Sacramentum sit sumendum; nonnulla tamen hinc inde apocryha, ac mutilata intermiscens: ut ad nonnullos notârunt Correctores Romani.

De reservanda Eucharistia pro infirmis.

Refertur canone 93. Decretum Concilii Wormatiensis, quo præcipitur, ut Presbyter Eucharistiam semper habeat paratam, ut, quando quis infirmatus fuerit, statim eum communicet, ne sine Communione moriatur.

Olim parvulis infirmis Eucharistia data fuit.

Observant Correctores Romani apud Burchardum & Ivonem post verbum *infirmatus*, interponi hæc: *aut parvulus infirmus fuerit*, quemadmodum & apud Reginonem *Lib.* 1. *cap.* 69. & in capitularibus *Lib.* 1. *cap.* 155. legitur. Neque contemnenda hæc posterior lectio, quia scitur, multis sæculis etiam *parvulis* mox à baptismate, nec-non *infirmantibus* sacram Communionem datam fuisse: admodum verisimile est, Gratianum verba illa omisisse, eo quod mos distribuendi *parvulis* Eucharistiam suâ ætate in Ecclesia saltem latina, exolevisset.

Pœnitentia Presbyteri non custodientis Eucharistiam.

De pœnitentia Presbyteri, qui non benè custodierit Eucharistiam, agitur canone 94. sed sapit recentiorem ætatem.

Locus Cypriani male intellectus à Gratiano de Eucharistia.

Quod canone 95. allegatur ex S. Cypriano in Epistola ad *Eucratium*, ineptè à Gratiano ad Eucharistiam trahitur, ineptiusque ei appenditur hæc Epigraphe: *Histrionibus sacra non committantur Mysteria*, manifestum enim est ex contextu Epistolæ, unicè hic agi de repellendis histrionibus à communione Ecclesiæ, sive fidelium.

Id unum enim Eucratius quæsierat à Cypriano, num histrio in sua arte perseverans, *debeat nobiscum communicare: quod ego* (ait Cyprianus) *puto nec Majestati Divinæ, nec Evangelicæ disciplinæ congruere.*

Uti & decretum Concilii Garthaginensis de non neganda reconciliatione Histrionibus conversis.

Similiter errorem incurrisse videtur Gratianus adducendo hic canone 96. Decretum Concilii Carthaginensis III. quo præcipitur, ut histrionibus & similibus conversis ad Dominum *gratia vel reconciliatio non negetur.* His enim verbis simplex *reconciliatio* significatur; nequaquam vero *sacra Eucharistia*, uti putâsse Gratianum apparet, tum quòd in quæstione de Eucharistia hoc Decretum adducat, tum quod ei hoc summarium præmiserit: *Post conversionem non est deneganda gratia* COMMUNIONIS.

Non sunt eadem die in eodem altari celebrandæ duæ Missæ.

Denique Canone 97. sub nomine Concilii *Urbici* refert Decretum, quo interdicitur Presbytero Missam celebrare in Altari, in quo *eodem* die *Episcopus* Missam cantavit.

Quod sit hoc Concilium Urbicum hactenus ignoratur, sed in margine notatur *Concilium Antissiodorense Canone* 10. hocque celebratum anno 578. legitur, in quo verba hujus Decreti leguntur, sed præmissis verbis sequentibus, *non licet super uno altari in una die duas Missas dicere;* ac tum immediatè subjungitur Decretum, cujus meminit Gratianus: ut appareat, Decretum fundatum esse super unitate sacrificii in uno Altari servandâ, sive quod eodem die non possent in eodem Altari plura sacrificia offerri. Prout autem à Gratiano recitatur, videretur id singulare fuisse respectu Episcopi, qui in illo Altari celebrâsset.

DISTINCTIO III.

De diebus Festis.

Agit distinctione tertia Gratianus inprimis de feriis, sive diebus festis, quibus populo feriandum est, seu ab operibus servilibus abstinendum.

Formula publicandi Festa.

Profert hunc in finem canone 1. Decretum sub nomine Concilii Lugdunensis, quod potius sapit formulam quandã indicendi, seu publicandi festa per annum celebranda, quàm alicujus Concilii Decretum, uti notat Ludovic. Thomassinus in suo Tractatu Historico de celebratione Festorum *Lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 12. monetq; hoc formulare apparere magis proprium *Ecclesiæ Romanæ*, quam aliis Ecclesiis, eo quod ibi memoria occurrat Festorum *S. Sylvestri & S. Laurentii*, quæ pridem huic Ecclesiæ propria fuêre.

Cujus sit instituere Festa.

Generaliter dein ibi declaratur: *& illæ festivitates, quas singuli Episcopi in suis Episcopatibus cum* POPULO *collaudaverint, indicendæ sunt.* Hæc eadem verba suæ decretali relatæ *in cap.* 5. *de feriis* inseruit Gregorius IX. Videri possunt, quæ de authoritate Episcoporum instituendi dies festos, nec-non approbatione Magistratûs seu Principis, populum repræsentantis, annotavi in *Jure Eccl. Part.* 2. *Tit.* 17. *cap.* 1.

Reprobatur consuetudo saltandi diebus festis.

Citatur canone 2. Decretum Concilii Toletani III. quo reprobatur *consuetudo, quâ populi per Sanctorum solemnitates, cum deberent officia Divina attendere*, SALTATIONIBUS & TURPIBUS *invigilabant* CANTICIS: *non solum sibi nocentes, sed & Religiosorum officiis perstrepentes.* De simili etiam vigente perniciosa ac sacrilega festorum dierum profanatione plura notavi in *Jure Eccl. loco citato cap.* 5.

De diebus jejuniorum & variâ hâc in re disciplina.

Post hæc à canone 3. usque ad canonem 17. agit de ritibus jejuniorum. Variam fuisse hâc in re Ecclesiarum & temporum exteriorem disciplinam, probant tum authoritates hic adductæ (licet nonnullæ apocryphæ misceantur, puta canone 14. Decretum Melchiadis Papæ) tum authores, qui de jejuniis ex professo scripsêre, ac nominatim recentissimè Ludovic. Thomassinus in suo Tractatu Gallicè conscripto *de Jejuniis.*

De renovando Chrismate in Cœna Domini.

Sub nomine Fabiani Papæ extat canone 18. Decretum de renovando per singulos annos sacro Chrismate in Cœna Domini. Licet sciatur hoc decretum falso adscribi huic Pontifici Fabiano, non dubium tamen, quin decretum hoc apocryphum plurimum conduxerit, ut disciplina moderna de innovando Chrismate in Cœna Domini stabiliretur, prout hodie in Ecclesia saltem latina servatur.

De Festo Inventionis S. Crucis.

Decretum sub nomine *Eusebii Papæ* canone 19. de celebrando Festo *Inventionis sanctæ Crucis*, quinto nonas Maji, apertè apocryphum est: cum certum sit tempore hujus Pontificis, necdum hoc festum fuisse institutum.

De benedictione aquæ sale conspersæ.

Neque majoris authoritatis est Decretum sub nomine Alexandri Papæ canone 20. quo præcipitur, *aquam sale conspersam populis benedici, ut eâ cuncti aspersi sanctificentur & purificentur:* Scitur enim ritum hunc ætate hujus Pontificis esse recentiorem.

De celebrando Paschate die Dominico.

Agit canone 21. & sequentibus de celebrando Paschate in Die Dominico, ejusque indictione, sed duo priora Decreta, unum *Pio Papæ*, & alterum *Victori Papæ* adscriptum certo sunt suppositítia, quamvis sciamus tempore *Victoris Papæ* acrem fuisse de die celebrationis Paschæ disceptationem.

De utilitate imaginum, & vetita eorum adoratione.

Post hæc canone 27. refert fragmentum Epistolæ S. Gregorii Severo Episcopo Massiliensi, in quo de cultu imaginum agitur; laudatque Episcopum, *quia eas adorari vetuisset:* reprehendit autem, *quod eas fregisset: aliud est enim* (ait) *picturam adorare, aliud per picturæ historiam, quid sit adorandum, addiscere: nam quod legentibus præstat Scriptura, hoc idiotis præstat pictura*

ra cernentibus: quia in ipsa etiam ignorantes vident, quid sequi debeant: in ipsa legunt, qui literas nesciunt? unde & præcipue Gentibus pro lectione pictura est.

Optandum esset, ut Episcopi & Pastores intra justos hos præscriptos limites cultum imaginum continere studerent.

Nam & consilia usum imaginum probantia, hunc esse earum scopum significant, quorum decreta Canone 28. & 29. Gratiano referuntur.

De fide mysterii SS. Trinitatis.

Denique Canone 30. plane extra ordinem recitat Gratiannus verba S. Augustini, quibus exponit quid de mystico sanctissimæ Trinitatis fide credendum sit, de quo ex professo agit hic S. Doctor in libris de Trinitate.

DISTINCTIO QUARTA.

TRactat *distinctione quarta* fusè Gratianus de Sacramento Baptismi.

De necessitate baptismi ejusque effectu.

Prima quidem *parte* de necessitate baptismi, ejusque effectu, qui est purgatio hominis à peccato originali, allatis eam in rem pluribus auctoritatibus, signanter ex S. Augustino, ad quas merito notandæ reflectiones Correctorum Romanorum.

De tempore conferendi solemniter baptismum.

Secunda distinctionis *parte*, quæ incipit à Canone 11. præcipue tractat de tempore, quo solemnis baptismus conferendus sit, atque duo esse tempora scilicet Paschæ & Pentecostes probat ex S Leone: de qua disciplina latius egi *in Jure Eccl. part. 2. tit. 2. cap 2.*

De ministro baptismi.

Parte tertia incipiente à Canone 19. agit de ministro hujus Sacramenti, multaque adducit, signanter ex Augustino scriptis contra Donatistas, de quo articulo latè egi *in Jure Eccl loco citato cap. 3.* atque nonnulla circa Canones à Gratiano hic adducto observavi.

An valide à non baptizato baptismus conferatur.

Quærit dein *parte quarta:* „An approbetur „baptisma, quod à non baptizato præstatur? hunc „in finem adducit Canone 31. verba Augustini, quibus apparet, Augustinum propendisse ad validitatem hujus baptismi, quantumvis ex integro contextu, (quem mutilavit Gratianus) evidens fit, in hac quæstione Augustinum hæsisse dubium, neque positive aliquid voluisse resolvere: „nobis (ait) tutum est, in ea *non progredi* aliqua „ut meritare sententiæ, quæ nullo Catholico re„gionali Concilio cœpta, nullo plenario termi„nata sunt: id autem fiducia securæ vocis assere„re. quod in gubernatione Domini Dei nostri, & „Salvatoris JESU Christi *universalis* Ecclesiæ „consentione roboratum est. Hæc ille *lib. 7. de baptismo contra Donatistas cap. 53.* ubi merito in margine apposuère eruditi revisores: *Augustini in definiendo modestia.*

In ea quæstione dubius hæsit Augustinus.

Utinam in hac modestia imitatores multos haberet Augustinus: non tam multæ à multis fabricarentur imaginariæ hæreses, aut novi cuderentur fidei nostræ articuli.

De valore baptismi ab hæreticis collati.

Nonnulla post hæc circa baptismum ejusque virtutem & valorem, admodum confusè miscet Gratianus hoc inter alia ex Augustini scriptis contra Donatistas ostendens, baptismum etiam ab *Hæreticis & Schismaticis, sed tamen baptizatis*, collatum, esse validum, modo in nomine *Sanctissimæ Trinitatis* rite conferatur.

Insuper ostendit Christum baptisma conferre, sive virtute Christi baptismum conferri, sive boni sive mali baptizent, neque malitiam ministri sanctitati baptismi officere.

Baptismus sanguinis & flaminis

De his omnibus pene agit usque ad Canonem 53. intermiscens tamen Canone 34. ex Augustino, quod effusio sanguinis, nec-non conversio cordis cum desiderio baptismi suppleant baptismum aquæ: atque hinc triplex species baptismi recepta, scilicet, aquæ, sanguinis & flaminis.

supplet vicem baptismi aquæ.

De exorcismis super Catechumenos.

A Canone 53. agit de exorcismis & exsufflationibus, quæ super Catechumenos ante baptismum fiebant. Plura hanc in rem allegat, ac notandus specialiter Canon 73. ubi ex Augustino exponitur, quid significent mysteria, quæ in baptismati fonte celebrantur.

De examine Catechumenorum.

Post hæc de examine ac instructione aliisque nonnullis ritibus circa Catechumenes sive baptizandos fieri solitis, de quibus egi in *Jure Eccl. part. 2. tit. 2. cap. 5.*

De baptismo parvulorum & infirmorum.

Agit Canone 74. 71. & 77 de baptismo parvulorum, & qualiter eis aliena professio prodesse queat: & Canone 75. agitur de baptismo ægrotantium, qui pro se respondere non possunt, refferturque eam in rem decretum Concilii Carthaginensis, pro cujus intellectu merito consuli poterit Albaspinæus ad dictum Canonem, ubi monet hic non agi de iis, qui erant in Catechumenatu jam ante morbum constituti, sed de Gentilibus in gentilitate existentibus, qui tamen in ægritudine constituti baptismum expetierant.

Ritus unius vel trinæ immersionis in baptismo est tantum disciplinæ.

Dein nonnullis Canonibus agitur de *una vel trina* baptizandi immersione, de quo ritu actum in *Jure Eccl. loco citato cap. 1.* relatis auctoritatibus à Gratiano recitatis: ex quibus apparet, ritum quidem *tertio immergendi* esse antiquum, non tamen institutionis divinæ, aut ad integritatem baptismi spectare, sed duntaxat esse externæ disciplinæ mutationi subjectæ, prout & revera *trina* immersione abrogata, unicam adhiberi non tantum permissum, quin & præceptam fuisse constat ex Concilio Toletano IV. Canone 6. ubi & ratio hujus præcepti & mutationis additur, hujusque mutationis rationem ex citato Concilio Toletano allegavi ibidem.

De unctione baptizandi & veste candida.

Tractat Canone 8 . & sequentibus de *unctione* baptizandi, & quare baptizato imponatur vestis *candida*, de quibus consule similiter dictum *cap. 3. in Jure Eccl.*

De abrenuntiationibus à Catechumeno faciendis.

De renuntiatione *diacolo* & operibus ejus à Catechumeno ante baptismum facienda, & qualiter tempore sui Catechumenatus vivere debeat, agitur Canone 95. & sequentibus, de quibus pariter actum *dicto cap. 3.*

De Patrinis eorumque obligatione.

Incipit Canone 100. agere de Patrinis seu susceptoribus in baptismo adhibendis, eorumque conditione & obligatione, quæ fusius exposita sunt in *Jure Eccl. part. 2. tit. 2 cap. 4.* annotatis quoque nonnullis apocryphis scriptis, quorum auctoritate hic usus est Gratianus.

An & quando rebaptizatio sit vetita.

De vetita rebaptizatione ejusque pœna, & quando in dubio rebaptizandi sint tractat Canone 107. & sequentibus. De qua re in *Jure Eccl. part. 2 tit. 1 cap. 1.* ostensumque ibi est, formulam baptizandi sub conditione dubie baptizatos olim usitatam non fuisse.

De Chrismate quo inungendi baptizati.

Post hæc Canone 11. & sequentibus tractat de Chrismate, & an Presbyteris liceat baptizatos Chrismate jungere, & per quem Chrisma conficiendum & distribuendum sit, de quibus videri possunt dicta in *Jure Eccl. part. 2. tit. 2. cap. num. 45. & 46 item tit. 1. cap. 3.* ubi & notatum nonnullos Canones apocryphos aut mutilatos à Gratiano in hac materia adductos.

De dilatione Baptismi.

Agit Canone 128. verbis sancti Chrysostomi contra eos, qui ad mortem usque baptismum differebant, ut liberius peccarent: *Multos novi*, ait, *qui hoc passi sunt, qui spe baptismatis multa peccabant, circa diem autem* MORTIS *accesse-*

discesserunt vacui. Deus enim propter hoc Baptisma tribuit, ut solvat peccata, non ut addat.

De omnimoda necessitate baptismi respectu parvulorum.

Sequentibus Canonibus rursùs agit, adducta auctoritate Augustini, de Baptismo parvulorum, & quare etiam de baptizato nati, debeant baptizari quodque præter baptisma Christi parvulis nulla salus promittatur, *quia infantes si per Sacramentum, quod ad hoc divinitus est institutum in credentium numerum non transeant, profecto in tenebris manent*, ait Canone 142. ex Augustino.

De effectu baptismi.

Ac tandem tractat de effectu baptismi, præsertim quoad remissionem peccati *originalis*: hocque peccatum non tantum quoad *pœnam*, sed etiam quo ad *culpam* transire in infantes docet auctoritate Canonum Concilii Milevitani, quibus & docetur contra Pelagianos quid Christi gratia in nobis operetur, de quibus etiam consule Tractatum Historico Canonicum *part.* 2. §. 10. *ad Canonem* 109. & sequentes Codicis Africani, ubi hi Canones repræsentantur, quamvis non sint revera Concilii *Milevitani* cui eos attribuit Gratianus, sed Concilii *Carthaginensis* habiti Kalendis Maji 418.

DISTINCTIO QUINTA.

De dignitate ministro & effectu Sacramenti Confirmationis.

TRactat Distinctione quinta de Sacramento Confirmationis, prolatis Canone 1. 2. 3. & 4. fragmentis ex falsis decretalibus primorum Pontificum, in quibus plura admodum notanda de effectu & dignitate hujus Sacramenti occurrunt, atque præcipuè urgetur, hoc Sacramentum jam pridem per Apostolos fuisse administratum, neque hodie nonnisi per Episcopos eorum successores administrari posse, atque in illo dari plenitudinem Spiritûs Sancti.

Duplex Chrismatio altera per Sacerdotem, altera per Episcopum.

Referuntur Canone 5. verba Rabani Mauri *ex libr.* 1. *de instit. Cler.* in hoc autem Canone fit mentio duplicis Confirmationis: *Signanter enim Baptizatus*, ait, *cum* CHRISMATE *per* SACERDOTEM *in capitis* SUMMITATE; *per* EPISCOPUM *vero* IN FRONTE, *ut in priore unctione significetur Spiritus sancti super ipsum descensio ad habitationem Deo consecrandam: in secunda quoque, ut ejusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum omni* PLENITUDINE *sanctitatis & scientiæ, & virtutis venire in hominem declaretur.*

Duplex illa Chrismatio est recentioris disciplinæ.

Duplicem hanc Chrismationem recentioris esse disciplinæ, prioremque, scilicet sacerdotalem demum invaluisse, postquam recens baptizati, mox à collato baptismo, desierunt per Episcopum in fronte chrismari seu confirmari, notavi in *Jure Eccl. part.* 2. *Tit.* 2. *capit.* 2. *num.* 45.

Extat Canone 6. decretum sub nomine Concilii Aurelianensis *cap.* 3. sed hactenus inter decreta ullius Concilii Aurelianensis non reperi.

De jejunio & confessione ante confirmationem.

Interim in hoc decreto inter cætera decernitur, *ut* JEJUNI *ad Confirmationem veniant, perfectæ ætatis, ut moneantur* CONFESSIONEM *facere prius, ut mundi donum sancti Spiritus valeant accipere.* Hæc sanè recentiorem sapiunt disciplinam.

De tempore celebrandi confirmationem.

Ex Concilio Meldensi decernitur Canone 7. quod adinstar baptismatis Confirmationem celebrari conveniat *duobus temporibus* Paschæ videlicet & Pentecostes: quod decretum respicere videtur ad pristinam & pluribus sæculis continuatam disciplinam confirmandi recenter baptizatos, sive hæc duo Sacramenta combinandi.

De non reiteranda confirmatione.

Deinde probat Canone 8. & 9. Confirmationem non reiterandam.

Crucis signaculo Sacramenta perficiuntur.

Citatur Canone 10. decretum sub nomine Stephani Papæ V. quo declaratur omnia Sacramenta crucis signaculo perfici: sed fons ejus non invenitur.

Profert & extra ordinem Canone 11. sub nomine Concili Carthaginensis IV. *Omni die exorcistæ energumenis manus imponant; energumeni vero pavimenta domorum Dei verrant, quibus assidentibus in domo Dei victus quotidianus per exorcistas opportuno tempore ministretur.*

Hæc in tres canones distincta hodie in Concilio Carthaginensi IV. leguntur; verisimiliter à Gratiano in unum conflata in aliquo Pontificali libro reperta fuerunt, uti supra notavimus.

De ordine officiorum.

De ordine officiorum agit canone 13. 14. & 15. & quidem canone 15. sub nomine Gregorii VII. ordinatur numerus Psalmorum ad nocturnos secundum distinctionem officii, & dierum prout hodie ritu Romano recitatur. Verisimile est conformiter ad hoc decretum, numerum & ordinem hunc fuisse ordinatum & hactenus conservatum in Ecclesiis, quæ usum Breviarii Romani receperunt, neque antiquitus eum institutum reperimus.

De quadragesima & aliis jejuniis eorumque utilitate.

Agit canone 16. & sequentibus de observatione quadragesimæ, & diebus jejuniorum, ac præsertim de jejunii utilitate & effectu: atque canone 25. ex Augustino ait, *Jejunium autem* MAGNUM *&* GENERALE *est abstinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus Sæculi, quod est perfectum jejunium.*

Intermiscet & nonnulla de Monachorum specialibus jejuniis & exercitiis ac signanter canone 33. ex sancto Hieronymo ad *Rusticum* Monachum.

De vita Canonicorum in communi.

Et canone 34. aliqua habet de vita canonicorum sub Prælati obedientia in communi viventium.

Sub nomine concilii Nannetensis refertur canone 35. Decretum contra nonnullos abusus Presbyterorum, dum ad collectas, seu convivia conveniebant, de quibus vide notas Baluzii ad hunc canonem, & latius in notis ad Reginonem pag 564.

De Pigmentis mulierum.

Canone 38. verbis Augustini agit contra mulieres faciem suam pigmentis fucantes, dicens: *Fucare pigmentis*, quo vel *rubicundior*, *vel candidior appareat*, *adulterina fallacia est.*

Fides de Spiritu Sancto.

Denique distinctionem hanc claudit duobus Canonibus, quibus exponit fidem Ecclesiæ nostræ de Spiritu Sancto, ejusque processione à Patre Filioque.

FINIS HUJUS TOMI.

INDEX

INDEX RERUM.

Quæ in brevi ad Gratianum Commentario continentur.

Primus numerus paginam, secundus columnam designat.

A

ABbas, à quo eligendus *pag.* 111. *col.* 2. An Abbates tonsuram & minores ordines conferre possint. 51. 2.

Abusus eradicandi priusquam in consuetudinem transeant. 18. 1. Nonnunquam quædam de se licita propter abusum vetantur. 35. 2. Abusus in musica vetandi. 59. 1.

Accusatio. Qui legitimi accusatores esse possint. 74. 2. Nemo potest esse accusator & testis. 77. 1. An excommunicatus alium accusare valeat. 16. 2. Qui ab accusatione repellantur. 76. 2. Quanta sit gravitas criminis falsi accusatoris. 76. 2. Qua pœna feriendi deficientes in accusatione. 69. 2. An accusatus pendente accusatione possit suum accusatorem reaccusare. 76. 2. An deficiente accusatore reus cogendus sit ad purgationem 69. 2. Accusator deficiens in primo crimine ad ulteriora probanda admitti non debet. 76. 1. An & quando liceat Laicis accusare Clericos, & maxime Episcopos. 73. 1. Accusatis Episcopis tempus sufficiens concedendum ad sui defensionem. 74. 2. Accusator in causa criminis adversus Episcopum deficiens, potest nihilominus contra ipsum propriam & privatam causam prosequi. 78. De forma accusationis Episcoporum ex falsis decretalibus & jure civili. 73. 2.

Adulterium olim quodcunque impediebat matrimonium inter adulterum & adulteram. 149. 1. Restrictio ea de re à Pontificibus probata. 149. 2. Nullo casu matrimonium per adulterium dissolvitur. 153. 2. Olim inter adulteros incestuosos nullum erat matrimonium. 154. 1. Uxor vim patiens adulterii non fit rea. 152. 2. Æquale est jus mariti & uxoris ad dimittendam compartem adulteram *ibid.* Adulter compartem adulteram dimittere non potest. *ibid.* De pœnitentia uxorum adulterarum interfectoribus interponenda 155. 1. *Vide* Matrimonium

Ægyptiaci dies, qui. 141. 2.

Ætas, quæ in presbytero requiratur. 54. 1. *Vide* Ordinatio. Quæ in velandis virginibus. 142. 2.

Agapæ, quid? earum origo. 43. 1.

Altaria, quo ritu consecranda. 165. 1.

Apocrypha innumera à Gratiano sub aliorum nomine adducta. 15. 2. *& passim.*

Apostolicæ sedi convocandorum Conciliorum generalium auctoritatem vindicavit Gregorii VII. *dictatus* 24. 1. Apostolorum limina singulis annis adire debent Episcopi Apostolicæ ordinationi subjecti. 60. 1.

Appellatio. Gravatus per sententiam ab ea appellare potest. 71. 2. An ab omnibus possit appellari, etiam immediate ad sedem Apostolicam. *ibid.* An & qua ratione appellationes ad Pontificem in Gallia & Belgio sint admissæ. 72. 2. Extra provinciam appellare non licet. 79. 1. Utrum ab arbitrorum sententia possit appellari. 73. 1.

Aqua. De benedictione aquæ sale conspersæ. 168. 2.

Arbitri. Utrum ab eorum sententia possit appellari. 72. 2.

Archidiaconus assumendus in Archidiaconum debet esse Diaconus. 49. 1. Archipresbytero superior. 33. 2. Redarguitur Archidiaconorum dominatus in presbyteros parochianos. 61. 2.

Archiepiscopus. An suffraganei Clericos illò inconsulto damnare valeat vel absolvere. 84. 1. *Vide* Episcopus.

Archipresbyter assumendus in Archipresbyterum debet esse presbyter. 49. 1. Archidiacono subjicitur, & qua occasione. 33. 2.

Arma Episcopis & Clericis vetita. 129. 1. Arma clericorum fletus, lacrymæ & orationes 129. 1. *Vide* Bellum. Ecclesia.

Auctoritas. In judiciis ferendis prævalet auctoritas Prælatorum: in interpretandis sacris scripturis, prævalet auctoritas sanctorum Patrum. 26. 2. Concilii Toletani XIV. ea de re sententia. 26. 2.

AUGUSTINI notabile dictum de duplici modo considerandi dignitates Ecclesiasticas. 42. 2.

Azylus. De azylo Ecclesiarum, & quousque locum habeat respectu famulorum. 110. 2. 129. 2.

B

BAptismus. Ejus necessitas & effectus 169. 1. 170. 1. Quo tempore solemniter conferendus. *ibid.* Quis sit ejus minister. 169. 1. An valide à non baptizato vel ab hæretico conferatur. *ibid.* Licitè ab hæretico in necessitate suscipitur. 132. 2. sed non communio *ibid.* Quid agendum, ubi de ejus validitate dubitatur. 51. 2. Nulla mentio conditionis adjiciendæ. *ibid.* Baptismus sanguinis & flaminis supplet vicem baptismi aquæ. 169. 1. De exorcismis super Catechumenos. 169. 2. De eorundem examine. *ibid.* De baptismo parvulorum & infirmorum. *ibid.* Ritus unius vel trinæ immersionis est tantum disciplinæ. *ibid.* De unctione baptizandi & veste candida. *ibid.* De abrenuntiationibus à Catechumeno faciendis. *ibid.* De Patrinis eorumque obligatione. *ibid.* An & quando rebaptizatio sit vetita. *ibid.* Sancti Cypriani sententia Donatistarum errori minimè patrocinatur. 19. 1. De chrismate, quo inungendi baptizati 169. 2. De dilatione baptismi. *ibid.* De omnimoda necessitate baptismi, respectu parvulorum. 170. 1.

Basilicæ, an ad Episcopi ordinationem cum omni dote sua pertineant. 85. 1.

Bellum an Christianis sit vetitum. 127. 1. Non est per se malum. *ibid.* An jubente Rege bellari possit, dum de belli justitia dubitatur. *ibid.* Debet esse justum. *ibid.* Quæ ad justitiam belli requirantur. *ibid.* An & quo sensu injuria à proximo illata armis sit propulsanda 122. 2. Quibus ex causis justè peti possit auxilium ad propulsandam injuriam. *ibid.* Oppressis subveniendum *ibid.* Quid intersit inter hominem se vindicantem & Judicem punientem. *ibid.*

Beneficiorum pluralitas vetita. 116. 1. Potest quis habere duas Ecclesias, unam titulatam, alteram commendatam. 116. 2. Quo sensu possit quis juxta sanctum Gregorium habere duos Episcopatus. *ibid.* Adscriptus alicui Ecclesiæ eam deserere sine licentia Episcopi non potest. *ibid.* Plures Sacerdotes eidem Ecclesiæ præfici non possunt. *ibid.* Quælibet Ecclesia debet habere proprium suum Sacerdotem. 117. 1. An ad beneficium derelictum detur regressus. 109. 2. Bigami omnis beneficii incapaces. 39. 1, *Vide* Ecclesia.

Bigamus, an is censendus sit, qui duas uxores habuit, unam ante, alteram post baptismum 34. 1. 146. 1. Variæ ea de re Patrum sententiæ. *ibid.* Bigami non ordinandi. 38. 2. Omnis beneficii incapaces. 39. 1. Bigamia omnibus Clericis vetita. 56. 2. Græcorum disciplina circa irregularitatem ex bigamia. 37. 2. 38. 2.

Bona Ecclesiæ. *Vide* Ecclesia.

C

CAlumnia. Quæ pœna calumniatoribus infligenda. 78. 2. Vexationes & calumniæ bonis Sacerdotibus

dotibus illatas coercere debet Episcopus. 74. 1.

Canones. Ex temporum, locorum & personarum circumstantiis expendendi. 35. 2. His neglectis sæpe à vero canonum sensu aberratur. *ibid.* Nulla habenda sunt quæ contra canones fiunt. 136. 1. Hos ignorare clericis perniciosum. 40 1. De Apostolorum canonibus parum accurate Gratianus. 23. 2 Canon *Si Papa*, hujus auctor incertus. 41. 1. Hujus prima pars unde desumpta. 41. 2. Præbuit prætextum sectariis convellendi primatum Romani Pontificis. *ibid.* Supponit posse esse à fide devium, & ut talem judicari. *ibid.*

Canonici. An sua coram judice eis liceat repetere, 98. 1. An & quando eorum testimonium in causa Ecclesiæ sit legitimum. 98. 2. Qui possint sine licentia Episcopi fieri monachi. 113. 2. Qua pœna puniendi qui monachi fiunt. *ibid.*

Capella. An monachi in suis capellis habeant jus institutionis. 106. 1.

Capitula. Schismatis trium Capitulorum occasio & historia. 126. 2. Quid de his moderni quidam sentiant theologi. 23. 2.

Cardinalis Episcopus. Quis sit apud Gregorium. 116. 2. Ab his metropolitani vice Romanus Pontifex ordinatur. 32. 2 54. 2. *Vide* Inthronizatio.

CAROLUS MARTELLUS. Fabula de ejus apparitione. 105. 2.

Caritas. An sit inamissibilis. 161. 1. Alia perfecta, alia imperfecta. *ibid.* Imperfecta amitti potest & reparari. *ibid.* An in electis sit amissibilis. 161. 2. In reprobis quandoque caritas est. *ibid.* Quo sensu caritas quæ deseritur dici possit vera & ficta. *ibid.*

Castitas. Quæ in presbyteris & diaconis sit requisita. 34. 2. Variæ ea de re Patrum sententiæ. 35. 1. Subdiaconi castitatis votum emittere debent. 25. 1.

Catechumeni. De exorcismis super eos faciendis. 169. 2. De eorum examine. *ibid.*

Cathedra. Sublimitas cathedræ sanctum non facit, sed requirit. 40. 1. *Vide* Decretales.

Causa. Quid eo nomine intelligatur. 65. 1. An & quando quis per procuratorem causam agere valeat. 78. 1. Causas ventilare diebus Dominicis & festis prohibitum. 100. 2.

Choriepiscopi. A quibus ordinandi. 51. 2. Differentia inter Episcopos & Choriepiscopos, sed suppotitia. *ibid.*

Chrisma Origo disciplinæ conficiendi chrisma singulis annis. 62. 1. In cœna Domini renovandum 168. 2. An illud conficere competat presbyteris, & infantes in fronte consignare. 62. 1. 169. 2. *Vide* Confirmatio.

CIRCUMCELLIONES, qui? 125. 1.

Claves, Ecclesiæ datæ sunt in persona Petri. 131. 1.

Clerici. A quibus, quo tempore, & quo loco ordinandi. 50. 2. Sine titulo Ecclesiastico non debent ordinari. 51. 1. nec ab alieno Episcopo sine dimissoriis litteris. *ibid.* Peregrini sine commendatitiis litteris non admittendi. 64 1. *Vide* Dimissoriæ litteræ. Potestatem in ordinatione acceptam sine licentia Episcopi exercere non possunt. 103. 2. Inferiores clerici loca superioribus destinata ingredi vetantur. 32. 2. Vasa sacra tangere non debent. *ibid.* De qualitatibus in eis requisitis. 311. An ipsis litterarum sæcularium studium & librorum Gentilium lectio conveniant. 39. 2. Sacras litteras & canones ignorare ipsis perniciosum. 40. 1. Cum mulieribus conversari prohibentur. 37. 2. Ab incontinentiæ præcipue vitio debent esse immunes. 56. 2. Incontinentes ab omni ordinum gradu dejiciendi. 37. 1. Disciplina circa lapsorum restitutionem. 155. 2. In sacris non constituti, tempore sancti Gregorii poterant uti conjugio, & stipendia ab Ecclesia recipere. 37. 1. Sobrietas in eis requisita. 39. 1. Frequentatio popinarum ipsis vetita. 43. 2. Interdicta venatio. 38. 1. Coma vetita. 32. 2. De forma vestium clericalium. 117. 1. Fulgidis & pretiosis vestibus uti non debent. *ibid.* Externo habitu modestiam & simplicitatem præferant. 42. 2. 117. 2. Regula ea de re à concilio Carthaginensi præscripta. 42. 1. Usuræ, negotiatio clericis interdictæ. 45. 1. 58 1. Ipsis præsertim perniciosa bonorum temporalium cupiditas. 45 1. Lucri gratia se negotiis sæcularibus intricare vetantur. 58 1. 117 1. An eis pro impenso patrocinio liceat munera exigere. 100. 1. An liceat proprium habere 92 2. *& seqq.* Quandonam bona clerico data censeri debeant ecclesiastica. 95 2. Ad quem pertineant bona à clericis acquisita. *ibid.* An & de quibus bonis testari possint. 96. 1. De labore manuum vivant quibus necessaria desunt. 58. 2. De licentia Episcopi monasterium ingredi possunt. 113. 1. An possint invito Episcopo. *ibid.* An & quando eis, sit vetitum ab Episcopis ad sæcularem judicem confugere. 117. 2. An & quando coram laico cogi possint ad jurandum. 121. 1. Non sint judices in causa sanguinis, idque sub pœna depositionis & perpetui carceris. 130. 1. Sua auctoritate arma nequaquam arripere valent, ut malos ad Ecclesiam reducant & hæreticos. 129. 1. Eorum arma fletus, orationes & lacrymæ 129. 1. Possunt tamen alios hortari ut ad oppressorum defensionem arma arripiant. 129. 2. Qua pœna puniendi clericorum percussores. 110 2. Clericatus dignior vita monastica. 113. 1. Clericalium graduum nomina unde sumantur. 27. 2. *Vide* Ecclesia. Judicia. Ordines.

Coadjutor. An & qua moderationes Episcopo senectute gravato dandus sit. 80. 2.

Collectione Dionysii Exigui sæculo IX. Romana utebatur Ecclesia. 27. 1.

Coma clericis vetita. 32. 2.

Commendatitiæ litteræ. Sine iis non admittendi clerici peregrini. 64. 1.

Communio. Sacerdos sacrificans communicare debet. 167. 1. Quandonam fideles ad communionem accedere debeant. *ibid.* Ante communionem ab uxoribus abstinendum. *ibid.* Ab hæretico non suscipienda. 132. 2.

Conciliorum generalium auctoritas. 23. 1. Quo tempore celebrata sint. *ibid.* Cujus sit ea convocare. 24. 1. Jus istud Apostolicæ sedi vindicavit *dictatus* vulgò Gregorii VII. 24. 1. Cur nonnulli Concilium V. recipere recusaverint. 23 2. 127. 1. An absque sedis Apostolicæ licentia convocari & celebrari possint provincialia concilia. 24. 1 Conciliorum Episcopalium auctoritas contra pristinam Ecclesiæ disciplinam à Gratiano restricta. 24. 1. Quid de hac auctoritate censeat curia Romana. 24. 2. Concilii Tridentini decretum ad suam opinionem inflectere conatur. 25. 1.

Concubinæ. Quæ sint. 38. 2. Concubinarii presbyteri missa non audienda, & quare. 37. 1.

Confessio. An sit necessaria ut remittantur peccata. 159 2. An crimen sola cordis confessione deleri possit. 156. 1. De ejus sigillo. 163. 1. De confessione facta diacono. 98 1. Confessarii dotes. 163. 1. An & quando relicto alterum accedere liceat. 163. 2 Quædam inest inter confessarium & pœnitentem spiritualis cognatio. 147. 1. unde peccatum inter illos gravius est, graviusque puniendum. 147. 2.

Confirmatio. De hujus sacramenti dignitate, ministro & effectu. 170. 1. Duplex chrismatio, altera per sacerdotem, altera per Episcopum *ibid.* De jejunio & confessione ante confirmationem. *ibid.* Quo tempore celebranda. 170. 2. Non reiteranda. *ibid.*

Conjugium. Conjugati ad sacros ordines sine uxoris consensu nequeunt promoveri. 37. 1. *Vide* Matrimonium.

Consecratio Ecclesiæ. *Vide* Ecclesia.

Consuetudo. Quæ sit ejus vis. 20. 1. Consuetudo contra legem divinam aut naturalem corruptela est. 20. 2. Non eadem est omnium consuetudinum auctoritas. *ibid* Alia universalis, alia particularis. 21. 1. Consuetudines quædam etsi inveteratæ, merito extirpandæ. 21. 2. Non locus consuetudinem, sed consuetudo locum commendat. *ibid.* Romanæ Ecclesiæ consuetudo quandoque ab aliarum Ecclesiarum consuetudine diversa. 21. 1. Veritati conformis retinenda. 18. 1. In quo jus consuetudinarium à jure naturali ac constituto differat. 17. 2.

CONSTANTINI donatio fictitia est. 63. 1.

Constantinopolitani Episcopi prærogativa ratione sedis non sine difficultate admissa. 28. 2.

Constitutiones Principum Ecclesiasticis constitutionibus obsequi debent. 19 2. Constitutionibus Principum circa temporalia parere debent Pontifices. 19. 2.

Constitutum jus, in quo differat à naturali & consuetudinario. 17. 2. Juri naturali cedere debet. 18. 1.

Continentia. Varia Ecclesiæ disciplina circa continentiam clericorum. 36. 1. *& seq.* An presbyteris & diaconis sit præcipienda. 34. 2. Non fuit eodem tempore ubique subdiaconis præscripta. 36. 2. Cur ministris altaris ea lex imposita. 36. 1.

Contritio. An sola contritione sine confessione remittantur peccata. 159. 1.

Convivia in honorem martyrum reprobantur. 43. 2. Quomodo instrui debeant. 44. 1. Ex pecuniis collatis fieri prohibentur. *ibid*

Crimen. Sancti Augustini moderatio in dijudicanda eorum gravitate 79. 1. An & quando licitum sit aliorum crimen revelare. 78. 1. Quæ crimina excepta, pro quibus admittuntur quivis testes. 79. 1. Accusatus de crimine recedere nequit ante sententiam. 83. 2. An confessio criminis cruciatibus sit extorquenda. 101. 1.

Crucis signaculo perficiuntur sacramenta. 170. 2.

Cuculla memorialis, quid sit. 113. 2.

Cupiditas bonorum temporalium in clericis præsertim perniciosa. 45. 1.

Curiæ Romanæ opinio de conciliorum Episcopalium auctoritate. 24 2. Concilii Tridentini decretum ad suam ea de re opinionem inflectere conatur. 25 1.

CYPRIANUS. Ejus de baptismo sententia Donatistarum & schismaticorum errori minime patrocinatur. 19. 1.

D

DÆmones. *Vide* Sortilegium.

Dalmatica. Ejus usus. 32. 1.

Decimæ. Cui competat jus ad decimas & exequias. 96. 1. An à laicis possideri queant 108. 2. An eas non solvere grave peccatum sit. 105. 2. An clerici baptismalis Ecclesiæ eas sibi ex integro auctoritate privilegii valeant vindicare. 134. 2. In quatuor partes dividendendæ. *ibid.* Ecclesiæ antiquæ ob novas extructas decimis privandæ non sunt. 104. 1. Utrum eas dare vel accipere debeant monachi. *ibid.* Eas à laicis sine consensu Episcopi non possunt recipere 109. 1. Culpanda decimatorum tenacitas quæ cogit sacerdotes. *binare.* 166 1.

Decretales Romanorum Pontificum epistolæ. Quæ sit earum auctoritas. 25. 2. Decreta relata sub nomine Nicolai I. & Innocentii I. ad eam asserendam suspectæ fidei sunt. 27. 2. Qua cautione, ut vim legis habeant, in Gallia recipiuntur. 25. 2. De earum auctoritate comparata ad expositiones sacræ Scripturæ. 26 2. An Pontifices in suis decretis recedere possint à Patrum decretis & Evangelicis præceptis. 26. 1. Decreta sedis Apostolicæ in omnibus servanda, si tamen *salubriter* fuerint promulgata. 136. 2. Distinctio inter cathedratica & non cathedratica. 113. 2. Quæ sint decreta secundum quæ causas debent decidere Episcopi. 27. Optandum ut in Ecclesiæ codice non referretur decretum Symmacho Papæ adscriptum. 41. 1. Decreti Nicolai I. de electione Romani Pontificis occasio & historia. 29. 2. Decreti Gratiani auctoritas tempore S. Thomæ. 67 1.

Defuncti. De ritu tertii, septimi, &c. diei ab obitu. 97. 1. An & quomodo liceat lugere mortuos. *ibid.* Luctus defunctorum specialiter Religiosis vetitus. 97. 2. An mortui noverint quæ à vivis geruntur. *ibid.* An & quando pro suspensis furibus orandum. 97. 2. *Vide* Sepultura.

Diaconi. De eorum numero. 60. 2. Eorum superbia reprimitur. *ibid.* Vetantur usurpare quæ presbyteris competunt. *ibid.* Variæ eorum vestes & usus. *ibid.* Eorum officium in dispensando calice 61. 1. An & quo sensu prohibeantur in Ecclesia cantare. 59. 1. De dignitate presbyterorum supra diaconos 61. 1.

Diaconissæ, apud Græcos presbyteræ, apud Latinos viduæ dicebantur. 37. 2.

Dignitates Ecclesiasticæ ex S. Augustino duplici modo considerandæ. 42 2.

Dimissoriæ litteræ. De earum formula. 52. 2. Sine iis clericus ab alieno Episcopo non ordinandus. 52 1. Non potest sine iis extra suam Ecclesiam clericus ministrare. 52. 2. De iis quæ vocantur *Exeat*: ea Episcopus concedere non debet, nisi rogatus. *ibid.*

Diœcesis. Ea vox multipliciter apud veteres sumitur 95. 2. Nullus in alterius Episcopi diœcesi quidquam ipso inconsulto agere potest. 84. 1.

DIONYSII Exigui codice sæculo IX. Romana utebatur Ecclesia. 27. 1.

Divinationes. Divini. *Vide* Sortilegium.

Disciplina Romanæ Ecclesiæ à cæteris aliquando diversa. 21. 1. 154. 2. Disciplina Ecclesiæ circa continentiam clericorum non semper & ubique eadem. 35. 1. *& seq.*

Dispensatio. Regula in dispensatione servanda. 23. 1. In jure naturali dispensari nunquam potest. 22. 1. Dispensatio olim ignoranter conjunctis difficillime concedebatur. 158. 1. Romanæ curiæ praxis hodierna in danda dispensatione. 136. 1.

Divortium sine licentia Ecclesiæ non licitum. 155. 1. Factum auctoritate Ecclesiæ an solvat matrimonium. *ibid.*

Donatio vulgò Constantini fictitia est. 63. 1.

Donatistæ. Pro eis, ne occidantur, rogat S. Augustinus. 125. 1. S. Cypriani de baptismo sententia eorum errori minime favet. 19. 1. Refellitur eorum calumnia adversus Catholicos. 129. 1.

E

ECclesia. ejus unitatis fundamentum ex Cypriano. 131. 2. Non est in ea qui ejus unitatem scindit. 60 1. Non autem quocumque modo à Romano Pontifice dissentiens. *ibid.* Ecclesiæ datæ sunt claves in persona Petri. 131. Mali in ea quandoque tolerandi. 123. 1. *Vide* Mali. Eos ad bonum cogere potest 128. 1. An schismaticos ut ad unitatem Christi redeant cogere possit. *ibid.* Nequaquam in eum finem sua auctoritate clerici arma arripere valent. 129. 1. Leges Principum utiliter contra pertinaciam hæreticorum implorat Ecclesia. 124. 2. An electus in Pontificem Ecclesiam ante ordinationem regere possit. 31. 1. An & quomodo monachi ad Ecclesiastica officia possint admitti. 48. 2. *Vide* Monachi.

Ecclesia Romana ab omni hæresi hactenus immunis. 131. 2. Ejus disciplina à cæteris aliquando diversa, 154 2. Dionysii Exigui codice sæculo IX. utebatur, 27. 1. Privilegium recens ipsi ex falsis decretalibus à Gratiano assertum. 85. 2. Quæ inter Ecclesias primum locum obtineat, quæ secundum. 28. 2. Prærogativa Constantinopolitano Episcopo concessa non sine difficultate fuit admissa. 28. 2. Ecclesiæ metropolitanæ liturgia à comprovincialibus Ecclesiis servanda. 22. 1. 167. 1. Olim in Ecclesia matrice cum suo pastore solemnioribus festis conveniebant populi. 81. 2. Ad quem pertineat novæ Ecclesiæ constructio. 164. 1. Dum construitur dos sufficiens ei assignari debet. 164. 2. Consecrata debet aqua sancta aspergi. *ibid.* De Ecclesiarum dedicatione, reconsecratione & reconciliatione. *ibid.* De altaribus & eorum consecratione. 165. 1. An & qua auctoritate corpora sanctorum de loco in locum transferri possint. *ibid.* Plures baptismales Ecclesiæ infra eosdem terminos esse non possunt. 105. 1. Quælibet Ecclesia debet habere suum proprium sacerdotem. 117. 1. Ecclesias sibi subjectas quotannis Episcopi visitare debent. 85. 2. Discrimen inter Ecclesias incorporatas pleno jure, & incorporatas quo ad temporalia. 106. 4. Non licet de manu laicorum Ecclesias recipere. 108. 2. Abusus circa collationem Ecclesiarum per laicos. 109. 1. Inter hos abusus non sunt generaliter referendæ investituræ. *ibid.*

Ecclesiæ bona. Qui divites de iis possint accipere, & qui non. 66. 2. Ad laicos minime pertinent, sed ad Episcopi ordinationem. 85. 2. Aliud dicendum de bonis monasteriorum, quorum administratio monachis concessa. 85. 1. 112. 1. An in præbendas distribui possint Ecclesiæ bona. 93 1. In quatuor portiones dividenda. 94. 1. Post divisionem ejusdem naturæ sunt. 93. 1. Episcopi rerum Ecclesiæ dispensatores, non *domini. ibid.* Nec possunt eas pro arbitrio distrahere. 85. 2. An valide à clericis distrahi possint. 85 2. 93. 1. Qua pœna puniendi injusti rerum Ecclesiæ invasores. 93. 2. 105. 1. Pœnitentia vasorum sacrorum prædonibus imponenda. 93. 2. Bona & decimæ unius Ecclesiæ sine Episcopi consensu alteri dari non possunt. 105. 2. In re-

redemptionem captivorum licite impenduntur. 93. 2 Quibus caſibus poſſit Epiſcopus res Eccleſiæ ſine Fratrum conſilio diſtrahere. 95. 1. Eas alienare Prælatis non licet. 94. 1. 110. 2. Sine conſenſu eorum quorum intereſt alienari non poſſunt. 94. 2. Quas ob cauſas eas alienare liceat. 95. 1. De ſervis Eccleſiarum, eorum alienatione, manumiſſione, &c. *ibid.* Bona Eccleſiæ ſine judicis auctoritate repeti non poſſunt. 108 1. Cauſa cadere debet qui id ſine judicis auctoritate attentat. *ibid.* Diſcrimen inter bona Eccleſiaſtica & ſæcularia. 95. 2. Quandonam bona clerico data cenſeri debeant eccleſiaſtica *ibid.* Epiſcopi morientis bona cui reſervanda. 94. 2. 111. 2. Ad quem pertineant bona à clericis acquiſita. 95. 2. An & de quibus bonis teſtari poſſint clerici. 96. 1. Cui cedere debeant bona clericorum pœnitentiæ cauſa monaſteria incluſorum. 108 1. Eccleſia ex delicto clericorum emolumentum facere non debet. 108. 2. Quidquid acquirit monachus, acquirit monaſterio. 111. 2. *Vide* Beneficia.

Eccleſiarum privilegia inviolate ſervanda. 136. 1. 136. 2. Quibuſdam tamen caſibus aut in totum, aut pro parte tolli poſſunt. *ibid.* Monitum circa privilegiorum conceſſionem. 137. 1

Electio. Quæ in Romani Pontificis electione obſervanda ſint. 29 2. 54. 1. Ea de re Nicolai II. decretum, ejus occaſio & hiſtoria. *ibid.* Quinam Nicolai II. tempore ad Rom. Pontif. electionem concurrerent. 30. 2. Hæc erat ab Imperatore probanda. 30. 2. Etiam extra Romam fieri poteſt. 31. 1. An electus in Pontificem regere poſſit Eccleſiam ante ordinationem. *ibid.* In electione Epiſcopi muneribus aut patrocinio locus eſſe non debet. 83. 1. Qui concurrere debeant ad electionem & ordinationem Epiſcoporum. 50. 1. An laici ab electione Epiſcopi ſint excludendi. *ibid* Varia ea de re diſciplina. *ibid.* In electionibus ad officia eccleſiaſtica qui præferendi. 49. 2

Eleemoſynæ. An & quando ex illicite acquiſitis fieri poſſint. 99. 2

Epiſcopatus. Quibus in locis inſtituendi. 55, 2. Cui competat eos uniendi aut dividendi poteſtas. 104. 2. Item eximendi à juriſdictione metropolitani. *ibid.* Item novos erigendi. *ibid.* Plures baptiſmales Eccleſiæ infra eoſdem terminos eſſe non poſſunt. 105. 1

Epiſcopus. Ad Epiſcopatum aſſumendi prius multo tempore probandi. 49. 1. Ad eorum electionem & ordinationem qui concurrere debeant. 50. 1. 50. 2. Quo ritu ante ordinationem examinandi. 31. 1. Non neophytus ordinetur. 45. 2. Ordinandus in Epiſcopum ſufficit ut ſit ſubdiaconus. 49. 2. De qualitatibus in ordinando Epiſcopo requiſitis. 34. 1. Debet fuiſſe immunis à crimine poſt baptiſmum quare. *ibid.* A conſortio alienorum etiam criminum immunis eſſe debet. 56. 1. Ratio hujus puritatis in Epiſcopo requiſitæ. 43. 1. Non poteſt ordinari ſine conſenſu metropolitani. 50. 2. A comprovincialibus cum metropolitano ordinandus. *ibid.* Eo caſu quod unicus in provincia ſuperſit, à quibus conſecrandus. *ibid.* Oportet eum eſſe pudicum. 42. 2. Sobrium. 43, 2. Non litigioſum, & quare. 44. 2 58. 2. Non percuſſorem. 44. 1. 57. 2. Manſuetudine magis quam poteſtate agere debet. 44. 2. Cavendus ipſi dominandi ſpiritus *ibid.* Debet eſſe hoſpitalis. 42. 2. Liberalis in pauperes. 57. 1. 56. 1. Protectionem viduis & pupillis impendere. 57. 2. Diſcordantium concordiam procurare. 58. 2. Non ſit turpis lucri cupidus. 57. 2. Domui ſuæ bene præeſſe ſciat. 45. 1. 58. 2. Nimiam domeſticarum etiam perſonarum familiaritatem vitare debet 38 1. A vitiis ſit immunis, & quare. 45: 1. Epiſcopi militare vetantur, & ad caſtra proficiſci. 129. 2. 130 1. De doctrina & prudentia in Epiſcopo requiſitis 39. 2. In ſacris præcipue litteris debet eſſe verſatus. *ibid.* & 57. 1. Oportet eum eſſe doctorem & aptum alios inſtruere. 56. 2. Populum docere tenetur. 43. 1 Quæ docere debeat. 39. 2. An oporteat ſæcularium negotiorum eſſe peritum 40. 2. Bonum Eccleſiæ non ſuum quærere debet. 83. 1. Ejus ordinationi ſubjacent Eccleſiæ bona, non vero monaſteriorum. 85. 1. Res Eccleſiæ diſpenſare poteſt, non pro arbitrio diſtrahere. 85. 2. Quomodo eas diſpenſare debeat. 86. 1. Eccleſias ſibi ſubjectas annuis vicibus viſitare debet 85. 2. Quid ipſi in hac viſitatione agendum. *ibid.* Subditos gravare non debet. 86. 1. quomodo ſubditorum vitia redarguere debeat. 57. 1. Vexationes & calumnias boni[...] ſacerdotibus illatas coercere tenetur. 74. 1. Pr[...] reis olim intercedebant Epiſcopi, ut eos ad pœni[...]tentiam perducerent, non ut à punitione exime[...]rent. 125. 2. Epiſcopi ordinum miniſtri. 31. 2. Ipſi[...] Pars tantum eccleſiaſticæ poteſtatis, plenitud[...] verò ſummo Pontifici ex falſis decretalibus attri[...]buta. 72. 2. An ſuffraganei clericos eo inconſult[...] Archiepiſcopus damnare poſſit vel abſolvere. 84[...] 1. Epiſcopus presbyterum vel diaconum ſine concilio damnare non poteſt. 101. 1. Quæ ſint decreta[...] ſecundum quæ cauſas decidere debet. 27. 1. Non poteſt quemquam ob injuriam ſibi illatã excommunicare. 124. 1. Ipſi non eſt probroſum revocare[...] quod temere fecit. 133. 2. Accuſatis Epiſcopi[...] tempus ſufficiens concedendum ad ſui defenſionem 74. 2. An accuſatus Epiſcopus & Roma[...] à ſancta ſede vocatus, ſine licentia Romani Pontificis diſcedere poſſit. 83. 2. An ejus ſimplici aſſertioni credi debeat. 79. 1. Quot requirantur[...] judices ad judicandum Epiſcopum de crimine accuſatum. 75. 2. Quomodo judicandus ſi electi judices inter ſe non concordent. 79. 1. Dum judices concordant eorum ſententia debet eſſe immobilis. 79. 2. Abſque ſynodali auctoritate damnari non debet. 78. 1. Sua ſede ſpoliari non poteſt, niſi ſervato juris ordine. 73. 2 Aliter ſpoliatus ante omnia reſtitui debet. *ibid.* An ſine auctoritate Romani Pontificis poſſit deponi. 74. 1. 75. 2. An poſſit Epiſcopatui renuntiare, & utrum alius eo vivente ſit ordinandus 80. 1. Alius ſubſtitui poteſt ſi Epiſcopus infirmitate gravatus id petat. 80. 1. Epiſcopo infirmo divina officia peragenti adjutor debet aſſiſtere. 80 2. An & qua moderatione Epiſcopo ſenectute gravato dandus ſit coadjutor. *ibid.* An & quo ſenſu ſucceſſorem deſignare aut inſtituere poſſit. 81. 2. An & quando metu perſecutionis ipſi liceat à grege ſeparari 82. 1 An monachus factus ad Epiſcopatum redire valeat. 81. 1. Epiſcopatus matrimonium ſpirituale Epiſcopum inter & Eccleſiam 80 1. Epiſcopus Cardinalis, quis ſit apud Gregorium. 116. 2. *Vide* Eccleſia. Judicia. Ordines.

Euchariſtia. De veritate ſacramenti Euchariſtiæ, & præparatione ad illud requiſita. 167 2. Pro infirmis reſervanda. 168 1 Parvus infirmis olim data. *ib.* Per abuſum olim ad infirmos per laicum delata. 167. 2. De pœnitentia presbyteri non cuſtodientis Euchariſtiam. 168. 1. *Vide* Miſſa.

Examen. De examine ordinandi in Epiſcopum. 31. 1. Ordinandi qualiter examinandi. 33. 1. Ejuſdem examinis formula. 33 2.

Excommunicationis variæ ſpecies. 89 2. An & quouſque ſervanda injuſta excommunicatio. 90. 1. Quid agendum illi qui ſe injuſte excommunicatum credit. 89. 1. De gravitate pœnæ excommunicationis. 90. 1. Quam ob cauſam ferri poſſit 90 2. Quo ſenſu ſententia injuſta paſtoris non ſit timenda. 90. 2. *ibid.* Sententia multipliciter dici poteſt injuſt. 91. 1. *& ſeq.* In rebus illicitis ſuperiori non obediendum. 92. 1. Illicita excommunicatio non lædit excommunicatum. 133. 2. Sed potius excommunicantem. *ibid.* Apud Deum non ſententia, ſed prava vita ligat. *ibid.* Quomodo poſſunt innoteſcere excommunicati. 89. 1. Qui excommunicati vitandi. *ibid.* An & quando vetitum ſit communicare cum excommunicatis. 92. 1. Vetus formula excommunicandi. *ibid.* Formula reconciliandi excommunicatus *ibid.* Oves morbidæ, ſi incorrigibiles ſint, ab Eccleſia ejiciendæ. 114. 1. De quibuſdam criminibus excommunicatione puniendis. *ibid.* An ordinatio ab excommunicato facta rata & valida haberi poſſit. 83. 2. Quæ pœnitentia imponenda presbytero in excommunicatione miniſtranti 92. 1. Epiſcopus non poteſt quemquam ob injuriam ſibi illatam excommunicare. 124. 1. An excommunicatus alium accuſare valeat. 76. 2. Hæreticus alium excommunicare, aut officio privare non poteſt. 130. 2 Nec conſecrare. 132. 1. Excommunicatus ab hæreticis ob crimina ſine pœnitentia à Catholicis ſuſcipi non debet. 132. 1. Pro peccato alicujus tota familia excommunicari non poteſt. 133. 1. Utrum quis poſt mortem excommunicari poſſit aut abſolvi. 132. 2 *& ſeq* Varia ea de re Eccleſiarum obſervantia. 133. 1. An ſint homicidii rei excommunicatorum interfectores. 127 2.

Exam.

Exeat. *Vide* Dimissoriæ litteræ.
Exequiæ. Cui jus ad decimas & exequias competat. 166. 1. *Vide* Sepultura.
Expositiones S. Scripturæ per SS. Patres summorum Pontificum decretis præferendæ. 26. 2.
Extrema-unctio olim infirmis ante viaticum conferebatur. 140. 1.

F

FAs. Quid per fas & nefas intelligatur. 14 2.
Festa. Formula publicandi festa. 168. 2. Cujus sit ea instituere. 168 2. Saltationes diebus festis vetitæ. *ibid.*
Fornicatio. Ob eam pœnitentia sacerdoti imponenda. 56. 1.
Fures. An & quando pro suspensis furibus orandum. 97. 2. *Vide* Sepultura.
Furtum committit qui rem inventam non restituit. 99. 1. Unde ejus gravitas desumenda. 99. 2.

G

GELASIUS Observanda circa decretum ejusdem de libris apocryphis. 23. 2.
Graduum clericalium nomina, unde sumantur. 27. 2.
GRATIANUS. Quæ fuerit ejus decreti auctoritas tempore S. Thomæ. 67. 1. De auctoribus legum parum accurate agit. 17. 1. Falsis decretalibus deceptus apocrypha innumera sub aliorum nomine adducit. 15. 2. *& passim.*
GREGORII VII. *dictatus* de conciliorum generalium convocatione ad Romanam sedem pertinente. 24. 1.

H

HÆresis. Discrimen inter hæresim & schisma. 134. 1. Ecclesia Romana ab omni hæresi hactenus immunis. 131. 2. Qui proprie dicendi hæretici. 134. 2. De variis sectis hæreticorum. *ibid.* Quam ob causam Deus hæreses permittat. *ibid.* An ab hæresi reversi ad sacros ordines sint recipiendi. 68 1. Ab hæretico licite in necessitate baptismus suscipitur, sed non communio. 132. 2. Hæreticus alium excommunicare aut officio privare non potest. 130. 2. Nec consecrare. 132. 1. Hæretici possunt auctoritate legum juste suis & Ecclesiæ rebus spoliari. 128. 2. Refellitur ea de re Donatistarum adversus Catholicos calumnia. 129. 1. Contra pertinaciam hæreticorum leges Principum utiliter implorat Ecclesia. 124. 2.
Hæres Nemo cum injuria filiorum hæredem Ecclesiam facere debet. 111. 1. An monachus ad Episcopatum assumptus fiat capax successionis paternæ. 111. 2.
Histrionibus conversis non neganda reconciliatio 168. 1. Homicida quis dicendus sit. 130. 2. Quis ex pluribus concurrentibus dicendus sit homicidii reus. *ibid.* An sint homicidii rei excommunicatorum interfectores. 127. 2. Provocans ad jurationem falsam dupliciter homicida est. 120. 20.
Hospitalitas. Quid hac voce intelligatur, & in qua consistat. 42. 2. Sancti Chrysostomi monitum circa ejus exercitium. 42. 2.

I

JEjunium. De Quadragesima & aliis jejuniis, eorumque utilitate. 170. 2. Quibus temporibus celebranda. 53. 2. Quo tempore solvi possit jejunium quadragesimale. 165. 2. De ritibus jejuniorum, & varia hac in re disciplina. 168. 2. Jejunium missæ celebrationi præmittendum. 165. 2.
Ignorantia. Ejus variæ species. 67. 2. Quænam excuset. *ibid.*
Illusio nocturna, an & quando à susceptione corporis Domini aut ejus oblatione impediat. 16. 2. *Vide* Sortilegium.
Imagines. Utilis earum cultus, vetita adoratio. 168. 2.
Immunitas Ecclesiarum, quousque locum habeat respectu famulorum. 110. 2. 129. 2.
Imperator. Ejus erat Romani Pontificis electionem approbare. 30 2
Impotentia. Olim in Ecclesia Romana erat impedimentum dirimens. 154. a. Secus in Gallia. *ibid.* Quandonam impotentia ex maleficio matrimonium dirimat. 154. 2.
Incantationes. *Vide* Sortilegium.
Incendiarii. Qualiter puniendi. 130. 2. Quale fuerit iter Hispanicum ipsis loco pœnitentiæ impositum. *ibid.*
Incestus. Olim inter adulteros incestuosos nullum erat matrimonium. 154. 1.
Infirmos oleo sancto sive chrismate ungere potest Episcopus. 61. 1. Extrema-unctio infirmis olim ante viaticum conferebatur. 140. 1.
Incontinentia. Ab hoc præcipue vitio clerici immunes esse debent. 55. 2.
Interstitia. Quæ inter singulos ordines servanda. 54. 1. Eorum scopus. *ibid.* Quid ab Episcopis in iis dispensandis attendendum. 49 1.
Investituræ Episcoporum olim ab Imperatoribus datæ ut simoniacæ arguuntur. 66. 1. Non licet de manu laicorum Ecclesias recipere. 108. 2. Abusus circa collationem Ecclesiarum per laicos. *ibid.* Non tamen inter hos abusus generaliter referendæ investituræ. *ibid. Vide.* Ecclesia.
Inthronizatio Romani Pontificis. Quinam ad illam concurrebant. 54. 2. In ea præcipuas partes habebant clerici cardinales. *ibid. Vide* Cardinales. Electio. Papa.
Irregularitas. Ejus variæ species 48. 1. Græcorum disciplina circa irregularitatē ex bigamia. 37. 2. 38 2.
Judicium De ordine judiciorum. 68. 2. An in manifestis sit necessarius ordo judiciarius. *ibid.* An exspoliatus sit judicandus. 69. 1. Qua pœna feriendi deficientes in accusatione. *ibid.* An deficiente accusatore reus cogendus sit ad purgationem. *ibid.* An Sacerdotibus injungi queat juramentum quo se purgent. *ibid.* De purgatione per juramentum. *ibid.* Per aquam ferventem vel ferrum candens. 70. 1. Per sacram communionem. *ibid* Reprobata purgatio vulgaris tamquam superstitiosa. *ibid.* De trina citatione Canonica requisita ante condemnationem. 77. 2. Examen criminis in prima instantia debet instrui in provincia. 76. 1. Reus extra provinciam ad judicium evocari non potest. 75. 1. Accusatus de crimine recedere nequit ante sententiam 83. 1. Nemo condemnandus nisi præsentes habeat accusatores & testes, locumque ad abluenda crimina. 75. 2. Qui testes possint repudiari. 75. 1. An & quando quis per procuratorem causam agere valeat. 78. 1. An & quando reus sit cogendus ad probationem. 79. 2. Nemo ante probationem puniendus. 102 1. Gravatus per sententiam ab ea appellare potest. 71. 2. *Vide* Accusatio. Appellatio De numero testium in causa clericorum. 71. 1. In causa summi Pontificis. 72. 1. An & quibus in causis clerici coram civili judice conveniri possint. 86. 2. *& seqq.* An & quando vetitum sit clericis ab Episcopis ad sæcularem judicem confugere. 117. 2. Qua pœna dignus sit clericus coram judice sæculari conveniens. 88. 2 Episcopis accusatis tempus sufficiens concedendum ad sui defensionem. 74 2. An Episcopus non comparens ut se purget, à communione sit removendus. 77. 1. Episcopus sua sede spoliari non potest, nisi servato juris ordine. 73. 2. Romanus Pontifex ab hac regula immerito exceptus. 74. 1. Spoliatus ante omnia restitui debet. 73. 2. An Episcopi sine auctoritate Romani Pontificis possint deponi 74. 1. 75. 2. 78. 1. Quot requirantur judices ad judicandum Episcopum de crimine accusatum. 75. 2. Quomodo judicandus Episcopus si electi judices inter se non concordent. 79. 1. Dum judices concordant eorum sententia debet esse immobilis. 79 2. Episcopus absque synodali auctoritate damnari non debet. 78. 2. An sedis Apostolicæ requiratur auctoritas. *ibid.* Quandonam judicium Romani Pontificis censeri debeat judicium Petri. 131. 1. An sacrilegus habendus sit qui de judicio summi Pontificis disputat. 111. 1. Episcopus sine concilio presbyterum aut diaconum damnare non potest. 101. 2. Qualis debeat esse judex. 75. 1. Non potest dici crudelis quod malos puniat. 126. 2. Neque misericors, quod vitiis parcat *ibid.*
Judex ecclesiasticus eo prætextu quod judex sæcularis

sæcularis officio suo desit, non potest de causa judicare 126. 2. Diebus Dominicis & festis judicialia tractare prohibitum. 100. 2.

Juramentum. An & quando jurare sit licitum. 118. 1. Licite utimur fide ejus qui jurat per idola. ibid. An licite petatur juramentum à juraturo per falsos deos. 118. 2. An sit licitum jurare per creaturas. ibid. De gravitate unius juramenti comparati ad alterum. ibid. De gravitate & pœna perjurii. 118. 2. Modus minuendi frequentiam perjuriorum. 119. 1. An perjurus sit jurans falsum quod putabat verum. ibid. Provocans ad jurationem falsam dupliciter homicida est. 120. 2. Juramenta de re illicita servanda non sunt. 120. 1. Quandoque licite præstatur quod illicite juratum est. 120. 1. De reverentia in juramento adhibenda 121. 1. De ætate ad jurandum requisita. 120. 2. De tempore quo vetitum est jurare. 121. 1. An & quando clericus coram laico cogi possit ad jurandum. 121. 1. de juramento à vasallis præstando. 121. 1.

Jus, naturale & humanum. 14. 1. Juris civilis variæ species. 15. 1. Jus naturale immutabile. 16. 1. Juris naturalis immutabilitati non officit Mosaicæ legis abrogatio. 17. 1. Differentia inter jus naturale & consuetudinarium & constitutum. 17. 2. Juri naturali cedere debet constitutum. 18. 2. In jure naturali numquam potest dispensari. 22. 1.

K

Kalendarum, dierum, annorum superstitiosa observatio. 141. 1.

L

Laici. An ab electione Episcopi sint excludendi. 50. 1. An & quando eis liceat accusare clericos & maxime Episcopos. 73. 1. Arcendi à sacrario laici tempore quo sacra celebrantur. 167. 2. Per abusum olim Eucharistiam ad infirmos deferebant. ibid.

Lapsi post ordinationem, an peracta pœnitentia in propriis ordinibus remanere, vel ad majores ascendere queant. 46. 1. Variæ ea de re Patrum sententiæ. ibid. Earum conciliatio & praxis hodierna. ibid. Vide Sacerdotes. Ordinatio. Pœnitentia.

Legatus Apostolicus. Quicumque eum impedierit excommunicetur. 61. 1. De legatis Apostolicis incertum & corruptum Nicolai I. decretum. 63. 1.

Leges civiles. De earum auctoribus. 17. 1. Earum scopus. 15. 2. Quid sit lex *Satyra* vel *Saturæ*. 15. 1. Hanc improbabant Romani. ibid. Ea maxime etiam in decretis ecclesiasticis præsertim dogmaticis improbanda. ibid. Requisita ad justitiam & æquitatem legum. 15. 2. Necessaria legum publicatio. ibid. Quo sensu firmitas legum à moribus utentium dependeat. ibid. Legis Mosaicæ abrogatio non officit juris naturalis immutabilitati. 17. 1. Legi naturali quidquid adversatur vanum est & irritum. 17. 2. Justum est ut Principes suis legibus pareant. 18. 2. Romanus Pontifex etsi novas leges condere possit, tamen adversus statuta Patrum nihil valet. 72. 2. Leges Principum contra pertinaciam hæreticorum utiliter implorat Ecclesia. 124. 2.

Libelli contumeliosi. Quibus pœnis puniendi eorum auctores. 77. 2.

Liberalitas. Quis modus in ea servandus. 57. 2.

Libri canonici. Eorum auctoritas. 18. 2. Observanda circa Gelasii decretum de libris apocryphis. 23. 2.

Licitum. Licita quædam aliquando propter abusum vetantur. 35. 2.

Limina Apostolorum singulis annis adire debent Episcopi apostolicæ ordinationi subjecti. 60. 1.

Litteræ. Sacrarum litterarum scientia Episcopis necessaria. 39. 2. Earum & canonum ignorantia in clericis perniciosa 40. 1. An litterarum sæcularium & librorum gentilium studium clericis conveniat.

Liturgia metropolitanæ Ecclesiæ in comprovincialibus servanda. 22. 1. 167. 2. Vide Missa.

M

Maledictum, Quotuplex. 134. 1. An criminosi maledictionis sententia sint feriendi. ibid. *Vide* Excommunicatio.

Maleficia. *Vide* Sortilegium.

Malum. *Minus malum de duobus eligendum est*: quis sit hujus sententiæ sensus. 22. 2. Utrum minus malum possit committi, ut in aliis majora evitentur mala. 22. 2 Mala punienda non amore vindictæ, sed zelo justitiæ. 124. 2. Mali in Ecclesia quandoque tolerandi. 123. 1. Non corporali sed spirituali vindicta puniendi. ibid. Quandonam tolerandi vel puniendi. ibid. Neque prædestinatione ad vitam, neque præscientia ad mortem redditur correptio malorum inutilis. 123. 2. Quandoque ad aliorum terrorem mali puniendi sunt. 124. 1. An eos occidere sit licitum. 125. 2. Per Ecclesiam ad bonum cogi possunt. 128. 1.

Martinus Papa. Quæ vulgo sub ejus nomine citantur decreta non ejus sunt, sed Martini Bracarensis, 39. 1. 44. 1. & *passim*.

Martyres. Convivia in honorem Martyrum reprobantur. 43. 2.

Matrimonium. Quis sit ejus finis. 151. 2. Matrimonium facit solus consensus. 143. 2. Quis consensus requiritur. ibid. De ætate & consensu ad sponsalia requisitis. 147. 2. An sint valida clandestina matrimonia. 148. 2. Ea semper improbavit Ecclesia. ibid. An sponsalia sine libero contrahentium consensu sint valida. 150. 1. Quorum parentum requiratur consensus. 152. 1. An & quando Parentes sponsalia filiorum frangere possint. 150. 2. Matrimonium triplex, legitimum & non ratum, ratum & non legitimum, legitimum & ratum. 145. 1. Aliud est initiatum sive ratum, aliud consummatum. 144. 1. Ratum dissolvi potest, non vero consummatum 144. 2. Quæ sit illius distinctionis origo. ibid. Differentia inter sponsalia de futuro per copulam sequentem olim transibant in sponsalia de præsenti. ibid. An sit bigamus qui duas uxores, unam ante, alteram post baptismum habuit. 146. 1. An licite matrimonium contrahatur cum meretrice. 151. 1. Illud Romanis legibus erat vetitum. ibid. sed laudatur ut meritorium. 151. 2. Olim adulterium quodcumque impediebat matrimonium inter adulterum & adulteram. 149. 1. Restrictio ea de re à Pontificibus probata. 149. 2. Olim inter adulteros incestuosos nullum erat matrimonium. 154. 1. An nati ex incestu filii reputentur. 158. 1. Nullo casu per adulterium dissolvitur. 153. 1. Nulla ex causa potest dimitti uxor, nisi ob fornicationem. 152. 2. Æquale est jus mariti & uxoris ad dimittendam compartem adulteram ibid. Adulter compartem adulteram dimittere non potest. ibid. Utrum ob captivitatem vel absentiam unius conjugis dissolvatur matrimonium. 156. 2. An conjux sine alterius licentia possit continentiam profiteri. 143. 2. Quo tempore ab actu conjugii abstinendum. 156. 1. De impedimentis matrimonii. 141. 2. 144. 1. 144. 2. 146. 1. 146. 2. 147. 2. An votum castitatis impediat matrimonium. 141. 2. 143. 1. An voto adstricti matrimonium contrahere possint. 143. 1. De potestate viri in uxorem & in vota ab ea emissa. 156. 2. Matrimonium inter infideles verum est. 145. 1. Sed non habet vim sacramenti, ideoque nec indissolubile. ibid. Matrimonium fidelis cum infideli vetitum. ibid. Quandonam conjux fidelis ab infideli discedere possit, & ad alias nuptias transire. 145. 2. Quis error matrimonium impediat. 146. 1. Ignoranter conjuncti in gradu prohibito quandonam separandi. 158. 1. Olim dispensatio etiam ignoranter conjunctis difficillime concedebantur. ibid. Conjugium per errorem causa consanguinitatis separatum detecto errore redintegrari debet. 158. 2. Quam causam consanguinitas & affinitas matrimonium impediant. 157. 1. Matrimonia in linea recta in infinitum vetita. 157. 1. Usque ad quem gradum consanguinitatis extendatur prohibitio. 157. 2. De modo computandi gradus consanguinitatis & affinitatis. 157. 2. An conjux levans proprium filium de sacro fonte debeat à conjuge separari. 146 2. & *seqq*. Qui possint esse accusatores & testes, ubi de consanguinitate agitur

agitur. 157. 2. Formula juramenti pro accusatore & testibus. *ibid.* Pro separandis ob consanguinitatem. 158. 1. Dum recipitur uxor injuste dimissa. *ibid.* Formula interrogandi laicos dum Episcopus visitat. *ibid.* Divortium ob consanguinitatem propria auctoritate fieri non potest. *ibid.* Quæ impotentia dirimat matrimonium & quæ non. 144. 1. *Vide* Impotentia. An & quandonam inter raptorem & raptam matrimonium esse possit. 159. 1. Jure legum & canonum raptus erat impedimentum perpetuum *ibid.* De tempore quo nuptiæ celebrari non debent 156. 1. An & quo sensu à Patribus improbatæ secundæ nuptiæ. 150. 1.

Mendacium. De variis mendaciorum generibus. 119. 2. Nullum genus mendacii licitum esse probatur. *ibid.* Nullum ob finem mentiri licitum est. *ibid.* Potest tamen quandoque veritas occultari. *ibid.* De facto Abraham & Jacob. 120. 1. Discrimen inter mentiri & falsum dicere. 119. 1. Inter fallere & falli. 119. 2. De mendacio in facto. 121. 1.

Metropolitanus. De ejus ordinatione. 51. 1. Duo in eadem provincia ordinari non debent. 64. 2. Sine ejus consensu Episcopus ordinari non potest. 50. 2. De ejus auctoritate. 84. 2. Metropolitanæ Ecclesiæ ritum sequebantur olim Ecclesiæ ejusdem provinciæ. 221. 167. 2.

Ministri altaris. Ipsis continentiæ lex imposita. 36. 1. Non imposita. 36. 2.

Missa. Quibus in locis celebranda. 165. 2. Duæ non sunt eadem die in eodem altari celebrandæ. 168. 1. Unde consuetudo duas vel tres in aliquot solemnitatibus celebrandi. 166. 1. De tempore celebrandi missarum solemnia. 165. 2. Missæ celebrationi præmittendum jejunium. *ibid.* Olim ob multitudinem populi pluries in eadem basilica celebrabatur. 166. 1. De missis privatis. *ibid.* An & quando sacerdoti liceat plus quam unam missam in die celebrare. *ibid.* De canendo hymno *Gloria in excelsis* in cœna Domini. *ibid.* De ministris qui Episcopo celebranti assistere & de sacrificio participare debent. 166. 2. De missa solitaria. *ibid.* Prohibentur fideles egredi ante benedictionem sacerdotis. *ibid.* De oblatione in missa facienda, & de recitandis offerentium nominibus. *ibid.* De ritu *Sursum corda. ibid.* De novenario præfationum numero. *ibid.* Olim quodlibet pene festum suam præfationem habebat. 166. 2. In missa orandum pro defunctis. *ibid.* In sacrificio, panis, vinum & aqua solum offerenda sunt. *ibid.* Vetantur offerri uvæ. 167. 1. De tempore dandæ pacis in sacrificio. *ibid.* De divisione hostiæ in tres partes. *ibid.* Sacerdos sacrificans debet communicare. 167. 1. Quandonam fideles ad communionem accedere debeant. *ibid.* De abstinentia ab uxoribus ante communionem. *ibid.* Quæ pœnitentia illi imponenda cujus negligentia aliquid de sanguine Domini ceciderit. 167. 2. De arcendis laicis à sacrario tempore quo sacra celebrantur. *ibid.* Missa presbyteri concubinarii non audienda, & quare. 37. 1.

Moderatio. Quæ à clericis in exterioribus servanda sit 42. 1. Regula ea de re à concilio Carthaginensi præscripta. 42. 2.

Monachi. Vita monachalis est pœnitentialis. 113. 2. De tempore ad monasticam probationem requisito. 110. 1. 113. 2. Miles olim monachus fieri non poterat sine consensu Episcopi. 114. 1. An & quando liceat vivere sine consensu abbatis 115. 2. An monacho cum licentia abbatis liceat ad propria redire. 110. 2. An monacho sine licentia abbatis discedenti bona sint restituenda. *ibid.* Nemo professionem monasticam nisi metu extortam deserere potest. 115. 2. Culpantur qui lucro inhiantes quosdam ad religionem alliciunt. *ibid.* An ab ecclesiasticis functionibus debeant removeri monachi. 102. 2. An & quomodo ad officium ecclesiasticum admitti possint. 48. 2. Qui ad clericatum assumendi. 103. 1. Quinam possint legitime functiones ecclesiasticas exercere. 103. 1. Quo spiritu debent suscipere servitium Ecclesiæ. 103. 1. Juxta pristinam disciplinam, ad officium ecclesiasticum assumptus desinebat esse monachus. 49. 1. Discrimen inter officia monachi & clerici. 103. 2. Privilegia monachorum sæculo VI. 112. 1. Plena ipsis bonorum monasterii administratio concessa. *ibid.* Possunt in suis monasteriis sepelire. 102. 2. An ex prædiis suis teneantur ad decimas. 104. 1. An in suis Capellis habeant jus institutionis. 106. 1. Exemptione olim Episcopi jurisdictioni non subtrahebantur. 112. 2. Distinctio circa subjectionem monachorum respectu Episcoporum. 112. 2. Occasio hujus distinctionis. *ibid.* A laicis sine consensu Episcopi decimas recipere non possunt. 109. 1. An monachus ad Episcopatum assumptus fiat capax successionis paternæ 111. 2. An possint monachi testari. 114. 1. Quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio. 111. 2. *Vide* Monasterium.

Monasterium. An bona monasteriorum Episcopi ordinationi subjaceant. 85. 1. Vetantur duplicia monasteria, virorum scilicet & virginum. 113. 1. Utrum pro ingressu monasterii pecunia exigi possit. 62. 2. De licentia Episcopi potest clericus monasterium ingredi. 113. 1. An possit invito Episcopo. *ibid.* An exeunti è monasterio bona ab eo oblata sint restituenda. 111. 1. De impuberibus monasteriorum ingredientibus 114. 1. An pueri religioni traditi teneantur adulti in ea perseverare. *ibid.* Qua ætate possint à parentibus offerri. 115. 1. An & quando possint parentes votum puellæ irritare. *ibid.* An liceat ab uno monasterio ad aliud transire. 115. 2. Loca sacra & monasteria usibus profanis non sunt applicanda. 113. 2.

Mosaicæ legis abrogatio non officit juris naturalis immutabilitati. 17. 1.

Mulierum familiaritas clericis vetita. 37. 2. Domesticarum etiam personarum. 38. 1.

Musica. Abusus in ea vitandi. 59. 1.

N

Nefas. Quid per fas & nefas intelligatur. 14. 2.

Negotiatio clericis interdicta. 58. 1. An negotiorum sæcularium peritum esse oporteat Episcopum. 40. 2.

Neophytus in Episcopum non ordinandus. 45. 2. Quis neophytus dicendus sit. *ibid.*

NICOLAI II. decretum de electione Romani Pontificis, ejus occasio & historia. 29. 2.

Nocturna illusio, an & quando à susceptione corporis Domini aut ejus oblatione impediat. 16. 2.

Novitiatus. De tempore ad monasticam probationem requisito. 110. 1. 113. 2. *Vide* Monachi.

Nuptiæ. Earum ritus. 32. 2. Quo tempore non debeant celebrari. 156. 1. Quis metus coactas faciat nuptias. 150. 2. An & quo sensu improbatæ à Patribus secundæ nuptiæ. 150. 1.

O

Obedientia inferiorum superioribus debita. 59. 1. 61. 1. Obedientia presbyterorum respectu Episcoporum debet esse filialis. 61. 2.

Oblationes discordantium olim non recipiebantur. 58. 2.

Occidere ne quidem ad vitam servandam licitum est. 125. 2. Multo minus pro defensione honoris, bonorum temporalium, &c. 126. 1. Præcepto *non occides*, non prohibetur occisio facta auctoritate publica, sed duntaxat privata. 125. 2. Nemini fas est seipsum occidere. 126. 1. Suicidæ ecclesiastica privantur sepultura *ibid. Vide* Rei.

Oeconomi. Ad quid constituti, & unde assumendi. 58. 1.

Officium divinum quomodo persolvendum. 59. 1. Qui abusus in musica vitandi. *ibid.* Divino cantui fabulosa non miscenda. 57. 1. An & quo sensu prohibeantur diaconi in Ecclesia cantare. 59. 1. Quomodo punienda negligentia clericorum in frequentandis divinis officiis. 59. 2. De ordine officiorum. 170. 2.

Officia Ecclesiastica. Ad ea in electionibus qui præferendi sint. 49. 2. Duo uni eidemque non committenda, & quare. 58. 1. *Vide* Monachi.

Orarium. Quid sit. 31. 2. Ejus usus *ibid.* Cum hodierno stolæ usu coincidit. *ibid.* Eo uti non sinuntur ministri inferiores, & quare. 32. 1. De pristina ejus forma, & qualiter ab hodierna stolæ forma differat. *ibid.*

Ordines. Quo ritu singuli conferantur. 31. 2. De muniis singulorum. 32. 2. A quibus, quo tempore, & quo loco conferendi. 32. 2. 50. 2. 53. 1. 53. 2. 59. 1. An tonsuram & minores ordines Abbates conferre possint. 51. 2. Quæ

ætas

ætas in presbytero requisita. 54 1. Pristina ac moderna ea de re disciplina. *ibid.* Ordinandorum tractatus, unde sic dictus. 27. 1. Quo ritu ante ordinationem examinandi Episcopi & alii. 31. 1. 33. 1. Promissio specialis ab ordinandis exigenda. 31. 2. Debent fuisse sine crimine, & quare. 55. 2. Neophytus non ordinandus. 45 2 Nec bigamus. 38. 2. Quinam ab ordinibus arceantur ob functiones clericis minus convenientes. 47 1. An ab hæresi reversi ad sacros ordines sint recipiendi. 68. 1. Conjugati sine uxoris consensu ad sacros ordines nequeunt promoveri. 37. 2 An invitus possit ordinari. 52. 2. Conciliantur ea de re auctoritates in speciem contrariæ. *ibid.* Quomodo in servorum ordinatione sit procedendum. 48. 1. Quæ inter singulos ordines servanda interstitia. 54 1. Quid ei agendum sit qui per saltum fuit ordinatus. 47. 2. Varia ea de re disciplina. 48. 1. Nullus in ordine superiori positus inferioris functionem obeat. 52. 2. De impedimentis ordinationis. 38. 1. De irregularitate ex defectu corporis. 48. 1. Ex defectu natalium. *ibid.* Ex baptismo in ægritudine. 48. 2. An ordinatio ab excommunicato facta, rata haberi possit & valida. 83. 2. Quid agendum ubi de ejus validitate dubitatur. 51. 1. Nulla conditionis adjiciendæ mentio fit. *ibid.* Varia Ecclesiæ Latinæ & Græcæ disciplina circa usum uxorum ante ordinationem ductarum. 36. 2. Clerici incontinentes ab omni ordinum gradu dejiciendi. 37. 1. An post ordinationem lapsi, & peracta pœnitentia in propriis ordinibus remanere, vel ad majores ascendere possint. 46 1. Quid agendum iis qui ad certas Ecclesias ordinati, ad eas accedere impediuntur. 59. 1. In ordinatione Romani Pontificis Episcopi Cardinales vicem metropolitani supplent. 30. 2. 54. 2. De ordinatione metropolitani. 50. 1. Qui concurrere debeant ad electionem & ordinationem Episcoporum. 50. 1. Episcopus, eo casu quod unicus in provincia superfit. 50. 1. A quibus consecrandus. *ibid.* Episcoporum ordinatio intra tres menses fieri debet. 53. 1. Die Dominica fieri potest, sicut & presbyterorum, & diaconorum *ibid.* Nullus in alterius Episcopi diœcesi quidquam ipso inconsulto agere potest. 84. 1.

Ornamenta, ex qua materia sint conficienda. 165. 2. Major debet esse sollicitudo de sacerdotum moribus, quam de ornamentis aut vasis. *ibid.*

P

PAllium. De ejus usu & tempore quo eo uti liceat. 64. 2.

Papa. Quis possit eligi. 54. 2. *Vide* Electio. Quæ observanda in ejus electione. 29. 2. Decretum Nicolai II. de hac electione; ejus occasio & historia. *ibid.* Papæ electio etiam extra Romam fieri potest. 31. 1. Erat olim ab Imperatore probanda. 30. 2. Electus in Pontificem an regere possit Ecclesiam ante ordinationem. 31. 1. Ab Episcopis Cardinalibus metropolitani vice ordinatur. 30. 2 Ejus primatus. 27. 2. Varia ad eum astruendum supposititia. *ibid.* Ei non attribuendus universalis Episcopi titulus 64. 1. Gratiani auctoritate desiit inter Patriarchas numerari. 29. 2. Primates, Patriarchas, &c. instituendi auctoritatem sibi ex falsis decretalibus asseruerunt Romani Pontifices. 55. 2. 64. 1. An à nemine possit Papa judicari 28. 1 74. 1. *Vide* Judicia. An in suis decretis recedere possit Patrum decretis & Evangelicis præceptis. 26 1. An in suis responsis circa fidem possit errare. 153. 1. Hoc supposuerunt veteres canonistæ & theologi. *ibid.* An Principes regno aut imperio spoliare possit. 101. 1. An subditos à fidelitate erga Principem excommunicatum absolvere possit. *ibid.* Ipsi ex supposititiis decretalibus attribuitur plenitudo, aliis Episcopis pars tantum ecclesiasticæ potestatis. 72. 2. Etsi novas leges condere possit, tamen adversus statuta Patrum nihil valet. 134. 2. Quod sæpius agnoverunt ipsi Romani Pontifices. 135. 1. Non potest dici Canonum *Dominus*, sed tantum executor & dispensator. 135. 2. Quandonam ejus judicium censeri debeat judicium Petri. 131. 1.

PAPHNUTIUS. Ejus historia ac sententia de continentia presbyteris & diaconis non præcipienda. 36 2.

Parochia. De limitibus parochiarum. 96. 2. Plures baptismales Ecclesiæ infra eosdem terminos esse non possunt. 105. 1. Quælibet parochia debet habere suum proprium pastorem. 117. 1.

Pascha die Dominico celebrandum. 168. 2.

SS. Patres. Concilii Toletani XIV. sententia de præferendis SS. Patrum expositionibus in sanctam Scripturam, summorum Pontificum decretis. 26. 1.

Patriarcha Romanus Pontifex Gratiani auctoritate inter Patriarchas desiit numerari, inter quos adhuc tempore concilii VIII. numerabatur. 29. 2. Patriarchas & Primates instituendi jus sibi ex falsis decretalibus summi Pontifices vindicarunt. 55. 2. Patriarcha vices suas subdiacono committere potest 60. 2.

Patronatus. De jure patronatus. 106. 2. 109. 1.

Peccatum. Distinctio inter occulta & manifesta peccata. 46. 1. An sola contritione sine confessione remittantur. 159. 2. An & quo sensu dimissa redeant. 162 2. An à peccato excuset ignorantia & infirmitas. 100. 1. Peccata multitudinis deflenda potius quam punienda. 124. 1. Sic peccantibus est misericordia impendenda, ut eis peccandi impunitas non tribuatur. 124. 2. Deus quandoque peccata punit per scientes, quandoque per nescientes. 127. 2. De modo agendi cum multitudine peccantium ex Augustino. 43. 2. Quæ peccator considerare debeat, & à quibus abstinere. 162. 1.

Percussores clericorum, qua pœna puniendi. 110. 1.

Perjurium. De gravitate & pœna perjurii. 118. 2. Modus minuendi frequentiam perjuriorum. 119. 1. An perjurus sit jurans falsum quod putabat verum. *ibid.* Perjurus est qui non jurat ad mentem exigentis juramentum. 120. 2. De pœnitentia perjuris imponenda. *ibid.*

Persecutio. Discrimen inter persecutionem catholicorum & hæreticorum. 122. 2.

Pigmenta mulierum vetita. 170. 2.

Pœnitentia. Quid perfecta & imperfecta 162. 1. Quæ dicenda sit falsa. 163. 1. An ea sit falsa quam gravis sequitur culpa. 161 1. Distinctio inter solemnem & non solemnem. 46. 1. Inter solemnem & publicam. 162 2. An per pœnitentiam remittantur peccata. 162. 1. An possit reiterari. 160. 2. 162. 1. Ratio ob quam decepti fuerint Scholastici circa reiterationem pœnitentiæ. 162. 2. Modus conciliandi auctoritates in hac materia apparenter contrarias. *ibid.* Ad Episcopos pertinet pœnitentium reconciliatio. 139. 1. Pœnitentia criminum qualitati sine personarum acceptione attemperanda. 140 2. Ea peccatori occulto proponenda, quæ publico imponi deberet. *ibid.* Quanto tempore agenda, 163. 2. In fine vitæ admodum incerta. *ibid.* Pœnitentes olim nonnisi post septem annos in pristinum gradum restituti. 155. 2. Veteris disciplinæ pœnitentialis vestigia. 94. 1. Pœnitenti moribundo non est neganda reconciliatio. 139 2 Pœnitentia peccatis proportionata moribundis proponenda. 140. 1 Et si convaluerint eis imponenda. *ibid.* Quo affectu suscipiendi pœnitentes, impœnitentes abjiciendi. 141. 1. Quæ pœnitentia sacerdoti ob fornicationem imponenda. 56. 1. An lapsi sacerdotes & peracta pœnitentia in susceptis ordinibus remanere vel ad majores ascendere valeant. 46. 1 An & quando fuerit olim licitum post pœnitentiam conjugium contrahere. 155. 2. Qualis adulterarum uxorum interfectoribus imponenda pœnitentia. 155. 1. Qualis perjuris. 120. 2. An & quæ imponenda furis interfectori. 98. 1. Pœnitentialium librorum utilitas. 56. 1.

Polygamia, in veteri lege licita, in nova omni casu illicita. 152. 1.

Pontifex Romanus. *Vide* Papa.

Popinæ clericis vetitæ. 43 2.

Potestas. Duplex, spiritualis & sæcularis. 63. 2. Potestatis ecclesiasticæ plenitudo ex falsis decretalibus summo Pontifici attributa, pars tantum aliis Episcopis. 72 2. Potestatis publicæ utilitas. 126. 1. Potestatibus sæcularibus reverentia exhibenda, *ibid.* Sæculares potestates debent defendere Ecclesiam, pupillos ac viduas *ibid.* Schismatici per potestatem sæcularem coercendi. 126. 2. De potestate Principum circa temporalia. 17. 2.

Prædestinatio non nocet libero arbitrio, neq; voluntati necessitatem infert. 123. 2 Unica causa prædestinationis est misericordia Dei. *ibid.* Prædestinationis certitudo non tollit utilitatem correptionis. 134. 1.

Præ-

Præfationes. De novenario earum numero. 166. 2. Olim quodlibet pene feſtum ſuam præfationem habebat. *ibid.*

Prælati. Quibus in locis inſtituendi. 55. 1. Prælatura ſive locus regiminis appeti non debet. 83. 1. *Vide* Epiſcopus.

Præſcriptio. De tempore ad præſcriptionem requiſito. 106. 2. Unde deſumendum diſcrimen circa tempus præſcriptionis. 107. 1. An Eccleſia Romana gaudeat privilegio centenariæ præſcriptionis. *vide* 107. 2. Eccleſiæ bona. 108. 1.

Precariæ. Quid. 86. 1.

Presbyter. Unde presbyteri nomen. 56. 2. A quibus ordinandi presbyteri. 51. 1. Verbum Dei coram Epiſcopis prædicare poſſunt. 62. 1. An eis competat poteſtas chriſma conficiendi, & infantes in fronte conſignandi. 61. 2. An & quomodo cogi poſſint ad dandum teſtimonium 99. 1. Quæ diſciplina ſervanda circa presbyteros lapſos in crimen carnis. 102. 1. Presbyteri concubinarii miſſa non debet audiri, quare. 37. 1. *Vide* Sacerdos.

Primatus Romani Pontificis. 27. 2. Varia ad eum adſtruendum ſuppoſititia. *ibid.* Hujus convellendi anſam ſectarii ſumunt ex canone *Si Papa*. 41 2. De Primatibus primarum Eccleſiarum. 64. 1. Primatibus obedientia ab Archiepiſcopis debetur. *ibid.* *Vide* Papa. Patriarcha.

Principes. Eorum poteſtas reſpectu rerum temporalium. 17. 2. Eos ſuis legibus parere juſtum eſt. 18. 2. Principum conſtitutiones eccleſiaſticis conſtitutionibus ſecundum Gratianum debent famulari 19. 2. Principum conſtitutionibus circa temporalia obſequi debent Pontifices. 19. 2. Etiam quoad illa quæ ſpectant externam Eccleſiæ diſciplinam. 20. 1. Nullam habent laici Principes circa res ſacras diſponendi poteſtatem. 62. 1. *& ſeqq.* An à Romano Pontifice Principes regno aut imperio ſpoliari poſſint. 101. 1. An eorum ſubditi poſſint à fidelitate abſolvi. *ibid.* *Vide* Papa. Temporalia.

Profeſſionis tacitæ exemplum. 142. 2.

Proventus Eccleſiæ. Qui divites de iis poſſint accipere, & qui non. 66. 2. *Vide* Eccleſiæ bona.

Privilegia Eccleſiarum inviolate ſervanda. 136. 1. 136. 2. Quibuſdam tamen caſibus aut in totum aut pro parte tolli poſſunt. *ibid.* Monitum circa Privilegiorum conceſſionem. 137. 1. Romanæ Eccleſiæ privilegia. 134. 2. *& ſeqq.* 107. 1. 85. 2.

Pudicitia in Epiſcopo præſertim requiſita. 43. 1.

Purgatio. Ejus variæ ſpecies. 69. 2. An ſacerdotibus injungi queat juramentum quo ſe purgent. 70. 1. Reprobata purgatio vulgaris, (aquæ ſcilicet ferventis ignitique ferri) tanquam ſuperſtitioſa. *ibid.* An & quando presbytero crimen neganti purgatio canonica ſit deferenda. 100. 2. *Vide* Judicia,

R

RAptus. Quid ſit, & quandonam committatur. 158. 2. De duplici raptu. *ibid.* An & quandonam inter raptorem & raptam matrimonium eſſe poſſit. 159. 1. Jure legum & canonum raptus erat impedimentum perpetuum. *ibid.*

Reconciliatio pœnitentium ad Epiſcopum pertinet. 139. 1. Alia publica, alia privata. 139, 2. De reconciliatione privata ob peccata occulta. *ibid.* Pœnitenti moribundo non eſt neganda. 139. 2. Nec hiſtrionibus converſis. 168. 1.

Regreſſus. An ad beneficium derelictum detur regreſſus. 109. 2.

Reus. An & quando cogendus ad probationem. 79. 2. Pro eis apud Principes intercedere debet Eccleſia. 99. 2. Pro eis olim intercedebant Epiſcopi, ut eos ad pœnitentiam perducerent. 125. 2. Non ut eos à punitione eximerent. *ibid.* An eos occidere ſit licitum. 124. 2.

Religioſi. Ipſis ſpecialiter vetitus defunctorum luctus 97. 2. *Vide* Monachi.

Reliquiæ ſanctorum. An & qua auctoritate de loco in locum transferri poſſint. 165. 1.

Reſcripta contra jus elicita nullius ſunt roboris. 136. 2

Reſtitutio. Quomodo poſſit reſtitui res jam Deo conſecrata. 99. 2.

Ritus nuptiarum. 32. 2. Eccleſiæ metropolitanæ ritum ſequebantur olim comprovinciales Eccleſiæ. 22. 1. 167. 2. De ritu tertii, ſeptimi, &c. diei ab obitu. 97. 1.

Roma. Extra Romam fieri poteſt Romani Pontificis electio. 31. 1. Curiæ Romanæ opinio de conciliorum Epiſcopalium auctoritate. 24. 2. Concilii Tridentini decretum ad ſuam ea de re opinionem inflectere conatur. 25. 1. Utrum Româ ſine licentia diſcedere poſſint Epiſcopi accuſati, & à ſancta ſede vocati. 83. 2.

S

SAcerdos debet eſſe pudicus. 43. 1. Sacerdotes à vitiis debent eſſe immunes, & quare. 45. 2. Satius eſt paucos habere bonos, quam multos minus idoneos. 31. 1. Magna Patrum ſollicitudo circa admittendos ad ſacerdotium. 48. 1. Ad ſacerdotium aſſumendi in inferioribus ordinibus probari debent. 49. 1. An poſt ordinationem lapſi, & peracta pœnitentia in ſuſceptis ordinibus remanere valeant. 46. 1. Pœnitentia ipſis ob fornicationem imponenda. 56. 1. Calumnias & vexationes quæ bonis ſacerdotibus inferuntur coercere tenentur Epiſcopi. 74. 1.

Sacramentum, aliud neceſſitatis, aliud dignitatis. 66. 1. Diſcrimen inter utrumque. *ibid.* An in eorum adminiſtratione aliquid temporale recipi poſſit. 66. 2. Extremæ-unctionis ſacramentum infirmis olim ante viaticum conferebatur. 140. 1. Ab hæretico in neceſſitate baptiſmus ſuſcipitur, ſed non communio. 132. 2.

Sacrificium. *Vide* Miſſa.

Satyra vel *Satura* lex, quid. 15. 1. Hanc improbabant Romani. *ibid.* Maxime etiam in decretis eccleſiaſticis præſertim dogmaticis improbanda. *ibid.*

Schiſma. Diſcrimen inter hæreſim & ſchiſma. 134. 1. Qua occaſione ortum ſchiſma Trium Capitulorum. 126. 2. 23. 2. An ſchiſmaticos ut ad unitatem Chriſti redeant cogere poſſit Eccleſia. 128. 1. Schiſmatici per poteſtatem ſæcularem coercendi. 126. 2.

Scripturæ ſacræ expoſitiones per Ss. Patres decretis ſummorum Pontificum præferendæ. 26. 1.

Sedes. Earum ordo inter Eccleſias. 28. 2. Epiſcopi Conſtantinopolitani prærogativa non ſine difficultate fuit admiſſa. *ibid.* Sedes Apoſtolica præ ceteris decreta Patrum ſervat & exequitur. 134. 2. Romanus Pontifex etſi novas leges condere poſſit, tamen adverſus ſtatuta Patrum nihil valet. 135. 1. Quod ſæpius agnoverunt ipſi Romani Pontifices. *ibid.* Non poteſt dici canonum *dominus*, ſed tantum executor & diſpenſator. 135. 2. Sedis Apoſtolicæ decreta in omnibus ſervanda. 136. 2. Si tamen *ſalubriter* fuerint promulgata. *ibid.*

Sepultura. De ſepulturis majorum, & jure eligendi ſepulturam. 96. 2. De negantibus defunctorum oblationes. *ibid.* Nihil pro ſepulturis poteſt exigi. *ibid.* In templis olim vetitæ ſepulturæ. *ibid.* Quibus proſit ſepultura in ſacris locis. 97. 1. An ſit concedenda cadaveribus ſuſpenſorum eccleſiaſtica ſepultura. 97. 2.

Servi. Quomodo in eorum ordinatione ſit procedendum. 48. 1.

Simonia. Utrum emere ſpiritualia ſit peccatum. 65. 1. Hujus peccati gravitas. 65. 2. unde petenda. *ibid.* Inveſtituræ Epiſcoporum olim ab Imperatoribus datæ ut ſimoniacæ habitæ. 66. 1. Quandonam committatur ſimonia ob munus à lingua. 66. 2. Utrum pro ingreſſu monaſterii pecunia exigi poſſit. *ibid.* Simonia à patre commiſſa an inficiat filium ignorantem. 67. 2. An poſſit hunc impedire à functione eccleſiaſtica. 67. 2. An adeptus beneficium poſſit in eo permanere, detecta ſimonia. 68. 1. Emens temporalia ſpiritualibus annexa ſimoniacus eſt. 67. 1. Æque ſimoniacus eſt dans pecuniam pro electione, ac ſi daret pro ipſa conſecratione. 68. 1. An & quando ſimoniacus ſit is qui occaſione electionis præſtat juramentum pro indemnitate Eccleſiæ. 83. 1. Simoniaci quaſi hæretici irreparabiliter à ſacris muniis deponendi, niſi ex miſericordia hic rigor mitigetur. 68. 2. Regulæ in hac mitigatione ſervandæ. *ibid.* An ſimoniaci ſacramenta conferre queant. 66. 1.

S. Papæ Vide Canon.

Sobrietas in clericis & in Epiſcopo requiſita. 39. 4.

Sortes ſanctorum. *Vide* Sortilegium.

Sortilegium. Qui ſunt ſortilegi. 137. 1. Quædam uſui ſortium faventia. *ibid.* Uſus tamen ille prohibitus præſertim in electione ad dignitates Eccleſiaſticas. *ibid.*

ibid. Sanctorum sortes, quæ & an licitæ. 137. 2. De variis divinationum generibus eorumque origine. *ibid* De natura dæmonum, & utrum futura prænoscant. 138. 1. Qua pœna puniendi sortilegi & divini. *ibid.* De illusionibus quibus mulieres à dæmonibus decipiuntur. 138 2. De maleficiis per res sacras ipsumque missæ sacrificium. *ibid.* Incantationum variæ species. 139. 1.
Spiritus sanctus. De eo Ecclesiæ fides. 170. 2.
Spoliari. Episcopus sede sua spoliari non potest, nisi servato juris ordine. 73. 2. Romanus Pontifex immerito ab hac regula exceptus. 74. 1. Spoliatus ante omnia restitui debet. 75. 2.
Sponsalia. *Vide* Matrimonium.
Stola. Ejus 31. 2. Cum antiquo orarii usu coincidit. *ibid.*
Strenæ. De earum origine. 141. 2.
Subdiaconi vasa sacra tangere prohibentur. 32. 2. Castitatis votum emittere debent. 35. 1. Non eadem fuit omnium Ecclesiarum in hoc puncto disciplina. 35. 1. 36. 2. Ipsis non fuit eodem tempore ubique continentiæ lex imposita. 36. 1.
Suffraganeus. *Vide* Episcopus.
Superstitio. De calendarum, dierum & annorum superstitiosa observatione. 141. 1. De magicarum artium inefficacia. 141. 2. Qui dies Ægyptiaci. *ibid.*
SYMMACHUS Papa. Decretum ei falso attributum, quod optandum ut in Ecclesiæ codice non referretur. 40. 2.

T

TAbernæ cauponariæ. Eas frequentare vetantur clerici. 43. 2.
Tempora. De jejunio quatuor temporum 53. 2.
Temporalia bona. Quo jure possideantur. 17. 2. Principum potestas circa res temporales. *ibid. Vide* Papa. Principes.
Testes. De ætate ad testandum requisita. 77. 1. Qui testes possint repudiari. *ibid.* 75. 1. 77. 1. Quæ crimina excepta pro quibus quivis testes admittantur. 77. 1. An Episcopi simplici assertioni credi debeat. *ibid.* An & quando Canonicorum testimonium in causa Ecclesiæ sit legitimum. 98. 2. An & quando presbyteri cogi possint ad dandum testimonium. 99. 1. An mulier testari possit contra clericum. 100. 1.
Titulus. Sine ecclesiastico titulo clericus ordinari non debet. 52. 1. Origo tituli patrimonialis. *ibid.*
Tonsura. An Abbates eam & minores ordines conferre possint. 51 2.
Tractatus ordinandorum, unde sic dictus. 27. 2.
Translationes ab una Ecclesia ad aliam canonibus interdictæ. 80. 2. Quandoque tamen permissæ. 81. 1. An & quando ad aliam Ecclesiam translatus ad priorem redire possit. 81. 1. Hostilitatis metu possunt mutari sedes Episcopales. 81. 2.
Tria Capitula. Qua occasione ortum schisma Trium Capitulorum. 126. 2. Quid de his moderni quidam sentiant theologi. 23. 2.
SS. Trinitas. De fide hujus mysterii. 169. 1.
Trullanus Canon XXXVI. multipliciter corruptus citatur. 29. 1.

V

VAsa sacra. Ex qua materia conficienda. 165. 2 Ea tangere non debent subdiaconi & clerici inferiores. 32. 2.
Venatio clericis interdicta. 38. 1.
Verbum Dei coram Episcopis prædicare possunt presbyteri. 62. 1.
Vestes Fulgidis & pretiosis vestibus uti non debent clerici. 117. 1. De forma vestium clericalium. *ibid.*
Viduæ velari prohibentur. 142. 1. De his quæ continentiam promittebant. *ibid.*
Virgines. De velandis virginibus. 115. 1. Quæ velationis virginum origo. 142. 2. De velatis & non velatis virginibus. 142. 1. Velatis gravior quam aliis imponebatur pœnitentia si votum violassent. *ibid.* Cur virgines potius quam viduæ velatæ. 142. 2. In virginum & viduarum professione distinctio. *ibid.* Tacitæ professionis exemplum. *ibid.* Qua pœna puniendus qui sacratam virginem ducit. 143. 1. Virgo vim patiens pudicitiam non amittit, nec adulteri fit rea. 152. 2.
Virtutes non loca sanctum efficiunt. 41. 2.
Visitatio Ecclesiarum. Ecclesias sibi subjectas annuis vicibus Episcopi visitare debent. 85. 2. Quid ab ipsis in hac visitatione agendum. *ibid.* Subditos gravare non debent. 86. 1. Formula interrogandi laicos dum Episcopus visitat. 156. 2.
Unitas Ecclesiæ. Ejus fundamentum ex Cypriano. 131. 2. Necessitas servandæ unitatis & fugiendi schismatis. *ibid.* Non est in Ecclesia qui ejus unitatem scindit. 60. 1. Non autem quocunque modo à Romano Pontifice dissentiens. *ibid.*
Universalis Episcopi titulus Romanis Pontificibus non attribuendus. 64. 1.
Votum. Simplex & solemne. 35. 1. An à voto recedere liceat. 109. 2. Discrimen inter votum & simplex; propositum *ibid.* Quibus pœnis punienda violatio voti & professionis continentiæ. 142. 2. Castitatis votum à subdiaconis emittendum. 35. 1. *Vide* Subdiaconi. An votis adstricti matrimonium contrahere possint. 143. 1. An & quando possint parentes votum puellæ irritare. 115. 1.
Usura Quid sit. 99 1. 45. 2. Clericis vetita 99. 1. An usurarii non restituentes usuras pœnitentiam agere valeant. 99. 2.
Uxor. Varia fuit Ecclesiæ Latinæ & Græcæ disciplina circa usum uxorum ante ordinationem ductarum. 36 2. Uxoris consensus requiritur ut ad sacros ordines promoveatur vir. 37. 1. Uxori ante ordinationem ductæ de necessariis providendum. 36. 1. Uxor vim patiens pudicitiam non amittit, nec adulterii fit rea. 152. 2.

APPROBATION.

J'Ai lû par l'ordre de Monseigneur le Garde des Sceaux, un Manuscrit intitulé *Brevis Commentarius ad Decretum Gratiani*, qui m'a paru propre a répandre de nouvelles lumieres sur un Ouvrage déja commenté par plusieurs Sçavans. A Paris ce premier jour de Juillet 1728.

Signé, TERRASSON.